









ANNALES CAMALDULENSES
TOMUS SEXTUS.

Eremi Insulæ Vigrensis.

ANNALES CAMALDULENSES ORDINIS SANCTI BENEDICTI

Quibus plura interseruntur tum ceteras Italico-monasticas res, tum historiam Ecclesiasticam remque Diplomaticam illustrantia.

D. JOHANNE-BENEDICTO MITTARELLI ABBATE
& D. ANSELMO COSTADONI

Presbyteris & monachis e Congregatione Camaldulensi Auctoribus.

TOMUS SEXTUS.

Complectens res gestas ab anno Christi M.CCC.LI. ad annum M.CCCC.XXX.

Ad fidem MONUMENTORUM & VETERUM CHARTARUM, quæ APPENDICEM constituunt.



VENETIIS, MDCCLXI.
Ære Monasterii Sancti MICHAELIS DE MURIANO.

Prostant apud Jo. BAPTISTAM PASQUALI.
SUPERIORUM VENIA ET PRIVILEGIO.

EMINENTISSIMO ET REVERENDISS. DOMINO

CAMILLO

EPISCOPO TUSCULANO

S. R. E. CARDINALI

MERLINIO PAULUCCIO

CONGREGATIONIS CAMALDULENSIS

INSIGNI PROTECTORI.

Johannes-benedictus Mittarelli Abbas, & Anselmus Costadoni
Presbyteri & Monachi Camaldulenses.



EXIMIO Supremi Numinis beneficio factum est, ut eo potissimum tempore Tibi, EMINENTISSIME CARDINALIS CAMILLE, commendarentur Camaldulensis fami-

familiæ negotia, Tuque ipsius singularem, peneque paternam sollicitudinem exciperes, quo ejusdem familiæ historia per Annales distributa uberioribus progrediebatur incrementis. Nam quæ indoluit bis præreptam sibi fuisse opportunitatem gratum officiosumque animum ostendendi tum erga PETRUM-ALOYSIUM CARAFFAM, tum erga ALOYSIUM MATTHÆJUM S. R. E. Purpuratos Patres, Tuique in gerendo hujusmodi Patrocinio beneficentissimos Prædecessores, quorum ingemuit acerbum inopinatumque obitum, mutavit luctum in lætitiam, gestivitque præ gaudio, cum in rerum suarum Patronum donatum Te OPTIMUM CARDINALEM audivit; ac ipso vel primo designationis Tuæ faustissimo nuntio decrevit unum ex his Annalium Voluminibus speciosissimæ Cardinalitiæ dignitatis Tuæ fronte decorare; præsertim quia Tu, CLEMENTISSIME PROTECTOR, vix nosti nos (licet impares) arduo huic operi jampridem supposuisse humeros, eique haud infeliciter insistere, hortatibus & epistolis ad prosequendam perficiendamque hanc spartam stimulos addidisti, ac Te alacriter recepisti laboribus nostris nomine, studio, auctoritateque Tua obsecundaturum; demum singulari comitate, qua præpolles, perhumaniter annuisti, ut sub auspiciis Tuis prodiret unum ex ipsis. Sextus itaque Annalium Camaldulensium Tomus inscribitur Tibi, AMPLISSIME CARDINALIS, qui ex nobilissima MERLINIORUM Foro-liviensi familia natus, alterique PAULUCCIORUM genti æque spectatissimæ insertus, pene juvenis Romanam aulam ingressus, gentilitia Prælatura insignitus, & arcanis epistolis conscribendis præpositus, MAXIMORUM HIERARCHARUM CLEMENTIS XI. INNOCENTII XIII. ET BENECICTI XIII. oculos & corda in Te vertisti; hujus vero postremi sanctissimi Pontificis familiaritate tanta usus fuisti, ut hærentem lateri suo frequentissime cuperet & haberet, paratusque foret ad

ea in

ea in Te florentiorem ætate collocanda honorum insignia, quæ provectis tantum viris conceduntur. Suspexit paulo post Alma Urbs Te Administrum, Auditoremque τȣ̃ Μακαρίτȣ patrui tui FABRITII PAULUCCII ejusdem Urbis vigilantissimi Cardinalis Vicarii, magnaque ex parte in curam Amplissimi ejus Magistratus vocatum.

Sed hæc portendebant, quæ & quanta maturioribus annis esses pro Apostolica Sede ultra fines Romanorum mœnium feliciter aggressurus. Cum scilicet electus S. R. E. Legatus ad Sarmatas & Polonos rem Catholicam adeo egregie fovisti, & propagasti difficillimis Regni illius temporibus, ut magnam Tibi laudem, amoremque Dynastarum omnium, ipsius in primis FRIDERICI AUGUSTI REGIS comparares, & honorem Romanæ Majestatis inviolatum illibatumque tuereris. Ex Polonia ad Cæsaream aulam promotus, ut ibidem clarissimæ pariter Legationis munere fungereris, testis fuit invictissimus ipse CAROLUS VI. IMPERATOR, quæ virtutum conspicua argumenta dederis, quæ benevolentiæ officia retuleris a tota AUGUSTISSIMA FAMILIA, tum ob egregiam animi Tui indolem, tum ob zelum tutandæ Religionis Catholicæ, studiumque pene singulare servandæ dignitatis Apostolicæ Sedis.

Quæ proinde præmia Tibi decreverat BENEDICTUS XIII. alter Sapientissimus Virorum cognitor BENEDICTUS XIV. contulit. Dum enim publicis gravissimisque curis distentus pro Romana ecclesia fatigabaris, Te in ejusdem S. R. E. PURPURATORUM PATRUM COLLEGIUM cooptavit, ut ubique locorum & hominum amorem Tibi conciliares, omnium æstimationem ad Te traheres, diligerent omnes, laudarent, admirarentur Morum Tuorum suavitatem, justi rectique religionem, sanctumque propositum. Felix præ ceteris Urbibus Patria Tua amplissimo, & ve-

nustis-

nustissimo ditata ædificio, in Christianæ rei decorem, propugnaculum, augmentum. Felix & Tusculana Ecclesia, quæ Te vere episcopum, Divini cultus propagatorem, Patrem pauperum, boni Pastoris exemplar, formam factum gregis ex animo habere promeruit. Sed felicior inter alias Congregatio Monastica & Eremitica Camaldulensis, quæ Te Patrono gaudet, cujus pietatem, prudentiam, zelum, integritatem, amorem, nomen, quæ summa sunt, singularissimam autem comitatem, quæ est maxima, quotidie experitur.

Hæc, in magna segetis copia, brevi manu per nos editores ipsa Camaldulensis Congregatio colligit. Sed illud est, quod faustissime auguratur, unice cupit, ferventissime orat, ut ad multos annos Tibi Deus Opt. Max. valetudinem bonam servet, augeatque.

Ex Monasterio S. Michaelis de Muriano Venetiarum Kalendis Junii M.ƆICC.LXI.



Monasterium SS. Salvatoris in urbe Foro-livii.

BREVIARIUM
TOMI SEXTI
ANNALIUM CAMALDULENSIUM.

LIBER QUINQUAGESIMUS-PRIMUS.

Ab anno Christi 1351. ad annum 1353.

LIBER QUINQUAGESIMUS-SECUNDUS.

Ab anno Christi 1354. ad annum 1360.

LIBER QUINQUAGESIMUS-TERTIUS.

Ab anno Christi 1361. ad annum 1365.

mo-

LIBER QUINQUAGESIMUS QUARTUS.

Ab anno Christi 1366. ad annum 1374.

LIBER QUINQUAGESIMUS QUINTUS.

Ab anno Christi 1375. ad annum 1385.

LI.

LIBER QUINQUAGESIMUS-SEXTUS.

Ab anno Christi 1386. ad annum 1395.

LIBER QUINQUAGESIMUS-SEPTIMUS.

Ab anno Christi 1396. ad annum 1400.

LIBER QUINQUAGESIMUS-OCTAVUS.

Ab anno Christi 1401. ad annum 1410.

XXIX.

LIBER QUINQUAGESIMUS-NONUS.

Ab anno Christi 1411. ad annum 1423.

LIBER SEXAGESIMUS.

Ab anno Christi 1424. ad annum 1430.

ANNA-



ANNALES CAMALDULENSES ORDINIS SANCTI BENEDICTI

LIBER QUINQUAGESIMUS-PRIMUS.

Ab anno Christi M. CCC. LI. *ad annum* M. CCC. LIII.



OHANNES hujus nominis III. Deutajuti filius, ex nobili Burgi-sancti-Sepulcri Abbarbagliatorum gente, qui ante triennium ad supremam Camaldulensis ordinis dignitatem evectus fuerat, ex abbate sancti Michaelis in Burgo Pisarum, in locum Bonaventuræ prioris generalis eo anno defuncti, nil antiquius habens primis sui regiminis temporibus, quam ut sedulo reformationi congregationis sibi commissæ insisteret, abususque, qui miserabili præsenti decimo-quarto seculo in cœnobia irrepserant, de medio tolleret, prælatorum Camaldulensium capitulum indixit habendum ad diem primam maji hujus anni millesimi tercentesimi quinquagesimi-primi in monasterio sanctorum Justi & Clementis urbis Volaterrarum. Congregati patres varias constitutiones in ipso edidere, quarum summam hic damus. Imprimis, cum plures prælati ob quascumque etiam frivolas causas monasteria sua de facili desererent, arcteque a canonibus injunctam residentiam parvifacerent, decrevere, ut de cetero e monasteriis suis non recederent, nisi prius expostulata licentia prioris generalis, qui causam justitiamque absentiæ ad examen revocaret, & quidem in monasteriis collegiatis cum consilio monachorum ejus conventus, in monasteriis vero manualibus interpellato consilio capituli eremi, & decernere generalis prior deberet, ad quantum temporis prælatus absens esse posset a suo cœnobio, recepturus interim expensas pro victu & vestitu ex bonis proprii sui monasterii, facultatemque ipse prior scripto firmaret, & tempore absentiæ majoris prælati vicarium in cœnobium constitueret. Vetuerunt, ne vacantia per obitum aut per resigna-

ANN. CHR. 1351.

I. Capitulum generale Volaterranum congregationis Camaldulensis.

ANN. CHR. 1351. tionem monasteria de novis rectoribus a monachis providerentur, nisi prius admonito per literas & expectato priore generali, qui per se interesset vel per nuncium suum electioni successorum. Abbatissæ & sanctimoniales nullam puellam ad habitum monasticum deinceps reciperent, nisi prævia cognitione & facultate ejusdem prioris. Mulctarentur pœnis prælati, qui novitios ad professionem admitterent ante completum tirocinii annum. Indumenta monachis imposterum non in numerata pecunia, sed in pannis laneis vestituque decenti tribuerentur. Visitatores ordinis non auderent a prælatis exigere, vel recipere procurationes visitationis suæ præter taxatas. Statueretur monachus idoneus mittendus ad monasterium Fontis-boni, qui juvenes instrueret in ritibus divinorum officiorum, in cæremoniis regularibus, & in recta observantiæ monasticæ disciplina. Demum severissimis pœnis etiam pecuniariis coercerentur monachi ad taxillos, vel ad quodcumque illiciti ludi genus vacantes, sicut etiam tenentes vel deferentes arma, aut vestes vetitas. Ad constitutionum hujusmodi calcem series efformatur & distinctio omnium monasteriorum congregationis in majora, mediocria & minora. Latæ fuere hæ leges die sexta maji, exaratæ manu Silvestri definitoris capituli, præsente & approbante Johanne supremo præside, præsentibus quoque Justo abbate Volaterrano, Johanne Perusino priore sancti Savini de Chio aliisque monachis. Quoad ludos vetitos Camaldulensibus, & his temporibus in Italia, & præsertim in Thuscia vigentes, intelligimus ex quadam prohibitionis lege lata anno 1324. die VII. februarii a Bonaventura priore generali fuisse hujusmodi: Lusus *ad azardum*, vulgo *Scornabeccho*, *al Mattone*, *de la Sponda*, *del Bucatone*, *ad Squillandum*, *ad Coderonem*, *ad Schaccos & ad taxillos*, quos sub rigidissimis pœnis eliminandos e Camaldulensium monasteriis mandavit eo anno vigilantissimus præses Bonaventura.

In tabulario Fontis-boni §. *Notabilia* [a], præter superiores constitutiones legimus, quod in eodem sancti Justi capitulo sapienter provisum fuit, ut cum hactenus prior generalis Camaldulensis simul ac a prælatis postulatus & electus fuerat, administrationem continuo suscipere solitus fuisset, absque ulla alia confirmatione, tum ex speciali veterrima consuetudine, tum ex indultis & privilegiis antiquissimis Romanorum pontificum & imperatorum; quia tamen ex novis reservationibus, quas fecerat sedes apostolica, vel ex aliis quibuscumque causis ad multum temporis differebatur electio vel confirmatio ipsius, ne imposterum tamdiu viduata rectore remaneret congregatio, eligerentur statim post obitum prædecessoris per prælatos ordinis unus aut plures vicarii, quibus committeretur congregationis regimen usque ad tempus confirmationis novi præsidis. Statutum quoque est, quod residentia ejusdem prioris foret deinceps in monasterio sancti Benedicti urbis Arretii, translatis abbatissa & monialibus, quæ in eo degebant, ad asceterium sancti Johannis-evangelistæ Prati-veteris, cujus illud erat suffraganeum. Pariter cum monasterium sancti Bartholomæi de Anglario, quod erat manuale Camaldulensis eremi, detineretur tunc temporis a Perusinis, qui ipsum redegerant ad arcem & ad fortalitium dicti castri, proventus & redditus ipsius cœnobii applicarentur per modum unionis, seu alio quovis juridico modo, mensæ prioris Camaldulensis, ad quam etiam pertinerent redditus alterius monasterii sancti Quirici de Rosis manualis itidem eremi, in quo propter inclementiam aeris neque prior, neque monachi commorari salubriter ultra poterant. Quæ decreta manu Johannis Jacobi notarii descripta reperiuntur.

a n. 30. A. 14. 61.

Addit

Addit Baroncinius decretum fuisse in eodem capitulo Volaterrano, quod in futurum pœnitentiarius aut quisvis alius eremi Camaldulensis officialis nullatenus deberet confessiones sacramentales excipere eorum, qui non forent de gremio ordinis, neque posset prior Camaldulensis super hoc dispensare, qui immo teneretur manutenere idem decretum, quo magis vigeret in eo recessu eremitica observantia, tolleretur que quæcumque occasio impediendi vitam contemplativam ejusdem loci.

Ann. Chr. 1351.

Ipse vero præses generalis Johannes suprascriptas constitutiones dirigens ad omnia congregationis monasteria, epistola sua data ex cœnobio sancti Frigdiani Pisarum die vigesima-prima maji, de voluntate patrum capituli imposuit collectam sexcentorum Florenorum, quæ a dictis monasteriis solveretur præsenti anno, & alteram tercentorum pro anno sequenti, renovandam quolibet anno usque ad celebrationem alterius capituli generalis, pro supplendis oneribus & diluendo ære alieno, pro exsolvendis provisionibus annuis in curia Romana, ceterisque expensis, & collectores elegit in provincia Thusciæ & in ducatu Spoletano Johannem priorem sancti Michaelis de Arretio, & Nicolaum sancti Benedicti Saviniani abbatem in provinciis Romandiolæ, Marchiæ Anconitanæ, & in partibus Trans-padanis, solutionem collectarum mandans sub excommunicationis interminatione omnibus monasteriis ipsorumque prælatis.

II. Ædificatio eremi sancti Romualdi de Vignale.

Præhabita licentia ab eodem Volaterrano capitulo idem Johannes prior generalis de consensu suorum eremitarum ratam habuit donationem Angeli quondam Rossi de Catenaciis civis Arretini, qui tabulis suis testamentariis scriptis per Bartholomæum Balducii de Arretio anno præterito M. CCC. L. die XXI. decembris, legaverat eremo Camaldulensi palatium, domos & ædificia, quæ ipse possidebat in cortinis Arretii in villa Vignalis curiæ sanctæ Floræ, & alibi totum id, quod obtinebat in terris, vineis & silvis in villa Fontiani, ea apposita lege, ut infra annum super dicta ædificia construeretur eremus, in qua unus saltem eremita sacerdos commaneret una cum aliis eremitis non sacerdotibus, qui regulam Camaldulensis disciplinæ servarent. Qua propter die IX. julii hujus anni [a] Benvenutus Major eremi Camaldulensis ejus hæreditatis possessionem iniit, decretumque fuit, quod super ædificia de Vignale fabricaretur eremus seu monasterium, cujus vocabulum foret eremus sancti Romualdi de Vignale ordinis Camaldulensis, & incoleretur a monachis eremitis ejusdem ordinis. Actum in capitulo eremi; manu Johannis Jacobi notarii.

[a] §. *Ratificatio.* 6. *A.* 4. 26.

III. Controversiæ Camaldulensium cum Pratalienfibus.

Post mortem Francisci abbatis sanctæ Mariæ de Pratalia, quæ contigerat anno M. CCC. XLVIII. suffectus fuerat suffragiis monachorum in abbatem ejus monasterii Petrus de Nocerio. Hic autem vix regiminis habenas acceperat, quod veteres suscitans lites, quæ olim sub finem seculi XII. & initiis XIII. viguerant sub Guillielmo abbate, detrectabat subjectionis jugum, & a disciplina eremi Camaldulensis, cum qua monasterium Prataliense fuerat jamdudum copulatum, separationem aperte moliebatur. Motus rei novitate Johannes supremus præses Camaldulensis adiit Nicolaum Lapi de Ghinis abbatem sanctæ Mariæ de Florentia, tamquam assignatum conservatorem apostolicum eremi, personarum, bonorum & jurium ipsius, petiitque per Venturam abbatem Candiculanum procuratorem suum, ut monasterium sanctæ Mariæ de Pratalia, olim Camaldulensi eremo incorporatum, restitueretur eidem eremo contra prætensa jura supradicti Petri de Nocerio, qui se dicebat abbatem, & impediebat, quominus cœnobium illud pacifice possideretur, visitaretur & corri-

Ann. Chr. 1351. corrigeretur tam in capite, quam in membris ab eodem priore Camaldulensi. Vocatus fuit ab abbate Florentino ad diem dicendam Petrus, qui XIX. decembris per Ægidium monachum & sindicum suum comparuit. Adversus ipsum in medium prolata fuere privilegium vetus unionis sub Hieronymo episcopo Arretino, alia privilegia pontificia, imperialia & episcopalia Urbani III. Ottonis IV. Alexandri IV. & Guillielmini itidem Arretini antistitis; productæ quoque fuere electiones abbatum Pratalensium hactenus factæ a prioribus Camaldulensibus, & recepta confessione monachi sindici, adjudicavit Nicolaus abbas & judex idem monasterium eremo, decernens, ut deinceps haberetur tamquam ipsius membrum, & monachi ejusdem loci una cum abbate sacramentum & obedientiam præstarent priori generali Camaldulensi, executoresque sententiæ suæ constituit abbatem sancti Fidelis de Puppio, custodem conventus de Certo-mondo, & plebanum plebis de Stia. Insuper literas monitoriales & requisitorias sub excommunicationis pœna dedit Boso episcopo & canonicis Arretinæ ecclesiæ, ne contradicerent executioni dictæ sententiæ, neve impedirent reformationem regularem & visitationem ejus monasterii & membrorum ipsius priori Camaldulensi; manu Toti quondam Opizi de Pistorio notarii. Sequenti anno die XV. junii [a] Petrus abbas constitutus in præsentia Johannis prioris Camaldulensis fassus est monasterium Pratalense, omniaque ejus membra jure subjecta esse eremo Camaldulensi, spoponditque in manibus ipsius obedientiam, post quam promissionem inductus fuit in possessionem loci a Guidone de Romena plebano Stiæ. Similiter die IX. junii [b] Nicolaus de Saxolis prior monasterii sancti Clementis de Arretio, quod erat manuale Pratalensis, fidelitatem, subjectionem & obedientiam promisit eidem Camaldulensi præsidi.

IV. Chartæ monasterii Rosæ Senarum.

JEHU œconomus episcopatus Senensis, vacante sede ob mortem Donus-dei Malavolti episcopi, die V. januarii hujus anni [c] ad sexennium locavit monasterio Rosæ Senarum alia proxima prædia, statuta persolutione census XX. Florenorum, a quo censu monasterium liberatum fuit [d] die XXIII. augusti anni M. CCC. LIV. ab Azolino episcopo Senense, qui Donus-Deo successerat assumptus ad eam cathedram sub finem hujus anni. Refutationem Azolini ratam habuit Innocentius VI. Romanus pontifex anno subsequenti, opera Philippi Gualterotti episcopi Volaterrani, permutato censu cum aliis bonis, quæ monachi Senenses possidebant ad montem Cellesium extra portam Camulliam. Cum iisdem monachis liberalem se exhibuit Azolinus episcopus [e], concedens ipsis ad mille libras acquisitionem usurarum & rapinarum, quarum restitutio, quibus deberetur, non innotesceret; hæc ex tabulario ejusdem monasterii: Ex illo autem nosocomii Scalæ [f] consilium generale communis urbis, tenore apostolicarum literarum, auxilium brachii secularis præstitit iisdem monachis die XXII. julii hujus anni. Rursus ex archivo dicti monasterii [g], cum prior Vivensis neglexisset eligere priorem sanctæ Mustiolæ, quod monasterium tunc vacabat per translationem Johannis Arretini ad abbatiam Silvæ-mundanam, præfatus Philippus Gualterrotti, qui tempore sedis vacantis vices gerebat in episcopatu Senensi, elegit Johannem Donati Senensem monachum eremi Vivensis in priorem. Quem Philippum Gualterotti duplex pagina nostra nominat, Philippum de Belfortis appellat Ughellius [h] tomo I. Italiæ sacræ in episcopis Volaterranis, qui anno 1348. ad eam ecclesiam regendam a Clemente VI. elevatus fuerat.

V. Acta judiciaria abbatiæ Burgi sancti-Sepulcri.

BARTHOLOMÆUS abbas Burgi-sancti-Sepulcri varia acta judiciaria tamquam ordinarius & diœcesanus ejusdem Burgi egit hoc anno, quæ refe-

a §. *Sententia.* 9. *A.* 17.

b *Ibidem A.* 142.

c *Archiv. Rosæ Senar. num.* 110.

d *N.* 299.

e *N.* 357.

f *N.* 56.

g *N.* 84.

h *Col.* 1454.

referuntur a monacho collectore jurium ejusdem abbatiæ, qui commentariolum de rebus Burgi edidit anno 1454. ad Nicolaum V. Romanum pontificem. In iis sententiam excommunicationis tulit contra sorores carceris, sive monasterii de Ulmo, eamque sententiam notam oppidanis fecit; recepit submissionem Elsæ sororis ejusdem parthenonis; obedientiam excepit alterius sororis de Anna. Anno sequenti & M. CCC. LVI. cognovit quasdam causas matrimoniales; alias de restitutione usurarum annis M. CCC. LIV. & M. CCC. LVII. Autographæ paginæ horum actorum in medium productæ fuere post sexennium in causa litis, quæ accerrima viguit inter episcopum Tiphernatem sive Civitatis-castelli, & inter abbatem Burgi circa jus diœcesanum, quod sibi asserebat abbas, denegabat episcopus. Idem monachus collector scribit hoc „ anno M. CCC. LI. Clementis VI. anno X. & imperii Caroli IV. cui cognomento dicebatur „ vulgo *de la Pace*, anno V. Burgum-sancti-Sepulcri concessisse sub dominio „ Mediolanensis archiepiscopi ex Vice-comitum propagine progeniti. " In eodem Burgi-sancti-Sepulcri oppido ædificatum fuisse circa hæc tempora asceterium pro sacris virginibus Camaldulensibus tradit Jacobillius [a]. Plura, & præsertim sanctæ Catharinæ & sanctæ Margaritæ domicilia pro monialibus Camaldulensibus longe ante hæc tempora extitisse in Burgo jam vidimus superioribus annis ex certis monumentis. ANN. CHR. 1351.

[a] T. III. p. 322.

Alterum sanctæ Annæ monialium Camaldulensium monasterium ex loco juxta portam Galleriæ Bononiensis urbis translatum fuit hoc anno ob bellorum & militarium devastationum injurias intra urbem ad viam Balnei-marini in campo sancti Antonii.

VI. De monasteriis Foro-corneliensibus.

LEGIMUS apud Manzonium in suo de episcopis Corneliensibus opere [b], „ moniales sanctæ Mariæ de Caritate, quæ regulam sancti Augu„ stini profitentes ordini Prædicatorum fuerant unitæ, apud ecclesiam san„ ctorum Eustachii & Catharinæ suam ædem collocasse anno millesimo „ tercentesimo quinquagesimo-primo, quamdiu quibusdam domibus coem„ ptis, unoque constructo monasterio, in illud omnes prædictæ utrius„ que cœnobii moniales convenere; " illæ scilicet sanctæ Mariæ de Caritate, & aliæ ex ordine Prædicatorum, vel forte etiam nostræ, quæ ad sancti Eustachii sedes habebant. Vidimus frequenter tum seculo præterito, tum præsenti collectas in ecclesia sancti Eustachii sanctimoniales Camaldulenses, quæ simul cum viris monachis distinctum domicilium ibidem habebant. Refert idem Manzonius ad annum M. CCC. XXIII. plura latifundia ecclesiæ sanctorum Eustachii & Catharinæ, & pro ea priori ordinis Camaldulensium per Drudam piam feminam, pluraque alia a quodam Masio donata fuisse. Nescimus insuper [c], an oratorium sanctæ Crucis *Coopertæ*, quod via Æmilia extra portam occidentalem erectum erat, nunc autem ecclesia parochialis, idem foret cum ecclesia sanctæ Crucis de Subolis, quæ ad Camaldulenses pertinebat. Scribit idem illustrator antistitum Corneliensium, Rimbaldum episcopum anno M. CCC. XVIII. ut majori populi frequentia ipsum coleretur, singulis fidelium illud visitantibus diebus sanctæ Crucis sollemnibus, atque universo quadragesimæ tempore, indulgentias perpetuo concessisse, & consimili privilegio a quatuordecim S. R. E. cardinalibus, atque a duobus archiepiscopis condecorari impetrasse, prout eo pariter, qui insecutus est anno, parochianos Corvariæ rectori illius ecclesiæ decimas persolvere denegantes, sua nedum episcopali, sed & pontificia Johannis XXII. auctoritate ad eas præstandas coegisse.

[b] Pag. 237.

[c] Pag. 231.

Cardinalis sanctæ Cæciliæ Clementis papæ VI. in Italia legatus apostolicus erat hoc anno ex pagina solutionis factæ ipsius exactoribus Henrico

ANN. CHR. 1351.

rico canonico & Friderico sacristæ ecclesiæ Cenetensis decem & septem parvorum pro unaquaque libra ab Oliverio priore sancti Martini de Opitergio pro Henrico rectore sanctæ Mariæ de Fileto die XVII. januarii; ex tabulario sancti Michaelis de Muriano. Ipse est Guido de Bolonia, qui etiam hoc anno titulum gerebat sanctæ Cæciliæ.

VII. Obitus Philippi Nelii prioris S. Mariæ Angelorum de Florentia.

a *Part. II. lib.* III. *c.* 15.

OBIIT ad hæc tempora Philippus Nellius prior monasterii sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia, insignis ejus loci reparator, qui dum post acerrimam contagionem anni 1348. renovationi familiæ, ædificiorum, scientiarum & artium studeret, „ in medio opere lethali febre correptus „ Deum adiit undecima junii, " ut scribit Fortunius. a „ Post cujus ex„ sequias, subdit, fratres Johannem Parthucium a Carminiano illi suf„ fecere omnibus suffragiis, sed ille dignitatem repudiavit, quia Nerius „ suus pater per eos dies demigraverat e vita, ipse vero secum tacitus „ statuisset Deum semper pro illius anima precari. Ceterum cum con„ ventus eam repudiationem non admitteret, evocatur Florentiam Jo„ hannes generalis, qui quum nullis rogatibus Johanni persuadere pos„ set, ut fratribus complaceret, ad novam electionem denique deventum „ est, & Dominico Cennio Florentino prioratus administratio commis„ sa, qui cœnobium Septimum versus dilatavit, emptisque præterea hor„ tis, casisque usque ad viam Campaccii a Cantino Albertoque Alfa„ niis, occasionem multis civibus ac benevolis cœnobii dedit ornandi „ cœnobium sacellis capituli & sui xysti. " Erectiones porro hujusmodi sacellorum exscribimus, & subjungimus ex eodem Fortunio. „ Sacello„ rum ædificationes variæ factæ sunt pro tempore hujusmodi. Lapa olim „ relicta Dophi Spinii aram sanctæ Mariæ-magdalenæ pro salute animæ „ suæ virique erigi fecit in regione, ubi postea ad ingressum sacrarii Jo„ hannes Ghitius altare sancti Johannis-evangelistæ poni in testamento „ jussit. Cujus pietatem imitata Nucia olim relicta Philippi Spinii obtu„ lit sexaginta florenos in ædificationem altaris sancti Laurentii, quod „ postea destructum fuit, causa disponendi fabricam. Ninus canonicus san„ cti Apollinaris (ex cujus hæreditate dormitorium quoque converso„ rum factum est) altare sanctæ Catharinæ in sacrario locandum cura„ vit, altare sancti Michaelis, ubi nunc cernitur, translato. Benvenutus „ medicus sacellum sancti Benedicti; Johanna relicta Aloysii Rainerii sa„ cellum sancti Francisci; Nicolaus Tingius a Podio-bonitii sacellum di„ væ Annuntiatæ, & quidam alii altare sancti Antonii in capitulo po„ suere. Interea mortuo Nerio a Carminiano patre Johannis monachi, „ Thaddæoque altero ejus filio monacho ad Angelos facto, devolvitur „ ad cœnobium universa illius hæreditas, ex qua templum ampliatur „ æde sancti Michaelis, emptis etiam tiratoriis (ut vocant) pannorum „ a Bindo Beninio, qui post duos annos sacellum sancti Johannis-bapti„ stæ in capituli angulo condidit mense novembris. Pari modo Tellinus „ Dinius erexit aram sancto Job sacram. Ex hæreditate vero Johannis „ Ghibertii ædificatur sacellum sancti Romualdi. Singulis aris ornamen„ tis ad rem Divinam faciendam magnifice ditatis & pariter ad earum „ ornatum. " Sub Dominico priore, addit idem Fortunius „ excessisse „ e vita per eos dies in eodem Angelorum cœnobio Jacobum Brandi„ nium librorum scriptorem insignem, qui multos claros reliquit ex se „ discipulos; " distinguendum juxta nos ab alio Jacobo Florentino monacho celebri item scriptore & miniatore, qui serius occubuit.

VIII. De parthenone S. Mariæ de Bucca-saxorum.

CLARA Tinti Bicchi sanctimonialis parthenonis sancti Marci, quod situm erat in burgo portæ burgi sancti Nicolai Fabrianensis oppidi pe-

tiit licentiam ab Helisabeth abbatissa ipsius monasterii se transferendi ad aliud asceterium, quam obtinuit die nona septembris indictione IV. dummodo tamen intra mensem monasterium aliud ingrederetur; quare die XIX. ejusdem mensis ipsa Clara existens ante altare sancti Angeli de Rosenga flagitavit flexis genibus a Francisco abbate monasterii sancti Victoris de Clusis copiam sibi fieri arctioris vitæ gratia ingrediendi carcerem sive monasterium dictum de Bucca-saxorum (alibi ipsum appellatur inter Saxa) subjectum eidem Victoriano cœnobio. Porro Franciscus abbas Claræ petitioni annuens, cum monasterium dictum præfecta careret ob decessum Matthiolæ abbatissæ, ipsam instituit in ejusdem loci abbatissam. Pluribus in locis sanctimonialium monasteria Carceres nuncupabantur. ANN. CHR. 1351.

In tabulario sancti Blasii de Fabriano extant exempla & formula, qua in eodem sancti Victoris cœnobio idem Franciscus abbas recepit hoc ipso anno oblatos, quæ libenter omittimus; ex illo vero sancti Romualdi de Urbe producimus chartam Valle-castrensem, qua Albricus abbas & monachi ejus loci procuratores crearunt ad prosequendam coram Romano pontifice Clemente VI. appellationem præpositi ecclesiæ sancti Stephani de Arcellis Eugubinæ diœcesis, & subjectæ Valle-castrensi cœnobio ab impetratione facta a Raynaldo cardinale diacono sancti Adriani commendationis ejus ecclesiæ, quæ eatenus plena libertate potita fuerat. Ex archivo terræ Pyri nomen ad hunc annum legitur Nicolai prioris eremi Suaviciniæ.

IX. Historia eremi de Monte-Cornu.

EREMI seu monasterii sanctorum Nicolai, Michaelis archangeli, & Blasii in loco dicto Carpeneto de monte Cornu in comitatu Pennensi mentionem primum fecimus ad annum 1055. occasione amplissimæ donationis eo anno factæ Bampono priori, Hieronymo & sociis ejus in dicta eremo a Corello & Morello. Serius ad nos allata fuere monumenta, quæ eam eremum illustrant, & aliquam efformant seriem priorum, qui in ea floruerunt, & nomina ecclesiarum ipsi eremo subjectarum, quæque spectant tum ad præteritum, tum ad præsens seculum, usque ad tempora Ubaldi primi abbatis Avellanensis defuncti sub finem anni præteriti, ad quem ejusque congregationem Avellanensem spectabat & subjiciebatur præfatum sancti Nicolai monasterium. Ut aliquo ordine illustretur historia eremi sancti Nicolai, non abs re erit chartam in antecessum ex tabulario Avellanensi producere anni 1526. in qua describuntur bona, ecclesiæ & jura ejusdem loci. *Anno a nativitate* D. N. J. C. M. D. XXVI. *inventarium, annotamentum, descriptio seu catastum omnium bonorum stabilium & pretiosorum mobilium ven. monasterii & prioratus sancti Nicolai de Cornu Vallis-Sicilianæ, Pennensis diœcesis provinciæ Aprutii ultra, & aliarum ecclesiarum annexarum & subjectarum dicto prioratui, sitarum in pertinentiis terrarum Insulæ-furcæ, Chriscariæ, Collis-alti, Logogniani, Collis-ronici, Pallæ-aureæ, quam in aliis locis Vallis-Sicilianæ Pennensis diœcesis, ac etiam in terra Bassiani prædictæ & Atriensis diœcesis, ac etiam in terra Montorii & Collis-veteris Aprutinæ diœcesis, ac in civitate Aquilæ, & in terra Assericæ Aquilanæ diœcesis, ac etiam in terra Guilionisii Capitanatæ Apuliæ Termulanæ diœcesis, ac etiam in Casali-novo Sipontinæ diœcesis .... diœcesis, ac etiam in aliis locis provinciæ inferioris, conditum factum, ordinatum & compilatum per dominum Franciscum de Marco de Aversa illustrissimi domini domini Aloysii de Aragonia vice-regis in provinciis Aprutii secretarium, præsente ... Antonii Vincentii perpetui commendatarii dicti prioratus sancti Nicolai de Cornu, cum interventione & assistentia hominum dictorum locorum habentium notitiam*

Ann. Chr. 1351.

titiam de omnibus infrascriptis rebus & bonis præfati prioratus, & capellarum sibi annexarum & subjectarum, ac etiam per scripturas & alia documenta, quæ erant penes rev. dominum Mixium Antonii da Gaglioffis de Insula hactenus priorem dicti prioratus &c. Quæ per summum compendium translata in latinum idioma ex vulgari Italico instrumento subjungimus.

„ In primis ecclesia sancti Nicolai sita est in appendice montis Cornu, sine cura animarum, & est monasterium ordinis sancti Benedicti, „ regitur per priorem, & spectat ad abbatiam sanctæ Crucis Fontis-avellanæ. Prioris electio pertinet ad monachos dictæ ecclesiæ, confirmatio „ ad abbatem Avellanensem, cujus monasterio annuatim die sancti Albertini ultima augusti censum solvit ducatorum quingentorum trium „ Carlenorum de Regno. In ea ecclesia non ingrediuntur feminæ. Sub „ eo prioratu reperiuntur adnexæ, ammensatæ & perpetuo unitæ ac subjectæ sequentes capellæ; capella sancti Salvatoris de Fano de Cornu „ de Insula cum cura animarum, olim præpositura, cui subest ecclesia „ sancti Clerici (forte Quirici, vel Ciriaci) de Antignano, ecclesia sancti Eusanii, ecclesia sancti Dominici, ecclesia sancti Johannis-baptistæ „ de Monte, ecclesia sancti Stephani de Insula, capella sancti Augustini „ de Bassiano; in hac diebus dominicis & die festo sancti Augustini, centum dierum acquiritur indulgentia concessa a quodam S.R.E. cardinale. Curam habet animarum, cum uno altare sancti Honuphrii intus „ dictam ecclesiam, & subjectas tenet ecclesias sancti Johannis-baptistæ, „ & sancti Petri de dicta terra Bassiani sine animarum cura Pennensis „ & Atriensis dioecesum; capella sancti Januarii de Guilionisio sine animarum cura Termulanæ dioecesis, pro qua prior sancti Nicolai in die „ sancti Blasii pro canone sive censu Carlenos de Regno sex, aut arietem unum solvit episcopo; item capella seu ecclesia sancti Georgii de „ Casale-novo, & huic unita ecclesia sancti Blasii sine animarum cura „ Sipontinæ & Vestanæ dioecesum; ecclesia sancti Georgii olim erat prioratus, ejusque monachi albis induebantur, vocabanturque domini, & „ celebrabant officia secundum consuetudinem dicti prioratus. Universitas „ Bassiani ecclesiæ sancti Augustini quotannis cereum offerebat, sicut parœciani sancti Salvatoris de Fano huic ecclesiæ cereum donabant de „ consuetudine die sancti Sebastiani; & ecclesia sanctæ Mariæ Canrole „ ecclesiæ sancti Nicolai persolvebat tribus diebus in anno, in Paschate „ resurrectionis, in festo Assumptionis beatæ Mariæ Virginis, & in Nativitate Domini aliquot panni brachia. Casale de Cornu terra est, quæ „ dividitur in quinque *mascios*, hoc est massas, domus & prædia amplectentes, cujus homines vassalli sunt monasterii sancti Nicolai in spiritualibus & temporalibus, quorumque causæ civiles non cognoscuntur „ nisi a priore, neque reali & personali præcepto adstringi possunt homines, exceptis casibus criminalibus, qui constituunt sibi judicem & „ bailivum in eorum officiales. Territoria sancti Januarii de Guilionisio „ sunt novem, & confines habent cum silva de Cucina, cum territorio „ Termularum, cum terra Montis-nigri, & alluuntur a flumine Asinario &c. " Festum sancti Clerici seu Ciriaci in Antignano celebratur „ die decima julii. "

X. Paginæ veteres ejusdem monasterii seu eremi.

His in antecessum annotatis reperimus monumenta, quæ sequuntur, ad ejus monasterii sancti Nicolai, ecclesiarumque subjectarum illustrationem facientia, quæ chronologico ordine delibamus prius, inde in medium proferimus. *Anno ab incarnatione Domini* M.CC.XXXV. *regnante*

domino

domino nostro Friderico invictissimo Romanorum imperatore semper augusto, Jerusalem & Sicilie rege, anno imperii sui XVI. *Jerusalem* XI. *& Sicilie* XXXVIII. *indictione* VIII. *secundo die intrante mense julii* Rogerius de Boctarello & Pamponus imperiales judices civitatis Termularum, & judex Guillielmus de Guilionisio cognovit quamdam quæstionem vertentem inter Stephanum episcopum Termularum ex parte una, & Simonem de Ancona habitatorem Guilionisii ex altera pro ecclesia sancti Januarii & possessionibus suis, quas idem Simon tenebat & reddere contradicebat; quam judicarunt supradicti viri ad favorem episcopi. Stephanus Termularum episcopus omittitur ab Ughellio tomo VIII. Italiæ sacræ, collocandus propterea inter Alferium & Johannem episcopos.

ANN. CHR. 1351.

Anno ab incarnatione Domini M. CC. LV. *dominante domino nostro Alexandro papa* IV. *unico & speciali domino regni Sicilie anno pontificatus ejus primo indictione* XIII. *decima die intrantis mensis januarii* universitas Termularum coram Guisinolfo & Johezito publicis notariis Termularum in defectu judicum, qui tunc non habebantur, declaravit fratrem Laurentium monachum sancti Nicolai de Cornu nuncium ejus cœnobii, ipsumque monasterium debere gaudere libertatibus, honoribus & dignitatibus, quibus gaudent cives ejus urbis, quia monasterium sancti Nicolai bona possidebat in suburbio Termularum, idque ex privilegiis regis Guillielmi II. & imperatoris Friderici.

Anno, quo Christus carnem de Virgine sumpsit M. CC. LXIII. *regnante domino nostro Manfredo Dei gratia illustri rege Sicilie anno* V. *die martis* VII. *mensis novembris* VI. *indictione &c.* Jacobus miseratione divina Sipontinæ sedis archiepiscopus, & totum Sipontinæ ecclesiæ capitulum confirmavit Giraldo abbati monasterii sanctæ Mariæ in Calena ecclesias, cellas & capellas, quas ipsum monasterium habebat & tenebat in diœcesi Sipontina. Etiam Jacobus prætermittitur ab Ughellio in archiepiscopis Sipontinis, locumque habere debet post Rogerium.

Anno M. CC. LXXXIII. *regnante domino nostro Carolo Dei gratia illustrissimo rege Hierusalem, Sicilie, ducatus Apulie, Principatus, Capue, alme Urbis senatore, Andegavie, Provincie, principe Achaie, Forcalquerii & Tornodori comite, regnorum suorum Hierusalem anno septimo, Sicilie vero octavo-decimo die jovis vigesimo-secundo mensis aprilis undecima indictione* Johannes de Indelgardo principalis Pesquitii judex, atque Gentilis de Spalatino publicus ejusdem terræ notarius testantur monasterium sanctæ Mariæ de Calena ordinis sancti Benedicti Sipontinæ diœcesis multo ære alieno gravatum, ipsiusque abbatem Matthæum consensu capituli sui Jacobo priori sancti Nicolai de Cornu tradidisse ecclesias sancti Georgii & sancti Blasii de Casali-novo diœcesis Sipontinæ suo monasterio subjectas, & e contra accepisse, præter summam auri, ecclesiam sancti Zachariæ Vestanæ diœcesis a monachis sancti Nicolai. Nominatur in hac charta Johannes de Neapoli olim abbas sanctæ Mariæ de Calena. Post duos dies prior sancti Nicolai de Cornu inductus fuit in corporalem possessionem ecclesiæ sancti Georgii de Guilionisio.

Cœlestinus V. Romanus pontifex *Anno* M. CC. XCIV. *pontificatus sui anno primo* VI. *idus septembris* ex Aquila priori & conventui sancti Nicolai de Cornu confirmavit præfatam permutationem, exemptionem insuper Jacobi archiepiscopi Sipontini, inserens utramque suo diplomati.

Jacobus eremi sanctæ Crucis Fontis-avellanæ prior Petrum priorem sancti Nicolai ab excommunicatione absolvit, quam incurrerat ob non solutam pecuniæ quantitatem requisitam ob exemptionis privilegium, quod

Ann. Chr. 1351. Avellanenses impetraverant ab eodem Cœlestino, qui monasteria ipsorum eorumque membra liberaverat ab omnium potestate episcoporum; absolvit etiam ex gratia concessa sibi a domino Gentili tituli sancti Martini in Montibus presbytero cardinale & pœnitentiario summi pontificis ab irregularitate, in quam inciderant, divina officia post excommunicationem & interdictum celebrando: *Anno* M. CCC. I. *indictione* XIV. *die sexta mensis julii tempore domini Bonifacii pape octavi*.

Anno M. CCC. XXII. *indictione* V. *tempore domini Johannis pape* XXII. *die ultima mensis maji* Thomas prior sancti Quirici Perusinæ diœcesis & sindicus monachorum Avellanensium exhibuit Hugolino abbati sancti Petri Perusinæ urbis bullam Johannis XXII. appellatam *Conservatoriam* pro congregatione Avellanensi, ejusque monasteriis. Hugolinus vero subdelegavit archipresbyterum ecclesiæ sanctæ Mariæ de Guilionisio diœcesis Termulanæ, abbatem sancti Silvestri de Colle-Bricono de Aquila, Jacobum Alberghetti canonicum Atriensem, præpositum sancti Cypriani de Campellis Valvensis diœcesis, ut nomine suo tuerentur, servarentque bona ejusdem congregationis & monasteriorum suorum.

Anno M. CCC. XXIII. *pontificatus Johannis* XXII. *anno octavo, regnante serenissimo domino nostro rege Roberto inclyto rege Jerusalem & Sicilie, ducatus Apulie & Principatus, Capue, Provincie, & Forqualcherie & Pedemontis comite, regnorum ejus anno quarto-decimo, die octava-decima mensis augusti sexte indictionis in Neapoli* Franciscus Carolus miles judex civitatis Neapolis & Johannes Bultanus notarius testantur, quod cum inter monachos Calenenses, & inter monachos sancti Nicolai de Cornu orta fuisset gravis controversia circa ecclesias anno 1283. invicem permutatas, & Franciscus abbas de Calena in judicium coram Sipontino archiepiscopo traxisset Cambium sindicum monasterii sancti Nicolai, ad compositionem mutuam devenere, & permutationem secutam ratam habuit Franciscus abbas; immo pro expensis causæ obtulit eidem Cambio & monasterio sancti Nicolai uncias auri quinquaginta in Carolenis argenteis sexaginta pro uncia computatis, solvendas ex decima Falcis & Pantani-Vayrani debita monasterio Calenensi per illustrem dominum Achajæ principem.

Demum *anno* M. CCC. XXXII. *regnante* &c. *Roberto inclyto Jerusalem & Sicilie rege* &c. *regnorum ejus anno* XXIV. *die quinta mensis madii quinte-decime indictionis apud Casalem-novum* Simon judicis Johannis Casalis-novi judex fidem facit, a Cambio priore sancti Nicolai de Cornu sibi exhibitam fuisse bullam Johannis XXII. *Conservatoriam*, & Francisci abbatis sanctæ Crucis de Tripudio conservatoris & judicis abbatiæ & monasteriorum Avellanensium paginam, qui subdelegaverat episcopum Termulanum, episcopum Civitatis-sanctæ-Mariæ, episcopum Aprutinum, & religiosos viros guardianos loci Minorum Atriensis, & Casalis-novi Sipontinæ diœcesum, archipresbyterum sanctæ Mariæ de Guilionisio, Jacobum canonicum Atriensem, & præpositum sanctæ Mariæ de Runzano &c.

Has paginas, quas tum ex archivo Avellanensi, tum ex mss. monumentis Romualdi Blanci monachi Avellanensis exscriptas habemus, subjicimus etiam per extensum, rem gratam facturi tum amatoribus hujusmodi mercium, tum ad illustrationem utriusque monasterii sanctæ Mariæ de Calena, & sancti Nicolai de Cornu, quorum nullam vel pene nullam notitiam haurire potuimus ex scriptoribus, vel ex historicis Abbatiarum Italiæ.

In nomine Domini nostri Jesu Christi anno ab incarnatione sua M. CC. XXXV. regnante Domino nostro Friderico invictissimo Romanorum imperatore semper augusto, Jerusalem & Sicilie rege anno imperii sui XVI. Jerusalem vero XI. & Sicilie XXXVIII. indictione VIII. secundo die intrante mense julii. Nos Rogerius de Boctarello & Pamponus imperiales judices civitatis Termularum, & judex Guillielmus de Guilionisio presentis scripti serie declaramus, quod cum quedam questio verteretur & esset inter venerabilem dominum Stephanum episcopum Termularum ex parte una, & dominum Symonem de Ancona habitatorem Guilionisii ex altera, pro ecclesia sancti Januarii & possessionibus suis, quas idem dominus Symon jamdiu tenuerat, & reddere contradictat in anime sue detrimentum, sicut dominus episcopus asserebat. Nos de voluntate partium de causa ipsa cognovimus, unde procurator dicti domini episcopi libellum obtulit in hac forma. Agit diaconus Symon canonicus Termulanus procuratorio nomine pro parte domini episcopi Termularum contra dominum Symonem de Ancona, quod cum antecessores predicti domini episcopi fuerunt in possessione ecclesie sancti Januarii & possessionum ipsius, predictus dominus Symon antedictam ecclesiam & possessiones ejusdem in prejudicium anime sue detinet, & eidem episcopo reddere contradicit. Unde idem diaconus Symon procuratorio nomine sibi restitui petit antedictam ecclesiam & possessiones ejusdem cum fructibus inde perceptis & percipiendis, & qui percipi poterunt; quos fructus estimat uncias auri XVI. & hoc petit salvo jure &c. Cujus ecclesie sancti Januarii & possessionum ejusdem confines hi sunt: De primo capite est via publica, qua itur apud Guilionisium, ubi lapis finalis cruciatus est affixus, a quo quidem lapide & via publica ascendit per directum usque ad callem, que est in valle, ubi sunt Pesola, & revolvit ad manum dexteram usque in vallem, deinde ascendit per collem usque ad ultimum quercum, & inde ascendit usque ad fontem cervi & exinde ascendit usque ad supercilium collis Ranarum, ubi sunt limites. De secundo latere &c.... adveniente autem termino constituto partes apud sanctum Jacobum coram nobis venerunt, ubi dictus dominus Symon litem contestando respondit ad proposita in libello, & negavit, quod ecclesiam sancti Januarii, casale, vineale & hortum non tenebat; negavit etiam, quod alias possessiones, quas ei ostendit supradictus dominus episcopus, sicut in libello continetur, antecessores sui minime tenuerunt. Quod dicti domini episcopi procurator per testes & instrumenta authentica obtulit se probare. Predictus vero dominus Symon obtulit se probare, quod pater ejus & sui antecessores possederunt & tenuerunt possessiones nominatas. His itaque peractis iterum partibus terminum peremptorium assignavimus, & coram nobis in ipso termino cum suis probationibus apparere deberent. Et antequam terminus ipse adveniret, dictus dominus episcopus rogavit nos, qui supra, judices rogati & sumpti, ut cum ipso deberemus ire apud Guilionisium, quoniam prefatus dominus Symon de Ancona infirmitate detentus, volebat renunciare questioni supradicte. Nos vero precibus dicti domini episcopi adquiescentes una cum Stephano publico Termularum notario, & magistro Philippo & magistro Alferio canonicis Termulanis apud Guilionisium accessimus cum judice Guillielmo de Guilionisio, Rogerio archipresbytero sancte Marie ejusdem castri, aliisque quampluribus suprascriptis testibus simul cum dicto domino episcopo ad domum perreximus domini Symonis nominati, quem jacentem invenimus & infirmitate gravatum, sensum tamen bonum & memoriam habentem. Qui dominus Symon gratuita & bona voluntate sua coram nobis, qui supra, judicibus, & eisdem subscriptis testibus presentibus & consentientibus, domino

Ann. Chr. 1351.

Ann. Chr. 1351.

Faone, domino Perone & diacono Ugone filiis suis renuntiavit, in manus dicti domini episcopi ecclesiam sancti Januarii & possessiones prefatas, sicut ei ostenderat prefatus dominus episcopus Termulanus, ut superius est expressum. Promittens amodo nullam sibi vel ecclesie sue inferre molestiam de ecclesia & possessionibus supradictis. Et cum dictus dominus episcopus nos rogaret, ut de renunciatione ipsa sibi fieri faceremus publicum instrumentum, ne imposterum de predictis questio poni possit, nos, qui supra, judices ad petitionem ipsius domini episcopi & memoriam futurorum presens inde sibi fieri fecimus instrumentum per manus Stephani publici Termularum notarii subscriptione nostra & subscriptorum testium communitum. Quod scripsi ego Stephanus publicus Termularum notarius mandato predictorum judicum, qui interfuerunt. Actum in Termulis feliciter.

Rogerius de Boctarello imperialis judex Termularum.

Dat fidem dictis Pamponus judex predictis.

† Ego Rogerius archipresbyter sancte Marie de Guilionisio interfui & signum fixi.

† Ego dominus .... judex interfui & signum Crucis feci.

† Ego dominus Guillielmus interfui & signum Crucis feci.

† Ego diaconus Robertus interfui & signum Crucis feci.

In nomine Domini nostri Jesu Christi, anno ab incarnatione sua M. CC. LV. dominante domino nostro Alexandro papa IV. unico & speciali domino regni Sicilie, anno pontificatus ejus primo indictione XIII. decima die intrantis mensis januarii. Nos universitas Termularum coram Guisinolfo & Johezito publicis notariis Termularum in defectu judicum, qui in Termulana civitate non habentur ad presens, & testibus subscriptis presentis scripti nomine declaramus, quod frater Laurentius monachus sancti Nicolai de Cornu, Srainerius grancie sancti Januarii, que est sita in pertinentiis Guilionisii, & subdita eidem monasterio sancti Nicolai veniens coram nobis exposuit, ipsum monasterium & fratres ejus pro parte ipsius habere & possidere in suburbio Termularum ex titulo emptionis quamdam domum emptam per eos a Marcellino secus plateam publicam, & secus casalina judicis Laurentii a duabus partibus, & fuisse obtentum & consuetum in eadem civitate Termularum tempore domini regis Guillielmi, & temporibus etiam quondam domini imperatoris Friderici, quod universe & omnes ecclesie seu persone ecclesiastice, seu seculares habentes possessiones aliquas in eadem terra vel pertinentiis ejus, reputabantur & habebantur pro civibus ipsius terre & omnibus libertatibus, honoribus & dignitatibus, quibus cives ipsius terre, tam in terra ipsa, quam ubi per loca quelibet gaudebant, velut eorum terre cives & incole libere fruebantur. Propter quod instanter petiit pro parte monasterii nominati, ut monasterium ipsum & fratres ejus in nostros cives recipere deberemus, & faceremus eos gaudere libertatibus, honoribus & bonis consuetudinibus, quibus utuntur cives ipsius terre, specialiter cum ad probandum predicta coram nobis & instrumentum produxissent & contextus induxissent infrascriptos, videlicet Maurum de Camera, Alferium Gentilem, Mainardum Grassum, & Paulum de Rachellis cives Termularum, petens eos recipi, ut est juris. Nos autem videntes petitionem ejus justitiam continere, statuimus & ordinavimus procuratores & sindicos nostros judicem Rogerium & Petrum Ugonem Bordinum publicum notarium Termularum, ut predictos testes super propositione predicti fratris secundum juris ordinem reciperent, & eorum depositiones in scriptis fideliter redigerent, ut si ipsius fratris intentione legitime constaret super predicto ne-

gotio,

gotio, cautius providere valeremus, qui perdictos ordinatos & sindicos nostros secundum juris ordinem recepti sunt & eorum dicta coram nobis postmodum publicata. Quorum depositiones j hec: Maurus de Camera juratus & interrogatus dixit, se plene scire od temporibus quondam domini regis Guillielmi secundi & domini iratoris Friderici consuetum & conventum fuit in civitate Termularum perturbatione & contradictione curie vel cujuscumque persone, quod nes ecclesie seu persone ecclesiastice vel seculares habentes possessiones uas in terra ipsa vel pertinentiis ejus, liberi & exempti erant ab omiure doane, plateatici, affidature, herbatici, pedagii seu cujuscumque s, velut incole ipsius terre, & gaudebant tam in terra ipsa, quam ubi per singula loca illis libertatibus, illis honoribus, quibus utebantur ci ipsius terre, & eo tantum, quod persona quelibet emebat vel acquireb. aliquo justo titulo aliquam possessionem in terra ipsa vel pertinentiis ej, efficiebatur civis ipsius in forma predicta, & hoc fiebat per homines tum ipsius terre, curia minime requisita. Interrogatus quomodo sciret edicta, dixit quod interfuit & vidit sic uti in terra ipsa temporibus dicti domini regis Guillielmi secundi & etiam tempore dicti domini Friici imperatoris, & hoc vidit firmiter observari in domo Templi, hospita sancte Marie in terra Filinca, monasterii sancti Johannis in Venere monasterii Case-nove, pro eo quod predicte ecclesie & loca religiosa habeit et possidebant, domos, vineas, hortos et alias possessiones in Terris et in pertinentiis Termularum; et vidit etiam, quod Benedictus Rus de Precinna et Johannitus de Civitate, qui emerant quoddam casalim in suburbio Termularum, fuerunt cives predicte terre juxta formam edictam, et quotiens vendebant et emebant in Termulis, nihil pro aliquo ire requirebatur ab eis, et vidit etiam multotiens eumdem Benedictum Johannitum tractari et recipi in Ortona, Ancona, et Venetiis et locisliis in omnibus libertatibus et honoribus ut incolas Termularum, et hoc iam vidit, quod consuetum est aliis personis habentibus pro tempore possepones in Termulis vel pertinentiis suis. Dixit etiam, quod vidit et vid, quod dictum monasterium sancti Nicolai de Cornu tenet et possidet dicm domum emptam a Marcellino in finibus Termularum. Ostendit preterec dictus frater Laurentius coram nobis quoddam publicum instrumentum cfectum per manus notarii Stephani publici Termularum notarii subscripm a judice Rogerio et aliis bonis hominibus Termularum, per quod costituit, quod frater Thomasius conversus dicti monasterii sancti Nicolai e Cornu emerat pro parte dicti monasterii a predicto Marcellino dictam domum pro unciis auri sex Tar. Sicil. Alferius Gentilis juratus et interrgatus dixit idem per omnia, quod Maurus de Camera. Mainardus Grassu iuratus et interrogatus dixit idem per omnia, quod Maurus de Camera. aulus de Rachellis juratus et interrogatus dixit idem, quod Maurus de Camera. Videntes igitur nos predicta universitas, quod de supradictis omnibus, que predictus frater Laurentius pro parte dicti monasterii et fratrun ejus per depositionem predictorum testium et continentiam instrumenti precicti nobis constitit manifeste, et aliis etiam plenarie certi sumus, tum ut sequi vidimus, quod in predicta civitate in talibus predictis temporibus est observatum, tum quia fratres ipsius monasterii tamquam boni nostri cives in munitione ipsius terre faciendo propriis sumptibus turrim, una communicaverunt nobiscum, ad presens voluntarie et unanimiter predictum monasterium et universos, et singulos fratres ejus, necnon et predictum fratrem Laurentium pro parte et nomine dicti monasterii sancti Nicolai de Cornu et fratrum suorum in nostros con-

cives

Ann. Chr. 1351.

cives recipimus, volentes et edentes eisdem, ut a presenti in antea in perpetuum sint liberi et exe tam in terra ipsa, quam in pertinentiis ejus ab omni jure doane, afionis, herbatici, pedagii, foristagii seu jure quolibet tamquam similes rum, et tam in terra ipsa, quam ubique per loca singula Termularumere et sine contradictione alicujus gaudeant et utantur illis libertatibus, unitatibus, honoribus et dignitatibus, quibus ejusdem terre incole perntur. Unde ad ipsius monasterii sancti Nicolai de Cornu et fratrum im cautelam et futuram memoriam perpetuo conservandam presens publicuscriptum per manus predicti Ugonis Bondini publici Termularum nota fieri fecimus in predictorum Guisinolfi et Jobeziti notariorum Termula in defectu judicum, qui in predicta terra non sunt ad presens, et subsorum testium, subscriptionibus et signo predicti notarii roboratum. Da in Termulis feliciter.

Ego qui supra Guisinolfus picus Termularum notarius premissis interfui.

Ego Jobezitus publicus Tearum notarius hoc testor.

Rogerius de Boctarellis hocstor. Margaritus de judice Johannecto hoc testor. Ego Jobezito filius Lioino testis sum. Ego Angelus filius Nicolai Tascazani testis sum. E Maffeus filius Ascolani testis sum. Ego Ysembardus Longus testis sumEgo Martinus de Cofiletto testis sum. Ego Isembardus filius Johanneziti tis sum. Ego ..... filius Nicolai de Guillielmo testis sum. Ego Ange filius quondam Nicolai testis sum. Ego Marcus filius judicis Odorici tis sum. Ego Johannes filius Johanneziti sum testis. Ego Rogerius filiuudicis Johannezito testis sum. Ego Gentilis filius judicis Danferi fraterohannis testis sum. Ego Robertus filius de Johanne Cito sum testis.

Anno, *quo Christus de Vime carnem sumpsit* M. CC. LXIII. *regnante domino nostro Manfredo Dei gria illustre rege Sicilie anno* V. *die martis* VII. *mensis novembris* VI. *indione. Nos Jacobus miseratione divina Sipontine sedis archiepiscopus, et tum Sipontine ecclesie capitulum. Si bene rei prestetur assensus, et ve presentis habetur ingens subsidium, et eterne remunerationis condigne emium expectatur. Sane per presentes notum facimus tam presentibus, am futuris, quod frater Giraldus venerabilis abbas monasterii sancte Mae in Calena ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, sicut nobis luide constitit ex inspectione quamplurium privilegiorum Romanorum pontifum, que diligenter inspeximus et legimus, nobis humiliter supplicavit, ut eclesias, cellas et capellas, quas ipsum monasterium Calene habet et tenet n diocesi nostra, et in quibus nihil debetur alicui preter canonicam justitm, sibi et eidem monasterio concederemus in proprios usus pleno jure, um dicte ecclesie, celle et capelle usque ad hoc sint tenues et exiles, ac ninus habentes, quod rectores ipsarum sine adjutorio ipsius monasterii exnde nequeant substentari, et suo victui providere, cujus supplicationibus e ex consulto benignius inclinati jamdicto monasterio Calensi predicti abbatis intuitu et servitiorum suorum nobis et ecclesie Sipontine diutius collatorum unanimiter cum dicto capitulo Sipontino, et de consensu et voluntate ipsius pleno jure et in proprios usus concedimus, damus et per libri traditionem factam in manus fratris Benedicti monachi ejusdem monasterii recipientis pro parte ejusdem tradimus jamdicto monasterio in perpetuum canonicam justitiam et totum jus episcopale, que ad nos spectant jure diocesano, in ecclesiis, cellis et capellis infrascriptis, videlicet: In cella beati Martini, in loco, qui vocatur Faucis cum pertinentiis suis; in cella sancti Nicolai de Narnis cum pertinentiis suis;*

et ibi

Ann. Chr. 1351.

et ibidem in cella ſancti Stephani cum pertinentiis ſuis, in cella ſanctorum Coſme et Damiani cum ſuis pertinentiis; in cella ſancti Nicolai de Monte-nigro cum ſuis pertinentiis; in cella ſancti Petri de Yſscitella cum pertinentiis ſuis; in cella ſancti Johannis de Fauce-paliſperga cum pertinentiis ſuis; in cella ſancti Nicolai de Ybuco cum pertinentiis ſuis, in cella ſancti Petri de Caſa-veteri cum pertinentiis ſuis, in eccleſia ſancti Salvatoris cum pertinentiis ſuis in loco, qui dicitur Poſelico; in cella ſancti Andree, etiam in cella ſancte Barbare cum earum pertinentiis, & cum baptiſterio, in cella ſancti Petri in civitate Sipontina; in cella ſancte Lucie & cella ſancti Georgii cum earum pertinentiis, in cella ſancti Georgii in partium Roman., cum pertinentiis ſuis. Juxta caſtrum Caniani in eccleſia ſancti Georgii; in eccleſia ſancti Marci & eccleſia ſancte Barbare cum earum pertinentiis; in pertinentia Caprilis in eccleſia ſancte Marine, ſancti Helie & beati Bartholomei cum pertinentiis earum. In territorio Rodi in eccleſia ſancte Agathe, ſancti Theodori, ſancti Martini & ſancte Mine cum earum pertinentiis; In territorio Vici in eccleſia ſancti Blaſii, ſancti Nicolai Pacratii, ſancti Angeli de Gallo, et ſancti Stephani cum earum pertinentiis. In territorio Peſquitii in eccleſia ſancti Nicolai de Monachorum & ſancte Marie de Calenella cum pertinentiis ſuis. Remittimus etiam canonicam juſtitiam, ſicut dictum eſt, & omnes jus epiſcopale, quod habemus in eccleſiis, cellis & capellis memoratis, & ſpecialiter correctionem, viſitationem & definitionem, cathedraticum & ſynodaticum, & quecumque ſunt alia jura epiſcopalia, ita videlicet quod deinceps & in perpetuum dictum monaſterium Calene ipſas eccleſias, cellas, & capellas libere & pacifice teneat & poſſideat pleno jure; non liceat nobis vel poſteris noſtris contra hanc donationem venire, vel eam in totum vel in parte aliqua infringere, reſervato nobis & ſucceſſoribus noſtris jure epiſcopali & omni alio jure, quod habemus in eccleſiis ſancti Petri & ſancte Barbare caſtri Peſquitii, & ſalvo cenſu dimidii Auguſti, quem annuatim in feſto ſancte Marie menſis Auguſti nobis & ſucceſſoribus noſtris in recognitione juris epiſcopalis dictum monaſterium pro predictis eccleſiis, cellis & capellis exſolvit. Ut ergo, que preleguntur, perpetuum robur obtineant firmitatis, nos, qui ſupra, archiepiſcopus & capitulum Sipontinum, auctorante nobiſcum magiſtro Jacobo ſpeciali advocato noſtro in hoc negotio ab infraſcripto judice pro parte curie nobis dato, coram judice Egidio Siponti judice, Benevenuto publico ejuſdem terre notario & teſtibus ſubſcriptis literatis ad hoc ſpecialiter vocatis, guadiam damus tibi prefato fratri Benedicto monacho & procuratori dicti monaſterii Calene recipienti pro parte ejuſdem nobis ipſis per concordiam fidejubentibus ad pignorandum dictam eccleſiam Sipontinam per omnia bona ipſius eccleſie lege pignoris prohibita ſeu permiſſa, prout nos voluntarie obligavimus, quatenus dictam ceſſionem, donationem & traditionem ſupradicto modo factam, nos & poſteri noſtri ſemper ratam & firmam habeamus, & nullo tempore contra eam in totum vel in parte venire preſumamus, ſub pena unciarum quadraginta regali curie, & parti leſe predicta ſervanti proportionaliter componendi, dicta conceſſione, donatione & traditione nihilominus firmis manentibus. Ad cujus rei memoriam & perpetuam firmitatem, & predicti monaſterii cautelam duo conſimilia publica inſtrumenta exinde fieri fecimus per manus predicti notarii Benvenuti ſigno ejus, noſtris ſubſcriptionibus, noſtrique ſupradicti archiepiſcopi ſigilli pendentis munimine, predicti quoque judicis & ſubſcriptorum teſtium ſubſcriptionibus roboratum. Que ſcripſi ego idem Benevenutus publicus Sipontinus notarius, qui rogatus interfui & meo ſigno ſignavi.

Ego

Ann. Chr. 1351.

Ego qui supra archiepiscopus subscripsi.
Ego Mattheus primicerius subscripsi.
Ego Johannes sacerdos subscripsi. Ego Accardus diaconus ss. † *Signum Jacobi Marandi canonichi.* † *Signum Marani subdiaconi & canonichi. Ego Gentilis canonicus ss. Ego Angelus canonicus & sacerdos ss. Ego Marcus sacerdos & canonicus ss. Ego Petrus sacerdos & canonicus subscripsi. Ego magister Joannes diaconus & canonicus ss. Ego Mattheus canonicus acholytus ss. Ego Egidius Sipontinus judex ss. Ego notarius Landolfus hoc testor. Ego Paulus de judice Silvato hoc testor. Ego notarius Henricus interfui.*

Quod supradictum instrumentum nos predicti Johannes judex Pesquitii, Gentilis publicus ejusdem terre notarius ad petitionem suprascripti prioris sancti Nicolai de Cornu, quia vidimus ipsum instrumentum non abolitum, non cancellatum, non abrasum, nec in sui parte aliqua vitiatum, sed omni vitio & suspicione carens, & in primi sui figuram persistere, sigillo & suprascriptis testibus idonee roboratum, ipsum de verbo ad verbum exemplavimus, autenticavimus, & in publicam formam redegimus ad cautelam dicti prioris, quia sua intentio esse dicebat ipsum exemplum habere, nihil ex eo & in eo addito vel mutato, diminutum seu subtractum de his, que in ipso authentico vidimus contineri per manus mei dicti Gentilis publici Pesquitii notarii signo meo solito subsignatum.

Anno *incarnationis Domini nostri Jesu Chisti* M. CC. LXXXIII. *regnante domino nostro Karolo Dei gratia illustrissimo rege Jerusalem, Sicilie, ducatus Apulie, Principatus, Capue, alme Urbis senatore, Andegavie, Provincie principe, Achaje, Forcalcherie, & Tornodori comite, regnorum suorum Jerusalem anno* VII. *Sicilie vero* XVII. *die jovis* XXII. *mensis aprilis* XI. *indictione apud monasterium sancte Marie de Calena. Nos Johannes de sire Indelgardo principalis Pesquitii judex, Gentilis de Spalatino publicus ejusdem terre notarius, in quos cum dominus Jacobus prior monasterii sancti Nicolai de Cornu siti in diocesi Pennensi de regula sancti Benedicti & ordine sancte Crucis Fontis-avellane sciens nos suos judicem & notarium non esse, ex certa scientia in hac parte nomine monasterii sui consensit tamquam in proprios & testes subscripti ad hec specialiter vocati & rogati presentis instrumenti publici serie notum facimus & testamur, quod dum dictum monasterium sancte Marie de Calena ordinis sancti Benedicti Sipontine diocesis multis & diversis creditoribus suis in magna quantite teneretur, videlicet magistro Symoni de Neapoli medico in unciis auri* XXIII. *penes quem sunt privilegia ipsius monasterii, pro restitutione ipsarum nexu pignoris obligata. Item Blasio de sire Raynaldo de sancto Johanne-rotundo in unciis auri* XXXX. *pro quibus olivetum ipsius monasterii situm prope ipsum monasterium idem Blasius ypothecatum sibi tenet. Item filiis & heredibus sire Sadelgardi de Pesquitio in unciis auri* XII. *tenentibus pro restitutione ipsarum domo cum trappeto ipsius monasterii sitas in eadem terra Pesquitii. Item domino Unfrido Bonello de Barolo in unciis auri quinque, penes quem sunt decem vestimenta de seta ipsius monasterii pignoris nomine. Item judici Philippo de Jacobo de Pesquitio in unciis auri* XII. *quas uncias dominus Johannes quondam de Neapoli abbas olim dicti monasterii & totius conventus ipsius successive per diversa tempora sub ypotheca et obligatione dictorum bonorum, exigente necessitate ipsius monasterii, predictis creditoribus mutuo receperunt, sicut creditores ipsi per instrumenta publica inde confecta, & per testes etiam quamplures legitime docuerunt. Que credita etiam dominus Mattheus venerabilis abbas ipsius*

mo-

monasterii et totus conventus ejusdem volentes bona fide agnoscere, vera esse dixerunt, & bona mobilia non superessent eidem monasterio, ex quibus predicta debita solvi possent; predictus dominus Mattheus nunc abbas ipsius monasterii & totus conventus ejusdem, videlicet dominus Robertus prior, frater Benedictus presbyter, domnus Bartholomeus presbyter, frater Johannes presbyter, frater Leonardus presbyter, frater Jacobus presbyter, frater Mattheus presbyter de Pesquitio, frater Johannes de Monte presbyter monachi ipsius monasterii accedentes & expressius asserentes, quod predicte possessiones, que a dictis creditoribus possidentur, ratione vicinitatis ipsarum ipsi monasterio de Calena utiliores existunt. Considerantes etiam irremediabile damnum, quod idem monasterium poterat ex amissione dictorum privilegiorum incurrere, creditoribus ipsis surgentibus, & predicta debita subesse & pecuniam ipsam in utilitatem ipsius monasterii conversa fore probantibus, perpenso consilio & communi tractatu sepe habito inter eos, ac interveniente in hac parte consensu Blasii de Donadeo de Pesquitio causa ecclesiastica honoris in hoc negotio ipsius monasterii advocati, cum domno Jacobo venerabili priore dicti monasterii sancti Nicolai de Cornu habente ad omnia comprehensa in presenti instrumento consensum & voluntatem totius conventus ipsius monasterii sancti Nicolai, sicut in patentibus literis omni vitio & vituperatione carentibus, & existentibus in prima figura vero & consueto sigillo ipsius conventus sigillatis apertius vidimus contineri; omnes domus, vineas, hortos, oliveta et territoria omnia culta et inculta, et omnia alia, que soli nomine continentur, que sive ratione ecclesie sancti Georgii, et ecclesie sancti Blasii subjecte eidem sitarum in territorio Casalis-novi, seu in macina Rimani, sive quacumque alia ratione idem monasterium sancte Marie de Calena habet in territorio Casalis-novi vel Sala-sici, in justitiariatu Capitanate, sive alibi ubicumque ratione dictarum ecclesiarum sancti Georgii et sancti Blasii pertinentis eidem, quas domos, vineas, hortos, et que territoria et oliveta dictus abbas et conventus dicti monasterii sancte Marie, pro parte ipsius monasterii per se vel per alios tenent et possident, sive ab aliis quibuscumque essent occupata, investivit, vel in emphyteosim juste et in illicito casu concessa, cum non sic propter loci distantiam vel alie possessiones ipsius monasterii sancte Marie de Calena eidem monasterio sancte Marie utilia censeantur, sponte et legitime in eodem monasterio sancte Marie, ad quod monasterium ad preces ipsorum permutantium personaliter accessimus, permutarent, ad habendum, tenendum et possidendum, et quidquid dicto priori et conventui sancti Nicolai de Cornu et successoribus eorum de predictis vineis, domibus etc. deinceps placuerit sine requisitione predictorum abbatis et conventus monasterii sancte Marie de Calena, sicut de aliis rebus ipsius monasterii sancti Nicolai de Cornu perpetuo faciendum. Ex causa cujus permutationis idem abbas et conventus sancte Marie de Calena convenerunt et promiserunt dicto domno Jacobo priori pro parte monasterii sui ipsum in corporalem possessionem inducere omnium predictarum domorum, hortorum, vinearum etc. cedentes eidem priori pro parte dicti monasterii sancti Nicolai de Cornu omnem actionem utilem, vel directam, officium judicis, prosecutionem, exceptiones et omnia jura alia eidem competentia vel competitura nomine ipsius monasterii sancte Marie de Calena pro predictis domibus, vineis, hortis, etc. et aliis, que soli nomine continentur. Et constituentes etiam se nomine ipsius monasterii sancti Nicolai de Cornu eadem territoria, domos, hortos, et oliveta et vineas tenere et possidere, donec idem prior pro parte ipsius monasterii sancti Nicolai ipsorum bonorum corporalem possessionem accipiat atque intret, quam

ANN. CHR. 1351.

ANN. CHR. 1351.

accipiendi et intrandi auctoritate propria eidem priori licentiam concesserunt, et liberam potestatem de jure omnimodam et de facto, vel eodem priore volente auctoritate propria dictorum bonorum corporalem possessionem intrare, idem abbas et conventus sancte Marie de Calena, vel procurator aut syndicus eorum pro parte ipsius monasterii eumdem priorem pro parte dicti monasterii sancti Nicolai in ipsorum bonorum corporalem possessionem induceret. Et ex eadem causa permutationis dictus prior sancti Nicolai de Cornu convenit et promisit dictis abbati et conventui sancte Marie de Calena dare et tradere infrascriptas possessiones infrascriptis finibus terminatas existentes in territorio Vestarum, quas idem monasterium sancti Nicolai habebat ibidem; & pro adequatione permutationis ipsius, cum dicta domus, territoria, oliveta &c. dicti monasterii sancte Marie de Calena majoris valoris sint, & ex eis majores proventus annuatim proveniant, ne unum monasterium cum alterius possit locupletari jactura, & utriusque in hac parte indemnitas servaretur, idem prior pro parte dicti monasterii sancti Nicolai predictis abbati et conventui monasterii sancte Marie de Calena persolvendis, quas uncias idem abbas et conventus pro parte monasterii sui in presentia non recepit. Renunciantes expresse dictarum unciarum non receptarum, dictorum Florenorum non electorum, non ponderatorum exceptioni et predicte pecunie numerate non esse; adhibitis nihilominus, et observatis ex parte dicti prioris sollemnitatibus omnibus in dictis possessionibus ex parte sua promissis dari et tradi dicto abbati et conventui pro parte dicti monasterii sancte Marie, que per eosdem abbatem et conventum eidem priori facte sunt pro parte monasterii sancti Nicolai de Cornu, sicut superius sunt expresse, de domibus, hortis etc. obligaverunt se ad invicem pro se et successoribus suis per stipulationem legitimam vice mutua, et hoc nihilominus corporali prestito juramento. Firmantes eam dictus abbas et conventus pro parte dicti monasterii sancte Marie de Calena, quam dictus prior pro parte monasterii sancti Nicolai sub pena dupli dicte pecunie quantitatis et valoris dictorum bonorum, prout tempore plus valuerint vel meliorate fuerint, predicta bona sibi ad invicem in jure defendere, sicut permutata est. Et permutationem predictam tam pro se, quam per successores suos, semper et in perpetuum ratam et firmam habere et in judicio vel extra judicium de jure vel de facto etc. Renunciantes expresse beneficio restitutionis in integrum, et exceptioni ultra dimidium justi pretii, exceptionique doli, omni juri Langobardo, canonico vel civili, scripto vel non scripto, promulgato vel quolibet tempore promulgando, per quod possint predictam permutationem infringere, vel irritam revocare. Possessiones et fines dictarum possessionum promissarum per dictum priorem sancti Nicolai predictis abbati et conventui monasterii sancte Marie de Calena ex causa predicte permutationis sunt hec, videlicet: Medio limite cum terris, que quondam fuerunt domini Luce de Pesquitio, et secus terras Pasce de Vulpino, et si qui alii sunt eidem ecclesie, que vocatur sanctus Zacharias, posita in territorio Vestarum, confines. Facta igitur et celebrata permutatione predictarum possessionum per se, que pecunie resufficere annuntiaverunt cum additamento dictarum nonaginta unciarum auri, per quas ventum est ad equationem permutationis ipsius, asseruerunt predicti abbas et conventus pro parte monasterii sancte Marie de Calena in territorio Casalis-novi se habere quasdam ecclesias, et dictus prior pro parte monasterii sancti Nicolai de Cornu in territorio Vestarum se habere quamdam ecclesiam, quas pro eo quod secundum asseruerunt, eorum dicte domus, & possessiones expresse superius ad invicem permutate magis ecclesie alterius predictorum monasteriorum, quam

cujus

cujus est ipsa ecclesia, adherebant, inter se communi interveniente consensu, ac interveniente consensu dicti Blasii dicti monasterii sancte Marie de Calena advocati, & conventus pro parte dicti monasterii sancte Marie de Calena, convenerunt dare & capitulariter tradere dicto priori pro parte dicti monasterii sancti Nicolai de Cornu ecclesiam sancti Georgii & ecclesiam sancti Blasii subjectam eidem, quas idem monasterium habet in territorio Casalis-novi. Et dictus prior ex causa ipsius permutationis convenit dare & tradere dicto abbati & conventui pro parte dicti monasterii sancte Marie ecclesiam sancti Zacharie, quam in territorio Vestarum dictum monasterium sancti Nicolai de Cornu habet. Et cum propter loci distantiam ipsarum ecclesiarum possessionis corporalis inductio intervenire non possit, constituerunt vice mutua se illius monasterii nomine easdem ecclesias possidere, cujus permutationis placito ipse ecclesie esse debent, donec hinc inde ipsarum ecclesiarum corporalis traditio subsequatur. Jurantes ad sancta Dei evangelia permutationem ipsarum ecclesiarum in perpetuum semper ratam & firmam habere, ut nec eis, nec successoribus eorum ipsam infringere liceat, vel in irritum revocare. De quibus omnibus ad futuram memoriam & preces dicti prioris, dictorum abbatis & conventus, & ad cautelam dicti monasterii sancti Nicolai presens publicum instrumentum factum est per manus mei predicti Gentilis publici Pesquitii notarii signo meo solito subsignatum, subscriptione mei, qui supra, judicis prescriptorum abbatis & conventus dicti monasterii sancte Marie de Calena, qui unanimiter & concorditer dictos contractus permutationis fecerunt per se, quemlibet unum alium non contingens, & sigillo antiquo & consueto ipsius monasterii sancte Marie de Calena pendenti sigillatum, & subscriptorum testium, qui rogati interfuimus subscriptionibus roboratum &c. ANN. CHR. 1351.

Ego frater Mattheus monasterii Calensis humilis abbas.

Ego frater Robertus presbyter & prior claustralis.

Ego frater Benedictus presbyter & monachus. Ego frater Jacobus presbyter & monachus. Ego frater Bartholomeus presbyter & monachus. Ego frater Mattheus presbyter & monachus. Ego frater Leonardus presbyter & monachus. Ego Johannes principalis judex Pesquitii testis sum. Ego Mel publicus Pesquitii notarius testis sum. Ego Johannes de Abbate testis sum. Ego Tutius testis sum. Ego Sonsalitus olim judex Pesquitii. Ego magister Andreas Cerugius testis sum. Ego Albergetus testis sum. Ego Johannes testis sum. Ego Philippus testis sum.

ANNO *Dominice incarnationis* M. CC. LXXXIII. *regnante domino nostro Karolo Dei gratia illustrissimo rege Jerusalem &c.* ut supra, *die sabbati* XXIV. *mensis aprilis* XI. *indictionis, apud Casalem-novum. Nos Riccius de Martino principalis Casalis-novi judex, Jacobus de Berardo publicus ejusdem terre notarius & testis subscriptus de eadem terra ad hoc specialiter vocati & rogati, presenti publico instrumento notum facimus & testamur, quod religiosus vir domnus Bartholomeus presbyter monachus monasterii sancte Marie de Calena una cum Mattheo ven. abbate ejusdem monasterii apud Casalem-novum se personaliter conferens ostendit nobis quoddam procurationis seu sindicatus scriptum in publicam formam redactum continens signum notarii, subscriptiones predicti abbatis, monachorum conventus ejusdem monasterii judicis & quamplurium aliorum testium, ac apparens in prima sui figura sine vituperatione qualibet non vitiatum, non cancellatum in aliqua parte sui, quod vidimus, legimus & inspeximus diligenter, & erat per omnia continentie talis.*

Ann. Chr. 1351.

ANNO incarnationis Domini &c. M. CC. LXXXIII. regnante D. N. Karolo &c. die jovis XXII. mensis aprilis XI. indictionis apud monasterium sancte Marie de Calena. Nos Thomas de Palmerio principalis Pesquitii judex, Gentilis publicus ejusdem terre notarius presenti publico procurationis seu syndicatus scripto fatemur, quod coram nobis & subscriptis testibus ad hoc specialiter convocatis & rogatis religiosus vir domnus Mattheus ven. abbas monasterii sancte Marie de Calena ordinis sancti Benedicti Sipontine diocesis & totus conventus ipsius monasterii in eodem monasterio domnum Bartholomeum presbyterum monachum ipsius monasterii constituerunt &c. procuratorem &c. nomine prefati monasterii ad defendendum se apud eamdem terram Casalis-novi, & ad inducendum pro parte & nomine ipsius monasterii religiosum virum domnum Jacobum ven. priorem monasterii sancti Nicolai de Cornu Pennensis diocesis &c. pro parte ipsius monasterii sancti Nicolai in corporalem possessionem omnium domorum, olivetorum, hortorum, vinearum & omnium territoriorum cultorum & incultorum cum arboribus fructiferis & infructiferis, quas domus, hortos &c. id monasterium sancte Marie habet in territorio dicte terre Casalis-novi, sive in macina Rimani nomine ecclesie sancti Georgii & sancti Blasii vel quacumque alia ratione, vel alibi ratione dictarum ecclesiarum, ut dictus prior concessa in emphyteosi vel locata secundum jura vellet revocare; & ad introducendum eumdem priorem in corporalem possessionem dictarum ecclesiarum sancti Blasii & sancti Georgii, quas ecclesias, & que predicta omnia bona legitime permutaverunt pro parte monasterii ipsorum cum predicto priore &c. pro ecclesia sancti Zacharie posita in territorio Vestarum &c. & ad recipiendum corporalem possessionem ab eodem priore pro parte monasterii sancte Marie dicte ecclesie sancti Zacharie dictarum terrarum. Permutantes sub ypotheca et obligatione bonorum dicti monasterii sancte Marie etc. Quapropter dictus domnus Bartholomeus procurator etc. mandatum predictum exequi cupiens tam ipse, quam dictus domnus Mattheus abbas dicti monasterii sancte Marie ad predictas ecclesias permutatas hinc inde, et reliqua bona permutata etc. una nobiscum se personaliter conferentes coram nobis etc. nomine monasterii sancte Marie de Calena predictum domnum Jacobum ven. priorem dicti monasterii sancti Nicolai de Cornu presentem et recipientem pro parte ipsius monasterii sancti Nicolai in possessionem omnium dictarum domorum, olivetorum etc. contentorum in procuratione seu mandato predicto, que erant predicti monasterii sancte Marie, et in possessionem etiam dictarum ecclesiarum sancti Georgii et sancti Blasii corporaliter induxerunt. Percipientes tam idem abbas, quam dictus procurator etc. pro parte dicti monasterii sancte Marie a predicto priore dicti monasterii sancti Nicolai de Cornu etc. corporalem possessionem dicte ecclesie sancti Zacharie et terrarum, que quondam fuerunt domini Luce de Pesquitio, una cum terris Pasce de Vulpiano et aliorum confinium etc. Unde ad futuram memoriam ad cautelam dictorum monasteriorum etc. duo publica consimilia instrumenta in forma exinde facta sunt, unum penes dictum monasterium sancte Marie de Calena conservandum, et reliquum penes dictum monasterium sancti Nicolai in posterum retinendum, per manus mei predicti Jacobi publici Casalis-novi notarii, noto signo meo, subscriptione predicti judicis & nostrorum, qui interfuimus testium subscriptionibus roborata etc.

† Signum Crucis proprie manus Ricci de Martino, qui supra, judicis.

† Hoc testor Ypolitus Antenoris filius. Ego Rogerius de judice Locasio testis sum. † Signum Crucis proprie manus Bartholomei Petri de Roma testis. † Signum Crucis proprie manus Benedicti Johannis de Egidio testis.

stis. † *Signum Crucis proprie manus Johannis de Ferrante testis.* † *Signum Crucis proprie manus Roberti de sire Tancredo.* † *Ego Nicolaus de Leonardo testis sum. Ego Lombardus de Santila testis sum.* ANN. CHR. 1351.

CELESTINUS *episcopus servus servorum Dei dilectis filiis .. priori & conventui monasterii sancti Nicolai de Cornu per priorem soliti gubernari ordinis sancti Benedicti Pennensis diocesis salutem & apostolicam benedictionem. Letabunda vox admodum auribus nostris intonat, cum ecclesiastice persone illa industria laudabili gubernantur, quod ecclesiarum sibi commissarum sic prudenter tractant nogotia, quod ipse sub ipsarum gubernatione augentur utiliter, eorumque status optata tranquillitate letatur. Presentata nobis siquidem vestra petitio continebat, quod vos & dilecti filii abbas & conventus monasterii sancte Marie de Calena ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis ordinis sancti Benedicti Sipontine diocesis multe providentie directi consilio, monasteriorum vestrorum mutua utilitate pensata, sancti Zacharie ad vestrum, & beati Georgii ad idem sancte Marie monasteria ecclesias pertinentes, ejusdem Sipontine & Vestiensis diocesum cum juribus & pertinentiis suis ad invicem permutastis. Et quia possessiones ipsius ecclesie sancti Georgii possessionibus ejusdem ecclesie sancti Zacharie prevalebant, in recompensationem ejusdem abbati & conventui exhibuistis certam pecunie quantitatem, que in utilitate ipsius monasterii est conversa. Quodque bone memorie Jacobus archiepiscopus & capitulum Sipontinum ecclesiam eamdem sancti Georgii & capellam sancti Blasii dependentem ab ipsa ab omni jure diocesano & jurisdictione episcopali, retento in eis quodam annuo censu, deliberatione provida exemerunt, prout in instrumentis publicis inde confectis plenius continetur. Nos itaque attendentes, quod rectis dispositionibus nihil detur difficultatis afferri, sed potius adjectione gratie sunt fovende; ac propterea cupientes, ut premissa semper firma & illibata consistant, permutationem & exemptionem hujusmodi ratas & gratas habentes, ipsas ex certa scientia auctoritate apostolica confirmamus, & presentis scripti patrocinio communimus; supplentes in premissis defectum de plenitudine potestatis ex quacumque causa, & maxime illa, quod in permutatione hujusmodi diocesani episcopi non intervenit assensus. Tenores autem dictorum instrumentorum de verbo ad verbum inseri facientes, qui tales sunt: Anno incarnationis &c.* M. CC. LXXXIII. *&c. die jovis* XXII. *mensis aprilis &c. Anno, quo Christus carnem de Virgine sumpsit &c.* M. CC. LXIII. *&c. die martis* VII. *mensis novembris &c.* Extant hic superius edita per extensum. *Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis & suppletionis infringere &c. Datum Aquile* VI. *idus septembris pontificatus nostri anno primo.*

JACOBUS *eremi sancte Crucis Fontis-avellane prior licet indignus, & capitulum, ac conventus eremi prelibate Eugubine diocesis immediate ad Romanam ecclesiam pertinentis. Dilectis in Christo fratribus domno Petro priori existenti sancti Nicolai de Cornu, & conventui monasterii supradicti ad dictam eremum pertinentis salutem perpetuam & eternam, in eo, qui est omnium vera salus. Cum propter exemptionis privilegium a summo pontifice impetratum, quod tam vos, quam vestrum monasterium & vestra membra, liberat ab omnium potestate, ita quod neminem nisi summum pontificem superiorem, & dominum cognoscatis, & propter expensas factas predicta de causa, vobis imposita fuisset certa pecunie quantitas intra certum terminum persolvenda, quo elapso excommunicationis sententiam incurreret*

reret

Ann. Chr. 1351. *reret prior, si contemptor existeret, & conventus suppositus ecclesiastico esset interdicto; & elapsis dilationibus solvere non curantes, dictas sententias incidentes non misistis excusaturos, nec idoneum responsalem. Sed modo ducti conscientia saniori vos prior & quidam vestri conventuales ad dictam eremum venientes allegastis, quod propter varia impedimenta intra vobis terminum assignatum non potuistis venire, vel mittere idoneum responsalem, satisfacturi & excusaturi vos de predictis sollemni tractatu prebabito, & condigna satisfactione premissa cum instantia absolutionem ab excommunicationis vinculo, & predicti fratres vobiscum consentientes ab interdicto relaxari modo debito petivistis. Unde nos, qui sumus vobiscum unionis vinculo amoris uniti, & caritatis affectu merito obligati, considerantes esse periculum vos et dictum monasterium a divinis manere suspensos, condigna satisfactione prebabita juxta formam canonicam, vos prior ab excommunicationis vinculo, et vos fratres vobiscum assistentes ab interdicti sententia absolvimus in his scriptis, processus inde factos irritos nuntiantes. Et ex gratia nobis concessa a ven. patre et domino domino Gentili tituli sancti Martini a Montibus presbytero cardinali et penitentiario summi pontificis, ab irregularitate, quam incidistis, divina officia celebrando, vos absolvimus, et dictum interdictum relaxamus, et de dicta irregularitate vobiscum dispensamus juxta formam nobis traditam in literis nominatis. In cujus rei testimonium has literas nostro fecimus sigilli munimine proprio et conventus appensione muniri etc. Datum apud dictam eremum die* VI. *mensis julii indictione* XIV. *tempore domini Bonifacii pape* VIII. *etc.*

IN NOMINE *Domini. Anno Domini* M. CCC. XXII. *indictione* V. *tempore domini Johannis pape* XXII. *die ultima mensis maji. Constitutus frater Thomas prior sancti Quirici Perusine diocesis et monachus monasterii eremi sancte Crucis Fontis-avellane Eugubine diocesis, ac sindicus et procurator rev. et religiosi viri domini prioris, et capituli et conventus dicte eremi coram rev. et religioso viro domno Hugolino abbate monasterii sancti Petri Perusini sindicario et procuratorio nomine, quo supra, presentavit eidem abbati quasdam literas apostolicas bullatas vera bulla plumbea papali pendenti ad filum canapis, non abolitas, non abrasas etc. quarum tenor talis est: Johannes episcopus servus servorum Dei dilectis filiis sancti Petri Perusini et sancte Crucis de Tripuzo, et sancti Savini Camerinensis et Firmane diocesis etc.* Extant hujusmodi literæ Append. T. V. col. 436. horum Annalium. *Et petiit etc. quod prefatus abbas ad executionem ipsarum literarum intendat, prout de jure tenetur, et petiit etc. quod idem abbas commissionem et subdelegationem faceret infrascriptam. Predictus vero abbas judex a sede apostolica delegatus, asserens se paratum ad executionem predictarum literarum, ob reverentiam sedis apostolice, prout de jure tenetur, auctoritate apostolica sibi in hac parte commissa, commisit et subdelegavit venerabili patri domino episcopo Termulano, ac rev. et religiosis viris archipresbytero ecclesie sancte Marie de Guilionisio diocesis Termulane, abbati sancti Silvestri de Colle-bricono de Aquila dicte diocesis, domino Jacobo Alberghetti canonico Atriensi, preposito sancti Cypriani de Campellis Valvensis diocesis, et cuilibet eorum in solidum antedictam examinationem et decisionem omnium et singularum questionum, litium et causarum, quas sindicus ipsius monasterii movere voluerit coram predictis subdelegatis, et eorum quolibet contra quascumque personas cujuscumque status, preeminentie et conditionis existant, de civitatibus et locis infrascriptis super quibuscumque bonis, rebus, juribus, et omnibus et singulis, que possint*

sint comprehendi secundum formam prescripti apostolici. Concedens & mandans prefatis subdelegatis & eorum cuilibet in solidum in omnibus & singulis supradictis plenarie vices suas, donec eas duxerit revocandas, scilicet de civitate & diocesi archiepiscopatus Sipontini, de civitate & diocesi episcopatus Vestarum, & de civitatibus & diocesibus Aprutina, Pennensi, Atriensi, Aquilensi, Termulana. In cujus rei testimonium presens publicum instrumentum fieri mandavimus per Colam Avenelli notarium infrascriptum & nostri sigilli appensione muniri. ANN. CHR. 1351.

Ego Cola Avenelli de Burgo porte sancti Petri de civitate Perusii &c. notarius &c. scripsi &c.

IN NOMINE Domini Dei eterni & salvatoris nostri Jesu Christi. Anno ab incarnatione ejusdem M. CCC. XXIII. pontificatus sanctissimi patris & domini nostri domini Johannis divina providentia pape XXII. anno VIII. regnante serenissimo domino nostro rege Roberto inclyto rege Jerusalem, & Sicilie, ducatus Apulie, & Principatus, Capue, Provincie, Tornodori & Forqualcherie & Pedemontis comite, regnorum ejus anno XIV. feliciter amen, die XVIII. mensis augusti VI. indictionis in Neapoli. Nos Franciscus Carolus miles judex civitatis Neapolis, Johannes Bultanus publicus apostolica, imperiali & regia ejusdem civitatis auctoritate notarius & testes infrascripti ad hec specialiter vocati & rogati, presenti scripto publico notum facimus & testamur, quod constitutis in nostra presentia ven. & religioso viro domino fratre Francisco abbate sancte Marie de Calena ordinis sancti Benedicti Sipontine diocesis ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis pro se ex parte una, necnon religioso viro fratre Cambio monacho monasterii sancti Nicolai de Cornu Pennensis diocesis procuratore prioris & conventus monasterii predicti sancti Nicolai procuratorio nomine &c. quo supra, de cujus procuratione nobis constitit plena fides per quoddam publicum instrumentum, cujus tenor per omnia talis est.

IN DEI NOMINE, amen. Anno ejusdem M. CCC. IX. die mercurii XV. mensis januarii VII. indictionis regnante serenissimo domino nostro Karolo II. inclyto Jerusalem & Sicilie rege &c. Actum in capitulo monasterii sancti Nicolai de Cornu Pennensis diocesis, presentibus Petro Rynalli Boncii judice Casalis dicti monasterii sancti Nicolai, Mesanlorio magistri Nicolai de Fano authentico publico Regio castri Furo.. notario, in quem subscripti prior & conventus consenserunt, cum sciant me eorum notarium non esse, necnon Johanne Lentii, Benedicto Matthei, Morico Antonii de dicto Casali, Amico de Casali sancti Johannis, & Jacobo Gualterii Romani de Cilistlar, testibus ad hec vocatis & specialiter rogatis. Religiosus & honestus vir domnus Petrus prior dicti monasterii sancti Nicolai ordinis sancti Benedicti & conventus ejusdem monasterii, domnus Bernardus de Montorio, domnus Petrus de Assato, Frater Nicolaus de Bassano monachi ejusdem monasterii; frater Alebrandus, frater Angelus de Calisver ... frater Jacobus de Bassano & frater Palmonus de Fano conversi monasterii prelibati in predicto loco ad sonum campanelle more solito congregati &c. concorditer confisi de fide &c. domni Cambi de Casali monachi ejusdem monasterii fratris eorum, fecerunt ipsum &c. eorum & dicti monasterii verum, generalem & legitimum procuratorem &c. in omnibus causis &c. Partes ipse asseruerunt pariter coram nobis, quod inter predecessores ipsorum abbatis & prioris de supra scriptis ecclesiis, videlicet ecclesia sancti Georgii & ecclesia sancti Blasii annexa dicte ecclesie sancti Georgii de Casali-novo ejusdem Sipontine diocesis, que alias fuerunt dicti monasterii sancte Marie de Calena,

ANN. CHR. 1351.

na, & ecclesia sancti Zacharie Vestarum diocesis, que similiter fuerat dicti monasterii sancti Nicolai, quibus unicuique tam in spiritualibus, quam in temporalibus cura imminebat ecclesiarum ipsarum, inter eosdem de ecclesiis ipsis cum omni juris & facti sollemnitate permutatio facta fuit, accedente assensu & confirmatione nonnullorum Romanorum pontificum. Tandem predecessores aliqui abbatis prefati, permutationem eamdem pro posse infringere cupientes, priorem monasterii supradicti certis super his apostolicis literis impetratis coram rev. in Christo patre domino archiepiscopo Sipontino ipsum traxerunt in causam. Et quia asserebatur dictum abbatem propter ipsius contumaciam ob causam predictam per conservatorem dicti monasterii sancti Nicolai bonorum ipsius a sede apostolica deputatum fuisse excommunicationis vinculo annodatum, communium amicorum interveniente tractatu, ut partes ipse dispendiosis sumptibus non graventur ulterius, ipse partes, quo supra nomine, ad subscriptas conventiones & pacta unanimiter & concorditer venerunt, videlicet: Quod dictus abbas promisit, & se sollemniter & legitime obligavit dicto fratri Cambio dictorum prioris & conventus procuratorio nomine, similiter quo supra, recipienti, & similiter stipulanti, ut dicti monasterii sancti Nicolai prior, qui nunc est, & de cetero successive fuerit in monasterio memorato, per eumdem abbatem & conventum ejusque posteros super permutationem hujusmodi de cetero non vexentur, ipsamque permutationem ratificare, & per conventum suum & dicti sui monasterii de Calena ratificari facere, & de ratificatione permutationis jamdicte, ut valida permaneat in perpetuum, instrumentum facere, quod eisdem priori & conventui de Cornu, eorumque successoribus sufficiat aut cautelam juxta consilium sapientis. Et quia dictus procurator dicti monasterii proponebat pro defensione cause predicte plurimas subiisse expensas, ac damna tulisse pro hujusmodi damnis & expensis idem abbas eidem procuratori acceptanti dare obtulit & promittit uncias auri quinquaginta in Carolenis argenteis sexaginta pro uncia computatis, cujus particularis solutio fieri inter eos convenit modo & terminis infrascriptis; videlicet quod summa tota predicta solvetur dicto priori et seu dicto procuratori dicti conventus de pecunia ratione decime Falcis et Pantani-vayrani debitam per illustrem dominum dominum Achaye principem domino abbati predicto et ejus monasterio, ita quidem quod idem procurator in manutentione dicti debiti, residuum dicte decime debite per eumdem dominum principem, si quod percipere habeant, videlicet pro annis quinte et sexte indictionis proxime preterite idem procurator nomine dictorum prioris et conventus de Cornu, et ipse prior et conventus, eorumque successores percipere debeant, et habere et successive annis singulis de eadem pecunia uncias tresdecim tamdiu, donec de tota predicta summa unciarum auri quinquaginta sit ipsi monasterio de Cornu seu ejus procuratori totaliter exsoluta. Quapropter idem procurator dicti prioris et conventus monasterii sancti Nicolai eidem domino abbati, monasterio, conventui et procuratori ipsorum remittendo sponte, non vi seu metu coactus seu quomodolibet circumscriptus, sed sua mera, et spontanea voluntate, omne jus omnemque actionem, quod et quam contra dictum abbatem dicti monasterii de Calena habet ratione quorumcumque damnorum interesse, et ex parte propterea, que et quas se subiisse pretenderet, promittit idem procurator ab eodem conservare, qui contra eumdem abbatem sententiam excommunicationis tulisse dicitur, ab eodem absolutorias literas impetrare per totum mensem septembris proxime sequentis septime indictionis. Stetit etiam inter eos, quod quia dubium vertebatur de tribus animalibus equinis, que dictus dominus abbas assignasse se pretendebat cuidam ordina-

Ann. Chr. 1351.

to per ipsum procuratorem dicti prioris in Casali-crepatordis ad recipiendum dicta tria animalia ipsi assignare fecisse, eodem procuratore negante, quod unum tantum ex illis habuerat. Voluerunt partes ipse, quod de duobus aliis reliquis dicto illius deputati per eumdem procuratorem stari deberet. Et quod si reperiretur illum recepisse predicta de summa jamdicta unciarum auri quinquaginta, deducerentur Floreni viginti, Turenus unus & Grani septem in extinctionem debiti memorati. Stetit etiam inter eos & voluerunt expresse partes ipse, quod si qua acta seu processus facti fuerint coram dicto domino archiepiscopo, seu coram quocumque alio judice seu conservatore deputato per sedem apostolicam super decisione cause seu controversie predicte, idem frater Cambius nomine, quo supra, illa voluit haberi pro cassis, irritis & inanibus & in perpetuum nullius debere esse roboris vel momenti, & de illis dictum abbatem & conventum dictus frater Cambius finaliter quietaret. Pro quibus omnibus & singulis adimplendis & observandis utraque pars & earum quelibet se obligavit principaliter, & quo supra nomine ad penam unciarum auri centum sedi apostolice & ejus camere applicanda. Et ad majorem cautelam pro dictis observandis per partes ipsas & non contraveniendis dicte partes principaliter, & quo supra nomine fidejussores uni alteri posuit infrascriptos, videlicet providos & discretos viros judicem Silvestrum de Maura cancellarium, magistrum Nicolaum de Bojano medicinalis scientie professorem consiliarios, & magistrum Bartholomeum de Casali-novo familiares dicti excellentis domini principis Achaje, qui se principaliter & in solidum quilibet ad predicta sollemniter & legitime obligavere predicta omnia & singula per partes ipsas, quatenus supra fuit descripta, attendere & observare, & attendi & observari facere totaliter sub pena unciarum auri centum predicte regie curie, si secus inde factum fuerit, applicanda, me predicto notario tamquam persona publica tam pro parte sedis apostolice & ejus camere, quam dicte regie curie & dictis contrahentibus sollemniter & legitime stipulante. Que pena totiens exigatur, quotiens contra fiet, & exacta vel non, presens nihilominus contractus cum omnibus, que in se continet, in sua firmitate perduret. Dantes & concedentes tam dicti principales, quam fidejussores parti observanti predicta, quam pro damnis, interesse & expensis, que & quas pro predictis & quolibet eorumdem alteram ipsarum partium subire quoquomodo contigerit, liberam & plenariam potestatem & auctoritatem; nullo super his impetrato judicis auxilio seu decreto pretoris, capiendi tantum de bonis ipsius principalis contravenientis & fidejussorum, seu eorum alterius, prout maluerit, hoc ipsi in electione servato, mobilibus, stabilibus, seseque moventibus, quantum satisfaciat ad satisfactionem pene predicte damnorum interesse & expensarum; & pro abundantioris cautele suffragio tam dicti principales, quam fidejussores, cujusque ipsorum tacto libro prestiterunt eorum corporalia juramenta, volentes expresse predicti omnes & singuli, quod in casu premisso pena pecuniaria preter penam perjurii, & e contrario una per aliam non tollatur, sed ambe concurrant uno eodemque judicio & possint exigi & infligi. Renunciantes super hiis tam dicti principales, quam fidejussores exceptioni doli mali, metus &c. & generaliter omnibus aliis juribus & auxiliis &c. Consentientibus predictis tam principalibus, quam fidejussoribus in nos predictos judicem & notarium tamquam in suos, cum scirent nos suum judicem & notarium in hac parte non esse. In cujus rei testimonium, & omnium, quorum interest, & poterit interesse, in futuram certitudinem et cautelam de premissis omnibus facta sunt duo publica consimilia instrumenta, presens pro cautela dicti

Ann. Chr. 1351. *prioris & conventus monasterii de Cornu, & reliquum pro cautela dicti abbatis & conventus ipsius monasterii per manus mei notarii supradicti signo meo solito signata, subscriptione predicti judicis & subscriptorum testium subscriptionibus roborata.*

Que scripsi ego prefatus notarius Johannes Bultanus civis Neapolitanus publicus apostolica, imperiali & regia auctoritate notarius, qui predictis rogatus interfui & ipsa meo signo signavi.

† *Ego Franciscus Craczusus miles, qui supra subscripsi.*

† *Ego Judex Silvester de Maura, qui supra, fateor premissa vere esse.*

† *Ego qui supra Nicolaus de Bojano medicine professor premissis interfui & subscripsi.* † *Ego qui supra magister Bartholomeus de Casali novo premissis interfui & subscripsi.* † *Ego Nicolaus de Jacca de Neapoli testis subscripsi.*

VIRGINIS *ex alvo, quo Christus promeruit almo. Anno* M. CCC. XXXII. *regnante serenissimo domino & domino nostro Roberto inclyto Jerusalem & Sicilie rege, ducatus Apulie, principe Capue, Provincie, Folqualcherie & Pedemontis comite, regnorum vero ejus* XXIV. *feliciter amen, die* V. *mensis madii* XV. *indictione apud Casalem-novum. Nos Symon judicis Johannis Casalis-novi judex presentis scripti publici tenore notum facinus & testamur, quod sedentibus nobis in curia Casalis-novi, quem Franciscus de Medio bajulus ejusdem terre regebat, presente nobiscum Nicolao notarii Marchisii publico ipsius terre notario, & testibus subvocatis viris idoneis literatis de eadem terra ad hoc specialiter convocatis & rogatis. Frater Cambius prior monasterii sancti Nicolai de Cornu ordinis sancti Benedicti Pennensis diocesis ad ipsam curiam veniens ostendit nobis quoddam privilegium nota & consueta bulla plumbea pendente domini Johannis pape* XXII. *sacrosancte Romane ecclesie summi pontificis munitum & ad nostrum implorando officium petiit, ut privilegium ipsum publicari, authenticari & in publicam formam redigi mandaremus pro eo, quod dicti monasterii interesse dicebat, privilegium ipsum authenticatum habere, & causam interesse ejusdem monasterii exposuit, & erat sufficiens & rationabilis causa ipsa. Nos vero qui supra judex respicientes subtiliter una cum predictis notario & testibus infrascriptis, quia vidimus pariter & legimus privilegium ipsum non abolitum, non abrasum &c. inspicientes etiam cum omni diligentia bullam predictam ad filum canapis, quo ordine bulla predicta privilegio erat appensa, & alia circumstantia, invenimus predicta omnia et singula sine vitio et macula et suspicione aliqua, fidem illi dedimus, et ipsius cause meritis equo librantes examine, et deliberato consilio ejusdem fratris Cambii prioris petitioni, utpote juri consone annuentes, cum justa petentibus non sit denegandus assensus, ejusdem privilegii tenore cum tota juris sollemnitate et observantia legitime publicato, mandamus predicto notario Nicolao, ut privilegium ipsum de verbo ad verbum nil ibi mutato, addito vel subtracto transcriberet, authenticaret, et in publicam formam redigeret juxta juris ordinem et morem exinde consuetum, ut ex eodem exemplo, indice seu transumpto, tamquam de originali seu exemplari adsumi, de cetero valeat plena fides, qui predictus notarius mandatis nostris obtemperans, juris ordine et more exinde consueto servatis privilegium ipsum de verbo ad verbum nil ibi mutato, addito vel diminuto transcripsit, authenticavit et in hanc publicam formam redegit. Et erat privilegium predictum per omnia continentie subsequentis.*

IN DEI NOMINE, *amen. Franciscus humilis abbas monasterii sancte Crucis de Tripuzo Camerinensis diocesis conservator & judex datus a sede apostolica abbatie & monasterio sancte Crucis Fontis-avellane Eugubine diocesis tam in capite, quam in membris ipsius monasterii, rev. in Christo patribus episcopo Termulano, episcopo Civitatis-sancte-Marie, episcopo Aprutino, necnon religiosis & honestis viris guardianis locorum Minorum Andrie ejusdem diocesis, & Casalis-novi Sipontine diocesis, archipresbytero sancte Marie de Guilionisio predicte Termulane diocesis, ser Jacobo canonico Atriensi, & preposito sancte Marie de Runzano & canonico Aprutine diocesis salutem, & mandatis nostris, immo verius apostolicis firmiter obedire. Noscat vestra fraternitas atque discretio, quod nos recepimus a SS. in Christo patre & domino domino Johanne papa* XXII. *literas bullatas vera bulla & publica papali ad filum canapis, in qua quidem bulla erant sculpta duo capita apostolorum Petri & Pauli &c. quarum tenor talis est. Johannes episcopus &c. dilectis filiis sancti Petri Perusini & sancte Crucis de Tripuzo, & sancti Savini Camerinensis & Firmane diocesis monasteriorum abbatibus salutem & apostolicam benedictionem. Militanti ecclesie &c.* Extant in Tomo V. col. 436. horum Annalium. *Cumque in remotis agentes a monasterio sancti Nicolai de Cornu, membro immediate dicti monasterii sancte Crucis Fontis-avellane & aliis nostri monasterii negotiis occupati circa executionem dictarum literarum papalium non possumus ad executionem ipsarum intendere, reverenter, prout decet, vobis, quorum circumpectione confidimus, vel vestrum alteri, ad requisitionem sindici, procuratoris seu nuntii dicti monasterii sancte Crucis Fontis-avellane, ac prefati monasterii sancti Nicolai de Cornu membri ejusdem, committimus totaliter vices nostras, donec eas ad nos duxerimus revocandas, secundum formam dicti rescripti apostolici, quas quidem literas ad majorem cautelam & fidem fecimus nostro sigillo muniri. Verum quia dictus frater Cambius prior predicti monasterii sancti Nicolai de Cornu sua interesse dicebat, pro parte dicti monasterii privilegium ipsum pro tutiori cautela in publicam formam redigere: Nos predictos Bajulum, Judicem & Notarium & Testes subscriptos ex parte regia requisivit, & voce sua rogavit attente, ut de predicto papale privilegio facere deberemus publicum instrumentum; nos vero ad ipsius requisitionem et preces justitiam continentem, quia nulli possumus vel debemus nostrum officium denegare, presens publicum instrumentum exinde factum est ad cautelam et certitudinem omnium ipsorum, quorum interest et interesse potuerit, per manus mei predicti notarii Nicolai voto digno meo roboratum, quod scripsi et subsignavi. Ego idem notarius, quia predictis omnibus rogatus interfui.*

† Signum Crucis per manus Simonis de judice Johanne, qui supra judicis.

Ego Alziberius testis sum. Ego Nicolaus notarius Marchi testor predicta. Ego Nicolaus de Guoffredo testis sum. Ego Goffredus Bartholomei testis sum. Ego Johannes Bar.. Stellutu testis sum. Ego notarius Guilielmus testis sum.

ANN. CHR. 1351.

OBIERAT Benedictus a Mucello prior monasterii sancti Mathiæ de Muriano, vel facile officium dimiserat; frequentes enim erant per hæc tempora abdicationes a regimine, quas amore solitudinis & sancti otii faciebant Camaldulenses monachi & eremitæ. Capitulum itaque monachorum ejus cœnobii, & priores subjectorum monasteriorum, qui consueverant ea occasione novæ electionis convocari, in ejus successorem suf-

ANN. CHR. 1352. XI. Electiones prioris sancti Mathiæ de Muriano.

Ann. Chr. 1352.

fecerant alterum Benedictum similiter a Mucello monachum; Clemens vero VI. Romanus pontifex ex Avenione octavo idus julii, pontificatus sui anno decimo, hoc est anno antecedenti, elegerat Laurentium a Bagnacavallo monachum itidem Camaldulensem. Consulti fuere ea super re doctores; inter ceteros Johannes Calderinus, Johannes de Lignano Mediolanensis & Petrocinus episcopus Torcellanus, qui nimirum eorum alteri foret præferendus, ac electionem Laurentii legitimam esse habendam decrevere, ut legitur in codice primo mss. consiliorum diversorum, qui extat in tabulario Fontis-boni [a].

a Pag. 88.

XII. Series chronologica priorum & abbatum S. Michaelis de Muriano.

In tabulario altero sancti Michaelis de Muriano nomen reperitur sub hoc anno Ognibene, sive Omniboni abbatis, qui post annum 1347. Maldulo successerat. Ipsius Omniboni mentio perseverat in paginis dicti loci annis 1352. 1359. & 1360. quo translatus ad monasterium sancti Salvatoris de Curte-regia Veronæ locum fecit Francisco abbati. Unde nam Christophorum abbatem sancti Michaelis repererit Fortunius, qui „ electum Christophorum studiosissimum insurrexisse ad conservanda Justinopolis loca contra quemdam Zarum, qui illa occupaverat anno 1355. „ decimo-sexto kalendas octobris „ narrat, incompertum nobis est, sicut compertum sit eumdem Fortunium in serie abbatum ejus loci post Theobaldum omisisse Maldulum & Omne-bonum, præter alios, quos ante Theobaldum minime agnovit. Atque hic loci ad illustrationem ejus monasterii, in quo prima posuimus tirocinii rudimenta, liceat nobis seriem texere eorum præsulum, qui jus in ipso dixerunt, collectam potissimum ex monumentis archivi Fontis-boni, & ex regestis priorum Camaldulensium, quorum beneficio nonnulla etiam supplemus omissa annis præcedentibus. Primus itaque loci prior (nam prioratus titulum retinuit monasterium fere toto seculo decimo-tertio) anno 1212. fuit Albertus, qui nomine Guidonis prioris generalis ecclesiam recepit ab episcopis Castellano, & Torcellano incolendam a Camaldulensibus monachis. Alberto jam successerat anno 1221. Laurentius, sub quo facta fuit consecratio ecclesiæ ab Ugolino S. R. E. cardinale & episcopo Ostiense. Laurentio ad annum 1224. suffectus Dominicus locum rexit ad annum 1228. quo mense aprili amotus successorem habuit Ugonem. Post Ugonem Vido ad annum 1235. & iterum Ugo idem vel alter ad annum 1236. Johannes præsidebat anno 1244. depositus eo ipso anno, sed restitutus anno 1249. Johanni successor datus est Joseph subprior Fontis-boni nominatus in tabulario ejus loci ad diem XXX. maji ipsius anni. Anno 1260. erat Guido ex paginis monasterii sancti Michaelis. Die vigesima-tertia aprilis anni 1266. Angelus prior generalis, cassata electione Gerardi nulliter electi, substituit in priorem dicti cœnobii Martinum sacristam eremi Camaldulensis. Anno 1270. die vigesima-prima aprilis Paulus capellanus Johannis II. prioris generalis prior ejusdem monasterii constitutus fuit, qui regebat etiam anno sequenti. Nono kalendas novembris anni 1279. amotus est a regimine ejus cœnobii Guido ab Atheste, & loco ejus creatus a Gerardo præside generali Ventura eremita Camaldulensis, qui tamen nuntium remisit prioratui septimo kalendas junii anni sequentis, quo anno fuit electus Johannes seu Johanninus monachus sancti Michaelis. Translato Johannino ad abbatiam sancti Nicolai de Litore Venetiarum Matthæus camerarius Camaldulensis die tertia junii anni 1283. a Gerardo datus fuit prior & administrator monasterii sancti Michaelis, sub quo deleto prioris titulo, dignitas abbatialis introducta fuit in cœnobium intra annos 1283. & 1293. & Matthæus in pluribus chartis Fontis-boni

& mo-

& monasterii sancti Michaelis appellatur abbas. Anno 1291. abbas ejusdem cœnobii erat Andreas de Volaterris, qui die tertio exeunte septembri hujus anni vicarius etiam dicitur prioris generalis Frigdiani, & procurator in spiritualibus & temporalibus monasterii sancte Marie de Vangaticia, tempore nimirum Bernardi abbatis Vangaticiensis, qui rebellis ordini, jura abbatiæ læserat, ipsamque Patavinis tradere moliebatur. Andreas monasterium sancti Michaelis rexit ad annum 1302. quo die vigesima januarii indictione quinta-decima translatus est ad abbatiam sancti Michaelis in Burgo Pisarum. In ejus locum die vigesima-quarta februarii substitutus fuit Romualdus prior monasterii sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia. Ipsi Gerardus II. prior Camaldulensis anno postero die vigesima-prima martii facultatem fecit vendendi & permutandi possessiones in Histria cum utilioribus & proximioribus. Anno 1303. decima-sexta augusti, vacante eodem monasterio per abdicationem Romualdi abbatis, electus fuit ab eodem præside Ildebrandus quondam abbas Montis-muri, qui post biduum consensit electioni suæ. Is etiam Aldebrandus & Altoprandus vocatur in tabulis monasterii, ejusque monumenta supersunt ad annum 1308. Ad annum 1312. reperitur Felix abbas dicti monasterii, quem etiam „ die vigesima-prima-decembris indictione X. tempore domni „ Clementis papæ V. & domni imperatoris Henrici, eodem nimirum an- „ no 1312. monachi Uranenses convenientes in monasterium sancti Lau- „ rentii de Cæsena, eo quod Brittonoriense oppidum ecclesiastico subjace- „ ret interdicto, præfecerunt sibi in abbatem, præsentibus Gregorio san- „ cti Apollinaris, Christophoro sancti Laurentii, & Gerardo sancti Theo- „ nisti monasteriorum abbatibus; " ex regesto generalis prioris Accursii. Sequenti anno die undecima martii idem Accursius vacanti sancti Michaelis monasterio dedit in abbatem Bonum, olim sanctæ Jucundæ abbatem, quem etiam die decima-nona octobris statuit in vicarium suum generalem in partibus Venetiarum & in toto patriarchatu Aquilejense, monasterio Vangaticiæ dumtaxat excepto, cui præsidebat Guido abbas. Anno 1319. undecima martii Bonus abbatiam sancti Michaelis ob aeris intemperiem de medicorum consilio resignavit, translatus ad illam sancti Petri de Puteolis; quare die sequenti electus fuit in abbatem sancti Michaelis a Bonaventura priore generali Theobaldus subprior Fontis-boni, patria Imolensis, olim monachus Vangaticiensis. Is cedere coactus fuit anno 1346. electusque in ejus locum Maldulus, & post Maldulum Omne-bonus, de quo superius. Ceterorum sancti Michaelis abbatum seriem suis locis prosequemur. Tempore Theobaldi plura incrementa recepit ecclesia sancti Michaelis in suis ædificiis. Reperimus etiam in chartis tabularii Fontis-boni anno M. CCC. XXII. die vigesima-prima octobris Bonaventuram priorem generalem benigne annuisse petitioni ejusdem Theobaldi abbatis, qui postulabat executionem cujusdam testamenti honorabilis viri domini Andreæ de Trono patricii Veneti de confinibus parœciæ sanctorum Hermacoræ & Fortunati, dicti monasterii olim procuratoris & benefactoris præcipui, cujus tenor erat hujusmodi. „ Volo & ordino, quod „ schola major de medio ecclesiæ sancti Michaelis de Murano, apud „ quem locum meam eligo sepulturam, debeat fieri & laborari de li- „ gnamine ad voltum ad modum laborerii ecclesiæ sive scholæ de me- „ dio ecclesiæ sancti Jacobi de Luprio, & fiat rodus cum colonellis de „ petra viva in muro de antedictam ecclesiam sancti Michaelis, sicut „ parebit commissariis meis, ad modum illius sancti Jacobi de Luprio. „ Et insuper ambæ scholæ minores dictæ ecclesiæ sancti Michaelis con-

struan-

ANN. CHR. 1352.

Ann. Chr. 1352. „ struantur de novo, sicut nunc sunt, & melius, ut videbitur commissariis meis, & rodus fiendus ferretur de vetris. Rogo tamen dominum abbatem, quod ob reverentiam & dilectionem, quam eis semper habui, & ordini suo, placeat eis cum voluntate superioris eorum taliter ordinare, & per suam commissionem meos consiliarios reddere certiores, quod omni die in perpetuum unus dicti monasterii celebret unam Missam pro anima mea ad altare beati Andreæ dictæ ecclesiæ, & quod celebrata Missa veniat cum aqua sancta & incenso super sepulturam meam, & legat orationes consuetas pro anima mea. Insuper fiat unum apparamentum sacerdotale cum calice, in cujus pede sit scriptum nomen meum ad dictam celebrationem. " Cetera posteriora ecclesiæ ornamenta, novaque ædificia temporibus suis referemus, & præsertim ad annum 1362. sermonem instituemus de insigni portione Crucis Dominicæ, quæ maximo in cultu habebatur in præfata ecclesia.

XIII. De ecclesia S. Mariæ de Pietate Maceratæ.

Albericus abbas Valle-castrensis, ad cujus monasterium spectabat collatio ecclesiæ sanctæ Mariæ de Pietate Maceratensis diœcesis, attenta renuntiatione hujus ecclesiæ facta a Benedicto Johannis de Porcarella clerico, in porticu claustri sancti Nicolai de Sancto-Severino, quod erat membrum monasterii sancti Eustachii de Domoris, in rectorem ejusdem ecclesiæ elegit Guillielmum Mariani de Sancto Severino monachum cœnobii sui Valle-castrensis. Quam electionem Nicolaus episcopus Maceratensis ratam habuit & confirmavit, mandans Eustachio priori ecclesiæ sancti Eustachii de Macerata, quæ erat aliud membrum supradicti monasterii sancti Eustachii Camerinensis diœcesis, ut electum monachum in corporalem possessionem induceret ejus ecclesiæ; ex archivo sancti Blasii de Fabriano.

XIV. Monumenta Valle-castrensia.

Ex eodem habemus ipsum abbatem Albericum perpensis beneficiis, quæ suum Valle-castrense cœnobium obtinuerat a nobili Fabrianensi familia de Clavellis, & a filiis domini Zelini de Clavellis, qui, sicut etiam ipsorum majores, semper adjuverant & defenderant monasterium Vallis-castri, Thomasuccium filium quondam Chosi Francisci domini Clavellini præbendatu ad mensam monasterii donasse, ut olim eodem præbendatu donatus fuerat nobilis vir Franciscus filius dicti domini Zelini, qui pariter prior extiterat hospitalis de Clusis, hoc est hospitalis sancti Lazari, de jure dicti monasterii apud castrum Albacinæ.

In ecclesia ejusdem Valle-castrensis cœnobii sepulturam suam elegit hoc anno Salimbene de civitate Eugubii, relinquens viginti-quinque libras distribuendas inter clericos & pauperes, ac pro emenda cera necessaria ad funus procurandum; executorem autem testamenti sui constituens eumdem Albericum abbatem, hæredem vero universalem omnium bonorum suorum præfatum monasterium, pagina confecta sub die undecima januarii.

In necrologio cœnobii sanctæ Mariæ de Carceribus ponitur sub die secunda novembris hujus anni obitus Ildebrandini episcopi Patavini.

Corpus beati Silvestri monachi conversi sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia translatum est ex altari sancti Francisci ad illud sancti Jobi quadriennio post ipsius obitum, quo anno contigit illa aquarum inundatio, de qua mentionem facit Villanius libro tertio capite duodecimo, quæque nonnihil inquinavit sacra sancti viri lipsana.

Ann. Chr. 1353.

XV. Cessio pacifica duorum priorum S. Mathiæ de Muriano.

Controversia, quæ erat inter Benedictum Mucellanum electum priorem monasterii sancti Mathiæ a capitulo ejusdem loci, & in-

& inter Laurentium Faventinum seu Bagnocavallensem a Clemente VI. Romano pontifice designatum, composita est hoc anno spontanea abdicatione regiminis, quam uterque ipsorum fecere in manibus Nicolai abbatis sancti Benedicti de Saviniano vicarii generalis Johannis prioris Camaldulensis, in quem tamquam in arbitrum compromisere cœnobitæ sancti Mathiæ. Loco itaque ipsorum communibus suffragiis electus fuit Andreas Faventinus die sexta maji, rogante electionis paginam Bartholo a Costa notario & scriba potestatis & communis Muriani. De ipso Andrea aliqua proferemus annis sequentibus.

ANN. CHR. 1353.

XVI. Provisio ecclesiæ S. Christinæ ad Clanas.

CUM Basilius abbas sanctæ Mariæ de Agnano Arretinæ diœcesis, postquam supposuerat monasterium suum protectioni reipublicæ Florentinæ, Avenionem se contulisset ad Romanum pontificem, ut sedis quoque Apostolicæ tutelam imploraret, ibidem positus mense septembri anni præteriti intellexit mortem Orlandi rectoris ecclesiæ sanctæ Christinæ ad Clanas monasterio suo subjectæ, & reversus hoc anno ad monasterium suum die ultimo mensis junii domino Innocentio VI. papa residente indictione sexta elegit Jacobum filium quondam Johannis Azolini Arretini civis presbyterum in rectorem ejusdem ecclesiæ, confirmandum ab episcopo Arretino; ex tabulario sancti Romualdi de Urbe. Obierat siquidem die sexta decembris anni elapsi Clemens VI. ad quem se contulerat Basilius, & die decima-octava ejusdem mensis in ipsius locum suffectus fuerat Innocentius VI.

XVII. Facultas facta card. Albornotio recipiendi monachos in centum monasteria.

PRIMORDIIS sui pontificatus volens idem Romanus antistes Innocentius VI. pacem reddere Italiæ, quæ a pluribus tyrannis discerpebatur, officio legati apostolicæ sedis misit in Italiam Ægidium Carillum Alvari Albornotium Hispanum S. R. E. cardinalem presbyterum tituli sancti Clementis, cui etiam anno primo sui pontificatus decimo kalendas julii indulsit [a], ut vel per se vel per alium posset inducere & recipere in centum monasteria suæ legationis, ordinum Cisterciensis, sancti Benedicti, Camaldulensis & Vallumbrosani centum personas, quas duxerit eligendas. Decimo Kalendas septembris mandavit idem Innocentius [b] Franchino de Bononia priori monasterii sancti Clementis ordinis sancti Augustini Castellanæ diœcesis, ut conferret prioratum monasterii olim nostri sancti Michaelis de Castro Brittorum in diœcesi Bononiensi per priorem soliti gubernari, ordinis tunc Militiæ beatæ Mariæ virginis, Guidoni de Carrariis fratri ejusdem monasterii. Datum apud Villam-novam Avenionensis diœcesis, ut ex epistolis secretis & de curia in Bononiensis communis archivo novimus. Franchini mentionem facit etiam Cl. V. & Senator Flaminius Cornelius in historia ecclesiæ sancti Clementis inter ceteras Venetas decade XII. [c]

[a] *Epist.* 183. *fol.* 45.

[b] *Epist.* v.

[c] *Pag.* 216.

XVIII. Brevia defunctorum ordinis Vallumbrosani deferenda per ordinem Camaldulensem.

MICHAEL Flaminius Arretinus, Beati titulo apud suos insignitus, & abbas generalis congregationis Vallis-umbrosanæ præsenti anno edidit constitutiones a suis monasteriis observandas. Legitur inter ceteras, quod *breviuncula pro defunctis per nuntium ordinis mittantur cum nomine personæ & monasterii portanda per totum ordinem Vallumbrosanum & Camaldulensem, et ut moris est, scribantur in libro Mortuorum, ac quolibet mane legantur nomina Mortuorum secundum consuetudinem ordinis Vallumbrosani*. Similem constitutionem renovavit Simon Gavillensis alter abbas generalis Vallumbrosanus post aliquot annos, pacto etiam promiscuo foedere cum Johanne priore generali Camaldulensi; sicut etiam Camaldulenses multoties, sed præsertim sub anno 1323. Bonaventura priore generali existente præceperant, ut nomina suorum defunctorum deferrentur a brevi-

ANN. CHR. 1353. breviferario ordinis Camaldulensis ad ordinem Vallumbrosanum. Non semel haud interruptam familiaritatem & communionem utriusque congregationis indicavimus in his Annalibus.

XIX. Memoriæ plurium monasteriorum.

a T. III. pag. 50.

b Pag. 358.

CONGREGATIONEM monachorum sanctæ Crucis comitum de Tripudio in Saxo-ferratensi territorio adjunctam fuisse congregationi monachorum Camaldulensium præsenti anno a Romano pontifice Innocentio VI. tradit Jacobillius [a] in suo de Sanctis & de Beatis Umbriæ opere, & Lubinus etiam in alio abbatiarum Italiæ [b], qui postremus dictum monasterium sanctæ Crucis unitum jam ab anno 1285. cum abbatia Vallis-castri affirmat. Vidimus alibi cœnobium sanctæ Crucis reformatum anno 1275. per Rolandum monachum Avellanensem, qui abbas ibidem electus pietatem & religionem efflorere fecit, & obiit anno 1285. Haud abhorret a veri specie Saxo-ferratenses monachos post Rolandi mortem expetiisse communionem, societatem & instituta monachorum Valle-castrensium, qui non longe ab eorum monasterio Deo inserviebant.

Abdicante Jacobo Senense abbate sanctæ Mariæ de Toma, Johannes prior generalis Camaldulensis elegit in abbatem Rainerium Senensem priorem Rosæ ex tabulario monialium sanctæ Christinæ de Bononia.

Redditus territorii de Castro-cucco districtus Asyli, qui ex sententia Marci Ruzzini potestatis Tarvisini ante triennium solvebantur Ricciardo de Camino comiti Cenetensi tamquam usufructuario nobilis dominæ Stilichiæ de Camino ipsius uxoris, empti fuere hoc anno die XXII. decembris a Nordilio abbate sanctæ Mariæ Sanæ-vallis de Fullina [c].


c Num. 358.

In necrologio Vangaticiensi ad XIV. kalendas aprilis hujus anni adnotatur decessus Obizonis marchionis Estensis: *Obiit illustris et egregius vir dominus Obizo Estensis sub* M. CCC. LIII. *die* XVIII. *martii*. Muratorius in Annalibus [d] Italiæ refert mortem Obizonis ad annum antecedentem, diem vero decimam-nonam, vel vigesimam martii.

d T. VIII. pag. 280.



ANNA-



ANNALES CAMALDULENSES.

LIBER QUINQUAGESIMUS-SECUNDUS.

Ab anno Christi M. CCC. LIV. *ad annum* M. CCC. LXI.



XPOSTULAVERANT sanctimoniales sancti Petri de Luco a Johanne priore generali Camaldulensi, ut facultatem ipsis faceret transferendi domicilium suum ad loca propinquiora urbi Florentinæ, quandoquidem parthenon ipsarum situm in loco solitario patebat sæpe sæpius militum incursionibus & deprædationibus, ac ab ipso novissime exire compulsæ fuerant. Traditum ipsis monialibus fuerat ante quinquennium, hoc est anno 1350. hospitale cum ecclesia sancti Bartholomæi de Muneone fluvio prope Florentiam, facta abbatissæ potestate hospitale & ecclesiam regendi, eorumque bona administrandi, ibidem pro opportunitate accedendi, & inde Lucum redeundi. Quare expostulationi sibi factæ sequenti delegatione providit Johannes prior:

ANN. CHR. 1354.

I. Moniales Lucenses ad hospitale S. Bartholomæi de Muneone deductæ.

Frater Johannes sanctæ Camaldulensis eremi prior et totius ordinis generalis venerabilibus fratribus domnis Johanni abbati monasterii Camalduli-Florentini, Dominico priori sanctæ Mariæ de Angelis Florentiæ, et Benvenuto subpriori monasterii Fontis-boni ejusdem ordinis salutem.

Pro parte dilectarum in Domino .. abbatissæ et monialium monasterii sancti Petri de Luco de Mugello Florentinæ diœcesis nostri ordinis prælibati nuper accepimus, quod ipsæ dictum monasterium in pede alpium et loco solitario et silvestri constitutum, retroactis annis propter guerras, quæ in illis partibus surrexerunt, necessitate compulsæ totaliter relinquere coactæ sunt, quod damna et pericula gravia passæ sunt et patiuntur, et in futurum pati verisimiliter formidant. Quapropter videntes se non posse ibidem sub regulari observantia permanere, convocato super hæc consilio et auxilio earum consanguineorum et amicorum, tractaverunt cum nobili et discreto viro domino Nicolao Sennucci cive et canonico Florentino patrono ecclesiæ et hospitalis et loci sancti Bartholomæi de Mugnone juxta Florentiam, loci videlicet sollemnis, famosi et apti ad observantiam regularem, jus-patronatus et locum sub certis modis et conditionibus recipere ab

ANN. CHR. 1354.

eodem, & dictum monasterium sancti Petri de Luco cum omnibus rebus suis transferre totaliter ad ipsum locum sancti Bartholomæi. Nos igitur volentes utilitati earum providere, committimus vobis, ut licentiam & liberam facultatem concedatis eisdem se & dictum monasterium sancti Petri de Luco transferendi ad dictum locum sancti Bartholomæi &c. Datum in nostro monasterio Camalduli de prope Bononiam anno Domini M. CCC. LIV. *indictione* VII. *die* XXIII. *februarii tempore Innocentii papæ* VI.

Sequuntur conditiones & pacta inita a dictis commissariis & a monialibus cum præfato Nicolao Sennuccii canonico, instrumento rogato a ser Francisco quondam Masi de Florentia notario.

Hospitale sancti Bartholomæi a fundamentis constructum fuerat anno M. CC. XCV. a Bennuccio Senni Benis populi sanctorum Apostolorum de Florentia impensis quinque-millium Florenorum, subjectumque statim protectioni sedis apostolicæ, ut liquet ex literis Bonifacii papæ VIII. datis secundo nonas octobris pontificatus sui anno primo, quibus dicto Bennuccio copiam fecit præfatum hospitale construendi. Jus-patronatus a Bennuccio relictum fuit suis posteris, inter quos nominavit Nicolaum Sennuccii, Nepum Senni, Philippum Bettini, & Bentium Bernardi, qui hospitale quiete & concorditer rexerunt usque ad hæc proxime tempora; sed Nicolaus Sennucci canonicus Florentinus & rector ecclesiæ sanctæ Cæciliæ, haud petita ceterorum consortum voluntate, monasterium ibidem ædificandum permisit. Etiam cl. vir Joseph Ricca S. J. in suis ecclesiis Florentinis [a] initia huic parthenoni dedisse arbitratur præfatas sanctimoniales Lucenses a suo solitario loco exeuntes. Cur monasterio alter alteri sancti Bartholomæi adjectus fuerit titulus sancti Martini, idem illustrator declarat hoc evenisse ex testamentaria syngrapha ser Martini olim Bonaventuræ de Combiate populi sanctæ Mariæ Novellæ de Florentia, qui tabulis suis exaratis die XVIII. junii anni M. CCC. XLVIII. mandavit, ut ædificaretur monasterium, in quo viginti-duo sanctimoniales residerent sub invocatione sancti Martini *da le Panche* in plebe sancti Stephani Uno-pane. De ipso sanctorum Bartholomæi & Martini ad fluvium Muneonem parthenone hæc alia monumenta collegit laudatus pater Ricca: Anno M. CCC. LXXIV. moniales sancti Martini elegerunt hospitalarium sancti Bartholomæi. Anno M. CCC. LXXXIX. literis Bonifacii IX. transmissis ad Bartholomæum Uliarium episcopum Florentinum sanctimoniales nova jura super idem hospitale adquisiere. Litem habuerunt anno M. CCCC. VIII. moniales cum famulabus oblatis ejusdem hospitalis, compositam a priore & a confalonerio populi Florentini: Anno M. CCCC. XL. Eugenius IV. ad firmandam disciplinam in parthenone sancti Martini, adjunxit perpetuo ei monasterio omnia jura prædicti hospitalis sancti Bartholomæi, quod appellat immediate subjectum apostolicæ sedi; quæ tamen apostolica dispositio vigorem & effectum sortita non est, nisi sub Pio II. anno M. CCCC. LIX. demum anno M. D. XXIX. solo æquatum fuit utrumque tum monasterium, tum hospitale, translatis sacris virginibus ad hospitale sanctæ Mariæ de Scala intra urbem Florentinam. Paginæ fundationis hospitalis sancti Bartholomæi ad Muneonem, & testamenti Martini de Combiate leguntur apud eumdem egregium collectorem monumentorum spectantium ad ecclesias Florentinas. Ceterum sanctimoniales Lucenses vel reddita pace Mucellanæ regioni, vel colonia sororum relicta apud hospitale Muneonis, regressæ sunt ad suas antiquas ædes, penes quas eas resedisse reperimus hoc eodem seculo, residentque ad hodiernam diem.

[a] T. III. p. 332.

IN

In charta [a] ad alterum monasterium Camaldulense Quercetanum urbis Florentiæ spectante legitur sub hoc anno Pierus marchio de Monte-sanctæ-Mariæ potestas Florentinus. De ipso marchione monumenta habemus etiam ad annum 1357. Benedictus autem prior monasterii Quercetani, nomine eremi Camaldulensis & Johannis prioris generalis, regebat dicti loci sanctimoniales.

ANN. CHR 1354.

a §. Tenuta 13. A. 4. 23.

CONTIGIT præsenti anno translatio sacri corporis sancti Petri Damiani, quod a tribus fere seculis quiescebat in loco minus honorifico ecclesiæ sanctæ Mariæ foris portam urbis Faventiæ. Ædificatum in eadem ecclesia est altare, super quod elevata fuerunt sacra ejus lipsana a Matthæo abbate ejusdem monasterii, ut fidem faciunt sequentes inscriptiones, quarum prima legitur circum urnam marmoream, in qua reconditum fuit venerabile corpus.

II. Translatio corporis S. Petri Damiani.

ANNO. DNI. M. CCC. LIIII. DIE. XIII. APRILIS. TRANSLATVM. FVIT
CORPVS. SANCTI. PETRI. DAMIANI. RAVENNATIS. IN. SACRAM
SCRIPTVRAM. DOCTORIS. ET. HOSTIENSIS. EPISCOPI. ET. APOSTOLICAE
SEDIS. LEGATI. ORDINIS. SANCTAE. CRVCIS. FONTIS. AVELLANAE
IN. PRAESENTEM. ARCAM. PATRE. D. MATTHAEO. DE. CALLIO. HIC. ABBATE.

Secunda autem inscriptio visitur in marmoreo lapide insito subtus arcam; & his carminibus exprimitur.

QVINQVE. DENIS. MILLE. TRECENTIS. ET. QVATVOR. ANNIS
TERTIVS. APRILIS. CVM. DECIMO. FLVXERAT. ORTVS
TRANSTVLIT. TE. CLERVS. DOCTVM. IN. PAGINA. SACRA
OSTIENSIS. PRAESVL. QVEM. DOTAT. CARDINALATVS
O. PETRE DAMIANE. TE. CRVX. IN. ORDINE. FONTIS
AVELLANAE. BEAT. TV. LEGATVS. QVOQVE. TANDEM
SEDIS. APOSTOLICAE. PETRA. NVNC. CLAVDERIS. ISTA
INSTAT. NVNC. ABBAS. MATTHAEVS. DE. CALLIO. NATVS.

PATRONUS domus hospitalis sanctæ Mariæ de Misericordia in urbe Ravennæ erat Duzolus de Novellinis civis Ravennas ex archivo Classensi, cui hoc anno prima martii indictione septima Astorgius de Soyris baccallarius in Legibus, & fratris Fortanerii Ravennatis archiepiscopatus administratoris in civitate & comitatu Ravennæ in temporalibus *camerlengus* & procurator generalis libellum conscripsit. Novimus ex eodem tabulario anno M. CCC. LXX. die XXVI. septembris Stephanum episcopum Faventinum indulsisse XL. dies indulgentiarum iis, qui manus adjutrices porrigerent hospitali pauperum sanctæ Mariæ de Misericordia Ravennæ. Ughellius Fortanerium electum archiepiscopum Ravennatem anno 1347. factum inde patriarcham Gradensem, Ravennatisque ecclesiæ perpetuum administratorem scribit anno 1355. Antevertenda itaque est saltem uno anno collatio hujusce administrationis ex pagina Classensi, vel annus 1355. ab Ughellio [b] notatus referendus est ad concordiam a Fortanerio statutam Venetos inter & Januenses. Stephanus autem præter Faventinam, quam diutissime rexit ecclesiam, archiepiscopi Ravennatis vicarius fuit.

III. De hospitale Ravennate S. Mariæ de Misericordia.

b Tom. II. col. 389.

ANN. CHR. 1354.

In pavimento ecclesiæ veteris sanctorum Andreæ & Gregorii de Urbe extabat sepulcralis lapis cum hac inscriptione.

HIC. IACET. CORPVS. VENERABILIS. VIRI. DE. TVNQVERO. CLERICI LASCVRENSIS. DIOECESIS. OBIIT. ROMAE. DIE. XXX. AVGVSTI ANNO. DOMINI. M. CCC. LIIII. ANIMA. EIVS. REQVIESCAT. IN. PACE.

IV. Camaldulensium electiones factæ ab Innocentio VI.

INNOCENTIUS VI. pontificatus sui anno secundo die quarta januarii [a] vacante prioratu sancti Angeli de Nasciano per promotionem Johannis prioris ad abbatiam sancti Petri de Rotis dioecesis Arretinæ, eidem prioratui subjecto dicto monasterio Rotensi præfecit Petrum Francisci de Senis monachum sancti Salvatoris de Berardinga, mandans Azolino episcopo Senensi, plebano sanctæ Agathæ de Asciano, ac Ludovico Francisci canonico Senensi, ut ipsum in possessionem prioratus inducerent, amoverentque Manfredum Tassolum de Ramazano monachum Rotensem, qui dictum prioratum occupaverat tempore, quo adhuc beneficiorum & ecclesiarum provisio reservata erat dispositionibus sedis apostolicæ. Post triennium [b] idem Petrus postulatus fuit a Johanne priore Camaldulensi una cum eremitis consentientibus ad abbatiam Prataliensem, a qua tribus annis abfuerat Petrus de Nocerio, qui se abbatem dicebat, scripsitque ea super re Johannes prior ad Innocentium VI. literas, ut dignaretur Petrum priorem de Nasciano ad abbatiam Pratal iæ transferre. Annuit Romanus pontifex; quare ex Avenione quinto sui pontificatus anno literas [c] relaxavit assumentes ipsum ad eam abbatiam, privato Petro de Nocerio abbate, qui ante triennium clandestine recesserat, ob idque pœnam privationis ab abbatia incurrerat.

a §. Electio 49. A. 4. 28.

b Ibid. 51. A. 16. 10.

c Ibid. A. 4. 4.

Idem Innocentius decimo kalendas aprilis pontificatus sui anno secundo commisit Gualterio abbati sancti Michaelis in Burgo Pisarum, ut bona illicite alienata monasterii sancti Petri de Puteolis recuperare satageret; ex tabulario capitulari Lucensi [d].

d AA. 15.

V. Visitationes monasteriorum factæ ab Andrea priore S. Mathiæ.

ANDREAS Faventinus electus prior monasterii sancti Mathiæ de Muriano post cessionem utriusque electi Benedicti & Laurentii, nil antiquius habuit primis sui regiminis temporibus, quam visitationem suorum suffraganeorum monasteriorum, & rectæ disciplinæ in iis confirmationem. Visitavit itaque hoc anno monasterium sancti Johannis-baptistæ de Fossaclodia & Zachariam ejus priorem. Alteram visitationem instituit monasterii sancti Johannis-baptistæ de Judaica, cujus prior Andreas & monachi palam fassi sunt „ se pertinere ad dictum sancti Mathiæ cœnobium, „ & in capitulo dumtaxat ejus monasterii se habere vocem, cum locus „ sancti Johannis non sit collegium, neque unquam fuerit, postquam „ fundatus erat a monachis San-mathianis. " Tertiam quoque visitationem peregit anno 1357. in monasterio sancti Johannis-baptistæ de Faventia, ubi erat prior Mercurialis, & quartam in monasterio sanctorum Mathiæ & Catharinæ de Foro-livio anno 1359. præsidente ibidem priore Jacobo.

Blasius de Prato-veteri abbas Insulanus Johanni de Imola contulit ecclesiam & hospitale sancti Matthæi de Orbicciano dioecesis Cæsenæ, cujus collatio ad monasterium suum pertinebat, mandans [e] Nicolao priori ecclesiæ sancti Antonii de Burgo Cursus Britonorii, ut eum induceret in possessionem dictæ ecclesiæ & hospitalis; manu Pasii Johannis de Foro-livio notarii.

e §. Electio 50. A. 4. 29.

SICUT anno præterito bellorum furore moniales Lucenses sancti Petri, ita præsenti anno obsidione urbis Tarvisinæ solum vertere coactæ sunt moniales sanctæ Christinæ monasterium prope eamdem urbem incolentes. Multoties locum proprium derelinquere compulsæ fuerant, & præter primam transmigrationem paucis annis post fundationem earum parthenonis, de qua locuti sumus anno 1193. etiam elapso seculo violentia Eccellini de Romano tyranni & devastationum ipsius occasione locum & patriam deseruerant circa annum 1252. ac Bononiam se receperant, ad alterum facile monasterium, quod ad Tarvisini similitudinem erexerant circa finem seculi XII. in urbe Bononiensi Nectus & Ghislina ejus uxor pii Bononienses cives. Re enim vera libro I. Statutorum Bononiensium anni 1258. ubi igitur de *Sacramento Potestatis*, & *de eleemosynis erga pia loca faciendis*, inter cetera legitur: *Item dominabus sanctæ Christinæ de Trivixio expulsis de terra sua ob guerram &c. corbes frumenti, donec steterint in Bononia; item* XV. *libras Bononiorum pro pensione domorum*. Iterum alia eleemosynæ erogatio in favorem earumdem monialium reperitur in statutis anni 1263. prima vero mentio de eisdem sanctimonialibus fit in quodam testamento anni 1252. rogato a Baruffaldino Geremei. Post annum itaque 1263. in patriam rediere, & pacificam aliquo tempore loci sui pristini possessionem obtinuerunt, erantque ibi quietam vitam degentes tempore obitus sanctissimi magistri sui Parisii anno 1267. Sed paulo post initia seculi XIV. recrudescentibus bellis in Tarvisina ditione, & præsertim prope muros urbis, iterum exulare adactæ fuerant. Id addiscimus ex regesto Bonaventuræ prioris generalis, qui anno M.CCC.XVIII. ad diem XXV. novembris in ea verba scribit abbatissæ sanctæ Christinæ de Tarvisio: *Quia civitatem prædictam* (Tarvisii) *ejusque undique comitatum adeo inimica manus in multitudine gravi vallavit, & domos ac prædia multiplicibus damnis colonorum tam suburbanorum, quam rusticanorum tui monasterii igne succendit, & sæviter devastavit, propter quæ ad civitatem intra prædictam confugiens una cum sororum tuarum conventu, tuo monasterio derelicto, per alienas domos inhabitare cum mœstitia cogeris, ac pro tua & prædictarum sororum quotidiana substentatione, necnon pro ceteris necessitatibus principalibus & incidentibus, quibus regimini sollicitudinis tibi commissæ abrenuntiare non vales, aliena subsidia propriis non suppetentibus facultatibus inevitabiliter quærere coarctaris, nuper nobis per literas tuas & nuntium tam humiliter, quam flebiliter exponere & supplicare curasti, quatenus contrahendi pro dictis & emergentibus in futurum necessitatibus debitum tibi concedere licentiam dignaremur &c.* quam concedit ad summam librarum tercentarum, *non obstante sacramento in tua promotione præstito*; & interim hortatur, ut una cum monialibus suis honestius, quantum poterunt, vivant, donec ad proprium monasterium tutius remeare possint, ac eis prorogat collectarum solutionem. Tertio demum ob Hungaricum bellum & propter integram monasterii eversionem intra urbem se recipere compulsæ fuere hoc anno. Ludovicus siquidem Hungariæ rex odio prosequebatur Venetos, eo quod Jaderam præcipuam Dalmatiæ urbem novissime suo imperio subjugassent, quæ sæpius deficiens nunc Venetorum, nunc Hungarorum dominatui se dederat antecedentibus annis. Venetorum itaque potentiam torvis oculis respiciens Ludovicus, indignatus etiam, quod in sui defensionem hi arma & homines sibi non suppeditassent in bello, quod sustinuerat contra Neapolitanum regnum, fractis induciis, & collecto valido exercitu, in Italiam & prope Tarvisium arma contra ipsos tulit.

ANN. CHR. 1355. VI. Eversio monasterii S. Christinæ de Tarvisio.

Ann. Chr. 1355. tulit. Cum Ludovico vires suas adjunxit Franciscus de Carraria Paduæ dominus, hostis & ipse acerrimus Venetorum; ii autem cum tunc temporis nullam aliam in continenti civitatem possiderent, quam Tarvisium, in eam propterea unice curam intenderunt, ut eamdem urbem munirent, imperioque suo incolumem conservarent. Monasteria sanctæ Christinæ & Omnium-sanctorum exsurgebant extra urbem in burgis; propterea metuentes provisores Veneti exercitus, ne hostes abuterentur ædificiis horum monasteriorum in damnum urbis, confestim eorum demolitionem præceperunt. Quare solo æquata fuere asceterium, ecclesia, hospitalis domus monasterio adjuncta, & habitationes contiguæ sanctæ Christinæ, ut narrant scriptores Tarvisini, & præsertim Bonifacius in historia ejus urbis, qui Ludovici quidem bellum referunt ad annum sequentem, cum tamen præparationes ad bellum ac locorum suburbanorum demolitiones pertineant ad annum præsentem. Multoque magis falluntur Fortunius & Ractius, qui monasterii sanctæ Christinæ cladem illigant anno 1357. cum præter Bonifacium & anonymum Fuscarenianum, olim Turrianum, inscriptiones existentes tum in ecclesia, tum in xysto exteriori monasterii, quod fundatum fuit in urbe post primi destructionem, fidem faciant pro anno 1355. Vetus inscriptio in templi deaureata lamina lapidea est hujusmodi;

SANCTORVM. CHRISTINAE. AC. PARISII. MONASTERIVM
QVOD. EXTRA. VRBEM. ANTEA. SITVM. FVERAT
ANNO. DOMINI. M. CCC. LV. HIC. ERECTVM
TALE. DEI. GRATIA. CONSPICITVR.

Altera autem inscriptio, quæ etiam legebatur initiis seculi XVI. tempore Petri Delphini prioris generalis, & prostat in porticibus cœnobium ambientibus, hæc profert;

HOC. MONASTERIVM. SANCTORVM. CHRISTINAE. ET. PARISII
HIC. TRANSLATVM. QVOD. PRIVS. EXTRA. MOENIA. ERAT. M.CCC.LV.

Anonymus Fuscarenianus monasterii veteris sanctæ Christinæ ruinam assignat fortuito incendio: „ Extabat, inquit, prope Tarvisium super „ flumen Butinicæ monasterium monialium ordinis Carmelitarum (erro„ re positum pro Camaldulensium) titulo sanctæ Christinæ, ubi corpus „ beati Parisii quiescebat. Die 11. augusti fortuitus ignis locum corri„ puit, & major pars concremata est; quare moniales coactæ fuere in „ urbem se recipere, & ædificarunt in parœcia sancti Augustini ecclesiam „ hodie appellatam sancti Parisii, ex pecuniis abbatissæ collectis ex ven„ ditione domus ad carceres & monasterii, & in ipsa ecclesia colloca„ runt corpus beati Parisii. " Sed ceteris scriptoribus Tarvisinis, & præsertim Bonifacio accuratiori inter ipsos assentimur, qui cladem monasterii furori belli Hungarici, non incendio fortuito assignant, quique etiam conformiores sunt nostris domesticis documentis. Etenim in pagina Hieronymi de Uzano prioris generalis Camaldulensis scripta post trigintaquatuor annos, anno nimirum M. CCC. LXXXIX. casus monasterii sanctæ Christinæ tribuitur miserabili bellorum conditioni: ita pariter in diplomate Antonii Venerii Venetiarum ducis eodem anno, & in aliis sequentibus

tibus epistolis bullatis posteriorum annorum, in quibus hocce infortunium assignatur obsidionibus & damnis illatis ab exercitibus urbi & territorio Tarvisino, ita demum ejusdem sententiæ fuere Fortunius, Ractius, Minius ceterique scriptores nostri. *Ann. Chr. 1355.*

VII. Ædificatio alterius monasterii in urbe Tarvisina.

SANCTIMONIALES coactæ in urbem maxima se sollicitudine transferre, collegerunt brevi manu, quæ potuerunt; hinc facile ea occasione deperditæ veteres paginæ, subtractaque plura antiquiora documenta, quæ ad vitam & ad gesta beati Parisii faciebant; corpus tamen sancti viri in capsa collocatum secum detulerunt, quod aliquantum in translatione passum est damni, sed non id damni, quod affirmant Fortunius & Ractius asserentes sacrum depositum, capsa ex muris dejecta, redactum fuisse in cineres; quod falsum omnino est, cum ad hodiernam diem sub oculis nostris, præter caput omnino sanum, integra perseverent ossa, quæ scheletum sancti viri efformant.

Substiterunt moniales sanctæ Christinæ in quadam via urbis Tarvisinæ, quæ dicebatur *androna Ferrariensis*, & in domo licet angusta sacrum corpus deposuerunt, atque ibidem habitationem sibi statuere. Scribit Bonifacius [a] sacris virginibus monasteriorum Omnium-sanctorum & sanctæ Christinæ commune urbis Tarvisii subministrasse pecuniam pro novis loco veterum destructorum monasteriis suscitandis, novumque Camaldulensium virginum asceterium dictum fuisse deinceps potius sancti Parisii, quam sanctæ Christinæ. Sed pecunia a Tarvisinis subministrata monialibus Camaldulensibus debebatur his propter venditionem, quam abbatissa sanctæ Christinæ fecerat anno 1354. reip. Venetæ & urbi Tarvisinæ domuum suarum & turris Ordelafforum sitarum in parœcia sancti Viti, quæ ad earum jus pervenerant jamdudum ex testamentariis tabulis Oræbonæ Grassi. Nam cum eo anno conflagrassent carceres publicæ sitæ e regione ecclesiæ sancti Viti eo in loco, ubi modo extat ecclesia sanctæ Mariæ, dicta propterea Carcerum, moniales sanctæ Christinæ tradiderunt pro nova reparatione carcerum communi Tarvisino suas contiguas domus. Extat in tabulario ejusdem monasterii sancti Parisii pagina, qua [b] Petrus capellanus & sindicus monialium transtulit earum habitationum dominium in Odoricum filium Nicolai a Lugurgnano massarium communis Tarvisii, assensum præstante Laurentio Celsi urbis potestate, pretio mille librarum convertendo in possessiones utiliores; quam chartam rogavit Zambaldus Bernardini a sancto Zenone notarius.

Empta itaque fuit in præfata via Ferrariensi domus, quæ ad jus pertinebat Marini Nicolai Contareni, præsente & consentiente Fantino Mauroceno potestate, a Zacharia Florentino monacho dicti loci sanctæ Christinæ & vicario Johannis prioris generalis Camaldulensis; quinimmo idem potestas adstrinxit commune ad persolutionem mille librarum. Sed domus hujus emptio spectat ad annum 1359. quo ipsa ad monasterii formam fuit exacta, & ubi moniales se recluserunt; ædificium autem ad perfectionem redactum non est, nisi anno 1362. quo, ut ex veteribus scriptis monumentis colligitur, *monasterium istud per magistros lapidum, & per magistros lignaminum ædificatum est anno* M. CCC. LXII. Eidem Fantino Mauroceno Tarvisii potestati Petrus præfatus capellanus monialium anno 1356. manifestavit proditionem aliquot Tarvisinorum civium, qui data opera curribus portam urbis, dictam sanctorum Quadraginta, intercludentes ingressum exercitus Ludovici Hungariæ regis pacti fuerant cum hostibus, quod legitur in chronicis Tarvisinis.

Ex nova monasterii constructione aliisque gravibus damnis, quibus obnoxiæ

[a] *Pag.* 393.

[b] *Caps.* XV. 13.

ANN. CHR. 1355. noxiæ fuerunt in hac præcipiti devastatione sanctimoniales, ad incitas redactæ expetierunt anno 1369. a Johanne supremo præside Camaldulensi facultatem vendendi aliquot stabiles fundos sui parthenonis; quam impartitus est, dans in mandatis Paulo tunc abbati sancti Michaelis de Muriano vicario suo [a], ut subscriberet alienationi fundi ad flumen Silis prope villam Cenduli. Ad augendas earum habitationes Hieronymus Uzanensis alter prior generalis copiam fecit [b] anno 1389. distrahendi alia bona immobilia. Ita etiam Honuphrius generalis [c] anno 1410. Præter facultates priorum generalium dux Venetorum Antonius Venerius [d] anno 1389. literas dedit Marco Zeno Tarvisii potestati, ut „ quandoquidem „ monialibus Camaldulensibus sanctæ Christinæ, degentibus olim sub do- „ minio Venetiarum, tempore belli a fundamentis excisum fuerat mo- „ nasterium, & postea quam urbs in dominium venerat Francisci Car- „ rariensis Paduæ domini, petræ dicti parthenonis inservierant ædificatio- „ ni & reparationi urbis & castri Tarvisini, ità ut ipsæ moniales com- „ moda habitatione carentes multo tempore extitissent, Senatus Venetus „ die XIX. septembris deliberaverat, ut mitterentur in possessionem cu- „ jusdam domus, quæ fuerat Laurentii Superantii, ut ibidem oratorium, „ ecclesiam & ædes excitarent ad proprium usum; quæ petitio visa fue- „ rat æquissima Guillielmo Marino tunc vice-rectori Tarvisino, tam ob „ arctam monialium habitationem, quam ut decentius collocarent cor- „ pus sancti Parisii eatenus in cubiculo quodam asservatum; “ ipse Marcus Zenus potestas exequi propterea curaret dicti Senatus-consulti deliberationem. Anno sequenti 1390. [e] moniales ecclesiæ novæ construendæ manus admoverunt; sed Minus a Mianis & Liberalis a Belluno, qui simul erant rectores parœcialis ecclesiæ sancti Augustini, confugium habuere ad Andream Soncini vices agentem fratris Nicolai Beruti episcopi Tarvisini, conquerentes lædi jura parœciæ sancti Augustini, & sanctimoniales Camaldulenses haud petita episcopi facultate sacra ædificia construere. Post varias inhibitionis literas, & post varia ad eas responsa, ex parte monialium in medium allata fuere vetera privilegia Alexandri IV. & Clementis IV. Romanorum pontificum dilargientium Camaldulensibus amplissimam potestatem ædificandi de novo oratoria & ecclesias, absque episcopi diœcesani licentia, & ita pacificam ecclesiæ suæ constructionem moniales prosequutæ fuerunt. Præfatus Antonius Venerio dux [f] anno 1400. scribens Petro Pisani Tarvisii rectori & capitaneo indulsit iisdem monialibus, ut pro eo anno differrentur ipsis restitutiones mutuatarum pecuniarum, quas receperant a camerariis urbis Tarvisinæ. Subinde alias sibi domos contiguas emerunt moniales, aliisque privilegiis ducalibus fuerunt munitæ, & tam emptionibus, quam ducum Venetorum & communis Tarvisini statutis capacissimam sibi in urbe habitationem constituere, itaut earum monasterium ad præsens sit ex commodioribus amplioribusque ejusdem urbis. Hæc sub uno conspectu attulimus ex paginis tabularii parthenonis sancti Parisii, quo sacro nomine deinceps appellatum fuit monasterium sanctæ Christinæ. Autographas ipsas paginas edidimus olim in Monumentis ejusdem monasterii & vitæ sancti Parisii.

a Capf. XXVI. 1.
b Capf. III. 10.
c Capf. III. 11.
d Capf. II. 4.
e Capf. II. 17.
f Capf. II. 2.

VIII. Privilegium Caroli IV. congregationi Camaldulensi.

PISAS accedenti Carolo IV. Romanorum regi hoc anno obvius factus Johannes III. prior generalis congregationis Camaldulensis, humiliter flagitavit, & obtinuit confirmationem bonorum omnium eremi & monasteriorum Camaldulensium diplomate regio dato XVI. *kalendas aprilis anno nono regnorum nostrorum indictione* VIII. Definiuntur in ipso confines eremi Camaldulensis, & postea nominantur cetera monasteria. In his recen-

censentur cœnobia sancti Savini in Montione Pisani territorii, & sanctæ Mariæ de Agnano Arretini, licet utrumque monasterium Camaldulensium subjectionem per ea tempora refugeret; nominatur etiam cœnobium sancti Michaelis de castro Brittorum Bononiensis comitatus, quamvis per vim teneretur ab equitibus Gaudentibus militiæ beatæ Mariæ. Monasterium quoque sancti Johannis-evangelistæ cum toto Burgo-sancti-Sepulcri congregationi adjudicatur juxta privilegia apostolica & imperialia, & tamen contra eam jurisdictionem movebantur tunc temporis acerrimæ lites ab episcopis Castellanis. Adjicitur monasterium & hospitale sancti Bartholomæi de Muneone, quod noviter a Lucensibus monialibus obtentum fuerat. Prætermittuntur autem plurima, quorum origines seculis antecedentibus & præsenti dedimus; in his silentio prætereuntur omnia fundata & instituta a prioribus sancti Mathiæ de Muriano, cœnobium sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia, alterum Adelmense in territorio Volaterranæ urbis, asceterium sancti Mamiliani in Senensi, omnia etiam, quæ reformationem disciplinæ Camaldulensis a pluribus annis receperant, ut illud sancti Petri ad Vincula in agro Ravennate, sancti Benedicti de Saviniano, monasterium de Palma in Faventino territorio, sancti Benedicti Volaterrarum, monialium sancti Benedicti in Monte-apio Lucensis diœcesis & alia nonnulla, quæ certe erant Camaldulensia. Postremo confirmavit Carolus rex omnia antecessorum regum & imperatorum privilegia Camaldulensibus hactenus concessa, Henrici VI. præsertim & Ottonis IV. Diploma edimus in Appendice ex authentico recognito a scribis & notariis Philippi de Antella episcopi Florentini anno M. CCC. LXIII. indictione I. secundum morem civitatis Florentinæ die XX. aprilis. ANN. CHR. 1355.

IX. Aliud privilegium pro monast. S. Michaelis Pisarum.

IDEM Carolus tamquam imperator ex Petra-sancta eodem *anno* M. CCC. LV. *indictione* VIII. *tertio kalendas julii regnorum* suorum *anno* IX. *imperii* vero I. per cancellarium suum Johannem Lucthomuslensem episcopum Gualterio abbati sancti Michaelis in Burgo Pisarum aliud diploma largitus fuit, quo eum in consiliarium & familiarem suum domesticum & commensalem recepit, ejusque monasterium protectione imperiali donavit, mandans omnibus dynastis suis, ut securum accessum per eorum loca sine aliqua exactione abbati prædicto concederent. Etiam ipsum integrum ad Appendicem amandamus ex tabulario ejusdem cœnobii.

Carolus initio hujus anni in Italiam descendens, & in Mediolanensi urbe corona ferrea ornatus, per Pisanam urbem transiit mense martio; Lucam inde & Senas progressus Romam demum se contulit, ubi coronam imperii jussu Innocentii papæ VI. accepit de manu Petri Bertrandi S. R. E. cardinalis & episcopi Ostiensis una cum uxore sua Anna die paschatis resurrectionis dominicæ, quæ fuit die V. aprilis. Redux autem ex Romana urbe Pisas primum & Senas rediit, inde aliquot diebus apud locum Petræ-sanctæ substitit, antequam in Mediolanensem ditionem iterum se reciperet, ex qua postea in Bohemiam est reversus.

Eidem serenissimo principi Carolo imperatori regique Bohemiæ ceu ordinis Camaldulensis præcipuo benefactori, necnon Ernesto archiepiscopo Pragensi velut ordinis patrono benevolo Johannes prior generalis & patres congregati in capitulo generali plebis sanctæ Mariæ de Balneo, de quo mox dicimus, dederunt hoc anno literas participationis omnium bonorum spiritualium congregationis, quæ per extensum exarantur in regesto XIV. Camaldulensi.

X. Capitulum generale Balneense.

CAPITULUM itaque prælatorum Camaldulensium collectum fuit men-

ANN. CHR. 1355.

se majo hujus anni in præfata abbatia Balneensi. In eo ad diem VI. ejus mensis [a] inter cetera disciplinæ capita definitum fuit, vel, quod potius vult Baroncinius, confirmatum, ut a dsartam tectam custodiendam observantiam vitæ eremiticæ, ac ne contemplatio loci & eremi impediretur, pœnitentiarius, neque alius eremita exciperet deinceps advenarum confessiones, neque prior generalis super hoc dispensaret. Indicta quoque est redemptio monasterii sancti Petri de Muro diœcesis Fesulanæ, quod pignori initio hujus seculi datum fuerat a Davide priore generali. Quatenus vero adaugerentur redditus ejusdem monasterii, statutum fuit, ut cum altero congregationis cœnobio uniretur. Minime novimus, an id statim præstitum fuerit; scimus ipsum tempore Leonis X. copulatum fuisse cum monasterio sancti Benedicti extra muros & extra portam Pinti Florentiæ, & demum solo æquato tempore obsidionis Florentinæ ipso sancti Benedicti monasterio, bona hujus una cum adnexis locis adcrevisse cœnobio sanctæ Mariæ Angelorum ejusdem Florentinæ urbis.

[a] §. *Notabilia* 31 *A*. 16. 73.

Die decima-octava junii [b] nobilis vir Guiduccius olim Bandini de Valbona testamento condito legavit monasterio Camalduli-majoris pascua alpium de Strabatenzole cum molendinis ipsius loci, instituto hærede universali in ceteris bonis suis Roberto comite filio comitis Simonis de Battifolle in Thuscia Palatino; manu Matthæi Gualterii notarii.

[b] §. *Testamentum* 2. *A*. 4. 38.

Innocentius VI. anno III. sui pontificatus epistola XXXIII. libri II. partis I. creavit Angelum Narniensem in abbatem sancti Gregorii in clivo Scauri, quod monasterium vacabat ob decessum Laurentii abbatis. Ipsius nomen etiam innotescit ex libro *Visitationum* ad diem penultimam novembris anni sequentis.

In necrologio monasterii sanctæ Mariæ de Carceribus ponitur sub hoc anno ad diem XIX. novembris obitus Thebaldi prioris ejusdem loci, qui insuper vicarium generalem egerat episcopi Patavini. Subrogatus est in Thebaldi locum Franciscus.

ANN. CHR. 1356.

XI. Visitatio monasteriorum Camaldulensium facta ab Andrea ep. Ariminensi.

DECRETUS fuit hoc anno visitator apostolicus locorum & abbatiarum ordinis Camaldulensis Andreas episcopus Ariminensis, qui visitationis occasione nonnulla statuit, præsertim in monasterio sancti Savini de Montione in territorio Pisano, sub die VI. aprilis circa monachorum indumenta, quæ ipse declaravit non in pannis, sed in pecunia numerata & annuatim ministranda; aliqua etiam ordinavit quoad monasteriorum ministros appellatos cellerarios, & quoad rationem expensarum suarum quotannis ab ipsis reddendam. Intelligimus ex hoc decreto compositionem aliquam secutam fuisse circiter hæc tempora inter monasterium sancti Savini & inter priorem generalem Camaldulensem, cum hocce monasterium inter cetera Camaldulensia visitatum fuerit, licet a Johanne XXII. & iterum ab Innocentio VI. Rom. pontiff. ut videbimus ad annum 1358. a jure prioris generalis Camaldulensis subtractum fuerit. Hinc adnotavimus superiori anno ipsum sancti Savini cœnobium inter cetera Camaldulensia a Carolo IV. Romanorum rege recensitum. Andreas Ariminensis episcopus ex priore sancti Pauli ad Hortum urbis Pisanæ ordinis sancti Augustini per hæc tempora spoliorum collector erat in provincia Thusciæ. Approbatæ fuerunt Andreæ constitutiones post quadriennium a patribus capituli generalis celebrati eo anno in monasterio Fontis-boni.

XII. Monumenta monasterii Vergaretani.

IN tabulario archiepiscopali Ravennate [c] sequens monumentum legitur de monasterio Vergaretano, cujus vicarius generalis in spiritualibus erat

[c] *F*. 1351.

prior

prior plebis sanctæ Mariæ de Balneo Camaldulensis ordinis Angelus, in temporalibus autem comes Palatinus Ricciardus de Mutiliana. Ann. Chr. 1356.

In nomine Christi, *amen. Anno ejusdem incarnationis millesimo* ccc. lvi. *indictione nona serenissimo .... Romanorum imperatore imperante die ultima mensis aprilis. Ex hoc publico instrumento pateat omnibus evidenter, quod magnificus & potens vir dominus comes Ricciardus filius olim bone memorie domini comitis Guilielmi Novelli de Guidis Dei gratia Thuscie Palatinus, cum electus fuerit in temporalibus vicarius generalis monasterii sancti Angeli castri Vergareti, ac hominum & priorum dicti castri, & pertinentiarum dicti castri Vergareti dudum a reverendissimo in Christo patre & domino domino Egidio miseratione divina episcopo Sabinensi, apostolice sedis legato, ac terrarum & provinciarum Romane ecclesie in partibus Italie citra regnum Sicilie existentium vicario generali, cum hoc mandato, quod ut dominus predictus in dicto officio valeat se immisceri, ipsum officium in manibus reverendissimi domini in Christo patris episcopi Torcellani in dicta provincia Romandiole pro domino papa rectoris debeat prestare corporale sacramentum, prout sicut in literis prelibati domini Egidii plenius continetur. Quarum literarum tenor talis est. Egidius miseratione divina &c. dilecto in Christo nobili viro Ricciardo de Mutiliana Faventine diocesis provincie Romandiole ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis de comitibus de Battifolle salutem in Domino. De universis monasteriis & ecclesiis per districtum legationis &c. Cum itaque monasterium sancti Angeli castri Vergareti ordinis sancti Benedicti Sarsinensis diocesis .... regimine destitutum fuit, prout existit, & preterea dictum castrum Vergareti in temporalibus & spiritualibus pleno jure monasterio sancti Angeli predicto subjectum ..... hostibus Romane ecclesie &c. Datum Ancone* xiv. *kal. aprilis pontificatus domini Innocentii pape* VI. *anno quarto. Et cum hoc sit, quod dictus dominus comes propter discrimina guerrarum, quas habet cum suis consortibus, & in terris sancte Romane ecclesie, non possit, nec valeat sine magno discrimine & periculo vacare coram prelibato domino Torcellano episcopo ad dictum officium jurandum se personaliter presentare, fecit, statuit, ordinavit religiosum & honestum virum dominum fratrem Angelum priorem plebis sancte Marie de Balneo Camaldulensis ordinis, necnon in spiritualibus vicarium generalem prelibati monasterii sancti Angeli & castri Vergareti, prout in literis prelibati reverendissimi domini domini Egidii suo sigillo munitis latius continetur, ibidem presentem & mandata sponte suscipientem, suum certum legitimum procuratorem, actorem, factorem & certum nuntium sollemnem specialiter ad comparendum, & se personaliter presentandum coram predicto domino Torcellano episcopo, & pro dicto domino comite ad prestandum juramentum corporale. Actum in dicto Burgo.*

† *Ego Bartholus quondam Congoli de Conzo imperiali auctoritate notarius &c.*

Camaldulensis eremi disciplinam receperat monasterium Vergaretanum, quod legimus cum ceteris adnumeratum anno præterito a Carolo IV. Romanorum rege in suo diplomate; sed quod olim florentissimum fuerat, & jurisdictione tum temporali, tum spirituali prædives, ad summam egestatem redactum erat, ipsius bona a tyrannis & ab hostibus Romanæ ecclesiæ erepta, numero monachorum spoliatum, & in regulari disciplina deficiens. Re enim vera Eustachius abbas ejus monasterii electus a Johanne XXII. Romano pontifice, & confirmatus die undecima decem-

Ann. Chr. 1356.

bris anni 1329. a Bonaventura priore generali, quorumdam S.R.E. & Romani pontificis rebellium tyrannide potentissime obsistente, non potuit sine periculo mortis possessionem monasterii inire, ut ex ejusdem Bonaventuræ regestis colligitur. Quare ipsum monasterium & castrum cardinalis legatus Ægidius commiserat in temporalibus curæ Ricciardi comitis de Mutiliana & de Battifolle, in spiritualibus autem Camaldulensibus monachis. Abbatiæ Vergaretanæ manuale dicitur, & collatum fuit hoc ipso anno hospitale sanctæ Mariæ de Jugo. Jus quoque dicebat abbas Vergaretanus in ecclesiam sancti Nicolai de oppido Castri-cari, in ecclesiam sancti Laurentii de Aqua-calida territorii Meldulensis, in ecclesias sancti Petri in Balneo, & de Corzano aliasque, ut liquet ex chronico Baroncinii & ex tabulario Fontis-boni.

XIII. Alia de Petrocino archiep. Ravennate.

Coram eodem vice-rectore Romandiolæ Petrocino Torcellano episcopo per procuratorem se sistit hoc ipso anno Michael abbas sancti Apollinaris de Classe. Non injucundum erit ex paginis ejusdem archiepiscopatus Ravennatis Petrocini gesta peculiaria per summum compendium in medium proferre. Is Petruccius, vel Petrocinus appellatus, oriundus e castro Casaleclo, ex monacho sancti Bartholomæi prope Ferrariam factus fuit abbas sancti Cypriani de Muriano a Johanne papa XXII. anno 1321. Benedictionis munus recepit a Raynaldo episcopo Ostiensi. Johannes cardinalis sancti Theodori capellanum, familiarem & commensalem suum creavit anno 1323. Sequenti anno Guazellinus cardinalis pœnitentiarius ipsi concessit, ut presbyterum idoneum sibi in confessarium ad biennium eligeret, & Vitalis Albanensis episcopus cardinalis capellanum suum declaravit. Anno 1339. vidimus vicarium fuisse Ildebrandini episcopi Patavini. Ex abbate promotus fuit ad infulas Torcellanas anno 1351. a Clemente papa VI. cum facultate recipiendi consecrationis munus a quocumque catholico episcopo, absque præjudicio patriarchæ Gradensis, & præposito juramento fidelitatis domino papæ. Innocentius VI. anno 1353. ipsum constituit Romandiolæ & Britonorii vice-rectorem, commendans eidem recuperationem civitatum & castrorum Romanæ ecclesiæ, atque in subsidium potestatis temporalis concessit ipsi posse uti etiam spirituali super clerum & populum provinciæ suæ. Demum meritis in ecclesiam Romanam plenus electus fuit anno 1362. ab Urbano V. archiepiscopus Ravennatis ecclesiæ, in qua ad plures abiit anno 1369.

In paginis ejusdem tabularii Ravennatis habetur ad hunc annum [a] conservator bonorum monasterii sancti Juliani de Arimino Nicolaus abbas sancti Benedicti de Saviniano Camaldulensis ordinis Ariminensis territorii.

[a] Caps. E. 1275.

Ann. Chr. 1357.

XIV. Violatio jurisdictionis abbatis Burgi S. Sepulcri facta ab ep. Castellano.

„ Post dominium, quod in Burgum-sancti-Sepulcri per aliquot annos tenuit Uguccio a Fajola in possessionem missus ab imperatore Ludovico Bavaro, & post ipsius obitum Robertus de Petra-mala Arretinus civis anno M.CCC.XXIX. Burgum obsedit, depopulatus est, & vi armorum occupavit. Anno M.CCC.XXXV. die XXX. julii populus in pristinam libertatem fuit restitutus. Anno sequenti, vigente discordia ejusdem populi, Burgus se dedidit Perusinis. Verum cedente Petra-maliorum potentia, anno M.CCC.LI. Clementis papæ VI. anno X. & imperii Caroli IV. cui cognomentum erat *de la Pace*, anno V. Burgus in potestatem venit Mediolanensis archiepiscopi ex Vicecomitum propagine geniti. Anno M.CCC.LIII. Innocentii papæ VI. anno I. Caroli IV. anno VII. terræmotus in festo sancti Stephani ingenti impetu eumdem Burgum totum pene subvertit, campanile abbatiæ Burgi cum

„ domi-

„ domibus cunctis, solum ecclesia remanente, & turres copiosæ corruerunt. Ann. Chr.
„ In ea strage privilegia nonnulla & imperialia, & apostolica deperdita 1357.
„ sunt, quæ in eodem campanili conservabantur. Anno M. CCC. LIV.
„ pontificatus Innocentii VI. anno II. & Caroli IV. anno VIII. Petrus
„ episcopus Castellanus sciens Burgum-sancti-Sepulcri viribus omnibus de-
„ stitutum esse, tum personarum & hominum, ob pestiferum morbum
„ & subversionem ruinarum ædificiorum, suffocatorum & interfectorum,
„ tum etiam quia absque custodibus deserta terra custodias non habe-
„ bat, captato tempore & occasione data, quod ad terram Burgi vene-
„ rat ad baptizandum infantem quemdam natum bonæ & recolendæ me-
„ moriæ Petri marchionis Montis-sanctæ-Mariæ, extiteratque paratus in
„ plebe Burgi ad ipsum baptismatis sacramentum conferendum, imme-
„ diate quando primum eumdem episcopum advenisse Burgenses sense-
„ runt, tumultu facto, magnoque populi fremitu, ab exercitatione con-
„ ferendi sacramenti non modo interdictus, verum etiam per lumbos
„ vestium tractus, & extra Burgum turpissime ejectus est. " Hæc iis-
dem verbis exscripsimus, partim ex transumpto rerum Burgensium Johannis Cinellii, sed fere omnia ex antiquiore collectore jurium Burgensis abbatiæ ad Nicolaum papam V. seculo sequenti. De terræmotibus mense decembri, quibus concussa fuere Burgus-sancti-Sepulcri & urbs Civitatis-castelli, testis est etiam Pompejus Pellinus ad annum 1353. par. I, pag. 929. qui scribit cecidisse plures turres & domos, & sub ruinis obiisse ultra tres-mille viros. Collector autem præfatus, his in antecessum narratis de inimicitiis Castellanos inter & Burgenses, & inter episcopum Civitatis-castelli ac inter abbatem Burgensem, hæc alia subdit ad præsentem annum. „ Per annos istos, videlicet M. CCC. LVII. & sequentes
„ usque in annum M. CCC. LXIII. in quo anno fuit facta translactio,
„ iste episcopus Castellanus cum violentia & menbordio Castellanorum
„ tenuit in Burgo suum vicarium, qui ante nunquam exercuerat juris-
„ dictionem ordinariam in ipso Burgo per longissimum temporis inter-
„ vallum annorum circiter centum, si bene numerabuntur, videlicet ab
„ anno M. CC. LVIII. quo anno emanavit privilegium ordini Camaldu-
„ lensi concessum " (alludit ad pontificium Alexandri IV. privilegium in favorem totius congregationis) „ usque in annum M. CCC. LVII. in
„ quo tandem violentissime affecit abbatem Burgi, usurpando sibi par-
„ tem dictæ jurisdictionis, spoliavit abbatem nostrum, violavit diadema
„ monasterii sancti Sepulcri, corrupit virginitatem & pudorem terræ no-
„ stræ. Et Civitas-castelli, quæ & Tiphernum antiquis temporibus ap-
„ pellata fuit, ob tantum scelus, tantamque violentiam factam contra
„ monasterium nostrum, immo sancti Sepulcri, quinto post sequenti an-
„ no in servitutem & subjectionem tyrannicam sui populi civis cecidit,
„ & subjecta jacuit per divinam justitiam & vindictam. Anno enim in-
„ carnationis M. CCC. LXVIII. pontificatus Urbani papæ V. anno VI.
„ Caroli IV. anno XXII. Brancaleo de Guelfuciis civis Castellanus mi-
„ les universam reipublicæ Castellanæ licentiam & libertatem tyrannico
„ more subegit, simulque successive etiam Burgum-sancti Sepulcri occu-
„ pavit per ingressum arcis sancti Angeli, quam Castellani construxe-
„ rant & custodiebant. " Ob supradictam missionem vicarii factam ad
Burgum-sancti-Sepulcri a Petro Castellano episcopo, jurisdictionemque violenter occupatam, acerrima lis exarsit ipsum inter & Bartholomæum abbatem Burgensem. Ad favorem abbatis plures scripsere, præ ceteris illustris juris utriusque interpres & clarissimus doctor dominus Baldus de

ANN. CHR. 1357. Ubaldis Perusinus coram legato apostolico Ægidio Sabinense cardinale. Transactio secuta est inter episcopum & abbatem, de qua fuse ad annum 1363. dicemus. Imperii Caroli IV. anni quintus, septimus & octavus, quos usurpat collector, intelligendi sunt de regnis Bohemiæ & Germaniæ, nam imperii Romani primum exorsus est anno 1355. & annis a collectore laudatis nullam imperii coronam acceperat Carolus, immo ne in Italiam quidem venerat. Videtur etiam collector Carolo regi, postea imperatori, tribuisse superadditum illud *de la pace*, quod Carolo duci Dyrrachino, inde Hungariæ regi, communiter tribuitur. Ceterum ex superioribus narrationibus liquet Petrum Tiphernatem seu Castellanum episcopum non anno 1353. locum fecisse Butio ejus successori, ut scribit [a] Ughellius, sed eam cathedram tenuisse etiam anno 1357. quo superius allata sub ipso contigere. Tempore transactionis subrogatus jam fuerat in Petri locum Butius, cujus nomine inter eumdem & abbatem Burgensem ipsa secuta est; immo ante annum 1361. ex documentis nostris, quæ afferemus. Sed de fatis abbatiæ & oppidi sancti Sepulcri suis annis singula ex eodem collectore in medium proferemus.

a T. I. 1323.

XV. De societate S. Benedicti Albi Florentiæ.

INITIUM sumpsit præsenti anno in urbe Florentina religiosa societas, communiter appellata sancti Benedicti-Albi, ut eruitur ex chronico ejusdem societatis, in quo agitur de ipsius origine & progressibus usque ad annum 1609. quod consarcinavit frater Dominicus Gorius Florentinus ordinis Prædicatorum, quodque ms. servabatur jampridem penes præpositum Antonium-franciscum Gorium scriptoris pronepotem; qui postremus ex Scipione Admirato animadvertit Italiam timore maximo perculsam ob adventum imperatoris (Henrici VII.) anno 1310. instituisse quasdam societates, quæ vocabantur Januensium, quia ex Januæ urbe originem suam sumpsere, quæ disciplinam facientes, seu flagellis se acriter cædentes misericordiam Dei implorabant; anno autem 1348. tempore universalis contagionis, quæ miserandum in modum Italiæ urbes depopulata est, plures alias testimonio Johannis Villani & Matthæi ejus filii suscitatas in Florentiæ, Lucæ, Pisarum aliisque Thusciæ urbibus societates, quæ saccum album induebant, & funibus se cingentes, ac per vicos & urbes discursantes divina flagella deprecabantur. Inter has unum ex primis locis obtinuit societas sancti Benedicti-Albi, quæ præsenti anno M. CCC. LVII. die XV. augusti, sacra Assumptioni beatæ Mariæ virginis, exordium habuit. Ut usu venit in omnibus rebus, parva fuere ipsius primordia; nam, subdit Dominicus Gorius, vetus scilicet scriptor „ tres viri Johannes Michi, Dinus Turrini, & Franciscus Fei, adhortatore Johanne abbate „ sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia, convenerunt simul, & aliqui- „ bus statutis regulis pariformiter vivere & determinatum locum eligere „ sibi proposuerunt. Obtento ab abbate præfato in monasterio Angelo- „ rum loco, ibidem præfinitis diebus se colligere, in patronos sibi adsci- „ scentes beatam Virginem propter diem, qua auspicati sunt societatem, „ sanctum Benedictum, quia congregabantur in loco ejus ordinis, & san- „ ctum Julianum. Cum vero locus sanctæ Mariæ Angelorum posthac, „ tempore nimirum, quo societas confratrum numero creverat, angustior „ esset, a familia Corsinia facultatem expostulavere anno 1371. conve- „ niendi in oratorium sancti Jacobi ad ecclesiam sancti Spiritus, & ite- „ rum anno 1384. die sancti Alexii aliam obtinuere se congregandi in „ novis claustris ad sanctam Mariam-novellam sub atrio, deinceps dicto „ *Pontificis*, ubi sedem fixere. " Hæc uterque Gorius de Alba societate sancti Benedicti, qui certe in eo falluntur, quod Johannem nominent abba-

abbatem sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia; præterquamquod enim non abbatialis titulus, sed prioralis a suis initiis perduravit ad plura secula in monasterio sanctæ Mariæ-angelorum, non Johannes, sed Dominicus Cennius per hæc tempora jura dicebat in dicto cœnobio, cujus præfecturam tenuit ab anno 1351. ad 1363. Johannes e contra abbas erat monasterii sancti Salvatoris, dicti Camalduli-Flotentini, cujus hortatu instituta fuit, & in cujus cœnobii claustris primum erecta est societas sancti Benedicti-Albi. Johannes successerat Jacobo abbati, ipsiusque nomen per hos annos legitur in pluribus paginis Camaldulensibus, singulariter sub anno sequenti ad diem XXI. januarii in tabulario Fontis-boni, in cujus pagina appellatur Johannes quondam Fei, & sub anno 1360. quo in capitulo generali Fontis-boni objurgatum fuit ipsius arbitrium destruendi hospitale, quod erat juxta portam, domusque proximas, claustrumque interius, pro concedendo loco *societati quorumdam hominum laicorum*, quæ certe verba societatem designant sancti Benedicti-Albi per hos annos in claustris ejus monasterii residentem. Meminit societatis erectæ in monasterio Camalduli-Florentini, & adhuc perseverantis ad annum 1430. Ambrosius Camaldulensis Angelorum monachus in epistola ad Sebastianum Dardanum abbatem ejus cœnobii, quæ est v. libri XVII. epistolarum ipsius Ambrosii. Ceterum paucæ supersunt notitiæ hujus societatis; extat tamen libellus membranaceus, cui titulus: *Novitiorum disciplina*. Inter cetera novitiis præcipiebatur sub sacramento, ne cui hominum, qui eidem societati symbolam non dedissent, panderentur nomina virorum, & opera societatis; præscribebatur jejunium celebrandum aliquo die infra hebdomadam; a ludis cujuscumque generis abstinere debebant viri societati devoti, nec fas erat ipsis interesse spectaculis, certaminibus & choræis. Anno 1453. collectum fuit hujusmodi societatis capitulum, cui interfuit & subscripsit sanctus Antoninus Florentinus archiepiscopus, & res, quæ proposita fuit, obtinuit pro parte affirmativa octuaginta-duo vota atri coloris, undecim autem coloris albi pro negativa. Supra defunctorum confratrum corpora laudes Deo concinebant fratres, durioribusque flagellis interea se affligebant. Affert Gorius senior lectionem, quæ ea occasione super cadavera defunctorum ab ipsis recitabatur, quæque erat hujusmodi: ℣. *Jube Domine benedicere*. ℟. *Qui statuit mortem, det nobis ejus cognoscere sortem. Amen. Dilectissimi fratres, cordis aures & mentis oculos aperite. Attendite diligenter quiescentem nunc in feretro fratrem nostrum, & vobis fiat voluntaria necessitas ad salutem. Ecce omnes morimur, & tamquam aquæ dilabimur, quia mors æqua executio est divinæ sententiæ, quia inevitabiliter statutum est hominibus semel mori. Sed heu, quam dispar exitus est peccatoris & justi. Mors namque peccatoris est pessima, quam consequitur mors secunda; pretiosa vero justi mors est, quæ in vitam commutatur æternam. Si ergo beate vivere quæritis, hic morienti in cruce Christo configite corda vestra. Moriamini peccato, ut gloriosa cum resurgente Domino immortalitate in perpetuum fulgeatis. Tu autem Domine miserere nobis*. De hac sancti Benedicti-Albi societate verba facit etiam clariss. vir Joseph Ricca [a] in suis ecclesiis Florentinis illustratis, eamque sub abbate Johanne in Camaldulo-Florentino institutam agnoscit intra ejus monasterii claustra, translatam deinde ad illa sancti Spiritus, demum ad sanctæ Mariæ-novellæ anno 1385. ubi anno 1570. proprium sibi locum construxerunt in cæmeterio vicino ecclesiæ dicti cœnobii. Adnotat pariter aliam per hæc tempora fundatam societatem, appellatam sancti Benedicti-grisei, erectam vero anno 1351. eadem die Assum-

ANN. CHR. 1357.

a T. III. pagg. 104. 107.

Ann. Chr. 1357.

Assumptionis beatæ Virginis in præfato monasterio Camalduli-Florentini, quam tamen unam eamdemque credit cum superiori societate sancti Benedicti-Albi; id ex eo deducit, quod reperiantur ibidem tres antiquæ tabulæ, in quarum prima albo indumento amictus est sanctus Benedictus, in secunda griseo seu cinericio, in tertia vero atro; quod insuper omnes hæ societates patronum venerentur sanctum Julianum; & concludit primam & secundam erectas quidem fuisse anno 1351. anno vero 1357. eas societates ab invicem se divisisse. Societatem grisei coloris affirmat abscessisse a Camaldulo-Florentino anno 1500. & ad monachos Vallumbrosanos sanctæ Trinitatis transiisse, postremo emptione loci anno 1505. sedem & stationem fixisse in claustris sanctæ Mariæ-novellæ. Perseverat ad hodiernam diem societas piorum nominum, quæ nomen retinet sancti Benedicti-Albi, quæquæ festivis æstatis diebus colligitur ad quoddam oratorium in viridario monasterii nostri sanctæ Mariæ-angelorum.

XVI. De viris illustribus monasterii Camalduli-Florentini.

Quoad monasterium Florentinum Camalduli, florebant in eo presenti seculo tum pietate, & monasticæ religionis disciplina, tum doctrina, & præsertim juris canonici peritia, plures abbates & monachi, & præter Zenonem abbatem collectorem quoque apostolicum anno 1299. pro Thoma episcopo Pistoriense, de quo etiam nos plura diximus suis annis, præter Jacobum abbatem visitatorem novi ordinis Hieronymiani prope Florentiam, præter Johannem hoc & sequentibus annis viventem, & decretorum insignem doctorem, silentio prætereundus non est Nicolaus Florentinus Camalduli monachus, cui anno 1320. die XXIII. maji scribit Bonaventura prior generalis, hortaturque ipsum, quem venerabilem & sapientem virum, & in jure peritum nominat, „ ut valeat ad præsens vacare „ in obsequio vicariatus reverendi patris domini Bartholomæi de Bardis „ filii magnifici militis domini Gualterotti ejus amicissimi, electi nuper „ in episcopum Spoletanum. “ Intelligimus ex hoc documento tempus electionis Bartholomæi ad cathedram Spoletanam. Idem Nicolaus anno 1325. vicarium agebat Guidonis episcopi Arretini, ipsique dedit in mandatis præfatus Bonaventura generalis, „ ut intra quindecim dies sub ex„ communicationis pœna desisteret a vicariatu in spiritualibus dicti epi„ scopi; nam sanctissimus pater Johannes XXII. de tali officio se osten„ derat offensum; relatum namque erat ei, quod fuerat dictum officium „ incaute gestum. “ Cui e contra Nicolaus monachus respondit, „ se „ humiliter & reverenter recipere tale mandatum, & a præfato officio „ se velle omnino abdicare ob reverentiam summi pontificis Johannis „ XXII. ut ejus filius semper fidelis, sed numquam fuisse celebratum „ processum contra eumdem episcopum, de quo dumtaxat inquirebatur „ super certis articulis contra ipsum; quod episcopus citatus fuerat in„ debite comparere in loco, ubi idem inimicos notorie capitales habe„ bat; quod ad sedem apostolicam ipse antistes appellaverat, & appel„ latio ad instantiam curialium amicorum ejusdem fuerat acceptata a „ summo pontifice; se demum bona fide aliquandiu exercuisse dicti vi„ cariatus officium, solummodo quoad universitatem causarum &c. “ Hæc addiscimus ex regestis epistolarum Bonaventuræ prioris generalis asservatis in tabulario Fontis-boni. De ceteris abbatibus & monachis Camalduli-Florentini suis locis aliqua proferemus.

XVII. Hospitale S. Floræ datum Camaldulensibus.

Cresolus rector hospitalis sanctæ Floræ, quod situm erat extra portam castri sanctæ Floræ territorii Galeatensis, diœcesis autem Ravennatis, habens in optatis, ut in dicto hospitali opera misericordiæ & pietatis in pauperes & peregrinos exercerentur, quinimmo incrementa sem-

per

per majora reciperent, die decima-nona septembris hujus anni, tam nomine proprio, quam vices agens comitis Domestici de Mutiliana, ut compertum sit ex pagina archivi Fontis-boni [a], rogata manu Guillielmi quondam Cecchi de Pondo notarii, dono dedit & submisit idem hospitale cum omnibus juribus suis & bonis eremo Camaldulensi & Johanni priori, tradens simul potestatem omnem jurisdictionis, correctionis, institutionis quoque & destitutionis rectorum, salvo tamen jure-patronatus præfati comitis, cum obligatione etiam solutionis unius cerei trium unciarum a rectoribus dicti loci præstandæ; quam donationem Johannes præses generalis recepit firmatamque habuit, participem reddens eumdem Cresolum una cum uxore sua omnium bonorum spiritualium, quæ Deo dante fiunt in eremo Camaldulensi; manu Francisci quondam Gerii Bastardi de Castillione notarii.

ANN. CHR. 1357.

a §. *Donatio.* 25. *A.* 4. 47.

XVIII. Alterum de Ravone Bononiæ commendatum.

b §. *Invalidæ.* 2. *A.* 4. 45.

IDEM Johannes prior XIII. februarii [b] patentibus literis suis alterum hospitale sanctæ Mariæ de Ravone extra Bononiensem urbem ad eremum Camaldulensem manualiter spectans, quod Bartholus de Monte-varchio Major eremi dudum (ad annum scilicet 1302. tempore vacationis prioratus Camaldulensis) concesserat inhabitandum quibusdam mulieribus de Bononia, quæ habitum sanctimonialium ordinis Camaldulensis induerant, quarum postrema abbatissa Margarita nuper e vivis excedens locum gubernatore destitutum reliquerat, concessit in commendam Venturæ priori Camalduli Bononiensis, ut curam & custodiam ipsius loci, bonorum ac jurium spiritualium & temporalium administrationem plenariam obtiret, quousque una cum monachis suis locum aliter ordinandum duxerit. Datæ literæ ex monasterio de Adelmo Volaterranæ diœcesis. Vidimus ad annum 1332. Bertrandum a Podiolo cardinalem Ostiensem & legatum apostolicum inter cetera Bononiæ monasteria suppressisse asceterium Ravonense, & traduxisse ad alia Camaldulensis ordinis monasteria moniales dicti loci. Res forte plenarium effectum suum sortita tunc non fuit, cum saltem ad hunc annum perseveraverint in ipso parthenone moniales cum earum abbatissa Margarita.

c *Lib. VI.* 576.

Testimonio Rubei [c] „ Savia Johannis Alberici filia, Leonis Polentani uxor, dum pridie nonas julii Ravennæ testamentum faceret, Paulumque & Bernardum suos ex Leone conjuge filios hæredes instituerat, divi Apollinaris templo, ubi sepeliri jussit, prædium legavit, ut lampas ante divæ Mariæ virginis imaginem juxta sacrarii fores supra cancellos perpetuo arderet. Id si abbas unquam omitteret, venderetur prædium, & distribueretur in egentes pecunia. “

XIX. Jura abbatis Burgensis contra episcopum Castellanum.

OCCASIONE occupationis tyrannicæ factæ a Castellanis, quam superius descripsimus, Bartholomæus abbas Burgi-sancti-Sepulcri sub pœna excommunicationis interdixit, ne quis adiret pro causis spiritualibus aliam curiam, quam suam, protestationem notans in faciem vicarii episcopi Castellani, ne ipse auderet exercere jurisdictionem ordinariam in Burgum. Eodem anno, ut legitur in examine instituto supra jurisdictione præfati abbatis Burgensis, sindicus societatis sancti Antonii declaravit dictam societatem mandasse ædificationem ecclesiæ ejusdem sancti Antonii, petita prius & habita licentia Francisci abbatis prædecessoris ipsius Bartholomæi. Idipsum fassus est sindicus societatis sanctæ Catharinæ. Idem pariter asseruit in publico judicio sindicus societatis sanctæ Mariæ Magdalenæ; societates has nimirum erexisse eas ecclesias, permittentibus dumtaxat & assentientibus Burgi abbatibus. Scilicet asserebat sibi abbas Burgensis jurisdictionem ordinariam, & libertatem, & exemptionem ab episcopo Castellano;

Ann. Chr. 1357. XX.

stellano; e contra episcopus Castellanus denegabat abbati hujusmodi jura.

Monumenta ad plura monasteria spectantia.

Albericus abbas Vallis-castri mense augusto hujus anni [a], teste Fortunio, podium Montis-ferrati, quod ad suum monasterium spectabat, permutavit in prædia Montis-gualdi cum Guidone Clavellino milite.

Franciscus abbas sancti Victoris de Clusis natus magnifici & potentis militis domini Albergetti de Clavellis de Fabriano XV. decembris ex archivo sanctæ Catharinæ de Fabriano [b] Johannem monachum suum præfecit ecclesiæ parœciali sanctorum Petri & Michaelis de Lappurano districtus Rocchæ-contratæ diœcesis Senogalliensis, cujus rectoris institutio pertinebat ad abbatem San-victorianum.

In locum Petri de Nocerio abbatis Prataliensis & ordini rebellis electus fuit abbas Petrus de Senis prior sancti Angeli de Nasciano, ex tabulario Fontis-boni [c], in quo extant tres Innocentii VI. papæ epistolæ datæ die sexta & septima martii pontificatus anno quinto ad conventum Prataliensem, ad Johannem priorem Camaldulensem, & ad ipsum Petrum abbatia privatum.

In quodam codice regulæ eremi Camaldulensis legitur in fronte hæc memoria: „ Iste liber est domni Benvenuti Bononiensis monachi Camal„ dulensis ordinis anno M. CCC. XXXII. in monasterio sancti Justi Vola„ terrarum; & ad calcem: Anno M. CCC. XXI. fui receptus ad ordinem „ Camaldulensem; vigilia sancti Frigdiani fui in monasterio sanctæ Ma„ riæ de Urano pro monacho; M. CCC. XXIX. die XVI. martii fui in „ monasterio sancti Justi de Volaterris; M. CCC. XXXV. discessi de Vola„ terris, & veni in sanctam Camaldulensem eremum die VIII. mensis „ martii; anno M. CCC. XXXVIII. decima-sexta septembris veni in mona„ sterium sancti Michaelis de Arretio, & M. CCC. XXXIX. die VI. augu„ sti fui electus & confirmatus in priorem monasterii prælibati. Anno „ M. CCC. XLI. die XVII. martii veni Senas, & M. CCC. LVII. die mer„ curii & VI. septembris fui absolutus per dominum fratrem Augustinum „ de Tinacci de Florentia Narniensem episcopum a pœnis inferni & pur„ gatorii, & ad culpam & pœnam auctoritate domini legati sedis apo„ stolicæ. Finatium nominat Ughellius [d], Tinaccium Coppius in viris illustribus oppidi sancti Geminiani, Benvenutum Majorem eremi Camaldulensis protulimus ad annum 1351.

Coram Veyo decano Bellunensi & vicario Jacobi Bellunensis & Feltrensis episcopi se produxit die penultima novembris indictione X. Nicolaus procuratorio nomine monialium sancti Gervasii de Belluno, in medium proferens literas Nicolai patriarchæ Aquilejensis, qui visis & ad examen revocatis privilegiis per episcopos Bellunenses, decanum, capitulum canonicorum & clerum Belluni concessis jampridem præfatis monialibus, & insuper per bonæ memoriæ Raymundum patriarcham Aquilejensem prædecessorem suum confirmationis robore munitis, quorum vigore sanctimoniales ejusdem parthenonis a gravaminibus pontificiis & episcopalibus liberabantur, mandavit, ut idem monasterium deinceps manuteneretur in conservatione eorum privilegiorum, neque amplius molestaretur. Datæ literæ Nicolai in castro Sorphenbech die IX. mensis novembris indictione X. Paganino notario; quas literas Veyus decanus Bellunensis reverenter admisit; ex tabulario ejusdem asceterii. Nicolaus patriarcha Aquilejensis frater erat Caroli IV. imperatoris, quam dignitatem tenuit ab anno 1350. ad 1358.

Johannes prior generalis Camaldulensis ex libro *Visitationum* die trigesima-prima martii visitavit hoc anno limina Apostolorum.

a P. II. lib. I. cap. 24.
b Caps. I.
c S. Electio. 51. A. 4. 4.
d T. I. col. 1018.

Bosus

BOSUS episcopus Arretinus præ oculis habens utilitatem ecclesiæ sanctæ Luciæ de Sparena, quæ nuper per obitum rectoris sui vacaverat, eamdem unitam & incorporatam [a] deinceps voluit cum ecclesia sancti Blasii de Pratali, salvo jure-patronatus, manu Columnati notarii & cancellarii; quam quidem unionem ecclesiarum post biennium anno 1360. die 1. octobris Johannes rector postremæ ecclesiæ sancti Blasii notam fecit Johanni priori Camaldulensi ceterisque eremitis tamquam patronis utriusque ecclesiæ; hi vero, salvis juribus suæ eremi, hujusmodi unioni assensum præbuere; manu Petri quondam Antonii de Ricciis notarii.

ANN. CHR. 1358.

XXI. Unio ecclesiarum S. Luciæ de Sparena & S. Blasii de Pratali, &c.

a §. Unio. 1. A. 16. 97.

Legitur etiam in regesto XVI. ejusdem tabularii Fontis-boni præposituram sanctæ Mariæ de Alvareto Massacciensis districtus traditam fuisse tamquam manualem abbatiæ sanctæ Helenæ de flumine Æsino Camaldulensis ordinis; ecclesiam vero sancti Johannis de Richò manualem esse abbatiæ Pratalienfis.

In quodam contractu hujus anni rogato a Nicolao Sanctorio notario, qui extat in archivo urbis Lucensis, hæc exarantur: „ Cum ecclesia, „ monasterium & abbatia sancti Petri de Puteolis Lucensis diœcesis or„ dinis Camaldulensis fuerit & sit dotata, fundata & ædificata per nobi„ les viros de Porcari, ut patet manu ser Benedicti quondam Peregrini „ de Controne notarii publici Lucensis de anno M. CC. LXI. hinc *&c.*" Fundationem monasterii Puteolensis attulimus ad annum 1057. Eremo Camaldulensi subjecta erat insuper quædam capella appellata Burgi Porcariæ, sæpius ipsi confirmata a Romanis pontificibus & ab imperatoribus, ac verisimile est Burgum Porcariæ nomen recepisse ab eadem familia, vel a loco nomen mutuasse familiam eamdem Porcariam.

Innocentius VI. anno sui pontificatus VI. ex Avenione confirmationis robore munivit literas sui prædecessoris Johannis XXII. quoad libertatem monasterii sancti Savini de Montione Pisarum, & quoad exemptionem a subjectione prioris Camaldulensis, quas attulimus ad annum 1327. immediate sedi apostolicæ subjectum ipsum volens.

OBIIT præsenti anno Jacobus a Casentino insignis pictor, qui a Thaddæo Gaddio eam artem mirifice edoctus in maximo apud omnes pretio ac peritiæ laude habebatur per hæc tempora, & jure quidem, plurima enim & præclara cum in patria, tum alibi, Florentiæ scilicet & Arretii, virtutis suæ & sagacis ingenii monimenta apud posteros reliquit. Decessit octuagenarius, & sepultura donatus fuit in ecclesia sancti Angeli de Poplena ordinis Camaldulensis. Legatur de Jacobo abunde disserens V. Cl. Angelus-Maria Bandinius in Specimine Litteraturæ Florentinæ [b].

XXII. Obitus Jacobi a Casentino pictoris, &c.

b *Pag.* 25.

Hermannus de Aptis, cum eatenus abbatis titulo jura dixisset in monasterio sanctæ Crucis de Saxo-ferrato, translatus est circa hunc annum, testimonio Jacobillii [c], ad regendam abbatiam Sitriensem, quam duobus dumtaxat annis tenuit, vitam cum morte commutans die XII. julii anni M. CCC. LX.

c *T. III. p.* 365.

Gualterius abbas sancti Michaelis de Burgo Pisarum constitutiones quasdam edidit hoc anno pro bono regimine parthenonis sanctæ Christinæ de Bononia, quæ post biennium approbatæ fuere a patribus capituli generalis Fontis-boni.

Lucas abbas monasterii sanctorum Decentii & Germani de Pisauro ordinis Camaldulensis, assensum & licentiam præbente Michaele abbate sancti Apollinaris de Classe Ravennæ, cui subjiciebatur monasterium Pisaurense, opera Benedicti prioris sanctissimæ Trinitatis de Brittonorio, quam-

Ann. Chr. 1358.

dam domum vendidit ad resarciendum cœnobium suum, ex archivi sancti Dominici ejusdem urbis pagina.

Pro parte Petri abbatis Pratalienſis fidem fecit Guillielmus cardinalis episcopus Tusculanus se recepisse florenos XVI. & solidos XIX. per manus Thomasii procuratoris generalis Camaldulensis ad servitium cardinalium & familiæ, anno VI. Innocentii papæ VI. [a]

[a] §. Finis 29. A. 4. 51.

Ann. Chr. 1359.

XXIII. Castrorum Socii & Biblenæ deditio populo Florentino.

CASTRUM Socii, quod olim juris fuerat Camaldulensis eremi, permutatum postea anno 1298. cum abbatia & plebe sanctæ Mariæ in Balneo, permutationem hanc cum Camaldulensi eremo facientibus comitibus Guidiis jussu & voluntate Bonifacii VIII. qui eam ratam habuit, hoc anno obsessum simul cum castris & oppidis proximis ab exercitu Florentinorum dimicantium contra Arretinos, & potissimum contra dominos de Petra-mala, venit in dominium populi Florentini. Historiam narrat Matthæus Villanius in hæc verba: „ Marcus scilicet Galeotti comes videns obsessam Biblenam & Socium, Florentiam perrexit, atque in eorum manus se suaque esse testatus fuit. Commune Florentinorum, attenta ejus bona voluntate, licet oppidani Socii se dedere vellent Florentinis, ii tamen ipsum emere voluerunt; quare die XXVI. octobris hujus anni ei numerarunt sex mille Florenos aureos, & ipse paginam confecit venditionis castri Socii; rogato Petro Grifi a Prato-veteri notario Reformationum. Bosus similiter de Ubertinis episcopus Arretinus die VII. septembris Biblenam locavit Florentinis in septem annos, & communi Florentino dilargitus fuit jurisdictionem omnem & dominium, quod episcopatus Arretinus habebat in ipsum oppidum. Et ita Biblena animo volenti supposita fuit communi Florentino, dum cupiebat fugere a tyrannide Petramaliorum. “ Hæc eadem, quæ scribit Villanius, clarius constant ex chartis tabularii Fontis-boni, ex quibus colligitur „ Marcum & filios ejus de Tarlatis obsidione cinctos fuisse ab exercitu Florentinorum in oppido Biblenæ, Marcum autem olim Galeotti, olim comitis Novelli dominum Socii ingens rerum suarum damnum pertimescentem, una cum Betto filio naturali comitis Novelli, se, suaque, castrum Socii, palatium & villam Farnetæ Florentinæ reipublicæ tradidisse, quæ Marco Florenos auri quinque-mille quingentos viginti, & Betto Florenos mille pro palatio numerari jussit. Tunc hominibus de Socio missus est potestas pro communi Florentiæ Contrucius de Martellis, qui fuit auctor & suasor Florentinis, ut bona eorum comitum sibi emenda curarent; propter quod hi sindicis suis dederunt in mandatis, ut ea nomine suo emerent. Anno itaque sequenti [b] M. CCC. LIX. ab incarnatione, Romano scilicet 1360. die XV. februarii officiales communis Florentini deputati ad vendenda bona empta a præfatis comitibus, ea vendiderunt hominibus Socii, excepto cassaro, fortalitio dicti castri, & villa de Farneta, quæ dicti homines tradiderunt fratri Jacobo ordinis sancti Marci de Florentia, & Americo Jannoctii de Cavalcantibus, Degho Doffi de Spinis, & Lando Benci camerariis communis Florentiæ, ea tamen apposita conditione, ut nullum generaretur præjudicium ecclesiæ Camaldulensi sancti Nicolai ejusdem castri, neque plebi sanctæ Mariæ de Partina. “ In ea rerum mutatione hospitale Talliafunis, quod a Camaldulensibus anno 1287. ædificatum fuerat & bonis auctum, in alienum dominium transiit. Aliud pariter Arcenæ, sive de Montione hospitale prope Biblenam, quod

[b] §. Emptio 108. A. 4. 58.

jam

ANN. CHR. 1359.

jam ab anno 1113. possidebant Camaldulenses, in potestatem veniens prius Sacconis & Tarlati de Petra-mala, inde ex Marco Petri Sacconis in Florentinorum potestatem, ereptum est a primis suis dominis. Hæc ad clariorem hujuscemodi mutationis historiam ex Fontis-boni paginis.

XXIV. Masius de Petramala se offert construere de novo monasterium Anglariense.

Ex quibus pariter intelligimus sub hoc ipso anno Masium de Petramala, qui castri Anglariensis dominus habebatur, obtulisse vice fortalitii, ad quod redactum fuerat a Perusinis monasterium sancti Bartholomæi dicti castri, novum alio in loco monasterium cum ecclesia construere, atque abbati & monachis incolendum tradere ad divinum cultum prosequendum. Oblationem Masii de monachorum suorum consensu admisit Simon de Testis abbas Anglariensis, licentiamque hujusmodi permutationis & translationis obtinuit ab apostolico Italiæ legato cardinale Ægidio, petito insuper beneplacito prioris generalis Camaldulensis Johannis & capituli eremitarum, qui ea quidem conditione facultatem Simoni abbati fecerunt, ut in constructione novi monasterii ecclesia pristinum titulum retineret, cœmeterium pariter & officinæ ædificarentur, horreum etiam & habitationes pro Camalduli vice-comite erigerentur, sicuti erant in veteri monasterio. Reædificato Anglariensi cœnobio in eo loco, ubi ad hodiernam diem supersunt dumtaxat ipsius reliquiæ, castrum ipsum non multo post in potestatem civitatis Arretinæ, deinde in dominium incidit Florentinæ reipublicæ, cui locum commendarunt Bartholomæus quondam Masii de Petramala, & Galeottus ejus frater cardinalis, atque Albertus filius Bartholomæi anno 1385. Renovata fuit eadem commendatio anno 1407. a Carolo & Pandolpho aliis filiis Bartholomæi; iis vero defunctis, & Anfrosina vidua cum filiabus suis devicta anno 1440. ab exercitu ducis Mediolanensis, opera Nicolai Piccinini, castrum Anglarii potestati Florentinorum omnino cessit. Eadem itaque sorte Anglariensis abbatia, quæ a sui fundatione, hoc est ab anno 1104. libertate gavisa fuerat, & semper manualis tantum extiterat eremi Camaldulensis, post annum 1492. ut videbimus, in commendarum servitutem deinceps abiit.

XXV. Violentiæ in abbatem & oppidum Burgi S. Sepulcri.

Juxta Cinellium Castellani seu Tiphernates noctu armata manu irrumpentes in Burgum-sancti-Sepulcri plures cives trucidarunt, & abbatem Bartholomæum detinentes, coegerunt ipsum dimittere diœcesim suam & jurisdictionem; sed agnoscentes se vires non habere ad dominium loci servandum, arcem erexerunt in Burgo, quam munierunt, & spatio decem annorum tyrannico more oppidum divexarunt. Branca inter ceteros a Civitate-castelli, & homines domus Buccananiorum Burgum obsederunt die decima-octava hujus anni, & decem & octo mensibus ipsi dominati fuere, verum eos ejecit populus Burgi die VI. augusti anni M. CCC. LX. solo æquatis eorum domibus & turribus.

XXVI. De abbatia hospitalis Plavis.

In autographo archivi monasterii sanctæ Mariæ Angelorum de Muriano legitur sub hoc anno ad diem quartam octobris immissio in corporalem possessionem abbatiæ hospitalis de Plavi facta a presbytero Jacobo de Monte-belluna delegato Nordilii abbatis Sanæ-vallis de Fullina, qui elegerat & confirmaverat in abbatem dicti loci Franciscum de Padua monachum ejusdem cœnobii. Altera electio abbatis præfati hospitalis legitur facta a Petro Venerio abbate Nordilii successore anno 1366. die v. februarii.

Convenerunt die vigesima-nona aprilis hujus anni homines & universitas castri Alfari de pertinentiis terrarum sanctæ Agathæ ex una parte, & homines castrorum Montis-cornarii, Trivii & sancti Angeli de Vergareto, qui erant fideles abbatiæ Triviensis, in sententiam nobilis viri Guidini

Ann. Chr. 1359. dini Ranerii capitanei castri Alfari, & sindicorum castri sancti Angeli circa collectas. Quæ sententia fuse legitur in pagina Fontis-boni §. *Transactio* [a].

a 2. *A*. 4. 54.

XXVII. Synodi Eugubinæ. Sub Johanne Eugubino episcopo collecta fuit præsenti anno in ea urbe synodus, in qua primam sedem post episcopum implevit Paulus abbas sanctæ Crucis Fontis-avellanæ, licet plures adessent ceterorum monasteriorum prælati, & in primis canonicorum ecclesiæ Eugubinæ prior, & abbas monasterii divi Petri, qui postremus olim post longa dissidia cum episcopo Eugubino super præcedentia agitata, conciliatus fuerat ea conditione, ut in diœcesi Eugubina primum ubique locum honoris ab episcopo obtineret, ne ipso quidem excepto canonicorum priore. Sed, ut animadvertit Sartius, ex quo ista hausimus, Avellanensium præfectus ex priore abbas pontificis auctoritate creatus, tempore scilicet Johannis XXII. & extraordinariis honorum insigniis auctus, ceteros ejus diœcesis prælatos postea antecessit. Ex actis vero hujus synodi existentibus in archivo Armanno illud memorare juvat, quod Johannes episcopus, & abbates Fontis-avellanæ & sancti Bartholomæi de Petrorio, una cum rectore sancti Verecundi de Spissis constituti sunt procuratores totius cleri Eugubini. Synodus alia celebrata fuit ab eodem Johanne episcopo ante annum 1356. vel ipso anno, cujus synodi decreto imperata est condonatio pecuniarii subsidii, confirmata v. kalendas junii ejus anni ab episcopo, abbati & monachis sancti Æmiliani de Conjunctulis. Paulus electus fuerat abbas sanctæ Crucis de Fonte-avellana in locum Hubaldi primi abbatis anno 1350.

Ann. Chr. 1360. XXVIII. Capitulum generale in Fonte-bono. Congregati Camaldulenses patres die decima-nona junii hujus anni indictione XIII. apud monasterium Fontis-boni in comitiis generalibus, quibus præfuere Gualterius abbas sancti Michaelis de Pisis, Antonius abbas Urani, Dionysius prior sanctæ Mariæ de Poplena, Angelus prior sanctæ Mariæ de Balneo, Severus Major, & Nicoluccius de Faventia sacrista eremi Camaldulensis, simul cum Johanne generali priore, plura statuerunt ad bonum congregationis regimen facientia, & in primis quoad ritus celebrandi officia festorum. Officium sanctissimæ Trinitatis eatenus juxta veterem morem peragebatur ultima dominica post Pentecosten, immediate ante primam Adventus; decretum itaque fuit, ut imposterum sollemnissime ageretur dominica prima post Pentecosten, ante festivitatem sacratissimi Corporis Christi. Decantabatur officium beatæ Mariæ virginis conventualiter in choro etiam triduo Passionis Dominicæ; præscripserunt, ut de cetero his tribus diebus privatim a quocumque monacho recitaretur. Aliis vero diebus, quibus in choro persolvebatur, eædem inclinationes, reverentiæ & ceremoniæ præstandæ committuntur, quæ præstabantur in officio regulari divino. Festum sancti parentis Romualdi die decima-nona junii indicitur celebrandum sollemnitate plenissima, & cum recitatione symboli in Missis; sollemnitate autem plena festum translationis corporis sancti legislatoris Benedicti ad diem undecimam julii. In octavis festorum beatæ Mariæ virginis Credo in Missa præscribitur, adinstar octavarum festorum Domini. Interdixerunt, ne monachi residentes in eremo Camaldulensi & in subjecto Fontis-boni, monachi pariter cœnobiorum sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia, Rosæ Senarum, & sancti Mathiæ de Muriano cum monasteriis adnexis, ubi eremitica & strictior vita peragebatur, ac reclusio perpetua servabatur, transferrentur ad alia loca ordinis, vel providerentur de beneficiis

in

in aliis monasteriis, ubi æqua non vigeret florentioris observantiæ disciplina. Exemerunt monasterium Urani a solutione collectarum debitarum pro toto eo tempore, quo commendatum extiterat cardinali Aymerico, & pro duobus annis, quibus occupatum atque per vim detentum fuerat a Francisco de Ordelaffis Foro-livii domino. Impetrandam ordinavere renovationem generalem privilegiorum congregationis. Recepere constitutiones latas anno 1356. ab Andrea Ariminense episcopo apostolico visitatore, & a Gualterio abbate sancti Michaelis de Burgo Pisarum anno 1358. Capitulum sequens post triennium indixerunt celebrandum in monasterio sanctæ Mariæ de Urano. Franciscum de Aptis Tudertinum, olim episcopum Florentinum, & tunc tituli sancti Marci presbyterum cardinalem in protectorem ordinis retinendum censuere; Johannem autem de Calderinis Bononiensem, & Lapum abbatem sancti Miniatis de Florentia conservandos in consultores ordinis, Matthæum de Bononia in procuratorem in urbe Florentina, Albericum de Placentia in advocatum in Romana curia, Guidonem de Arretio *in Audientia*, Thomam de Arretio in generalem procuratorem, demum Petrum decretorum doctorem, & Philippum legum doctorem filium Thomæ Corsini de Florentia (Thomas pater erat etiam Petri Corsini episcopi Florentini, inde S.R.E. cardinalis) in causarum advocatos assumpsere. Aliquos ex aptioribus prælatis in visitatores monasteriorum congregationis elegere, & distribuerunt cetera regularia officia. Demum potestatem fecere patres Johanni supremo præsidi recipiendi ad ordinem Camaldulensem abbatiam & conventum Montis-fani cum omnibus membris suis, monasterium de Bugiano Lucanæ diœcesis, monasterium de Vincareto cum ceteris adnexis, alterum Vergaretanum, alterum cellæ de Monte-pario, & monasterium Agnani, & demum copiam ipsi fecere recuperandi jura monasterii monialium sancti Thomæ de Arretio alienata ab ordine.

ANN. CHR. 1360.

XXIX. De monasterio Montis fani.

QUOAD monasterium Montis-fani, princeps ipsum erat congregationis Silvestrinæ in territorio Fabrianense diœcesis Camerinensis, in quo vixerat, obierat, & sacri corporis sui spolia reliquerat sanctus ejus congregationis institutor Silvester seculo præterito. Qua de causa appetierint monachi Silvestrini aggregationem cum Camaldulensibus, quive tractatus habiti tunc fuerint, ex monumentis nostris incompertum est. Iterum proposita fuit ea unio post initia seculi sequentis in urbe Florentina, ut dicemus. Præsidebat hoc tempore Silvestrinæ congregationi, ut legitur in mss. selectioribus monumentis hujus instituti collectis a Johanne-matthæo Feliciano generali, Nicolaus Bondus a Cingulo apostolico diplomate præfectus a Clemente VI. anno 1348. post mortem Ugonis, quem vidimus concessisse anno 1347. participationem bonorum spiritualium sui ordinis cœnobitis sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia, fœdusque cum ipsis feriisse.

XXX. De altero Bugiani.

MONASTERIUM de Bugiano extructum erat in plebe de Massa Bugianensi in Lucano comitatu, ejusque loci initia referuntur ad Sisemundum & Guidonem fratres dominos castri Bojani anno 1058. Primus cœnobii abbas fuit Johannes Constantius; fundationis autem instrumentum integrum legitur apud Puccinellium [a], & ex eo apud Ughellium. Anno 1337. Guillielmus abbas se excusavit a recipienda visitatione abbatum Secutiæ & Pinarolii „ tum quia Lucanam urbem ajebat minime com„ prehendi in provinciis ipsorum visitationi destinatis, tum etiam quia „ inhabilis & impotens ipse erat propter senium, ad quod devenit, & „ ipsum monasterium propter guerras, quæ vigent in partibus, & de-

[a] Pag. 271.

strustum

ANN. CHR. 1360. „ ſtructum tam in redditibus, quam aliis bonis, & tamquam poſitum „ in medio nationis perverſæ. " Procuratorem itaque ſuum ad eam viſitationem declinandam creavit Franciſcum monachum ſancti Michaelis de Guamo. Idem Puccinellius [a] in hiſtoria abbatiæ Florentinæ, præter Jacobum abbatem Bugiani ad annum 1264. Johannem ad 1313. cui ſuffectus fuit Bacciameus, in commendam monaſterium abiiſſe anno 1362. ſub Urbano V. ſcribit, donec excitata congregatione ſanctæ Juſtinæ, Leo X. poſt ſeculum anno 1514. cum abbatia ſanctæ Mariæ de Florentia Bugianenſe cœnobium copulavit. Uſuveniebat frequenter, ut abbates monaſteriorum, ſi quando metus occurrebat, ne in commendam aliqua monaſteria devolverentur, exquirerent unionem ipſorum cum monaſteriis florentioribus, quod factum credimus ab abbate Bugiani hujus temporis cum Camaldulenſibus, nam poſt biennium, teſtimonio præfati Puccinellii, commendatum fuit Bugianenſe cœnobium. In tabulario ſanctimonialium noſtrarum ſancti Johannis de Prato-veteri ſub num 95. ad annum 1444. legimus Marchionem abbatem ſanctæ Mariæ de Bugiano Vallis-nebulæ, cum ſuum monaſterium propter damna, quæ eidem obvenerant, atque expenſas ob ſolutionem decimarum impoſitarum ab Eugenio IV. depauperatum eſſet, dediſſe licentiam Gregorio de Brugia Flandrenſi monacho ſuo eundi per totam Italiam, & recipiendi beneficia, eo quod nequiret ulterius ipſum alere. Legatur etiam Lubinus [b] in Notitia abbatiarum ad vocem *Bojanum*.

a Pag. 453.

b Pag. 53.

XXXI. De congregatione Vincaretana.

MONASTERIUM ſanctæ Mariæ de Vincareto diœceſis Brittonorienſis in ditione dominorum de Polenta florebat ſub diſciplina canonicorum regularium ſancti Marci de Mantua, quorum inſtituta ſuſceperat anno 1225. ſub Honorio III. Etiam ſub finem ſeculi præteriti propoſita fuerat Vincaretanæ congregationis unio cum Camaldulenſibus. De ea ejuſque ſubjectis monaſteriis iterum ad annum 1366. quo recepta fuit unio, ſed tamen rurſus dilata, impeditaque ipſius executio.

XXXII. De abbatia Vergaretana.

ABBATIA ſancti Angeli de Vergareto fundata fuerat in diœceſi Sarſinate a ſancto patre noſtro Romualdo circa annum 987. & hactenus nulli congregationi addicta ſuis legibus & uſibus paruerat. Ad annos 1329. 1355. & 1356. legitur cum ceteris monaſteriis adnexa eremo Camaldulenſi, immo jam ab anno 1329. conferebatur a prioribus generalibus ordinis, quo anno a Bonaventura priore confirmata fuit electio Euſtachii in abbatem Vergaretanum facta a Johanne XXII. Romano pontifice; ſed forte deficiebat apoſtolicum unionis robur, quod propterea adjici patres capitulares exquirebant interventu & opera Johannis prioris generalis.

XXXIII. De monaſterio Cellæ.

MONASTERIUM Cellæ de Monte-pario ipſum credimus, quod ſancti Johannis-baptiſtæ Cellarum, ſive Cellæ ſancti Alberici dicebatur, ſitum autem inter duos rivos appellatos *Ambas Paras* in diœceſi Sarſinate vel Monte-feretrana, clarum ob hujus ſancti viri manſionem & miracula.

XXXIV. De abbatia Agnani.

ABBATIA Agnani, quæ ſub Baſilio abbate protectioni ſe dederat Florentinæ reipublicæ, a multo tempore defecerat, excuſſeratque jugum ſubjectionis prioris generalis Camaldulenſis contra repetitas contrarias ſententias. Initio tantum ſeculi ſequentis firmata fuit iterum ſtabilis unio, uſqueque tandem in commendam deducta eſt, ex qua exſurgens unita fuit cum monaſterio ſanctæ Mariæ in Gradibus de Arretio quod erat ipſius membrum, quodque tunc ex ſubordinato principale evaſit.

Moniales demum ſancti Thomæ de Arretio an unquam diſciplinam

Camal-

Camaldulensem acceperint, vel quid commune cum Camaldulensibus habuerint, nobis non innotescit, nisi ex allato monumento hujus capituli generalis.

ANN. CHR. 1360.

XXXV. Bona abbatiæ Pratalię occupata ab Ubertinis.

CASTRUM Serra-vallis, villa Tocli & territorium Fraxinetæ, quæ ad dominium pertinebant abbatiæ Prataliensis, hoc anno per sindicum ejus monasterii concessa fuere & commendata ad decennium nobili militi Azoni de Ubertinis civi Arretino, & procuratori imperiali in partibus Italiæ, ea adjecta conditione, ut elapso dicto termino sub fidei illius bonorum & hæredum suorum obligatione abbatia jure postliminii dominium recuperaret; actum in castro Corezo, manu Guidonis de Gello notarii. Sed ipse Azo, qui iis temporibus pro Florentina republica dux cum suo exercitu Biblenam expugnaverat, Marcum & Tarlatorum familiæ viros jam declaratos inimicos suos depresserat, & vir potens ac magnus tunc habebatur, expleto decennio, fidei & promissionis suæ immemor, neque castrum Serra-vallis, nec villam Tocli, nec territorium Fraxinetæ & jura sibi commendata abbatiæ Pratalienſi restituit, sed cuncta tradidit Andreino olim Biordi suo ex fratre nepoti, qui reapse ut castri Serra-vallis dominus indigitatur in contractu anni 1390. manu Gilii Cionis notarii, tum in alio census anni 1394. manu Gelli Cennis notarii, & ipsius Andreini officialis in dicto castro. Postea mense julio anni 1402. exordium sumpsit bellum Ubertinorum in Casentino adversus rempublicam Florentinam, & anno 1404. misso ex decem-viris Jacobo Alamanni de Salviatis pro republica cum quingentis militibus contra rebelles comites Guidios de Balneo, & contra Andreinum, aliosque de familia Ubertinorum, victoria stetit pro Florentinis, qui Balneum, Serra-vallem ac triginta eorum castella occuparunt. Bona vero privata ipsorum rebellium concessa fuere officialibus *Montis* communis Florentiæ convertenda in diminutionem solutionum, iidemque officiales nonnulla bona ipsius Andreini nuper domini Serra-vallis, quæ a decem-viris tributa fuerant Nicolao Amadei de Partina, in refectionem sumptuum atque expensarum, quæ ipse sustinuerat in dicto bello, ea ipsa confirmarunt eidem anno 1408. manu Pauli Guidonis notarii. Hæcque fuit sors ejus castri, quod in *recommendisiam*, ut dicebant, cum ceteris bonis monasterii Pratalienſis recepit hoc anno Azo de Ubertinis ab ejus loci abbate, ut legitur in archivo Fontis-boni. §. *Defensio*.

XXXVI. Lis monasterii sancti Mathiæ de Muriano cum illo S. Nicolai de Litore quoad aquas.

QUÆSTIONEM habebant hoc anno monachi sancti Mathiæ de Muriano cum monachis sancti Nicolai de Litore Venetiarum pro aquis conterminis monasterio suo & pro quadam palude vocata *Lagomala*, quam compromiserunt in Petrocinum episcopum Torcellanum, & in Bonincontrum abbatem sancti Cypriani de Muriano; hanc judices præfati & arbitri electi pertinere definierunt ad monasterium sancti Mathiæ die veneris vigesima-sexta martii. Quare Marinus monachus sancti Nicolai tamquam procurator Johannis de Ponte abbatis dicti monasterii induxit in possessionem ejusdem paludis & aquarum Johannem de Verona procuratorem Andreæ prioris sancti Mathiæ die martis XXVI. maji ejusdem anni indictione XIII. ut fuse legitur integra historia & sententia in collectione monumentorum ad monasterium sancti Mathiæ spectantium, quam in ecclesiis Torcellanis edidit V. Cl. Flaminius Cornelius [a].

a *P. III. pag.* 148.

XXXVII. Alia ejusdem cum monialibus S. Salvatoris de Foro-livio.

ALTERAM controversiam habuit idem Andreas Murianensis prior hoc anno cum monialibus Camaldulensibus sancti Salvatoris de Vico prope Foro-liviensem urbem. Hæ occupaverant monasterium virorum sanctorum Mathiæ & Christinæ ejusdem urbis, quod juris erat eremitarum sancti

Ann. Chr. 1360. Mathiæ de Muriano, exire coactæ ex suo veteri domicilio, quia episcopus Foro-liviensis vigore mandati sibi facti ab Ægidio episcopo Sabinense sedis apostolicæ legato earum domus & officinas converterat in fortalitium dictæ civitatis pro Romana ecclesia; & Nicolaus abbas sancti Benedicti de Saviniano vicarius Johannis prioris Camaldulensis ordinisque visitator decreverat, ut ibidem sanctimoniales e loco suo fugatæ figerent habitationem suam, exclusis monachis. Verum Andreas Faventinus prior sancti Mathiæ de Muriano illac tempore visitationum monasteriorum sibi subjectorum transiens, jura sua læsa agnoscens, sentiensque se gravatum, sequentem appellationem interposuit, quam ex archivo monasterii sanctorum Hippolyti & Laurentii de Faventia subjungimus.

In Christi nomine, *amen. Pateat omnibus evidenter, quod in presentia ven. viri domini Dominici de Bononia rev. in Christo patris & domini domini fratris Bartholomei Dei & apostolice sedis gratia Foro-liliviensis episcopi vicarii generalis, fratris Jacobi de Faventia ordinis Camaldulensis, & dompni Johannis prioris monasterii sancti Johannis-baptiste de Bagnacavallo ordinis prefati, mei notarii & testium infrascriptorum, constitutus ven. & religiosus vir frater Andreas prior monasterii sancti Mathie de Murano Camaldulensis ordinis Torcellane diocesis per priorem soliti gubernari asseruit, quod cum post reditum suum de Ancona, qui fuit die quinto mensis februarii, audierit & intellexerit ab hominibus fide dignis, quod domnus Nicoletus abbas de Savignano vicarius generalis in partibus Romandiole, ut dicitur, domini prioris generalis ordinis prelibati cum suis sequacibus ejus emulis, & fautores abbatisse & monialium monasterii sancti Salvatoris de prope Foro-livium, que habitant in monasterio sancti Mathie de Foro-livio, domino priori predicto & monasterio suo de Murano manualiter & pleno jure subjecto, consueto per monachos & conversos suos habitari & etiam gubernari, contra voluntatem suam & fratrum suorum, in maximum prejudicium dicti monasterii de Murano, & periculum animarum prioris & fratrum dicti monasterii de Foro-livio ibi degentium, quod sic faciet dictus abbas & alii sui sequaces, quod abbatissa & moniales prefate habebunt libere dictum monasterium sancti Mathie de Foro-livio, scilicet de facto, ibique perpetuo habitabunt, & ideo timens, ne hoc gravamen sibi & monasterio suo aliquo modo, vel per alios inferatur, vel inferri possit contingenter, se & dictum monasterium sancti Mathie de Foro-livio ei & monasterio predicto de Murano immediate subjectum, protectioni & defensioni sedis apostolice subjecit, a qua recepit regimen & gubernationem dicti monasterii de Murano, & omnium jurium ipsius, & nunc velut ex tunc Dei nomine invocato, & beate Marie virginis gloriose, & beati Mathie apostoli patroni sui, & omnium Sanctorum, ad predictam sanctam Romanam & apostolicam sedem provocans & appellans, si sacristia, ecclesia, cimiterium, hortus & porta principalis, vel aliquid juris dicti monasterii sancti Mathie de Foro-livio dictis priori & fratribus eidem domino priori & monasterio de Murano immediate subjectis auferri contigerit, vel procedetur per aliquos de dicto Camaldulensi ordine, vel de extra ad assignandum, judicandum, decernendum vel sententiandum, quod dicte moniales in dicto monasterio suo sancti Mathie de Foro-livio habitent perpetuo, vel ad tempus, & testimoniales apostolicos petiit idem dominus prior sancti Mathie de Murano, appellans sibi tradi a vobis dominis supradictis, quos instanter & cum instantia petiit* M. CCC. LX. *indictione* XIII. *die* IX. *mensis februarii Foro-livii in sacristia loci sancti Mathie de Foro-livio. Interposita fuit hec appellatio per dictum dominum priorem*

coram

coram predictis domino Dominico vicario antedicto , fratre Jacobo & dompno Johanne priore predictis , & per ipsum recognite fuerunt apostolice testimoniales, prout superius continetur , presentibus testibus ad hec rogatis.... ser Ricii de Picholellis, Sega Burgi &c. *Qui dominus Dominicus vicarius antedictus , frater Jacobus & dompnus Johannes prior me notarium infrascriptum rogaverunt , ut deberem testimoniales literas & publicas istius tenoris inde conficere.*

ANN. CHR. 1360.

Ven. viro domno Nicoletto abbati monasterii de Savignano & universis ac singulis, quos dictum negotium seu appellatio tangit vel tangere potest, nos Dominicus vicarius antedictus , frater Jacobus & dompnus Johannes prior notum facimus per presentes predictum fratrem Andream priorem sancti Mathie de Murano suprascriptam appellationem coram nobis interposuisse cum omnibus in ea insertis , & apostolicos petivisse , quibus eidem presentes testimoniales literas duximus exhibendas . Datum & actum Foro-livii in sacristia loci predicti die IX. *mensis februarii* XIII. *indictionis , presentibus testibus antedictis.*

Ego Johannes quondam ser Guillelmini imperiali auctoritate notarius, atque judex ordinarius &c. *rogatus* &c. *scripsi & publicavi.*

Capitulum generale Fontis-boni superius allatum controversiæ hujusmodi providit, sed tutius consuluit alterum celebratum anno *1366.* in cujus actibus legimus moniales sancti Salvatoris sive sanctæ Christinæ degentes in domibus parum congruis translatas fuisse ad monasterium sancti Johannis-evangelistæ de Ravaldino ejusdem Foro-liviensis urbis ; verum ad annum *1394.* reperimus eas pacifice iterum resedisse ad dictum sanctæ Christinæ monasterium , conventione facile secuta inter moniales, & inter præfatos monachos Murianenses. Abbatissæ parthenonis sancti Salvatoris de Vico, sive alio nomine de Albareto adnotantur ad annum 1312. Altamenta ; ad annum 1340. Gida ; anno 1385. obeunte Johanna abbatissam præfecit Mariam de Aspinis monialem dicti monasterii Johannes prior generalis Camaldulensis die decima-nona februarii. De Bartholomæo Foro-liviense episcopo pauca admodum habet Ughellius in episcopis ejus ecclesiæ.

XXXVIII. Ædificatio monasterii S. Mariæ in Portu Pisauri.

AD instituta & sub jurisdictione eorumdem monachorum seu eremitarum sancti Mathiæ de Muriano excitatum fuit hoc anno alterum monasterium extra urbem Pisaurensem, dictum sanctæ Mariæ in portu Pisauri. Johannes quondam Sapiroli comitatus Pisaurensis ad mortem veniens testamentariis tabulis suis confectis die quarta octobris indictione XIII. terras reliquit in loco appellato *Padule* urbis Pisauri , super quas ædificari præcepit cœnobium , quod permanere in perpetuum deberet sub protectione & dominio conventus dicti loci de Muriano, & in quo habitationem haberent sex monachi sacerdotes cum duobus inservientibus famulis. Alias insuper terras eisdem monachis tribuit Johannes fundator pro ipsorum victu & vestitu, pleraque etiam ad eorum usum & comodum. Situ tamen loci examinato, monasterium ædificatum fuit non in urbe, sed prope portum, ut solitudo monachorum minus turbaretur. Voluit testator, ut deficientibus Camaldulensibus locus ædificandus traderetur fratribus Carmelitis de Venetiis, si hi proprium in communi habere possent, verum si vetitum hoc ipsis foret, deveniret monasterium Pisaurense ad fratres sanctæ Mariæ de Vincareto Foro-popiliensis diœcesis , demum in postremorum vicem substituit locum sanctæ Mariæ de Misericordia urbis Senarum. Perseveravit sub ductibus monachorum sancti Mathiæ pluribus seculis monasterium Pisaurense, donec ipso per commendatarios occupato accrevit in eodem loci fundo, ut communiter creditur , alterum novum appel-

ANN. CHR. 1360.

appellatum sanctæ Mariæ Angelorum Pisauri, quod ad hodiernam diem subsistit iisdem Camaldulensibus monachis locum incolentibus.

Ex paginis Huberti Benvolgentii excerptis e veteribus tabulis abbas Berardingorum & sancti Vigilii erat hoc anno Carolus Alberti.

XXXIX. Bulla Bethleemitici episcopatus.

AMANDAMUS ad Appendicem ex tabulario monialium sanctæ Christinæ de Bononia ineditum monumentum ecclesiæ episcopalis Bethleemiticæ, in quo nominantur omnes ecclesiæ & monasteria variarum urbium subjecta eidem episcopatui. Scilicet Albricus de Canonica clericus Papiensis accedens ad Romanam curiam in urbe Avenionensi residentem coram Stephano archiepiscopo Tholosano Innocentii papæ VI. camerario, præsenti *anno* M. CCC. LX. *indictione* XIII. *pontificatus Innocentii* VI. *anno* VIII. *die mercurii* XX. *mensis maji* in medium attulit literas felicis recordationis Gregorii papæ IX. rogans prædictum camerarium, ut earumdem literarum fierent transumpta, quibus æqua fides adhiberetur ac ipsi autographæ bullæ. Literæ Gregorii IX. pertinent ad annum 1227. & in iis Raynerio Bethleemiticæ civitatis episcopo ejusque successoribus confirmat Romanorum pontificum Paschalis II. Calixti II. Lucii II. & Innocentii II. Lucii III. Innocentii III. & Honorii III. privilegia, malevolorum hominum fraude & dolo vitiata atque abrasa, quæ proinde in integrum restituit, ubi nominantur bona, monasteria & ecclesiæ spectantia ad eumdem Bethleemiticum episcopatum, & inter ceteras ecclesias: *In episcopatu Bononiense ecclesia sanctæ Mariæ de Bethleem, & ecclesiam sanctæ Mariæ in Botri*, quæ juris erant Camaldulensium. Raynerius sive Regnerius Bethleemiticus episcopus apud Sammarthanos *tomo* II. *Galliæ Christianæ pag.* 297. *c.* 2. *editionis* 1656. traditur sedisse anno 1223. sub Honorio III. Ex pagina nostra sedebat etiam anno 1227. Is ab infidelibus extorris factus, in Galliam adductus est a Guidone Nivernensi comite eodem anno 1223. & donatus hospitali diversorio cum jure & titulo episcopali in loco suburbano Clameciaci diœcesis Autissiodorensis in comitatu Nivernensi, superestque ad hodiernum diem eo in loco episcopatus Bethleemitanus. Legatur etiam *Oriens Christians* Lequienii *T. III. col.* 1276.

XL. Aliquot prælatorum Camaldulensium electiones.

COMMISSARIO nomine Johannis abbatis Vangaticiensis Johannes prior Camaldulensis contulit die quarta-septembris [a] ecclesiam sancti Salvatoris de Domo-regia Veronæ Ognibeni seu Omnibono abbati sancti Michaelis de Muriano usque ad beneplacitum abbatis Vangaticiensis; manu Petri Antonii de Ricciis notarii; similiter Johannes Vangaticiensis abbas die vigesima-nona octobris elegit Petrum Lucensem in priorem sancti Martini rupti de Prata, ex tabulario sancti Mathiæ de Muriano, tamquam vicarius ejusdem prioris generalis, qui tamen quinta novembris alium Nicolaum nomine in priorem elegit dicti loci.

[a] §. *Electio*. 53. *A*. 4. 8.

Michael abbas Classensis Savinum præfecit curæ ecclesiæ sancti Andreæ de Arimino; ex archivo Classensi.

ANNA-



ANNALES CAMALDULENSES.

LIBER QUINQUAGESIMUS-TERTIUS.

Ab anno Christi M. CCC. LXI. *ad annum* M. CCC. LXVI.



ONTROVERSIA, & ea quidem gravissima, sæpiusque suscitata fuerat in urbe Arretina, ubi-nam quiesceret corpus sancti martyris & episcopi Donati Arretini populi patroni, an in ecclesia cathedrali, an vero in ecclesia plebis sanctæ Mariæ? Congregati Bosus episcopus Arretinus & priores populi, una cum vexillifero justitiæ communis ejusdem civitatis, post plura examina, acta & judicia, quæ intercesserunt, rem subjecerunt examini Bucii Bandelli episcopi Civitatis-castelli seu Tiphernatis, Gregorii episcopi Cortonensis, Johannis prioris generalis Camaldulensis, & Salvii abbatis Montis-oliveti, qui productis & lectis antiquis documentis, die vigesima-quarta octobris hujus anni [a], ut legitur in tabulario Fontis-boni, „ declararunt, sine præjudicio „ tamen jurium partis adversæ & veritatis, si quando in futurum res „ melius inclaruerit, & prohibuerunt, quod in dicta ecclesia plebis de „ cetero non ostenderetur corpus sancti Donati, neque publicæ venerationi „ exponeretur, sed nec aliæ reliquiæ ejusdem sancti martyris, neque ulterius clerici dictæ plebis asfererent, se corpus vel reliquias possidere, „ præter illam partem capitis, quam hactenus ostendere consueverunt, „ quam etiam in futurum populo ostendere possent. “ Insuper ex verisimilibus notitiis & argumentis, quæ reperire potuerunt, declararunt præfati judices „ dicti martyris corpus sive partem corporis se invenisse „ in ecclesia episcopatus, ibique debere imposterum a populis maxima „ veneratione coli. “ Hæc acta rogata fuere a Petro quondam Antonii de Ricciis notario. Putarunt aliqui corpus sancti episcopi Donati humi mandatum fuisse primitus in nostra ecclesia sancti Clementis extra muros civitatis in loco, qui dicebatur Salce, ibidemque requievisse vel ipsis temporibus Theodaldi episcopi Arretini, qui anno 1031. dono tradens dictam sancti Clementis ecclesiam Sigizoni abbati sanctæ Mariæ de Pratalia, a monachis divinis cultibus frequentandam, hæc in charta suæ largitio-

ANN. CHR. 1361.

I. Controversia de loco existentiæ corporis sancti Donati in urbe Arretina.

a §. *Notabilia*. 34. *A*. 16. 113.

ANN. CHR. 1361.

gitionis inter cetera de corpore sancti Donati habet: *Quo circa* &c. *dedimus & concessimus monasterio sancte Marie sito Pratalie* &c. *integram ecclesiam* sancti Clementis, *que ecclesia & terra est juris episcopii nostri, ubi sanctum corpus beati Donati quiescit &c.* Verum non satis clare exprimitur, an ad ecclesiam sancti Clementis, vel ad episcopium Arretinum referri debeant verba illa: *ubi sanctum corpus* &c. Existimarunt alii Christianos primis temporibus tumulasse corpus sancti martyris Donati in ecclesia sanctæ Mariæ ad Gradus, sicuti per visionem revelatum dicto episcopo Theodaldo, aliumque in locum translatum fuisse ab ipso sacrum corpus arbitratus est Burallius; alii apud templum Apollinis juxta amphiteatrum sepultum volunt, quo in loco antiquam domum sive ædem adstruunt videri prope portam, quæ dicta fuit de Colcitrone. Demum nonnulli existimarunt reposita & translata fuisse ejusdem Theodaldi tempore sancti marryris Donati spolia in ecclesiam plebis sanctæ Mariæ. Præfatorum judicum tempore lis acerrima vigebat inter plebem dumtaxat sanctæ Mariæ, & inter ecclesiam cathedralem. De sententiis posterioribus, deque loco existentiæ venerabilis corporis consulantur docti viri Arretini, quorum magis interest hæc facta exquirere & illustrare. Bucius Bandellus successerat Petro Tiphernati Castellanus episcopus; Gregorius autem, diminutivo nomine dictus etiam Gorus, secundus erat Cortonensis ecclesiæ episcopus.

II. Testamentariæ tabulæ Roizelli de Roizellis.

DIE vigesima-quinta januarii Roizellus Vannis de Roizellis doctor & civis Arretinus testamento suo hæredes reliquit eremum Camaldulensem, & locum sanctæ Mariæ de Monte-oliveto, executores extremæ voluntatis suæ ordinans futuros Johannem priorem Camaldulensem, Thomam abbatem monasterii sancti Clementis, Donatum Vannis de Guasconibus, Franciscum Roizelli aliosque cives Arretinos.

Ex ipso Fontis-boni tabulario, & ex libro primo Georgii Vasarii in vita Spinelli novimus eumdem Spinellum celebrem per ea tempora Arretinum pictorem hoc anno picturis adornasse ecclesiam Fontis-boni, tabulamque in primis majoris aræ coloribus suo penicillo expressisse.

III. De Guidone Senense eremita recluso.

NATUS fuerat Roberto comiti de Battifolle & Bartholomeæ ejus uxori filius, quem in optatis habebant, ut e sacro baptismatis fonte levaretur a Guidone Senense eremita recluso Camaldulensi magni nominis. Sed ipse Guido locum suæ reclusionis egredi recusans, constituit die prima januarii hujus anni [a] in suum procuratorem ad *contrahendam compaternitatem* Jacobum abbatem sancti Petri de Puteolis; sacra autem baptismi mysteria peracta fuere die v. ejusdem mensis in ecclesia sancti Donnini de Puppio, impositumque fuit novo regenerato Jacobi nomen. Vetitum id quidem erat monachis a sacræ ecclesiæ canonibus, & etiam constitutione peculiari ordinis Camaldulensis cautum, ne monachi vel eremitæ compatres fierent; sed aliquando instantia magnorum virorum a superioribus prælatis dispensatum fuit ab ea lege. Ipse Ambrosius generalis prior ordinis, vir doctissimus & pientissimus, qui canones & constitutiones non ignorabat, quinimmo magni faciebat, seculo sequenti, licet ad multum temporis obstiterit, ne compater evaderet, petitionibus repetitis tamen non semel cessit, ut colligitur ex epistolis XXXVI. & LI. librorum V. & XVI. recentissimæ editionis. Guidonis eremitæ reclusi pluries fit mentio ad hæc tempora in paginis Fontis-boni, multisque annis reclusionis leges tulit. In psalterio ms. bibliothecæ Eremi signato Q. III. 17. legitur: *Anno Domini* M.CCC.LI. *die secunda januarii domnus Guidonus Senensis in cella papæ, & frater Simon in cella olim fratris Baptistæ reclusi*

a *Ibid.* 23. 4. 16. 103.

clusi sunt. Anno 1358. ducatis aureis tredecim idem Guido Senensis librum emit vitas Patrum continentem in vulgari idiomate, & notis concinnatum a fratre Simone Orlandino Carmelita, qui liber & nostris diebus adhuc extat in eadem eremi bibliotheca. Anno 1364. deputatus fuit in eremi pœnitentiarium die quinta-decima septembris a Johanne priore generali. Ejusdem Guidonis nomen cum titulo Beati prostat in omnibus kalendariis veteribus Camaldulensibus, & eodem titulo ab Agiographis & scriptoribus nostris decoratur. Robertus comes de Battifolle per hæc tempora Petrarcham invitans ad sua Clusentinia loca, & ea describens, hæc potissimum ad ipsum dicebat de eremo Camaldulensi: „ Hic sancta „ Camaldulensis eremus, ubi lucus frequens proceris arboribus commu„ nem altitudinem egressis densitate ramorum circumfluo in se recurren„ tium nexu conspectum cœli submovens, ut a torridis Phœbi defendat „ obtutibus " &c.

ANN. CHR. 1361.

IV. Literæ Innocentii Pp. VI. pro suis legatis.

INNOCENTIUS VI. Romanus pontifex literis suis datis die XVIII. aprilis anno pontificatus sui nono commendavit omnibus Italiæ monasteriis Guillielmum abbatem monasterii sancti Germani Autissiodorensis urbis, quem pro negociis ecclesiæ legatum mittebat in Italiam. Literæ leguntur apud Martene [a]. Apud eumdem autem aliæ leguntur [b] conscriptæ XI. kalendas junii ad favorem Ægidii Vicetini episcopi, quem legatum in Alemanniam & Bohemiam destinaverat, volens, ut episcopi censura ecclesiastica possent cogere monasteria subsidia denegantia ad ea præstanda.

a *Thesaur. nov. T. I. col.* 927.
b *Ibidem col.* 973.

V. Visiones B. Paulæ de victoriis Florentinorum.

DIMICABANT hoc anno Pisani contra Florentinos, & advenientes cum valido exercitu adversus urbem Florentiæ depopulabantur, igneque vastabant regiones circumpositas, quæ appellabantur Camerata & Monsughi. Beata Paula abbatissa parthenonis sanctæ Margaritæ de Casajolo, quæ orationibus semper erat intenta, audiens clades, quæ inferebantur a Pisanis, Deum gemitibus exorabat, ut tueretur ab igne palatia quamplura, quæ in iisdem regionibus consurgebant. Conspiciendum tunc ei se dedit Dominus, tenens læva manu fimbriam pallii sui, alteram vero dexteram manum extendens, qui dixit illi: Sine, ut hæc palatia igne comburantur; ibidem enim mala quamplurima, atque diaboli opera peraguntur. Subdidit beata Paula: Saltem parcatur vineæ monachorum cœnobii Angelorum; cui secundæ petitioni nullum Dominus disparens responsum dedit. Sed neque ignem, neque ullum damnum aut injuriam vinea perpessa est, immo locum dante hostium exercitu repertæ fuere etiam aliquæ supellectiles ibidem antea repositæ. Vinea hæc empta fuerat a monachis Angelorum una cum prædio in Camerata sub nomine Bindi Benini, & anno 1374. divendita fuit Bartholomæo Bandini, pretiumque ipsius expensum est in comparandis ornamentis ecclesiæ sanctæ Mariæ Angelorum. Similiter post biennium anno scilicet 1363. ducentibus Florentinis exercitum contra Pisanos beata Paula ducta fuit in spiritu super portam sancti Frigdiani, ex qua conspexit sanctum Johannem-baptistam urbis patronum, crucem læva gerentem, manu autem dextera signantem, & benedictionis munimine roborantem milites, qui ad bellum progrediebantur. Quam visionem ipsa Paula statim retulit Dominico Gennio priori monasterii Angelorum; Dominicus vero retulit confalonerio & primoribus urbis nomine beatæ Paulæ. Paucis post diebus exercitus Pisanorum fugatus est a Florentinis, & quadraginta-duo currus captivorum Pisanorum transierunt per eamdem sancti Frigdiani portam, in signum triumphi & victoriæ reportatæ a Florentinis, qui gratias post

Deum

ANN. CHR. 1361.

Deum retulerunt sancto Johanni-baptistæ, cujus dies sollemnis majori pompa & cultu honoratus est, adaucta in populo veneratione erga sanctum urbis protectorem. Hæc addiscimus ex Fortunio, seu potius ex veteri vita beatæ Paulæ scripta a Zenobio Tantino Angelorum Florentiæ monacho auctore coævo, ex quo suam consarcinavit narrationem Fortunius, & ex utroque Ractius.

VI. Variæ electiones prælatorum Camaldulensium.

VACANTE monasterio sancti Martini de Opitergio Tarvisinæ dioecesis, Johannes prior Camaldulensis de consensu eremitarum die secunda maji [a] deputavit in priorem Petrum Lucanum, cui insuper commisit curam monasterii sancti Benedicti de Fileto, mandans, ut fidelitatis juramentum & obedientiam promitteret Andreæ priori sancti Mathiæ de Muriano, cui vices suas tribuit; manu Nicolai Floriamontis de Brognolis notarii. Post biennium ipse Petrus statutus fuit in priorem ejusdem Filetani monasterii.

[a] §. *Electio.* 54. *A.* 4. 14.

Vigesima-prima decembris [b] frater Robertus episcopus Britonoriensis visa electione facta Lucæ de Arretio monachi de Pratalia per Petrum Senensem abbatem Prataliensem in priorem sancti Johannis de Richò, ipsam confirmavit, manu Johannis Chohret clerici Cenomanensis notarii. Vix se e ruinis eversæ urbis Foro-popilii egestate compulsus Britonorium receperat Robertus decimo sui episcopatus anno, quo, mandante Arduino cardinale & apostolicæ sedis legato, ad confringendam audaciam Francisci Ordelaffi tyranni ea urbs solo fuit æquata, sedesque episcopalis Foro-popiliensis Britonorium translata.

[b] §. *Ibidem* 55. *A* 4. 18.

In necrologio Vangaticiensi adnotatur sub hoc anno ad diem IV. nonas novembris obitus illustrissimi & magnifici domini domini Aldrovandini marchionis Estensis M. CCC. LXI.

ANN. CHR. 1362.

VII. Donationes factæ eremo Camaldulensi.

EX archivo Fontis-boni [c] nobilissima mulier Elisia, uxor Galeotti de Malatestis Ariminensis domini, Florenos centum aureos tradidit Simoni de Testis abbati Anglariensi ad emendam fructiferam possessionem, quæ inserviret indumentis unius eremitæ incolentis cellam appellatam sancti Michaelis. Totidem obtulit Rengarda uxor Masii de Petra-mala pro simili emptione ad usum alterius eremitæ, qui cellam inhabitabat sancti Bartholomæi. Quare Johannes prior generalis Camaldulensis terras vineatas in plano Arretii loco dicto *le Murate* emit, aliasque in curia villæ sanctæ Fermenæ, participationemque bonorum spiritualium congregationis ipsis dominabus impartivit; manu Bartholomæi Peridorii notarii de Burgo.

[c] §. *Emptio.* III. *A.* 4. 20.

VIII. Concordia inter homines de Fraxineta, & inter alios subditos Bosi ep. Arretin.


DIE trigesima maji inita est pax inter homines de Fraxineta ex una, & inter homines de monte Fatucchio, de Bifurco, de Serra-valle, de Montallone, & de Castellare subditos Bosi episcopi Arretini, & Azonis ac Andreini Biordi de Ubertinis ex altera parte, sub pactis de non offendendo, aliisque; inter quæ, quod homines de Fraxineta nullatenus & quovis prætextu se ingererent in lite alpium, quam movere volebat Bosus episcopus contra Petrum abbatem Prataliensem; hanc autem pacem sub pœna Florenorum auri mille se observaturam utraque pars spopondit; manu Pieri Landi notarii de Biblena.

IX. De portione ligni S. Crucis asservata in monast. S. Michaelis de Muriano.

AB ipsa fere origine monasterii sancti Michaelis de Muriano mirabili modo deducta fuerat ad eorum monachorum ecclesiam pretiosissima portio ligni sanctæ Crucis Domini nostri Jesu Christi, tabula egregie fabrefacta inclusa, quam ob furum proterviam caute tenebant, neque passim ostendebant fidelibus populis ejusdem loci cœnobitæ. Franciscus abbas

mona-

Annal. p. 65.



monasterii admonitus hoc anno a quibusdam piis peregrinis, qui eam veneraturi Venetias accesserant, & doctus modum, quo ipsa advenerat, scriptis exaravit, vel exarari præcepit historiam ejus adventus, suscitans memoriam miraculi jam diutissime perditam, quam historiam ex autographo & ex variis exemplis membranaceis ejusdem monasterii hic subjicimus.

ANN. CHR. 1362.

Incipit tractatus, qualiter ycona ligni sanctissimæ Crucis in monasterio sancti Michaelis de Muriano mirabiliter sit delata.

Si tanta virtus scripturarum est, ut gestorum labente temporum curriculo apud posteros memoria vigeat, cur igitur non insudant, quibus datum est desuper intellectus pariter & scribendi scientia in occurrentibus notabilia denotare? Cur permittunt magnalia Dei sine felici recordatione transire? Cur non student ea, quæ posteris ædificationem præbeant, exarare? Ecce enim multa transacta sunt tempora, ex quo virtuosum infrascriptum miraculum evenit, & nemo ipsius prodigii præscius extitit, qui de tam felici recordatione, ut inferius declarabitur, saltem aliqua in scriptis ad posterorum memoriam curaverit enarrare. Venerabilis igitur pater domnus Franciscus abbas monasterii sancti Michaelis de Muriano diœcesis Torcellanæ Camaldulensis ordinis volens memoriam tanti miraculi jam diutissime perditam suscitare ad communem utilitatem fidelium, & celebrem recordationem modernis & posteris recitandam, statuit, ac voluit sic gloriosæ rei miraculum in prædicto monasterio in scripturis publicis annotari ad exaltationem gloriosissimi nominis dignissimæ Crucis Domini nostri Jesu-christi salvatoris nostri. Nunc vero ne prodigus hic, ultra forte quam sat est, sermo discurrat, præsidio ejusdem Crucis, de qua locuturi sumus, ad expositionis seriem veniamus.

Anno Domini M. CCC. LXII. *de mense octobris quatuor nobiles & circumspecti viri de partibus Romaniæ, secum ducentes interpretem unum, ad monasterium prædictum accesserunt, qui per prædictum interpretem abbati prælibato in hunc modum affati sunt. Pater a longinquis venimus partibus visitare yconam, in qua duæ parvæ Cruces existunt de ligno sanctissimæ Crucis Redemptoris nostri, quæ in monasterio isto dignoscitur permanere. Qua de re vos precamur, ut nobis ipsam ostendere dignemini. Abbas enim præfatam yconam nequaquam se habere respondit, ipsam tenens absconditam, eo quod paulo ante aliqui desuper altari dicti monasterii furari conati fuerant. Quod responsum, qui venerant, audientes, mœsti & ululatu maximo instantissime denuo deprecati sunt abbatem sic dicentes: Pater, non deneges nobis quæsumus visionem hujus yconæ, quam scimus a nostris antecessoribus antiquitus hic manere. Et ut scias nobis hoc esse notum, tibi incunctanter narrabimus quantitatem, qualitatem atque ipsius yconæ formam seriatim, ut a nostris patribus didicimus esse verum. Ycona, propter quam a longe non modicum huc venimus, constituta est ex quadam asside grossa magnitudine unius libri communis, super qua asside quædam yconæ manent auricalchi aureati. In ipsa vero ycona ab utraque parte desuper sunt sculptæ figuræ imperatoris Constantini ac imperatricis Helenæ, quæ imperatrix meruit Crucem supradicti Domini nostri a Judæis absconditam reperire. In medio enim figurarum earumdem duæ parvæ Cruces scilicet una subtus alteram simul vinctæ consistunt, ex ligno constructæ gloriosæ ac dignissimæ Crucis, in qua salvator noster mortem subire dignatus est. Abbas autem sciens, ob auditum tamen, non ita vere, ipsas Cruces parvas fuisse de ligno sanctissimæ Crucis, quomodo vel quando, aut quare in ipso*

Ann. Chr. 1362.

monasterio primitus fuerint, ignorabat. Unde admiratus his, quæ audierat in immensum ab ipsis, quomodo scirent, aut quo casu audierint prædicta, curiosius investigavit. Ipsi vero miraculum infrascriptum in hunc modum narraverunt dicentes: Mortuis imperatore & imperatrice prædictis, & imperio ipsorum in desolatione veniente accidit, ut aliqui nostri antecessores, ex quorum prosapia originem duximus, in Constantinopolitana civitate applicarent, qui sibi ad hoc committendum commodum agnoscentes yconam suprascriptam subtiliter sunt furati, quam sciebant indubie fuisse imperatoris & imperatricis prædictorum ipsam sibi reputantium cariorem omnibus thesauris, gemmis & reliquiis hujus mundi, eo quod Cruces in prædicta ycona existentes construi fecerant de ligno sanctissimæ Crucis redemptoris nostri, tempore quo imperatrix prædicta, ut suprascriptum est, ipsam Crucem salvatoris nostri a Judæis funditus in terram reconditam meruit invenire. Intrantibus autem navim, qua iverant, & abeuntibus inde cum ycona supradicta, versusque patriam & habitationem ipsorum propere navigantibus, ecce tempestas & infortunium maximum mirabiliter supervenit in mare, adeo quod quasi omni spe salutis perdita crederent omnino periclitari. Sed recordati supradictæ sanctissimæ Crucis, videntesque continue fluctus & procellas fortius abundare, cum fiducia & spe maxima voverunt unanimes nostro salvatori, quod si quassatio & tempestas illa cessaret, sic ut illæsi evaderent, præfatam gloriosam yconam in mare projicerent, ipsamque sequerentur, quocumque mare traduceret eamdem, oblaturi in unam ecclesiarum, quam ipsos primitus reperire contingeret. Quibus dictis, & facto voto, mox & celeriter mare in maxima tranquillitate devenit intantum, quod nil infortunii unquam fuisse videretur in eo. Qui tam grande conspicientes contigisse prodigium, & sic velociter ac firmiter cognoscentes tranquillitatem illam, qua mortem evaserant, ex voto, & post votum ipsorum nullo medio penitus processisse, promissorum memores repente præfatam yconam projecerunt in mare. Quæ nullo ducente a se met pervenit in partes Venetiarum, applicuitque ad monasterium, in quo sumus, statimque indistanter ab ecclesia ista ante fores ipsius suos fixit gressus. Illi autem, qui assidue ipsam secuti fuerant, videntes eamdem ulterius minime progredi, sed immobilem sistere, navi illico descenderunt, & ipsam ex aqua tollentes super altari ejusdem ecclesiæ devotissime obtulerunt, præsentibus abbate ac monachis ipsius monasterii. Porro ad lares proprios remeantes hoc miraculum & cuncta, quæ sibi acciderunt, eorum filiis, propinquis & affinibus narraverunt, & subsequenter de progenie in progeniem felix ea gloriosa recordatio miraculi supradicti propitiante Domino ad nos usque pervenit. Quam ob rem dignetur vestra paternitas ipsam yconam devotissimam nobis ostendere, ut non simus de nostro laborioso ac longissimo nimis itinere frustrati, & possimus Cruci sanctissimæ redemptoris nostri devotam & debitam, sicut decet, reverentiam impertiri. Abbas enim audiens omnia supradicta in immensum gavisus, eisdem prælibatam yconam reverenter ostendit. Qui cum prædictas Cruces devotissime adorassent, læti & jubilantes decesserunt, abbati prædicto gratias referentes, ac laudantes & glorificantes Deum, cui laus & gloria in sempiterna secula seculorum, amen.

Historia adventus hujus pretiosæ portionis sanctæ Crucis comprobatur etiam antiquissimo monumento sequentis inscriptionis, quam in facti memoriam exsculpi in perpolito lapide marmoreo mandavit memoratus Franciscus abbas, nisi illud etiam dicamus inscriptionem vetustiorem fuisse,

se, & sculptam tempore adventus ejusdem sacræ tabulæ, ut indicat forma characterum inclusorum & inter se ligatorum, quæ reperitur in inscriptionibus seculi XII. & XIII. & est hujusmodi

Ann. Chr. 1362.



MIRIFICO. DEDVCTA. MODO. SAN
CTISSIMA. LIGNI. PARS. INCLVSA
CRVCIS. MANET. HIC. CONCVRRITE. PRONI.

Tabulam ipsam alio etiam tempore a nobis illustratam, & peculiari dissertatione epistolica editam tum in collectione opusculorum Calogeriana, tum in symbolis Gorianis & in Thesauro antiquitatum eburnearum, quæ etiam visitur in ecclesiis Torcellanis illustratis a V. Cl. Flaminio Cornelio, rursus exhibemus, cujus opificium tam ob formam, quam ob characteres & imagines Græcitatem declarat, vetustumque tempus.

Asserit insuper Fortunius præfatum Franciscum abbatem auctorem fuisse capellæ seu altaris erecti in ecclesia sancti Michaelis in honorem ejusdem sanctissimæ Crucis. Commemorat etiam parvam quamdam historiam Nicolai Paladini Dalmatæ, quæ forte numquam in lucem prodiit, cum diligenter conquisitam nusquam reperire potuerimus, & ex ea historia hæc potissimum profert de insigni ipsius sanctæ Crucis portione: „ Ex ea „ die templum sancti Michaelis, ipsumque maxime sacellum Crucis tan„ ta esse cœpit in opinione religionis, ut non minus nautæ, quam mer„ catores, ubi ad navigationem se Venetiis accingunt, ad adorandum „ prius sacratissimum lignum exinde venire consueverint. Narranturque „ multa miracula fuisse ibidem pro tempore ostensa. Inter quæ unum „ sat erit ostendere, quod a Nicolao Paladino Dalmata scribitur. Ipse „ enim olim in Cretam navigans ad Antonium Lauretanum in Cyprum „ missus, in redeundo in quindecim incidit triremes piratarum Asiatico„ rum. Cumque sese strenue diu defendisset pro viribus, nec evadere „ posse cerneret, venit illi in mentem sanctæ Crucis ipsius recordatio. „ Tunc enim virtutem suppliciter implorans illico vitæ periculum in„ genti miraculo evasit; effugiens enim, lapsusque, nescitur quomodo, „ ex manibus hostium navigationis cursum prospere confecit, & omnis „ gestæ rei commentariolum composuit, gratias immortales agens Deo. “

Vetus etiam cultus hujus mirificæ sanctæ Crucis portionis demonstratur testimoniis omni exceptione majoribus & superantibus tempora Fortunii. In tabulario Fontis-boni ad annum 1386. mentio fit hujus pretiosæ tabulæ, quam cum ceteris monasterii sancti Michaelis cimeliis & libris depositi loco tenebat mandato dominii Veneti potestas Murianensis oppidi. In vita beati Petri Massaleni ex Ottoca in Sardinia & monachi ejusdem monasterii sancti Michaelis de Muriano, qui ad Deum transiit anno 1453. quam scripsit Maurus Lapius Florentinus monachus sancti Mathiæ de Muriano, hæc proferuntur: „ Dominus Petrus Lauretanus & „ dominus Stephanus Contarenus eximii patricii hujus reipublicæ, quan„ do mittebantur in præliis, devote accedebant ad illud devotum mo-

Ann. Chr. 1362.

„ nasterium, & adorato atque deosculato ligno sanctæ Crucis, quod ibi „ est &c. " Ambrosius pariter Contarenus Venetus patricius in suo itinerario in Persidem, quo ipse conscripsit tempore, quo legatum agebat reipublicæ Venetæ ad regem Usumcassanum, hæc scribit: „ Die vigesi„ ma-tertia februarii anni M. CCCC. LXXIII. navim conscendi, & me con„ tuli ad sanctum Michaelem de Muriano, ubi sacris Missarum solemniis „ adstiti cum comitibus meis, postea priorem monasterii precatus sum, „ ut nos omnes ligno sanctæ Crucis signaret, & habita ejus benedictione „ Mestrem perreximus &c. " Constans traditio fert nullam vel publicam, vel privatam navim solvisse e portu sancti Erasmi, qui e regione erat monasterii sancti Michaelis, nisi viatores & nautæ supplices huc advenientes prius procumberent ante sacratissimum hocce lignum, & benedictionis gratia muniti iter suum auspicarentur; quod tunc primum in desuetudinem venit, cum is portus post annum 1579. quo Fortunius historiam suam edidit, navigationibus non amplius idoneus ob aquas tarde labentes redditus est.

Narrationem superiorem peregrinorum factam abbati Francisco non omni ex parte recipimus; observavimus olim in ipsa tabulæ explicatione eam fabrefactam fuisse non temporibus Constantini & Helenæ imperatorum, sed post plura secula, & facile seculo XI. cujus indolem hujusmodi opificium redolet. Aliqua proinde fabulosa, vel ex ignorantia vel marte suo peregrini addidere, quæ tamen translationis & sacri cultus historiæ minime officiunt. Franciscus abbas sancti Michaelis successerat Omnibono ad annum 1360. quo hic translatus fuit ad prioratum sancti Salvatoris de Curte-regia Veronæ; nomen autem Francisci perseverat in paginis ejus monasterii ad annos 1363. 1365. & 1369. quo postremo anno die prima augusti locationis instrumentum confecit de bonis, quæ monasterium sancti Michaelis possidebat in castro Mestre. Ipso tamen mense die XVI. Paulus effertur abbas ejusdem monasterii.

X. Monumenta plurium monasteriorum.

Ortis divisionibus in parthenone sanctæ Christinæ de Bononia circa electionem abbatissæ Johannes prior generalis ex ecclesia sancti Johannis de Ravaldino Foro-liviensis urbis hoc anno die X. septembris indictione XV. deputavit Venturam priorem Camalduli-Bononiensis ad eas sedandas. Mortuo interea Ventura priore, Simon prior sancti Damiani ejusdem urbis, vicarius præfati prioris generalis Tisiam Jacobi Arriverii in abbatissam legitime electam pronuntiavit, eamque monialibus suscipiendam exhibuit contra Johannam olim electam dicti monasterii. Inde sanctimoniales in suum sindicum elegerunt Johannem Superantium priorem Camalduli-Bononiensis suffectum in locum Venturæ.

A procuratoribus tum Matthæi cardinalis episcopi Portuensis, tum abbatis sanctorum Andreæ & Gregorii de Urbe locatum fuit hoc anno stagnum-majus in Campo-majori diœcesis Portuensis.

Ecclesia sancti Clementis de Pezza plebanatus sancti Hippolyti de Biblena subdebatur abbati Prataliensi; quare die nona februarii Petrus abbas Prataliæ elegit in ipsa rectorem presbyterum Guidonem; ex tabulario Fontis-boni [a].

Vacante monasterio sanctæ Mariæ Sanæ-vallis de Fullina, in ipsius locum electus fuit Petrus Venerius de Fossa-clodia; qui pro communi suo servitio, ut legitur in libro *Obligationum*, promisit triginta-tres Florenos die septima maji.

Bona Montis-ulmi plebis Ampugnani in Corsica cum quindecim casalibus & omnibus aliis terris, quas dederat abbatiæ Montis-christi olim Guilliel-

[a] §. *Electio.* §6. 4. 15. 81.

Guillielmus Corsicæ marchio, possidebantur a communi seu populo Montis-ulmi, qui subjectus erat dictæ abbatiæ una cum toto Montis-ulmi circulo, tenebaturque quotannis omnium rerum decimas solvere eidem monasterio, ut ex instrumento rogato a Petro filio Tragugionis notario sub die quarta junii anni M. CCC. LXII. quod extat in libro vulgo *Livelli* A. pagina 40. archivi sancti Michaelis Pisarum. ANN. CHR. 1362.

MONIALES sanctæ Agathæ de Florentia satis laudabili fama honestatis & monasticæ disciplinæ florebant, neque tamen opibus & redditibus abundabant; quare tum præsenti, tum sequenti seculo tam episcopi Florentini, quam Romani pontifices complura sacrarum virginum monasteria, in quibus vel Benedictinæ regulæ vigor tepuerat, vel quæ ad inopiam vergebant, consultum duxerunt adnectere & copulare cum parthenone sanctæ Agathæ, translatis ad hoc eorum monasteriorum incolis & prædiis. Præsenti anno M. CCC. LXII. indictione I. die XVII. februarii juxta tamen Florentinam consuetudinem, hoc est anni sequentis initiis, Philippus de Antella episcopus Florentinus, attento situ silvestri & remotiore ab urbe, adeoque parum tuto pro servanda honestate monialium sancti Francisci a Vicchio castro in regione Mucellana, cum in eo asceterio post obitum abbatissæ duæ dumtaxat moniales superfuissent, quarum neutra idonea erat regimini, & utraque in electione discors; cognito etiam, quod propter bella & militum excursiones moniales dicti loci eatenus sæpe sæpius coactæ fuerant claustra monasterii deserere, domosque secularium adire, hujusmodi abusibus occurrere volens subjecit in perpetuum Vicchiense cœnobium cum possessionibus & juribus suis monasterio sanctæ Agathæ, includens in ipsum duas superstites moniales, quas oneravit, ut deinceps degerent sub obedientia abbatissæ sanctæ Agathæ. Instrumentum episcopalis translationis & unionis scriptum manu Johannis-baptistæ olim Cambini a Prato judicis notarii & scribæ episcopalis, coram Johanne de Albergottis Arretino doctore, & Leonardo de Casulis dicti episcopi vicariis, & Silvestro priores sancti Bartholi de Cursu Florentiæ asservatur in tabulario dicti sanctæ Agathæ monasterii sub numero V. Asceterium sancti Francisci a Vicchio, appellatum alio nomine Montis-massi, in Mucello consurgebat foris oppidum Vicchii, & ad hanc diem superest sola ecclesia, in quam jura patronatus exercent moniales sanctæ Agathæ. Carolus Strozzius senator Florentinus, teste ejus filio Alexandro æque clarissimo, scriptum reliquit dominos Fighineldos nobiles Vicchienses fundatores fuisse ejus parthenonis, eosque judicavit consortes nobilissimæ familiæ Hieronymiorum. Joseph-maria Brocchius in historia Mucellana [a] laudat instrumentum alterum hujus unionis confectum per Laurentium Tani a Lutiano die IV. martii ejusdem anni, & existens in protocollo VII. archiepiscopalis tabularii Florentini.

ANN. CHR. 1363.

XI. Monasterium de Vicchio unitum cum illo S. Agathæ.

[a] Pag. 250.

EADEM superiori die decima-septima februarii idem episcopus præfato sanctæ Agathæ asceterio adjecit alterum monasterium, quod sub invocatione sanctissimæ Trinitatis in urbe Florentina constructum erat, sed ad extremam paupertatem redactum, cujusque abbatissa aufugiens e claustro hinc inde discurrebat, moniales vero seculares viros intra septa admittebant, qui stipem illis erogabant. Juxta prædictum Alexandrum Strozzium monasterium sanctæ Trinitatis ædificatum fuerat anno 1330. in domo Stephani quondam Stephani Busillis canonici Florentini in via Guelfa in populo sancti Laurentii a Nutta quondam Corsi a Pila sub disciplina monachorum congregationis Vallis-umbrosæ. Per aliquod tempus, ut

XII. Similiter monasterium Sanctissimæ Trinitatis de Florentia.

ANN. CHR. 1363.

a P. I. lib. 2. cap. 21.

b pag. 67.

ut scribunt nostri [a] Fortunius & Ractius [b], idem locus suppositus fuit directioni monialium nostrarum sancti Johannis-evangelistæ de Buldrone. De monasterio sanctæ Trinitatis verba facit etiam Johannes Villanius, qui libro XI. cap. 66. scribit igne conflagrasse hocce monasterium; sed præsertim dormitorium, quod situm erat in campo Corbolino. An vero secuta fuerit unio monialium sanctæ Trinitatis cum monialibus sanctæ Agathæ dubitamus; etenim reperimus in tabulario sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia post novennium, hoc est „ anno M. CCC. LXXII. Benvenutum Bartholomæi priorem sancti Laurentini de Arretio ordinis „ Camaldulensis, & capellanum sanctimonialium Buldronensium dono dedisse Johannæ abbatissæ hujus parthenonis sua omnia, & nominatim „ quinquaginta Florenos, quos habebat in bonis & in domibus monialium sanctæ Trinitatis, qui locus pertinebat ad dictum Buldronense „ monasterium, in populo sancti Laurentii in via Guelfa, quæ bona Buldronenses moniales emerant anno M. CCC. LXVII. a sanctimonialibus „ sanctæ Ursulæ. " Pariter in archivo ejusdem monasterii sancti Johannis-evangelistæ de Buldrone ad annum 1385. superest hoc monumentum. „ Gilius Jacobini capellanus, & soror Ricca Leonardi conversa seu oblata Buldronis constituti fuere sindici ad bona Buldronensium monialium, „ & monasterii sanctæ Trinitatis siti Florentiæ prope portam Faventiæ „ uniti & incorporati cum monasterio sancti Johannis de Buldrone. " Demum ex eodem archivo ad annum 1391. Buldronenses sancti Johannis moniales expressis verbis dicuntur „ commorantes in Florentina urbe & in populo sancti Laurentii in monasterio vulgariter dicto *de la* „ *Trinità*. " Ex his & superioribus monumentis colligitur asceterium sanctæ Trinitatis subjectum fuisse monialibus sanctæ Agathæ, sanctæ Ursulæ, & sancti Johannis-evangelistæ de Buldrone; quæ conciliari facile possunt, si dicamus monasterium ad summam egestatem redactum, fuisse venditum vel donatum primum monialibus sanctæ Agathæ, inde illis sanctæ Ursulæ, postremo Buldronensibus, translatis monialibus superstitibus sanctæ Trinitatis ad illud sanctæ Agathæ. Addit Fortunius [c] ex Buldrone consuevisse mitti abbatissas ad regendum locum sanctæ Trinitatis, & Ractius adnotat eo loci Florentiæ tunc exsurrexisse monasterium sanctissimæ Trinitatis, ubi modo extollitur arx, inter portam sancti Galli & alteram Prati. Asceterio sanctæ Trinitatis ante sexennium, hoc est anno M. CCC. LVI. stilo Florentino, die XIX. januarii indictione X. aggregatum fuerat a Nerio Corsino præposito & vicario canonicorum Florentiæ, sede episcopali tunc vacante, aliud monasterium pro sacris virginibus, appellatum sancti Pauli de Burgo-sicco diœcesis Florentinæ, id postulante Johanna moniale sancti Pauli, quæ sola supererat. Franciscus presbyter & rector sanctæ Mariæ de Trivalle fuit executor ejus unionis, induxitque in possessionem abbatissam sanctæ Trinitatis; Dino Octaviani Pulliciani de Mucello notario chartam roborante in ecclesia sancti Salvatoris. Etiam hujusmodi pagina asservatur sub numero XXIV. in eodem sanctæ Agathæ tabulario. Auctoritate horum documentorum nonnihil emendandus erit Ughellius in episcopis Florentinis, qui statuit Philippi de Antella ingressum in episcopatum ad annum 1356. decessum vero ipsius, & promotionem Petri Corsinii ejus successoris ad annum 1361. Die XIX. januarii anni 1356. more Florentino, hoc est anno Romano 1357. vacabat sedes Florentina; igitur Philippus ea die nondum elevatus fuerat ad episcopales patriæ infulas. Anno pariter 1362. indictione I. die XVII. februarii, Florentino similiter stilo, hoc est 1363. Philippus

c Part. I. lib. II. c. 21.

pus

pus nondum decesserat, qui superiores uniones monasteriorum faciendas mandavit. Ad annum 1355. attulimus Caroli IV. privilegium pro eremo Camaldulensi recognitum die XX. aprilis anni 1363. a notariis Philippi episcopi Florentini, qui proinde etiam ea die vivebat. Quare Petri Corsinii episcopatus saltem post mensem aprilem anni 1363. erit auspicandus, & non ab anno 1361. ut scribit idem Ughellius. [a]

ANN. CHR. 1363.

a T. III. col. 150.

XIII. Transactio episcopum Castellanum inter & abbatem Burgensem.

PENDEBAT lis inter Bandellum Bucium, Petro suffectum, Castellanum episcopum, & inter Johannem Bartholomæi successorem & abbatem Burgensem, acerrimisque rationibus ex utraque parte agitabatur coram apostolicæ sedis legato cardinale Ægidio Carillo episcopo Sabinense. Cum autem prævaleret potentia episcopus Castellanus, utpote qui tunc tyrannice dominabatur in Burgo-sancti-Sepulcri ab anno 1357. sequens efformata fuit compositio seu transactio inter episcopum & abbatem; quam ex codice Mediceo, seu ex collectore jurium Burgensium sæpius nominato subjicimus, de qua etiam alte conqueritur.

IN DEI NOMINE *amen. Anno Domini a nativitate ejusdem millesimo* CCC. LXIII. *indictione prima, tempore domini Urbani papæ quinti die* XXI. *mensis decembris. Verum est litem & quæstionem, jam sunt tempora, fuisse & esse versas inter venerabiles patres dominos episcopos Civitatis-castelli ex una parte, & abbates monasterii sancti Johannis, alias sancti Sepulcri, ordinis Camaldulensis de Burgo sancti Sepulcri ex altera, de jurisdictione & super jurisdictione spirituali terræ Burgi-sancti-sepulcri prædicti & ejus districtus, & de possessione vel quasi exercitii jurisdictionis prædictæ, quam utraque pars se in solidum habere asserebat, & adhuc vertebatur, & vertuntur inter reverendissimum patrem & dominum dominum Bandellum Bucium episcopum Civitatis-castelli prædictæ nomine dicti sui episcopatus, & venerabilem patrem domnum Johannem abbatem monasterii antedicti nomine dicti sui monasterii, coram reverendissimo in Christo patre & domino domino Ægidio episcopo Sabinense apostolicæ sedis legato, & sanctæ Romanæ ecclesiæ in partibus Italiæ vicario generali, prout apparere potest ex actis in ejusdem curia actitatis & factis, ex quibus hucusque partibus supradictis hinc inde multa scandala, expensæ & incommoda sunt secuta, & adhuc posse subsequi majora hinc inde timebantur, maxime cum ipsarum litium & quæstionum dubius esset eventus, & aliis justis de causis. Nunc vero præfatus dominus Bucius episcopus supradictus de voluntate & consensu capituli & conventus canonicorum canonicæ episcopatus præfati* &c. *& prudens vir ser Sancti quondam ser Francisci notarius de dicto Burgo sindicus & procurator dicti domni Johannis abbatis prædicti monasterii & capituli & conventus ejusdem, habens ad hoc sufficiens mandatum* &c. *asserentes & scientes omnia prædicta vera fuisse & esse* &c. *& propterea volentes pari voto a dictis litibus, causis, quæstionibus* &c. *quæ inter eas partes super prædictis vel eorum occasione modo aliquo esse possent vel oriri, discedere, & eas sedare* &c. *sponte, deliberate* &c. *ad talem concordiam, compositionem* &c. *pervenerunt, videlicet.*

In primis, quod dictum monasterium sancti Johannis, alias sancti Sepulcri, cum atrio suo et membris et capellis et membris suis, et abbas ipsius monasterii et monachi, conversi et familiares, commensales ipsius, quamdiu in dicto monasterio erunt, et tam præsentes, quam futuri in perpetuum remaneant, et sint liberi et exempti a dicto domino episcopo et suis successoribus, et a quibuscumque eorum, et episcopatus prædicti officialibus et nunciis præsentibus et futuris, et ejus jure et lege diœcesani, ita quod in eos nullam jurisdictionem valeant exercere quoquo modo, jure vel causa

seu

Ann. Chr. 1363. ſeu aliquo colore quæſito, niſi quantum a jure permittitur contra exemptos juriſdictionem ordinariam exerceri, prout et ſicut non plus nec minus in privilegiis ordinis Camaldulenſis, et dicti monaſterii ſancti Johannis, alias ſancti Sepulcri, continetur. Et quod talis immunitas vel exemptio eis vel alicui ipſorum non auferatur vel minuatur, nec auferri ſeu minui poſſit quoquo modo vel jure... nec per aliquem actum, factum vel fiendum etiam in dicto monaſterio vel atrio ſuo, et capellis ejuſdem per aliquem epiſcopum dictæ civitatis vel ejus officiales ſeu ſindicos vel nuncios. Nec ipſi abbati et monachis et aliis ſupraſcriptis ullum fiat vel ſit præjudicium, etiamſi nulla fieret proteſtatio per eoſdem exemptos, ut prædicitur. Sed ipſa immunitas, et exemptio ſemper firmæ perdurent, quoad ipſas perſonas et loca prædicta, et eorum bonis, et eorum privilegiis et exemptionibus uti valeant et libere exercere.

Item quod abbas dicti monaſterii et ejus beneficia, et capellæ, quæ exempta ſunt, ullo tempore non teneantur ad ſolutionem alicujus quartæ ſeu canonicæ portionis, quæ alias epiſcopo tenentur de legatis vel hæreditatibus ipſis abbati ſeu monaſterio et capellis relictis ſeu relinquendis impoſterum, nec ad id cogi ſeu compelli poſſint quoquo modo, jure vel cauſa, vel etiam moleſtari vel inquietari.

Item, quod in perpetuum quilibet abbas dicti monaſterii præſens et futuri poſſit per ſe vel ejus vicarium, et ſibi liceat in terra Burgi cognoſcere et terminare cauſas de matrimoniis et uſuris, et de cauſis matrimoniorum et uſurarum tam præſentibus quam futuris, et uſurariorum cautiones recipere et expedire, et de prædictis, et in prædictis et eorum occaſione omnia facere et libere exercere, quæ expediunt ſecundum jura et conſuetudines laudabiles in prædictis obſervatas; et pro prædictis exequendis etiam cenſuram eccleſiaſticam exercere; dummodo quæſtiones uſurarum et matrimoniorum definire et determinare debeat, ſi fuerit cauſa principalis, infra ſex menſes a die oblati libelli ſuæ petitionis. Et ſi fuerit incidens vel emergens, puta exceptio vel replicatio ad ipſum abbatem cognoſcendum remiſſa, vel hujuſmodi infra duos menſes a die remiſſionis ſeu propoſitionis. Niſi idem abbas in exequendo et finiendo ac cognoſcendo fuerit legitime præpeditus, quæ tempora impeditionis, videlicet in dictis terminis ſex menſium vel duorum menſium minime computentur. Elapſis vero ſine impeditione juridica terminis ſupradictis, ſi dictus dominus abbas prædictus cauſas, ut decet, et prædicitur, non cognoverit et terminaverit, quod ex tunc liceat dicto domino epiſcopo et ſuis officialibus ejuſdem domini abbatis ſupplere negligentiam, et obmiſſa et debita juridice terminare et exequi ſecundum jura et conſtitutiones ſynodales. Reſtitutiones vero uſurarum morientium expediri debeant infra octo menſes a die mortis uſurarii, et ſi infra terminum non expedierit abbas, quod tunc in caſu negligentiæ teneatur abbas bona fide ſine fraude reddere et reſtituere libros rationum uſurariorum pro reſtitutione reſidui epiſcopo vel ſuis officialibus. Si vero aliquid uſuræ reſtituendæ remaneret, quia non invenirentur hæredes, quibus fieri deberet reſtitutio, vel hæreditatem renuntiarent, quod tunc dictæ uſuræ debeant dari pauperibus terræ Burgi et ejus diſtrictus per commiſſarios deputandos per epiſcopum, abbatem, et priores fraternitatis ſancti Bartholomæi, qui pro tempore fuerint.

Item, quod præfatus dominus abbas poſſit eſſe executor et diſtributor ultimarum voluntatum, et exequi teſtamenta et ultimas voluntates, quando et quibus executor vel diſtributor eſſet conſtitutus ſive relictus, et pro eis exequendis valeat cenſuram eccleſiaſticam, et omnia opportuna exercere et

operari

operari plenarie. Dummodo illa exequatur et faciat infra terminum. Alias ad eumdem dominum episcopum & ejus curiam prædictorum executio devolvatur. Et prædicta locum habeant tam in casibus præsentibus, quam futuris.

ANN. CHR. 1363.

Item, quod de testamentis præteritis & ultimis voluntatibus & usurariorum cautionibus & restitutionibus hucusque & in præsentem diem celebratis & factis in dicta terra Burgi vel ejus districtu per quoscumque per dictum dominum episcopum vel ejus officiales tam præsentes, quam futuros nulla fiat executio vel processus; salvo tamen jure singularum personarum & locorum petentium sibi relicta in ipsis ultimis voluntatibus, quorum petitiones audiri valeant per episcopum & ejus officiales & exequi, ut decebit. Et quæ secus agerentur, ipso facto sint nulla, & exequi minime teneantur, vel servari quoquo modo vel jure.

Item, quod dominus episcopus & sui officiales possint uti omni jurisdictione episcopali & officio in terra Burgi & ejus districtu. Et quod abbas prætextu alicujus consuetudinis vel privilegii hucusque habiti dictum episcopum vel ejus officiales non impediat vel impedire valeat aliqua ratione vel causa. Salvo tamen & expresso, quod in dictis causis matrimoniorum & usurarum inter eos locum habeat præventio, nullus alium valeat impedire vel debeat aliquo modo, jure vel privilegio, vel consuetudine, quibus etiam uterque eorum contra prædicta uti non possit, vel exercere quoquo modo vel jure, sed tantum ad observationem in præsenti contractu contentorum.

Item quod si aliqua de causa, modo aliquo seu jure contigeret per ipsum episcopum vel ejus successores generale poni seu mandari interdictum in dicta terra Burgi vel ejus districtu, quod tunc ipsis domino abbati & successoribus liceat uti omni privilegio sibi aut suo monasterio, seu & ordini concesso tam pro se, quam pro Burgensibus. Et in hujusmodi jus eorum exemptionis & privilegii non mutetur, sed in sua maneat roboris firmitate.

Item quod abbas vel ejus commissarius ultra ea, quæ in præsenti transactione & pacto continentur, nulla jurisdictione spirituali vel episcopali utatur in dicto Burgo vel ejus districtu. Possit tamen uti insigniis pontificalibus, ut hactenus consuevit. Possit & quartam legatorum percipere a fratribus Heremitanis dictæ terræ secundum pacta inita inter eos sine præjudicio juris episcopalis in residuo dictæ quartæ.

Item quod viaticum pœnitentiæ & extrema unctio parochianis dicti monasterii & capellarum suarum non concedatur per aliquem, nisi per abbates dicti monasterii, vel ejus vicarium seu capellanum; & quod per episcopum vel ejus successores, vel officiales de prædictis sacramentis alicui non fiat commissio vel mandatum sine voluntate abbatis prædicti. Et si fieret, non teneat ullo modo & ejus commissio valeat per dictum dominum abbatem legitime impediri.

Transigentes & paciscentes statuta facta hinc inde firma & rata habere, promittentes omnia & singula suprascripta sollemnibus stipulationibus pœna CCC. Florenorum. Et quod per aliquem actum, qui fieri contigerit, contra seu præter prædicta, a prædictis minime intelligatur recessum, nec sit, nec in contrarium prædictorum ex ipsis actis jus aliquod acquiratur vel acquiri possit quoquo modo vel jure. Nec aliqua currat, vel allegetur vel allegari possit vel audiatur præscriptio, defensio vel exceptio prædictis in aliquo derogans vel resistens. Et quod utraque pars pro prædictis servandis sibi & manutenendis, si expedierit, possit omni jure suo & privile-

Ann. Chr. 1363. *vilegio uti, & sibi per prædicta minime præjudicetur. Quæ omnia observare promiserunt sub dicta pœna* CCC. *Florenorum, pro quibus firmiter observandis obligaverunt* &c. *cum refectione damnorum* &c. *Non est apposita guarentigia.*

Actum in Civitate-castelli in superiori sala palatii episcopatus ejusdem, præsentibus &c.

Ego Franciscus Cuicii notarius &c.

XIV. Epistola Bucii ep. Castellani ad Burgenses. EADEM die sequentem Burgensibus viris epistolam dedit idem Bucius Castellanus episcopus: *Bucius immeritus & indignus episcopus Civitatis-castelli nobilibus & prudentibus viris officialibus & hominibus terræ Burgi-sancti-Sepulcri diœcesis dictæ civitatis salutem æternam & in terris pacem bonam. Tranquillitati vestræ vestrorumque districtualium laicorum prospicere cupientes petitioni vestræ libenter annuimus, & vos vestrosque districtuales laicos dumtaxat privilegio perpetuo communimus, capituli nostri accedente consensu; quod per nos vel officiales nostros vel successorum nostrorum non possitis ad judicium trahi nolentes extra Burgum sancti Sepulcri vel ejus districtum, nec ad id compelli possitis aliqua censura vel pœna; quod si contra fiat, non teneat ipso jure. Verumtamen vicarium & officialem nostrum vel nostrorum successorum in dicto Burgo & ejus districtu sua jurisdictione episcopali & officio permittatis libere uti & exercere, & omnia statuta & ordinamenta de libris & capitularibus communis dicti Burgi, quæ essent contra episcopum vel suos officiales, vel exercitium jurisdictionis prædictæ per directum vel obliquum abradi, tolli & cancellari penitus faciatis, & de cetero talia vel similia nullatenus præsumatis, eisdemque officialibus nostris & successorum nostrorum, quotiens fueritis requisiti contra illos, qui excommunicationem per mensem sustinuerint animis induratis, per vos vestrosque officiales usque ad perfectam executionem auxilium brachii temporalis concedere debeatis. Et quod libere permittatis, quantum in vobis fuerit & poteritis, episcopum & suam familiam libere intrare, stare & redire quandocumque, & ipsos tenere & tractare, & ab injuriantibus pro posse defendere per terram Burgi et ejus districtum teneamini, prout leges volunt et canonicæ sanctiones; alias privilegium juribus non subsistat, quousque prædicta curaveritis effectualiter adimplere. Pactis inter abbatem dicti Burgi et nos initis nihilominus in omnibus observatis et ratis perpetuo permansuris.*

Datum in Civitate-castelli sub annis Domini a nativitate M. CCC. LXIII. *indictione prima tempore domini Urbani papæ quinti die* XXI. *mensis decembris.*

XV. Jura abbatis Burgensis, quæ infirmant eam transactionem. SUPER hanc concordiam inter episcopum & abbatem hæc commentatur collector jurium ad Nicolaum papam V. scribens.

Transactio ista, beatissime pater, fuit penitus violenta, nam Castellani temporalem dominationem tunc temporis habebant super Burgenses, itaut eo urgente dominio episcopus cum omni arrogantia fecerit statuta Burgensium antiqua, in quibus multa scripta erant facientia pro juribus monasterii contra ipsum episcopum, non modo cancellari, sed penitus concremari, et nova edi atque componi sub titulo dominii Castellani. Verumtamen ex ipsa transactione et literis episcopi subtiliter intuentibus liquido constat abbatem jura plena habuisse, et fuisse in plena possessione exercitii dictæ jurisdictionis ordinariæ, episcopum autem minime, de qua quidem abbatis possessione etiam per instrumenta et acta publica et sententias latas per abbates ex registro notationis, quod etiam inseretur inferius, manifeste monstratur per continuationem exercitationis dicti juris factam per annos non

modo

modo quadraginta vel quinguaginta , *sed etiam per septuaginta & octuaginta & etiam centum annos*. Tum ipsa publica instrumenta per compendium affert ex regestis monasterii Burgensis , quæ & nos ad pleniorem notitiam subjungimus. ANN. CHR. 1363.

I. *Per instrumentum electionis & confirmationis priorissæ monasterii sororis Marinæ factæ per domnum Jacobum monachum vicarium generalem domni Braymani abbatis tunc temporis dicti monasterii sancti Sepulcri in anno Domini* M.CC.LXXV. *tamquam ordinarii in Burgo & districtu*.

II. *Per instrumentum obedientiæ factæ per sorores de Cerreto domno Albertino monacho & vicario domni Petri abbatis in anno* M.CC.LXXVII.

III. *Per instrumentum cautionis factæ per Orlandinum Ragnolfi in manibus domni Zenonis abbatis super restituendis usuris tamquam ordinarii in anno* M. CC. LXXXI.

IV. *Per instrumentum electionis abbatissæ monasterii sanctæ Catharinæ factæ coram domno Zenone abbate et ordinario prædicto*, *& petitionis confirmationis abbatissæ*, *& confirmationis ipsius electionis & electæ eodem anno* M. CC. LXXXI.

V. *Per instrumentum per Sanctem Rigi Martinelli & ejus uxorem manibus domni Gregorii capellani dicti monasterii de restituendo certas quantitates extortas per eos a Lucense Boncompagni per usurariam pravitatem & omnes alias quantitates per illicitum modum extortas* M. CC. LXXXIV.

VI. *Per instrumentum monitionis factæ per suprascriptum domnum Zenum abbatem & ordinarium in sacra Missarum sollemnia*, *quo monuit omnes homines et personas de Burgo*, *qui dicuntur esse clerici*, *sub excommunicationis pœnis non portent arma offendibilia per Burgum* , *alias procedetur contra eos ad excommunicationem* M. CC. LXXXV.

VII. *Per instrumentum alterius monitionis per ipsum domnum Zenum in sacra Missarum sollemnia adstante multitudine populi* M. CC. LXXXV.

VIII. *Per instrumentum cautionis factæ per Thegarium olim Honfredi in manibus domni Bindi abbatis et ordinarii dicti Burgi de restituendis usuris* M. CC. LXXXV.

IX. *Per instrumentum cautionis factæ per Stantiolum sartorem in manibus domni Petri abbatis dicti monasterii et ordinarii de restituendis illicite ablatis omnibus*, *a quibus abstulit* M. CC. LXXXVIII.

X. *Per instrumentum cautionis usurarum factæ per domnum Capanarium judicem de restituendis usuris in manibus ejusdem domni Petri abbatis et ordinarii* M. CC. LXXXX.

XI. *Per instrumentum cautionis factæ per Raynerium Christophori de Altaguizzis in manibus prælibati domni Petri abbatis et ordinarii ipsius Burgi in anno Domini* M. CC. LXXXXI.

XII. *Per instrumentum obedientiæ factæ et promissæ eidem domno Petro abbati et ordinario Burgi per abbatissam et sorores monasterii sancti Sperandei in anno* M. CC. LXXXXI.

XIII. *Per instrumentum cautionis per Martinum archipresbyteri Venturæ de Guidalibus hæreditario nomine dicti sui patris de restituendis usuris extortis per patrem ejus in manibus domini Johannis abbatis dicti monasterii* M.CC.LXXXXVIII.

XIV. *Per instrumentum cautionis factæ in manibus ipsius domni Johannis abbatis et ordinarii Burgi per Beccajolum domni Bercarii de restituendis usuris* M. CC. LXXXXVIII.

XV. *Per instrumentum cautionis factæ per Cambium vocatum Scorfina in manibus domni Dominici capellani domni Angeli abbatis et ordinarii di-*

Ann. Chr. 1363. *cti Burgi pro ipso abbate et ordinario de restituendis usuris*. M. CCC. VIII.

XVI. *Per instrumentum cautionis factæ per Rossum quondam Mattæ in manibus dicti domni Angeli abbatis & ordinarii de restituendis usuris*, M. CCC. VIII.

XVII. *Per instrumentum cautionis factæ per Actam Corradini de Acerbis in manibus domni Johannis abbatis & ordinarii dicti Burgi de restituendis usuris*. M. CCC. XII.

XVIII. *Per instrumentum cautionis factæ per Inghizum Guramontis domno Johanni abbati & ordinario Burgi de restituendis usuris*. M. CCC. XX.

XIX. *Per instrumentum obedientiæ factæ & promissæ per sorores de Cerreto domno Angelo abbati & ordinario Burgi in anno Domini* M. CCC. XXXIIII.

XX. *Per instrumentum cautionis factæ per Bartholomæum Orlandini in manibus domni Philippi capellani domni Francisci abbatis ordinarii Burgi jam dicti in anno Domini* M. CCC. XXXVIII.

XXI. *Per instrumentum commissionis bampnimentorum missorum pro parte præfati domni Francisci abbatis & ordinarii Burgi super restitutione usurarum Bencii Raynerii Mezafestæ per loca publica & consueta Burgi & per alia acta inde secuta in anno Domini* M. CCC. XXXIX.

XXII. *Per instrumentum sententiæ absolutionis latæ per ipsum domnum Franciscum in favorem hæredum dicti Bencii in anno Domini* M. CCC. XXXVIIII.

XXIII. *Per unum quaternellum bombicinum actorum factorum coram eodem domno Francisco abbate & ordinario Burgi quæstionis vertentis inter Bartholum & Johannem fratres & filios & hæredes Minacci Griffi eorum nominibus, & procuratorio nomine Berardini eorum fratris & legitimi administratoris filiorum dicti Minaccii, & Gorum Gnoli ex una parte agentes, & hæredes ser Nicolii Uguccii & ejus fidejussores & bonorum possessores ex altera parte se defendentes occasione usurarum* M. CCC. XXXVIIII.

XXIV. *Per instrumentum sententiæ latæ per domnum Franciscum abbatem & ordinarium dicti Burgi inter Vanem Bindi & dominam Duciam ejus uxorem ex parte una, & hæredes Senze olim Bigalli ex altera super restitutione usurarum* M. CCC. XLI.

XXV. *Per bampnimenta super restitutione usurarum Francisci quondam Muciaronis missa per domnum Bartholum abbatem & ordinarium dicti Burgi, & per acta inde secuta in anno Domini* M. CCC. L.

XXVI. *Per instrumenta remissionis cujusdam causæ vertentis inter Cechum Ducii de villa sancti Petri ex una parte, & Gorum Gnoli ex altera, occasione usurarum remissæ per sapientem virum dominum Nicolaum judicem & vicarium nobilis viri Gisegnæ de Perusio honorandi potestatis tunc dicti Burgi eidem domno Bartholo abbati & ordinario in anno* M. CCC. LI.

XXVII. *Per petitionem porrectam per acta facta in causa coram dicto domno Bartholo abbate & ordinario prædicto inter partes supradictas dicto anno* M. CCC. LI.

XXVIII. *Per instrumentum obedientiæ sororis de Anna factæ eidem domno Bartholo abbati & ordinario*. M. CCC. LI.

XXIX. *Per instrumentum submissionis sororis Elsæ de Ulmo in anno* M. CCC. LI.

XXX. *Per instrumentum sententiæ excommunicationis latæ per dictum domnum Bartholum abbatem & ordinarium jamdictum contra sorores carceris de Ulmo, & acta notificationis dictæ sententiæ in anno* M. CCC. LI.

XXXI.

XXXI. *Per petitionem factam coram dicto domno Barthole abbate & ordinario prælibato super causa matrimoniali per Perinum de Placentia contra Johannam Pucii de Bergariis, & acta inde secuta* M. CCC. LII. ANN. CHR. 1363.

XXXII. *Per bampnimenta missa per ipsum dompnum Bartholum abbatem & ordinarium super restitutione usurarum Mucii Cisti Custiæ, & per acta & sententiam inde secutam.* M. CCC. LIIII.

XXXIII. *Per petitionem & acta inde secuta super causa matrimoniali vertente coram dicto domno Barthole abbate & ordinario inter Neriam Alexii & dominam Ghitam filiam Cardinalis, & per sententiam latam contra dictam dominam Ghitam.* M. CCC. LVI.

XXXIV. *Per petitionem factam coram præfato domno Borthole abbate & ordinario in causa vertente super usuris inter Michaelem Bernardi & inter Ciscbum Vannis Nigri in anno Domini* M. CCC. LVII.

XXXV. *Per commissionem bampnimentorum per dictum domnum Bartholum abbatem & ordinarium missorum super restitutione usurarum Monalducii, & per acta inde secuta.* M. CCC. LVII.

XXXVI. *Per instrumenta monitionis factæ per dictum dominum abbatem, quod sub pœna excommunicationis nullus vadat pro causis spiritualibus ad aliam curiam, quam ad curiam ipsius domni Bartholi abbatis & ordinarii* M. CCC. LVII.

Hoc incipit esse tempore dominii & occupationis tyrannicæ Castellanorum, qui dominabantur in Burgo, quorum vigore, fautione & monbordio episcopus misit in Burgo vicarium suum.

XXXVII. *Per instrumentum protestationis factæ pro parte præfati domni Bartholi abbatis & ordinarii vicario episcopi Castellani, quod non exerceret jurisdictionem ordinariam in Burgo dicto anno* M. CCC. LVII.

XXXVIII. *Per instrumentum compositionis factæ per sindicum societatis sancti Antonii ad monstrandum dicto domno Barthole abbati & ordinario, qualiter dicta societas fecit ædificare ecclesiam sancti Antonii cum licentia abbatis Francisci prædecessoris diu jam præfati domni Bartholi* M. CCC. LVII.

XXXIX. *Per instrumentum comparitionis sindici societatis sanctæ Catharinæ ad monstrandum præfato domno Barthole abbati & ordinario de ædificatione dictæ ecclesiæ cum licentia abbatum Burgi* M CCC. LVII.

XL. *Per instrumentum comparitionis sindici societatis sanctæ Mariæ Magdalenæ ad monstrandum eidem domno Barthole abbati & ordinario dictæ ecclesiæ sanctæ Mariæ Magdalenæ, quæ facta fuit de licentia abbatum ejusdem monasterii, in anno Domini* M. CCC LVII.

Hæc collector contra præfatam transactionem congessit. Nihilotamen secius aliquatenus firmata fuit concordia & pax inter Bucium episcopum Castellanum & Johannem abbatem Burgensem. Post quinquennium Castellani, qui tenebant arcem sancti Angeli ab ipsis ædificatam in oppido Burgi-sancti-Sepulcri, eam derelinquere, solumque vertere violenter coacti fuere. „ Brancaleo enim de Guelfutiis civis Castellanus & miles tyrannidem in patriam usurpans Castellanam urbem subegit, & successive etiam occupavit Burgum-sancti-Sepulcri, arcem præfatam ingrediens anno M. CCC. LXVIII. pontificatus Urbani papæ V. anno VI. Caroli IV. anno XXII. sed anno, qui subsecutus est die XVIII. junii feria V. tempore, quo sacratissimum Christi Corpus sollemniter gestabatur per oppidum, facta seditione populi, Burgenses cives gladio interemerunt plusquam ducentos Castellanos, opem etiam præstante populo Perusino Burgensium amicissimo, fugarunt & extra Burgum ejecerunt affatim ceteros in oppido commorantes. “ Post eam male consarcinatam

Ann. Chr. 1363.

tam transactionem repullulavit sæpius eadem controversia inter episcopos Castellanos & abbates Burgenses, deque ipsa frequens occasio dicendi se offeret seculo præsertim sequenti, ut etiam de varia fortuna Burgensis populi, & de variis dominis, quibus paruere.

XVI. Delegatio pontificia ad visitanda monasteria Veneta.

Obeunte Innocentio VI. Romano pontifice die decima septembris anni elapsi cardinales S. R. E. in virum e cœtu suo successorem sufficiendum non concordantes, elegerant Guillielmum Grimoardi abbatem sancti Victoris de Massilia ordinis sancti Benedicti in supremum ecclesiæ antistitem, qui nomen assumpserat Urbani V. Is præsenti vel sequenti anno, si pontificatus sui annos auspicatus fuit a die publicationis vel coronationis; publicata enim non fuit ejus electio, nisi die trigesima-prima octobris ejusdem anni 1362. neque coronatus fuit nisi die VI. novembris, licet anterioribus diebus fuisset electus, speciali bulla sua mandavit priori monasterii sancti Mathiæ de Muriano, & abbatibus monasteriorum sancti Thomæ de Torcello, & sancti Cypriani de Muriano, ut visitarent monasteria, prioratus & alia religiosa loca virorum exempta, & non exempta ordinum diversorum in ducatu Venetiarum, ipsaque reformarent, quandoquidem propter defectum prælatorum & rectorum, qui ad pecunias captandas intendebant, in ruinam sacra loca tendebant, divinus cultus negligebatur, & ubi etiam abundabant facultates, nequaquam tenebantur monachi sacerdotes vel ministri in numero competenti. Visitationem porro ab ipsis peractam, & reformationem inde introductam redigerent in scripta, ac vel ad se Romanum pontificem, vel ad Nicolaum Tusculanum episcopum & cardinalem transmitterent. *Datum Avenione* VI. *kalendas novembris pontificatus nostri anno secundo*. Eadem die altera plumbea bulla ipsis delegatis apostolicis concessit, ut a monasteriis visitatis certam pecuniæ summam pro expensis suis, suorumque ministrorum salario recipere possent, duos scilicet Florenos auri boni ponderis pro quolibet eorum præfatis abbatibus indulgens, unum & dimidium priori sancti Mathiæ, aliquid tamen ultra recipere a monasteriis & prioratibus vetans ipsis. Extat utraque Urbani bulla in ecclesiis Torcellanis illustratis Cl. senatoris Flaminii Cornelii [a] ex archivo monasterii sancti Mathiæ. Prior sancti Mathiæ in tabulario ejusdem monasterii ad diem decimam martii hujus anni effertur Laurentius; annis tamen posterioribus & præcipue ad annum 1369. nomen legitur Andreæ, quem ignoramus, an fuerit idem Faventinus, qui ante Laurentium ad annum saltem 1361. rexit monasterium, an alter.

a T. III. p. 137.

XVII. Donationes aliæ factæ eremo Camaldulensi.

Die undecima januarii [b] ex Fontis-boni archivo Azo quondam Francischini de nobilibus Valbonæ pro remedio animæ suæ donavit inter vivos Johanni priori Camaldulensi *bailiam* perpetuo duraturam piscandi & piscari faciendi, eundi, standi & redeundi ad omne ipsius beneplacitum in flumine & per flumen Ridiracoli provinciæ Romandiolæ in territorio ejusdem Azonis, videlicet a rivo de Risiglia usque ad confines Biserni, cui flumini undequaque adhærebant bona eorumdem nobilium de Valbona; manu Guillielmi quondam Ubaldini de Puppio notarii.

b §. *Donatio.* 18. *A.* 4. 29.

Ex eodem [c] octava maji comitissa Lasia filia comitis Tancredi de Porciano, & uxor quondam Francischini de Valbona, quæ propterea mater erat Azonis mox nominati, testamentarias tabulas suas condens voluit sepeliri in monasterio Fontis-boni cum habitu Conversarum ordinis Camaldulensis, & jure legati reliquit eremo medietatem pascuorum sui castri & curiæ de Ridiracoli, sibi olim assignati pro dote sua; item omne jus, quod habebat vel habere poterat in rebus & bonis mobilibus & immobi-

c §. *Testamentum.* 19. *A.* 15. 90.

mobilibus quondam Guillielmi Giambrasini de Giambrasiis Faventini quondam filii sui, & Giambrasini primi sui mariti; item Florenos centum auri de bonis olim Francischini secundi viri sui, instituens hæredem universalem præfatum Azonem filium suum, & substituens Azoni ejusque filio sine legitimis hæredibus decedentibus prædictam eremum Camaldulensem tamquam hæredem universalem in omnibus bonis suis, videlicet in dicto castro de Ridiracoli, & donans omnes fideles suos, terras, alpes, pascua, & quamdam possessionem sitam in comitatu Imolensi, loco dicto Casalecchio, executionem testamenti mandans Johanni priori Camaldulensi, & Azoni filio; manu Petri quondam Antonii de Riciis notarii.

Ann. Chr. 1363.

XVIII Historia aliquot monasteriorum.

In pagina Honesti de Neris Foro-liviensis abbatis sancti Rosilli de Foro-popilio nominantur tamquam subjectæ monasterio sanctæ Mariæ de Insula territorii Galeatensis ecclesiæ sancti Laurentii in Venatrix, & sanctæ Mariæ de Duccia, pro quibus Bartholomæus prior sancti Paterniani de Ferracciano, quod erat monasterium æque subjectum Insulano, solvit præfato abbati pensionis nomine aliquot tritici staria [a]; ex ipso Fontis-boni chartario.

Ex illo autem monasterii Sanæ-vallis [b] Petrus Venerio de Clodia abbas sanctæ Mariæ de Fullina locavit aliquot bona sui cœnobii nobili viro Rolando de Collalto nomine magnifici & potentis viri Schenellæ de Collalto comitis Tarvisii ejus patris.

Pariter ex archivo sanctæ Mariæ in Gradibus de Arretio [c], vacante monasterio sanctæ Mariæ de Agnano propter obitum Basilii postremi abbatis, capitulum ejus monasterii elegit in œconomum & gubernatorem dicti loci atque ecclesiarum ipsi subjectarum Guidonem priorem sanctæ Mariæ de Vertighe, & paulo post [d] in abbatem alterum Basilium de Cataneis Montis-sancti-Sabini. Ex libro *Obligationum* die XVI. decembris promisit ipse Basilius pro suo communi servitio XC. Florenos. Anno sequenti [e] frater Andreas episcopus Domicensis facultate sibi concessa ab Azolino episcopo Senense in majori ecclesia urbis Senarum promovit ad sacerdotium Johannem de Arretio monachum sanctæ Mariæ de Agnano, & constitutum rectorem ecclesiæ sanctæ Cæciliæ de podio sanctæ Cæciliæ diœcesis Arretinæ, habentem literas commendatitias Bonajunctæ de Anagnia canonici Volaterrani, vicarii generalis Bosi episcopi Arretini.

Ex paginis sancti Michaelis de Muriano [f] anno ab incarnatione M. CCC. LXIII. mense octobri die XXV. intrante indictione secunda Rivoalti Maria nobilis mulier uxor Martini Zane de confinio sanctæ Justinæ, accito Bartholomæo Pino presbytero ecclesiæ sanctæ Mariæ Formosæ & notario, dimisit viro suo territorium positum in Roncade districtus Tarvisii in vita ipsius, & post ejus mortem voluit, quod devenire deberet in monasterium sancti Michaelis de Muriano pro anima sua, una cum decima, quam recipiebat a Maphæo Baduario.

XIX. Johannes de Bisanco protector congregat. Camaldulensis.

Protector congregationis Camaldulensis reperitur ad hunc annum Johannes cardinalis de Bisanco, seu de Blandiaco, sive Bransaco Gallus, & nepos Bertrandi cardinalis Deucii, qui & ipse per aliquot annos protectionem ordinis nostri gesserat. Johannes ante biennium ab Innocentio VI. anno pontificatus sui nono XV. kalendas octobris presbyter cardinalis sanctæ Romanæ ecclesiæ tituli sancti Marci creatus fuerat, & cum curia apostolica tunc temporis in Avenionense urbe resideret, Camaldulenses sibi in protectores adsciscebant cardinales, qui in Galliis commorantes ordini faverent apud apostolicam sedem. Successerat Johannes cardinalis

[a] §. *Finis* 31. *A.* 4. 36.
[b] *Num.* 334.
[c] *Num.* 560.
[d] *Num.* 563.
[e] *Num.* 564.
[f] *Caps.* XVI. 28.

ANN. CHR. 1363.

dinalis in Camaldulensium patrocinium Francisco de Aptis Tudertino cardinali itidem sancti Marci, qui eodem anno 1361. Avenionense in urbe decesserat.

XX. Provisiones prælatorum aliquot monasteriorum.

a §. Electio 57. A. 4. 35.
b §. Visitatio 7. A. 4. 34.

VACANTE monasterio sancti Andreæ de Candiculis diœcesis Florentinæ Johannes prior instituit in abbatem dicti monasterii die vigesima-septima junii [a] Johannem de Pratali, manu Bartholomæi Polidori de Burgo-sancti-Sepulcri notarii.

Acta visitationis parthenonis monialium sancti Martini de Opitergio, manu Johannis Uguccionis de dicto loco [b] extant in tabulario Fontis-boni. In eo siquidem loco distinctis habitationibus degebant tum monachi, tum moniales Camaldulenses.

Jacobus abbas sancti Michaelis de Burgo Pisarum die vigesima-septima januarii promisit ex libro *Obligationum* pro suo servitio ducentos Florenos, trecentos autem die decima-septima junii Robertus abbas sancti Zenonis ejusdem urbis, & centum-sexaginta die vigesima-sexta augusti Lapus abbas sancti Petri de Puteolis Lucanæ diœcesis. Philippum similiter abbatem sanctorum Andreæ & Gregorii de Urbe novimus ex promissione ab ipso facta centum-viginti Florenorum die decima-sexta decembris.

ANN. CHR. 1364.

XXI. Moniales sanctæ Agathæ deductæ ad S. Ursulam causa reformandi.

c Part. II. p. 197.

PLURES sanctimoniales parthenonis sanctæ Agathæ de Florentia translatæ fuere a Petro Corsinio Florentino episcopo præsenti anno die XVI. julii indictione secunda ad leges reformationis dandas in asceterium sanctæ Ursulæ ejusdem urbis. Origines monasterii sanctæ Ursulæ, sive sanctæ Ursæ referuntur ad annum 1309. quo divino spiritu ductæ quatuor piæ juvenculæ Francisca, Cina, Johanna & Carina mundo valedicere, Deoque servire in primis cupientes emerunt a capitulo canonicorum sancti Laurentii terras sitas prope Casagium, dictum majus, ad construendum super ipsas sacrum domicilium sub institutis & regula sancti Benedicti, erogato pretio librarum tercentarum & quinquaginta, ac stipulata obligatione annui census cerei sex librarum præstandi dicto capitulo. Actum in domo habitationis Perocti Guadagni, quam habitabat dominus Antonius episcopus Florentinus, manu Martini Petri a sancto Ilario notarii, ut legitur in excerptis copiosissimis Ferdinandi Melioris. Cl. V. Joseph Ricca S. J. in suis ecclesiis Florentinis [c] Tom. IV. refert transitum sororum sanctæ Ursulæ ad annum 1319. ex campo Corbolino ad Casajolum, sponsionemque factam præfato capitulo sancti Laurentii ejusdem census; sed tomo VII. parte III. ad annum 1309. retrahit. Nominantur inter cetera Florentina monasteria & inter moniales abbatissa & moniales sanctæ Ursæ in charta anni 1327. & in testamento Johannæ viduæ ad annum 1329. quas paginas illustravimus ad annum 1302. In ipso sanctæ Ursulæ cœnobio aliquantisper morata fuit beata Paula, translata inde ad sanctum Hilarium, & postremo ad sanctam Margaritam in Casajolo a beato Silvestro, ut alibi vidimus. Reformatio introducta hoc anno a monialibus sanctæ Agathæ novo decore auxit monasterium sanctæ Ursulæ, disciplinamque monasticam in eo reflorescere fecit; hinc motus fama laudabili sacrarum virginum sanctæ Ursulæ Angelus Ricasolus episcopus Florentinus, post duodecennium, hoc est anno 1376. earum parthenoni alterum adjunxit, appellatum sanctæ Mariæ Urbanæ, quod erat extra Florentiam in plebanatu Cersinæ. Etiam monasterium de Urbana memoratur in superiori pagina anni 1329. & in aliis testamentariis tabulis Bonacursii & Benninæ Benintendi ad annum 1341. qui dominabus sanctæ Mariæ Urbanæ aliquot legata reliquerunt. Sed Strozzius

zius in sua relatione moniales de Urbana antiquiores facit, & ad annum 1302. nominatas affirmat se legisse in veteribus paginis. Post aliquot annos Honuphrius Visdomini episcopus itidem Florentinus electus anno 1390. moniales quoque parthenonis sanctæ Mariæ-Matris æque nominati in sæpedicta charta anni 1329. in monasterium sanctæ Ursulæ traduxit; verum non tamen scimus, an dandi gratia vel recipiendi reformationis leges fuerint ibidem introductæ. Hæ sanctæ Mariæ Matris moniales anno 1339. originem dederant novo monasterio virginum sanctæ Apolloniæ de Florentia habitus albi, ut eruitur ex memoriis mss. sororis Clementiæ Gherardi, quæ hæc habet in tabulario sanctæ Apolloniæ: „ Petrus Mini anno M.CCC.XXXIX. in via sancti Galli populi sancti „ Laurentii emit domum a Grypho Medice, & dono dedit episcopo „ Florentino, ut monialium domicilium statueret, cujus vicarius duas „ moniales sanctæ Mariæ-Matris-Dei extraxit, Andream, quam in abbatissam statuit, & Christophoram sociam, ut assumerent regulam sancti Benedicti, & habitum album gestarent. " Eodem anno, quo traductæ fuere moniales sanctæ Mariæ-Matris ad sanctæ Ursulæ, idem Honuphrius episcopus adjunxit, copulavitque cum hoc postremo asceterio hospitale quoque sancti Gerardi, quod consurgebat in eadem sancti Galli via, & eo in loco, ubi modo cernitur monasterium sancti Clementis. Hospitale hocce fundatum fuerat a Gerardo, dicto etiam Daddo, Bonsi vel Bonsignoris Sinibaldi, cujus mentionem facit Johannes Bocaccius die VI. novella X. ut animadvertit eruditissimus vir Dominicus Maria Mannius [a] in illustratione Decameronis, cujusque Gerardi postrema voluntas syngrapha testamentaria expressa ad annum 1345. superest; testamenti vigore spectabat ad capitaneos societatis Horti sancti Michaelis, vulgo *Or S. Michele*, electio hospitalarii. Sub anno M.CCCC.XIII. Johannes de Scribanis de Placentia procurator Angelæ abbatissæ sanctorum Gerardi & Hieronymi de Florentia ordinis sancti Benedicti, publicavit quasdam literas Johannis XXIII. datas apud sanctum Antonium extra muros Florentiæ XVII. kal. augusti anno IV. ex tabulario monasterii sanctæ Agathæ num. 30. Sub eodem anno, quo Ricasolus episcopus Florentinus monasterio sanctæ Ursulæ adjunxit illud sanctæ Mariæ Urbanæ, hoc est anno 1376. paginam refert in suis ecclesiis Florentinis Cl. Ricca [b], ex qua compertum fit moniales sanctæ Ursulæ vendidisse sororibus sancti Juliani de Montajone *ecclesiam sive oratorium cum duobus altaribus, cum capitulo, dormentorio, claustro, curia seu cæmeterio, cum hortis & domibus & cellis positis Florentiæ in populo sancti Laurentii in via, quæ dicitur* de campo Corbolini *prope januam de Faventia*. Hæc libenter simul congessimus tum ad notitiam horum veterum monasteriorum Florentiæ, tum quia anno 1435. ipsum sanctæ Ursulæ monasterium integre copulatum fuit bulla speciali ab Eugenio papa IV. cum monasterio sanctæ Agathæ, de quo postremo peculiarem instituimus historiam in his Annalibus.

Ann. Chr. 1364.

a Pagg. 458. 681.

b T. IV. Part. II. p. 147.

XXII. De monasterio Camaldulensi S. Hieronymi de Scandalone.

In ecclesia parœciali sanctæ Mariæ a Spugnole sita in territorio Mucellano extat marmorea antiqua inscriptio, quæ testimonio Joseph-maria Brocchii in sua historia Mucellana [c] translata fuit ex alia veteri ecclesia dedicata olim in honorem Dei, & sub invocatione sanctorum Antonii, & Honuphrii, quæ eminebat in excelso podio appellato Scandalone, juxta quam ecclesiam ædificatum erat etiam vetus monasterium cœnobitarum Camaldulensium, hodie una cum ecclesia solo affatim æquatum.

c Pag. 172.

Ann. Chr. 1364. Inscriptio porro est sequens, quam vulgari idiomate, quo confecta fuit, subjicimus.

M. CCC. LXIIII. DI. X. DI. MARZO. FV. FONDATA E. COMINCIATA. QVESTA. CHIESA. E. QVESTO. LVOGO A. NOME. DI. DIO. E DI. SANTO. ANTONIO. E. DI. SANTO. ONOFRIO ALLO. FATTO. FARE. FRATE. GIROLAMO. DI. VANNI. DA. ORBIVIETO MONACO. DEL. ORDINE. DEL. ELMO. DI. CAMALDOLI COL. AIVTO. DI. DIO. E. DELE. BVONE. PERSONE DONO. QVESTO. TERRENO. ATAIANO. GHINI. LIBERO. E. SPEDITO.

Quem Ghinum ex familia fuisse Becchiorum conjicit idem Brocchius. Subtus inscriptionem exsculptum est insigne Camaldulense, idest visuntur duæ columbæ, quæ ad calicem bibunt. Post decennium, anno M. CCC. LXXIV. die XII. januarii Johannes prior generalis Camaldulensis concessit ad usum-fructus præfato fratri Hieronymo priori novi cœnobii sancti Honuphrii quasdam possessiones, quas idem Hieronymus emerat ab hospitali sanctæ Mariæ-novæ de Florentia, indulgens pro more horum temporum, ut eas obtineret, quamdiu vixerit, etiamsi alter prior loco ipsius in eodem monasterio fuerit institutus.

XXIII. Chartæ aliquorum monasteriorum. JOHANNA abbatissa sancti Johannis-evangelistæ de Prato-veteri, vacante ecclesia sancti Justi curiæ ejusdem loci Fesulanæ diœcesis in dictæ ecclesiæ rectorem instituit presbyterum Bartholum [a]; ex archivo ejusdem parthenonis. Johanna suffecta fuerat Luciæ post annum 1356. ipsius autem nomen perseverat usque ad annum 1394.

Ex Gamurrinio [b] abbas sancti Hilari de Galeata hoc anno donavit castellum Pondi, quod juris erat suæ abbatiæ, familiæ Ubertinorum.

In necrologio Vangaticiensi sexto idus septembris refertur obitus venerabilis patris domni Gualterii de Burgo-sancti-Sepulcri abbatis monasterii sancti Michaelis in Burgo Pisarum M. CCC. LXIIII. Jacobum tamen abbatem sancti Michaelis ejus successorem ex libro *Obligationum* protulimus anno antecedenti ad diem XXVII. januarii.

XXIV. Obitus Dominici prioris S. Mariæ Angelorum de Florentia. DEFUNCTUS est etiam hoc anno Dominicus Cennius prior sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia die tertia decembris, „ ob cujus mor„ tem, subdit Fortunius [c], Johannes a Carmignano rursus post sextam „ diem, Johanne generale præsente, ad clavum cœnobii revocatur, licet „ invitus. “ Sed ex tabulario ejusdem monasterii non Johannes prior generalis, sed Johannes abbas Camalduli-Florentini pro Johanne priore generali præsens fuit electioni. Tum describit idem historicus, quæ acta fuere sub Johanne Carminianensi Angelorum priore, quæque hic simul collecta damus, & pertinent ad annos viginti-quinque, quibus eidem cœnobio præfuit idem Johannes. „ Per id tempus, subdit, devolvitur „ cœnobio hæreditas Francisci Bertii Samminiatensis notarii, ex qua „ Johannes prior sacellum Omnium-sanctorum erigit loco altarium san„ ctæ Mariæ-magdalenæ, & sancti Laurentii, ampliatoque dormitorio, „ quod supra refectorium erat, ad ædificationem infirmariæ se conver„ tit, quatuorque cubicula ibi statuit. Cum pervenisset item ad cœno„ bium quædam pecuniarum summa per Johannem Nicolai Strozzam, am„ pliavit ex ea refectorium Septimum versus, sub id fere tempus, quo „ Thomas Corsinius (lege Petrus) episcopus Florentinus, jubente Urbano

„ quin-

a Num. 204.

b T. I. p. 249.

c P. II. Lib. III. cap. 15.

„ quinto papa, cessit cœnobio jugera duo terrarum finitimarum, quas „ antea concedere reluctatus fuerat. Cum vero Benedictus Ughi Lotheringius cucullum ad Angelos induisset, Andreas ejus frater sacellum „ sancti Andreæ in capitulo erexit anno 1371. quod hodie ad familiam „ Stupham pertinere dicitur. Petrus item Lippius sacellum sancti Petri „ addidit. Per id tempus facta est ultima templi instauratio, quæ visitur, & prima synaxis in nocte Natalis Domini celebrata. Confectum „ est autem ædificium cum omni chori ornatu ex oblationibus Luchini „ Visconti, Nicolai Albizii monachi, Bardi Corsi, Bartholomæi Beninii, Galasii Uzanensis, Michaelis Castellani, commendatarii sancti „ Antonii, Antonii Sancti, Bernardi Cini de Nobilibus propinqui ipsius „ Nicolai monachi, & fratris Leonardi Maphæi, qui omnes cum quibusdam aliis benevolis tulerunt opem in summa Florenorum duorum „ millium, præbentes quoque ansam Johanni priori inchoandi novum „ dormitorium. Quibus accessit hæreditas Philippi Stoldii opulenta, ex „ qua Johannes prior insigne Angelorum album paramentum, ut vocant, „ comparavit, cujus sericus aureusque pannus ad Florenorum CCC. XXVI. „ auri æstimationem ascendit, phrygium vero opus monachorum cœnobii manibus elaboratum, CCC. similium valorem longe excessit." Alia, quæ sub regimine Johannis prioris memorabilia fuere, commodius referentur suis annis, quibus contigere.

Ann. Chr. 1364.

Ann. Chr. 1365.

XXV. Inventio SS. corporum in restauratione ecclesiæ SS. Justi & Clementis Volaterrarum.

CUM restauraretur præsenti anno ecclesia sanctorum Justi & Clementis urbis Volaterrarum, Justus Guiduccius, qui abbas erat ejus monasterii, cujusque nomen legitur in paginis tabularii dicti loci etiam sub annis 1354. & 1355. plures Sanctorum reliquias invenit, inter quas venerabile corpus sancti Clementis, & sacra corpora sanctorum Dulcissimi, Carissimi, & Crescentii cum aliis, quorum nomen incompertum erat, quas omnes sacras reliquias recondidit sub altare sancti Sebastiani erecto in dicta ecclesia, sub quo requieverunt usque ad annum 1628. Sed corpus sancti Justi ea occasione repertum non est, ac pro certo habetur ipsum delitescere sub altari ejus nomini dedicato. Ex eo enim altari inquirere volens circa annum 1580. idem sacrum corpus Guido Serguidius Volaterranus episcopus una cum abbate ejus temporis, signis & portentis, quæ inquisitionis tempore occurrere, perterrefactus, imperfectum opus reliquit. De prima inventione corporis sancti Clementis sub Innocentio II. fuse egimus ad annum 1140.

XXVI. Historia & paginæ veteres ejus monasterii.

QUOD vero spectat ad historiam ejus monasterii, cum serius habuerimus monumenta, quæ ad ipsius illustrationem faciunt, non abs re hic loci erit aliqua superaddere iis, quæ de eo cœnobio diximus ad annum 1030. supplendo præsertim paginas donationum primo ipsius abbati Raimberto factas a Gunfredo & a Guidone episcopis Volaterranis. Prima donatio Gunfredi sub anno 1030. concordat adamussim cum edita a nobis tomo II. horum Annalium in Appendice ad col. 36. Alteram ejusdem Gunfredi ad annum 1034. subjungimus.

In nomine Christi filii Dei altissimi. Decretum securitatis sive firmitatis pro futuris temporibus memoria retinendis. Sit notum omnibus sancte Dei ecclesie fidelibus tam presentibus, quam & absentibus, qualiter donnus Gunfredus venerabilis sancte Vulterrensis ecclesie episcopus, presentia presbiterorum, diaconorum seu inferioris ordinis clericorum, quorum nomina propriis manibus subtus scripta videntur, ecclesias sanctorum Justi atque Clementis prope urbem ipsius constructas, ubi ipsi sancti confessores humati

Ann. Chr. 1365. *fuisse noscuntur, pro majori veneratione ipsorum monasterium instituens per ferulam sui presulatus indicatricem, & per hanc decreti paginam omnia, que ipsis ecclesiis pristinis temporibus in terris & decimis pertinebant, eisdem concessit: insuper duas cortes, quarum una cognominatur Majani, cum capella ibi in honore sancti Quirici edificata, suisque pertinentiis, sive cum prediis ac vineis dominicalibus, sicut etiam de fossato in fossato, & sicut decurrit fluvius Here. Altera vocatur Fasiani cum omnibus mansis, vineis, campis, pratis, pascuis, silvis, montibus, vallibus, planitiebus, & omnibus, que dici vel nominari possunt, ad ipsam cortem Fasiani pertinentibus vel aspicientibus. Preterea unum mansum, in loco, qui dicitur Salsuli, cum suis pertinentiis, & alterum, ubi dicitur Docia, cum famulis Johanniculo & Donnuculo ad stipendium abbatis & monachorum, qui ibidem pro tempore fuerint, & ad servitium tradidit, donavit, atque concessit, quatinus abbas illius cenobii & monachi omnes res superius nominatas sine ulla sua, suorumque successorum contradictione, diminutione vel molestatione, & si quid adhuc superaddere ex Christi largitione poterit, in integrum habeant, teneant atque possideant & utantur, statutum est ab eodem pontifice ex divina auctoritate, ut quicumque ullo in tempore inflammatus cupiditate, diabolo suadente, hoc decretum infringere, mutare aut violare presumpserit, sit anathema maranatha, idest maledictus in adventu Christi, partemque habeat cum Juda traditore, atque cum Dathan & Abiron in tartara dimergatur. Pro majori autem securitate, & ut magis ab omnibus observetur, supradictus presul hoc decretum propriis manibus firmans plures sue ecclesie diversi ordinis clericos roborare precepit. Actum anno Dominice incarnationis M. XXXIIII. episcopatus illius anno XIIIII.*

Desunt subscriptiones, quia autographa pagina infeliciter mutilata fuit.

Eodem anno Guido Gunfredi successor confirmavit jura & bona ejusdem monasterii. Charta ex Fortunio habetur eodem Annalium tomo II. col. 52. sed dimidia sui parte deficiens, quam supplemus ex ejusdem monasterii tabulario. Post verba itaque *& sint anathema maranatha &c.* leguntur ulterius, quae sequuntur:

Concedo igitur prefato monasterio sanctorum confessorum Justi & Clementis, quod situm est infra plebem sancti Johannis, civitatis videlicet Volaterrensis, cum auctoritate & consensu sacerdotum & levitarum, necnon totius cleri nostri episcopatus, concessiones in supradictas cortes, quarum una cognominabatur Majano, cum capella ibi in honore sancti Quirici edificata simul cum cortilla, sive cum prediis ac vineis & .....libus & massaritiis & cum angariis, & omnia, que infra se habentes, sicut est de fossato in fossato. Altera vocatur Fasano cum omnibus terris & vineis, que dici vel nominari possunt, ad ipsam curtem Fasano, & alterum mansum a la ripa prope ecclesiam sancti Justi, que recta fuit pro Romano massario, & aliud mansum, que recta fuit per Petrum filio Lupaldi, et alium mansum a Querce, que recta fuit pro Oddo massario. Uno manso in locum, qui dicitur Salsole, et alterum, ubi dicitur Ducia, cum famulis Johanniculo et Domnuculo a stipendiis abbatis Ramberto et monachorum, qui ibidem pro tempore fuerint, et ad servitium tradidit, donavit atque concessit. Pratum-martium cum casis et omnia, que infra se habentes, sicut mura et signa et terminata, et castello Albuini vocatus donavit et concessit. Mansum de Tubina, que recta est pro Andrea presbytero, et mansum de colle Zoni, que recta fuit pro Angiolo massario,

et in

& in Sorbi quinque maise, & due in Riodoli, quas de Ugone comite filius Teudici viginti libras argenti comparavimus, & una medietate de ecclesia sancti Martini de Sorbi cum rebus omnibus pertinentibus, & ego concedo & alie due ecclesie, medietatem de una ecclesia, cui vocabulum est sancti Michaelis archangeli, que est posita in Curbano, simul cum terris & vineis, que fuit Astolfi filio Johannis, medietatem de primo manso, que recta fuit pro filiis Balduccii, secunda pro filiis Corbani, tertia que recta fuit pro Teuzo Basadonna, quarta que recta fuit pro Omicio & Splinco, quinta in loco, ubi dicitur Monte Teutio, que recta fuit pro Stefano massario. Et alia integra ecclesia in Geminiano, cujus vocabulum est sancti Frediani, simul cum curte & terris & vineis ad istam curtem pertinentibus donnicatis, que fuit Astulfi filio Johannis, & Gozzi, & Zacio, & Alberti germani filii Bonni, & uno manso, que recta est pro Petro Burio & suos consortes, & alia vinea Alcunde, vinea & terra, que detinet Bonomo & Segnorello filio Legi judice; & in Cornacajo & a fonte Brocculi, & uno mansum alla Cullina prope Ribalta, et alie, que recte fuerunt pro Bonizzo de Ribalta, & unum mansum, quod detinet Papani filio Oddi, et unum mansum, que recta fuit pro Guinizzo filio Punzi, et in casale mansum unum de Urliano, que recta fuit pro Bruculo massario, et alio mansum, que recta est pro presbytero Cunizzo vel suis consortibus; alium mansum, que recta fuit pro Petro massario, et alia, que recta fuit pro Sprinco, terris, vineis et donnicatis, que fuit Astolfi, et de parentibus suis, ex parte sancte Marie infra curte de Geminiano. Ego Guido episcopus concessit et donavit sanctorum Justi et Clementis. Hoc parvum munus sanctissimi confessores vobis pro mea mente pro temporis opportunitate in presentiarum offero, quatinus vestro fultus amminiculo, que parvam contulit, magna offerre prevaleam. Et quoniam scio quosdam vel modo vel in futuro diaboli spiritu plenos contra hujus nostre ordinationis parvitatem canina rabie baccaturos, quicumque ille est, qui prefatum monasterium in rebus, quas modo habet, vel ego, aut fideles viri sive mulieres daturi sunt, inquietare aut molestare vel imminuere presumpserint, quemadmodum premisimus, cum Juda Christi proditore in eterna dampnatione maneat, et omnes maledictiones, que in sacris codicibus continentur, super eos veniant, et sint anathema maranatha, et insuper sint obnoxii camere imperatoris auri libras centum. Hanc autem nostre ordinationis cartam domno Ragimberto ejusdem monasterii primo abbati tradere dispposui, ipse suo studio et diligentia sanctum locum gubernet atque regat, fratresque ibi congregatos et congregandos regularibus disciplinis erudiat, et si quis forte rebellis aut contumax hujus nostri scripti contemptor aut violator extiterit, apud reges vel apud reliquas potestates, prout melius Dominus donaverit, cum his scriptis sanctum locum defendat et protegat. Simili quoque modo sui successores in perpetuum agant et vigeant, quod ut vigeat in perpetuum manus proprie denotatione inferius denotavimus. Post aliquantum vero temporis, quia condonante Dei omnipotentis clementia in plebe de Scode in villa scilicet Linstinne conquisivimus, eadem auctoritate donando largimur; hoc est medietatem cortis cum mansis et donnicatis, et casis et arboribus, cultis sive incultis, pratis, vineis seu omnibus pertinentibus, atque cum omni medietate, que Albertus noster castellanus de Casule visus est habere et possidere, remota omni intentione jubemus, ut sepedictum monasterium predictam partem de curte habeat et secure possideat, quatenus nullus hominum exinde molestare presumat. Ad hec vero concedimus beneficium, quod idem Albertus visus est habere in plebe de

ANN. CHR. 1365.

Ann. Chr. 1365. *de Casule, idest mansum unum detentum per eumdem Albertum et Magizone in villa de Busano, et petia una de terra, et vinea prope fluvium de Garamasso. Post hec concedimus decimas scilicet in Vallelunga, in Floridi, et in Riparbella et in Cartalla, et ubicumque infra nostro episcopatu habetis, concedimus et firmamus; insuper consilio fratrum jungimus tota corpora mortuorum de hominibus habitantibus in valle Guinithinca, et de illis, que sunt, et que erunt a porta Prato-martii usque ad botrum de Cojano, et a botro de Somina usque ad rivum de Arco.*

Ego Guido sancte Volaterrensis ecclesie episcopus quamlibet immeritus in hanc ordinationis cartam a me libenter factam ss.

† *Ego Almarius presbyter ss.* † *Ego Viaderius presbyter ss.*
† *Ego Teuzo presbyter ss.* † *Ego Petrus presbyter ss.*
† *Ego Johannes archipresbyter ss.* † *Ego Petrus presbyter ss.*
† *Ego Lambertus cantor et custos ss.*
† *Ego Benedictus ss.* † *Ego Erizo diaconus et prepositus ss.*
Herimannus Dei gratia episcopus ss. Ego Petrus Dei gratia episcopus ss.
Ego Rogerius episcopus ss. Ego Crescentius episcopus ss.
Ego Odalmarius Dei gratia episcopus ss.

Anno 1061. idem episcopus Guido decimo kalendas julii indictione XIV. permutavit bona aliquot sui episcopatus cum bonis ejusdem monasterii. Pagina extat in archivo canonicorum sub numero IX. Subscribunt Wido episcopus, Andreas abbas, Albertus archidiaconus, Petrus presbyter, Odelmus diaconus, Teuzo præpositus, Gherardus judex. Petrus notarius domini imperatoris complevit.

Ex archetypo autem prædicti monasterii Petrus episcopus Volaterranus anno 1099. sequens decretum securitatis condidit pro eodem monasterio:

In nomine Christi filii Dei altissimi. Decretum securitatis sive firmitatis pro futuris temporibus memorie retinendis. Sit notum omnibus sancte Dei ecclesie fidelibus tam presentibus, quam et absentibus, qualiter donnus Petrus venerabilis sancte Vulterrensis ecclesie episcopus, presentia presbiterorum, diaconorum, seu inferioris ordinis clericorum, quorum nomina propriis manibus subtus ascripta videntur, ecclesias sanctorum Justi adque Clementis prope urbem ipsius constructas, ubi ipsi sancti confessores humati fuisse noscuntur, et majori veneratione ipsorum monasterium instituens per ferulam sui presulatus indicatricem, et per hanc decreti paginam omnia, que ipsis ecclesiis pristinis temporibus concessit, decimatione de curte de castello de Castellione, qui jam fuit Uberti quondam Belli pro beneficio ex parte sancte Marie ecclesie Voloterrense, medietate de una sorte, que est posita .... prope ecclesia sancti Cipriani, que recta est per Stefano filio Gerardi, et alia ibi, que recta est per fili Carboni, donavit adque concessit, quatinus abbas illius cenobii et monachi omnes res superius nominatas sine ulla sua suorumque successorum contradictione, diminutione vel molestatione, et si quid adhuc superaddere et Christi laritione poterit, in integrum habeant, teneant adque possideant, et utantur. Statutum est etiam ab eodem pontifice ex divina auctoritate, ut quicumque ullo tempore inflammatus cupiditate, diabolo suadente, hoc decretum infringere, mutare aut violare presumpserit, sit anathema maranatha, idest maledictus in adventu Christi, partemque habead cum Juda traditore, atque cum Dathan et Abiron in tartara demergatur. Pro majori autem securitate, et ut magis ab omnibus observetur, supradictus presul hoc decretum propriis manibus firmans plures sue ecclesie diversi ordinis clericos roborare precepit.

Sorte una alla Quercia prope montem Catini; quattuor petiis de terra

ra in Collina; prima petia de terra est posita in loco, ubi dicitur prope al Poggio Carboni; secunda prope Asprunalbo, que jam fuit Gerardi filio Bosi ex parte sancte Marie ecclesie Voloterrense; tertia al Poggio, que jam fuit Dominici presbiteri; quarta a colle Baronci prope fluvio Draone, que fuit Signoritti filio Curradi ex parte sancte Marie, millesimo nonagesimo-nono, & tertio kalendas augusti indictione quinta-decima.

ANN. CHR. 1365.

† Petrus Dei gratia episcopus ss. Hugo dictus archidiaconus ss.

Ego Rogerius episcopus ss. Ego Crescentius episcopus ss. Marius episcopus ss.

Ego Aldimarius episcopus ss. Ego Gorzo clericus & vicecustos ss.

Ego Vido archipresbiter ss.

Anno 1106. Rogerius episcopus Volaterranus exemit monasterium sanctorum Justi & Clementis, & Stephanum abbatem a fodro, sequenti decreto:

In nomine sancte & individue Trinitatis. Cum omnium rerum divina dilectio potentissimum est principium, & eamdem circa proximos catholica fide splendidos, honestisque moribus decoratos habere summa virtus sit. Ideo ego Rogerius divina favente gratia beate Vulterrensis ecclesie episcopus cum omni clero prefate ecclesie opportunum fore duximus fratribus nostris in monasterio beatissimorum confessorum Justi et Clementis digne Deo militantibus debere compati, quatinus per misericordiam omnipotentis Dei jejuniis et orationibus vacantes digne Deo serviant, et pro animabus .... effundere valeant. Suadente itaque nobis reverentissimo nostre ecclesie archipresbitero ceterisque sacerdotibus, diaconibus et inferioris gradus clericis, timore omnipotentis Dei per presentem nostri decreti paginam in perpetuum valituram concedimus, tradimus, offerimus ecclesie sanctorum Justi et Clementis omnem exactionem fodri, quod nos vel missi nostri necessitate imminente de monte sancti Justi et burgo, sicut mons et burgum tribus viis publicis sunt circumdati, et de alio pojo, qui dicitur de Antiqua, exigere curabamus, ut ad hoc abbas predicti monasterii et monaci, et omnes domus in predictis locis constructe ab onere predicti fodri a nobis intendantur exonerati, ut nullam a nobis vel a successoribus nostris predicti fodri in posterum exactionem pertimescant. Ut autem omnia suprascripta firma et illibata permaneant, stipulatione premissa spondeo et promitto me meosque successores ducentarum librarum auri mulcta feriendos, si contra suprascripta aliqua nostre necessitatis occasione ullo tempore venire temptaverimus. Notum autem fieri volumus omnibus fidelibus nostre ecclesie nostrum decretum juste et habito tractatu fuisse promulgatum .... unde placuit consilio sapientum negocium transactione decidatur. Sublatis itaque omnibus actionibus predicti fodri, quas adversus prefatum abbatem habebamus, stipulationibus premissis promitto me numquam amplius acturum, nec molestaturum, nec ullo modo inquietaturum monasterium sanctorum Justi et Clementis, vel abbatem aut monachos, qui pro tempore ibi Deo serviant, quod si ego vel aliquis successorum meorum contra predicta transactione vel concessione venire temptaverimus, spondeo nos composituros ducentas libras auri puri pene nomine. Hoc factum est anno Dominice incarnationis millesimo centesimo-sexto sexto-decimo kalendas decembris indictione quinta-decima, in presentia horum testium Gerardus filius quondam Belliste, et Azo filius Teuze, et Ugo filius Brunelli ..... tus filius Alberti, et Ragi nerius filius Dominici, et Johannes filius Guidi et reliqui plures.

† Ego Rogerius episcopus scripsi in hoc scripto a me facto.

Ego Rusticus dictus archipresbiter interfui et scripsi. Ego Paganus presbiter

Ann. Chr. 1365.

biter et primicerius ss. Ego Wido presb. et canonicus ss. Ego presb. Petrus et canonicus ss. Ego Glandulfus presbiter ss. Ego Rainerius diaconus et canonicus ss. Ego Albertus subdiaconus ss. Ego Wido acolitus atque canonicus non invitus, sed sponte ss. Ego Henrigus cantor ss. Ego Bertho caussarum patronus interfui et ss.

Ego Gualfredus notarius domini imperatoris interfui et scripsi.

De abbate sancti Justi hec narrat Thomas Minius monachus noster in historia ms. Camaldulensi, quæ duobus voluminibus comprehensa asservatur in monasterio sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia, cujus fuit alumnus; scilicet quando episcopus Volaterranus sollemnem primum ingressum suum agebat, & episcopatus possessionem apprehendebat, abbas cum monachis ipsum suscipiebat in ecclesia sancti Quirici, & ab ejus humeris detrahebat pallium, sollemniter thure & aqua lustrali adhibitis, vi antiquissimæ consuetudinis. Inde regrediens abbas ad suam sancti Justi ecclesiam, ibidem ei porrigebat osculandam pacem, & episcopus prosequebatur iter ad ecclesiam sancti Marci Campi-martii, ubi biretum deponebat, & postremo mulam relinquebat ad januam cathedralis summa totius Volaterranæ civitatis pompa & lætitia.

XXVII. Monumenta aliquorum monasteriorum.

Aegidius Sabinensis episcopus cardinalis & apostolicæ sedis legatus virtute amplissimæ bullæ sibi concessæ ab Innocentio papa VI. anno 1358. vendidit hoc anno castrum Retorsiæ, in quod jura dicebant etiam monachi sancti Urbani ad flumen Æsinantem, Esmedutio nobili viro de Sancto-severino.

Vacante ecclesia sancti Martini de Villa-nova Faventinæ diœcesis Girardus abbas monasterii sanctorum Hippolyti & Laurentii de Faventia, ad quod pertinebat jus-patronatus dictæ ecclesiæ, ad honorem Dei, & etiam collegii canonicorum ecclesiæ Faventinæ rectorem in ipsa elegit. Ad annum 1383. idem Girardus abbas appellatur vicarius generalis Francisci episcopi Faventini.

[a] Part. II. lib. IV. c. 16.

Anno M. CCC. LXV. ait Fortunius [a], Michael abbas Classis ad diem octavam martii Bartholum Venetum priorem ecclesiæ sibi subjectæ sancti Michaelis de Cazzano in procuratorem suum elegit ad comparendum coram Petrocino archiepiscopo Ravennate, & vicario sanctæ sedis apostolicæ in Romandiola, ut nomine ipsius interesset archiepiscopi synodo. Michaeli suffectum postea asserit Johannem Ravennatem in abbatem sancti Apollinaris de Classe; sed id factum post aliquot tempus.

Simon de Regio decretorum doctor plebanus plebis sancti Stephani de Campoli Florentinæ diœcesis & vicarius generalis Petri Corsinii episcopi Florentini approbavit privilegium exemptionis concessum olim Camaldulensibus ab Alexandro IV. Romano pontifice.

XXVIII. Cartusiani se recipiunt ad S. Michaelem de Muriano.

In chronico veteri Cartusiæ sancti Hieronymi de nemore Montelli in territorio Tarvisino legitur, monachos Cartusianos circa hunc annum ob bella, quæ latius dominabantur in marchia Tarvisina, habitationes suas reliquisse, & incolatum expetiisse in monasterio sancti Michaelis de Muriano, cujus ascetæ solitariam & ab urbium concursu remotam vitam non secus ac Cartusiani agebant; nondum enim Venetiis obtinuerant Cartusiani insulam sancti Andreæ in Litore, in qua postea sedes fixere, & ad præsens etiam commorantur. Bellis defervescentibus rediere iterum ad pristinum suum Montelli nemus. Non insuetum id erat, ut si quando religiosi viri vel ex propriis monasteriis exularent, vel Venetias diverterent, contubernium expeterent nostrorum monachorum sancti Michaelis & sancti Mathiæ de Muriano, in quibus vita ducebatur eremitica potius quam monastica, & solitudinis studium vigebat. Ita anno M. CCC.

XV.

xv. die quinta novembris de beato Francisco olim Donati de Senis ordinis Servorum sanctæ Mariæ legitur in quadam investituræ pagina: *Habitat in monasterio sancti Mathye de Muriano*, & ad diem nonam novembris ejusdem anni in pagina notificationis ducis Johannis Superantii dicitur: *Venit ante nostram presentiam frater Franciscus olim Donati de Senis ordinis Servorum sancte Marie, habitat in monasterio sancti Mathye de Muriano*. Hoc eodem seculo videbimus captum amore solitariæ vitæ, quam vivebant ascetæ Murianenses sancti Mathiæ, apud eos sedem & habitationem suam elegisse beatum Danielem de nobilibus viris de Ungrispach. Franciscus olim Donati Senensis mox memoratus fundator fuit conventus sanctæ Mariæ Servorum de Venetiis, & erat ex familia Patritiorum. ANN. CHR. 1365.

CHRISTOPHORUS Guidiccini de Castellione-arretino testamentariis scriptis suis exaratis hoc anno hæredem fecit de bonis suis eremum Camaldulensem; legati vero jure fraternitati Misericordiæ Castellionis tresmille libras Cortonenses reliquit, manu Angeli Cialdi; quæ persolutio complementum suum accepit anno 1395. manu Johannis Fini notarii. Audita tunc fuere consilia doctorum virorum Philippi Thomasii, & Petri de Albizis Pisani, quibus ab ipsa Christophori hæreditate exclusa pronuntiatur Catharina filia naturalis Nicolai fratris ejusdem Christophori, tamquam legitimata post ejus mortem. Bona alia in districtu Castellionis olim quondam Jacobi Bartholi monachi Camaldulensis ex anno 1396. mandantur una cum bonis olim Pauli de Castellione conversi Camaldulensis alienari vel permutari in vim brevis Martini papæ V. sub anno 1428. In eodem Castellione & in ecclesia sancti Juliani inerat capella dicata sancto Donnino, cujus jus-patronatus pertinebat ad eremum Camaldulensem; quæ omnia addiscimus ex chronico Baroncinii ad hunc annum. XXIX. Donationes factæ in favorem eremi Camald.

PERTINET ad eumdem annum M.CCC.LXV. indictionem III. diem XXIX. mensis julii tempore sanctissimi in Christo patris domini domini Urbani papæ V. testamentum Imeldinæ filiæ quondam Andriucci de Medicis de Faventia, & uxoris olim Guidonis quondam Belotti de Salutari civis Faventini de capella sancti Thomasii, quæ sepulturam suam elegit apud ecclesiam monachorum Camaldulensium sancti Johannis-baptistæ, ubi terræ mandatus fuerat etiam ejus vir, committens indui de panno laneo albo, quo vestiuntur fratres ordinis eremitarum sancti Johannis, quibus pariter omnia fere sua reliquit. Verum cum beneficam se ostenderit Imeldina erga omnia pene monasteria virorum & mulierum urbis Faventinæ, operæ pretium arbitramur particulam testamenti edere, ex qua in cognitionem venimus locorum sacrorum ejus urbis per hæc tempora. „ Item, inquit, relinquo ecclesiæ eremitarum sancti Johannis-baptistæ de „ Faventia, ecclesiæ sancti Johannis-evangelistæ eremitarum (nempe sancti Augustini) ecclesiæ sancti Francisci ordinis Minorum, ecclesiæ sancti Andreæ Prædicatorum, ecclesiæ sanctæ Mariæ Servorum, ecclesiæ „ sanctæ Mariæ Humiliatorum, ecclesiæ sanctæ Mariæ Cœlestinorum, „ ecclesiæ sancti Thomæ, ecclesiæ sancti Petri-Majoris, ecclesiæ sanctæ „ Mariæ foris portam, monasterio sanctæ Claræ de prope Faventiam, „ monasterio sanctæ Mariæ-novellæ de la Malta, monasterio sanctæ Perpetuæ prope Faventiam, eremitis de Persolino prope Faventiam, & „ loco Arminiorum de Faventia, ecclesiæ sancti Bartholomæi, hospitali „ Battutorum Alborum de porta Pontis, monasterio cellæ fratris Laurentii de Faventia, ecclesiæ sororum sanctæ Catharinæ, monasterio XXX. Testamentum Imeldinæ, piæ matronæ Faventinæ.

Ann. Chr. 1365.

„ sancti Bernardi de porta Imolese ceram, causa illuminandi corpus Domini nostri Jesu-Christi: & præter alia legata in omnibus bonis terrisque suis hæredes reliquit fratres sancti Johannis-baptistæ, & fratres Prædicatores, sed hos in mobilibus tantum. " Sequuntur in tabulario ejusdem monasterii sancti Johannis plures paginæ, quæ ad idem testamentum referuntur, instrumentum scilicet concordiæ inter monasterium sancti Johannis, & inter parochum sancti Thomæ in præsentia Stephani episcopi Faventini, & Jacobi de Regio canonici Faventini & episcopalis vicarii anno 1366. pariter approbatio executionis hujus testamenti facta ab Angelo de Ricasolis episcopo Faventino anno 1389. die XXV. februarii sub Victore priore sancti Johannis, assentiente etiam Stephano de Mutiliana canonico & vicario episcopi, & altera demum facta ab Urso episcopo anno 1399. In alio testamento Tonsi cujusdam in favorem ejusdem monasterii nominantur inter cetera loca societates Battutorum Crucifixi, sancti Michilini, sancti Petri, Crucis domini Guidonis in auxilium sepeliendi pauperes. Anno 1392. frater Benvenutus Baxiglagno de capella sancti Clementis Faventiæ bona sua in hæreditatem dimisit fratribus sancti Johannis-baptistæ & fratribus Humiliatis sancti Bernardi, cum onere distribuendi quotannis quinque corbes panis pauperibus die anniversarii sui, approbante Peregrino de Bononia perito in jure canonico & vicario Ursi de Eugubio episcopi Faventini sub Mauro Bagnacavallensi priore sancti Johannis.

XXXI. Electiones prælatorum Camaldulensium.

Anno M. CCC. LXVI. more Pisano vigesima-quarta augusti [a] spontanee cedente Simone Friderico de Testis Arretino olim abbate monasterii Angliariensis, Johannes prior Camaldulensis contulit dictam abbatiam manualem eremi Octaviano Burgensi monacho sancti Zenonis Pisarum; manu Bonaccursii quondam Benvenuti Ciampoli.


Guido abbas Sacrariensis die sexta januarii juravit præcepta prioris generalis Camaldulensis ejusque visitatoris se servaturum, & nominatim quæ pro dicto priore præceperat Guido de Spina vicarius in Sardinia, & promisit hospitalario sancti Frigdiani Pisarum censum, quem debebat eremo Camaldulensi; Albertisco quondam Baronis notario, ex tabulario Fontis-boni [b].

a §. *Electio* 58. *A*. 4. 51.

b §. *Obedientia* 5. *A*. 4. 48.



ANNA-



ANNALES CAMALDULENSES.

LIBER QUINQUAGESIMUS-QUARTUS.

Ab anno Christi M. CCC. LXVI. *ad annum* M. CCC. LXXV.



RÆSENTI anno M. CCC. LXVI. indictione IV. domino Urbano papa V. die XXIX. maji convocatum in Faventina urbe fuit capitulum generale prælatorum ordinis a Johanne præside generali, in quo præter ipsum primas partes egerunt Johannes abbas Vangaticiensis, Michael Classensis abbas, Johannes abbas Camalduli-Florentini, Jacobus abbas sancti Michaelis de Pisis, Nicoluccius & Cæsarius eremitæ. Quamplura in ipso capitulo statuta fuere opportuna pro bono congregationis regimine, quorum summam hic damus. Severissimis pœnis vetitum in primis est, ne mulieres cujuscumque conditionis ullo modo admitterentur intra domus illas, quæ erant tam in clausura monasterii Fontis-boni, quam in officinis externis ejusdem loci. Revocata fuit ordinatio ante sexennium decreta in capitulo Fontis-boni, ne ibidem residentes & etiam commorantes monachi in aliis observantioribus monasteriis ad loca laxiora transferrentur; caute enim & prudenter hac revocatione provisum est indigentiæ aliorum monasteriorum, quæ commodius & facilius poterant reformationis disciplinam suscipere ope & exemplo piorum virorum. Permissa est receptio personarum alterius ordinis. Commissum fuit abbati sancti Michaelis Pisarum, priori Angelorum de Florentia & Benvenuto priori sancti Laurentini de Arretio, ut declararent dubia, quæ oriri possent circa divina officia, & declaratione facta mitterent per ordinem encyclicas literas. Indicta fuit abbati Uranensi reparatio sui monasterii; monialibus autem sancti Salvatoris de Vico Foro-livii, quæ in domibus parum congruis commorabantur, assignatum monasterium sancti Johannis-evangelistæ de Ravaldino ejusdem urbis. In quolibet cœnobio præscriptus est numerus monachorum. Demum confirmata fuit Johanni priori generali facultas recipiendi ad congregationem loca oblata vel imposterum offerenda, & nominatim locum de Vincareto.

ANN. CHR. 1366.

I. Capitulum generale Faventinum.

Ann. Chr. 1366.

II. De Vincaretana congregatione unienda Camaldulensi.

Locus iste jam ab anno 1284. & novissime ante sex annos oblatus fuerat Camaldulensibus. Ut autem apostolicum robur desideratæ unioni accederet, institerant precibus apud Romanum pontificem Urbanum V. Thaddæus prior generalis Vincaretanæ congregationis, & ceteri priores vel administratores prioratuum & locorum a principe loco dependentium, scilicet ut ex ordine canonicorum sancti Marci de Mantua fas esset ipsis ad strictiorem Camaldulensem cœtum transitum facere. Mandavit ejus rei cognitionem Romanus pontifex Petrocino archiepiscopo Ravennati, & Ardovino sancti Marcelli presbytero cardinali sedis apostolicæ in Italia legato, committens ipsis, ut advocato priore sancti Marci Mantuanæ urbis, ac negotio mature perpenso, non obstantibus statutis, si ipsis videretur in Domino expedire, unionem hujusmodi complerent. In ea tamen unione adjiceretur talis conditio, ut juxta oblatas sibi petitiones Vincaretanus prior quinto semper loco post priorem generalem Camaldulensem sederet in congressibus & in capitulis generalibus. Urbani literæ datæ sunt ex Avenione pontificatus sui anno quarto nonis martii; extantque [a] in tabulario Fontis-boni. Hinc patres superioris capituli Faventini, & inter ceteros Nicoluccius de Faventia & Cæsarius Angleriensis eremitæ approbarunt receptionem ejusdem monasterii & membrorum ipsius hac adjecta conditione, committentes Johanni priori generali, ut impensis ordinis celerem expeditionem unionis curaret; omnia superiora exarata sunt manu Bertuccii de Serra notarii, & leguntur in eodem [b] archivo §. *Statuta*. Dilatam tamen unionem ad plures annos suadent monumenta, quibus comprobatur Vincaretanos per aliquod tempus perseverasse sub disciplina canonicorum sancti Marci.

a §. *Brevia*, 5. *A*. 4. 55.

b 8. *A*. 18. 16.

Primas origines Vincaretanæ congregationis, quæ instituta fuerat in territorio Foro-popiliensi vel Britonoriensi & in ditione dominorum de Polenta, aperuimus ad annum 1225. quo ab Honorio III. canonici ibidem commorantes expostularunt societatem cum canonicis Portuensibus, sed præsertim cum illis, qui sub finem seculi XII. congregationem dictam sancti Marci excitaverant in urbe Mantuana. Subjiciebantur Vincareti cœnobio plura loca & prioratus, inter quæ prioratus sancti Johannis in Siliceto de Foro-livio; prioratus, dictus etiam eremus, sanctæ Mariæ de Scardavilla Foro-popiliensis diœcesis; oratorium novum positum in burgo Voltæ Britonorii; monasterium sancti Petri de Cæsena; asceterium mulierum sanctæ Mariæ de Cortina Britonoriensis territorii; alterum sancti Barnabæ in urbe Foro-liviensi similiter feminarum. Hinc est, quod prior Vincaretanus appellabatur prior generalis, & cur distinctum locum requireret in capitulis Camaldulensibus, ad instar prioris Vivensis, qui locum superiorem obtinebat in publicis congressibus, eo quod plures abbatias & monasteria possideret sibi subjectas. Thaddæus, qui hoc tempore præfectus generalis erat ejus congregationis, reperitur in paginis nostris ab anno 1351. ad 1367. Ante ipsum leguntur ad annum 1315. in diplomate Johannis episcopi Cæsenatis apud Ughellium [c] ordinis Vincareti prior Donatus una cum Andrea de dicto ordine, iterum ad annum 1326. Donatus prior generalis in paginis nostris; & ad annum 1328. usque ad annum 1339. Antonius. Prior sancti Petri de Cæsena reperitur Placidus ad annum 1336. in tabulario archiepiscopali Ravennæ [d]. Post Thaddæum priorem generalem Guillielmus de Foro-livio ad annum 1368. appellatur prior sanctæ Mariæ de Vincareto, & membrorum ejus, qui etiam „ anno 1378. dedit egregio militi Sinibaldo nato bonæ me-
„ moriæ domini Francisci de Ordelaffis Foro-liviensis, hæredi, & hære-

c T. *II*. *col*. 458.

d *H*. 3335.

„ ditario

„ ditario nomine dominæ Ciæ ejus matris locum quemdam a venerabi- „ li in Christo patre domino Francisco de Calbulo episcopo Sarsinate „ recognitum ; “ ad annum 1389. frater Petrus de Cæsena prior generalis legitur Vincareti, cujus monumenta supersunt ad annum 1415., ad annum 1433. Johannes a Ferro prior generalis. Hæc excerpsimus ex chartis monasterii sancti Johannis-baptistæ de Faventia, cui unitum fuit seculo XVI. Vincaretanum cœnobium, de quo, ejusque membris alia proferemus ad id temporis, cum sine contentione ad Camaldulenses devenit.

ANN. CHR. 1366.

III. Judices conservatores delegati pro parthenone Quercetano.

PRÆFATUS Romanus pontifex die vigesima novembris, pontificatus sui anno quinto ex Avenione creavit episcopum Fesulanum, & abbates sancti Miniatis in Monte, & sancti Michaelis de Passiniano in judices conservatores bonorum & jurium parthenonis nostri Florentini sanctæ Mariæ de Querceto. Eæ siquidem sanctimoniales appellaverant ad sedem apostolicam a sententia, quam contra ipsas tulerant Nicolaus abbas sancti Andreæ de Candiculis, & Benvenutus prior sancti Laurentini de Arretio judices deputati a Johanne priore generali Camaldulensi, qui declaraverant eas subjectas monasterio sancti Salvatoris Camalduli-Florentini ; at contra eam sententiam obtinuerant Antonia abbatissa & ejus moniales adversus Johannem abbatem & monasterium prædictum sancti Salvatoris præfatos apostolicos conservatores; quare Augustinus abbas sancti Miniatis ordinis sancti Benedicti die XVI. augusti sequentis anni habito colloquio cum Johanne de Podio-bonitio juris-perito, de consensu partium assumpto assessore, definitive pronuntiavit male judicatum fuisse a superioribus judicibus, ac pro parte monialium recte appellatum, cassans pristinam sententiam, & a jamdicta subjectione moniales Quercetanas absolvens; manu Laurentii quondam Johannis Butti de Pavanico notarii [a], ex chartis Fontis-boni. Anno M. CCC. LXIX. die IV. februarii convocatæ sanctimoniales Quercetanæ de mandato ejusdem sororis Antoniæ Nicolai Berti abbatissæ coram Johanne priore generali agnoverunt & fassæ sunt se eidem præsidi subjici, sicut alias monasteriorum Camaldulensium moniales, & promiserunt obedientiam juxta constitutiones ordinis, easque recepit Johannes ut filias devotas & subditas; manu Fei de Podio-bonitio notarii [b], ex eodem tabulario.

a §. *Sententia* 12. *A.* 63.

b §. *Notabilia* 6. *A.* 40. 70.

In quo etiam habetur [c] die prima aprilis Johannem abbatem sanctæ Mariæ de Florentia a Johanne XXII. declaratum unum ex conservatoribus privilegiorum prioris & ordinis Camaldulensis, ac requisitum pro parte Johannis prioris Camaldulensis a Petro præposito ecclesiæ sancti Viriani de Pecciolis Volaterranæ diœcesis, asserentem se impedimenti vinculo ligatum, commisisse vices suas abbatibus sanctarum Floræ & Lucillæ, & sancti Januarii de Campo-leone de Arretio ad sarta tecta facienda jura prioris Camaldulensis.

c §. *Mandatum* 37. *A.* 4. 56.

Petrus de Venerio abbas sanctæ Mariæ Sanæ-vallis de Fullina elegit in rectorem ecclesiæ sancti Nicolai de Fonte diœcesis Tarvisinæ, quæ erat sine animarum cura, monachum suum die XXIV. martii indictione IV. *cum privilegio cardinalitio, quod habebat in manibus ;* Guidonis nimirum cardinalis sanctæ Cæciliæ & apostolici in Italia legati, de quo diximus ad annum 1350.

Contina de Bajalardis effertur abbatissa parthenonis sanctæ Mariæ de Porcilia extra Patavinam urbem in collectione locupletissima Johannis Brunatii [d] ad diem X. junii hujus anni.

d *Pag.* 1880.

GE-

Ann. Chr. 1367. IV. Obitus S. Gerardi monachi Saxo-ferratensis.

GErardus sanctissimus monachus cœnobii sanctæ Crucis de Saxo-ferrato meritis & ætate plenus hoc anno ad Deum evolavit. Hæc de ipsius obitu scriptor ejus vitæ: „ Post multos, inquit, suæ infirmita„ tis annos, in qua graves dolores patientissime toleraverat, ingravescen„ te magis magisque morbo, sui obitus diem imminere intellexit; qua„ re ultimis omnium sacramentis munitus annum octuagesimum-septimum „ agens animam quietissime creatori suo reddidit die XVI. novembris an„ ni M. CCC. LXVII. in hospitio monachorum Saxi-ferrati in oppido „ Serræ-comitum in via Gerronis dicta. " Quod hospitium anno jam circiter 13 3. una cum monasterio sanctæ Crucis Saxi-ferrati omnibusque ejusdem pertinentiis Camaldulensi eremo ab Innocentio VI. adjunctum fuerat. Jacobillius [a] eo anno unitum cum Valle-castrensi Saxo-ferratense cœnobium scribit; alio in loco [b] unionem Vallis-castri & Saxi-ferrati ad annum 1285. retrahit. Sed scriptorem vitæ Gerardi prosequamur. „ Interfuit ejus morti, ait, Johannes Pananeus ex Minorum ordine Seno„ galliensis episcopus una cum multis ecclesiæ suæ clericis, qui purissi„ mam Gerardi animam in magno gloriæ splendore in cœlum ab ange„ lis deferri videre meruerunt. Peractis igitur per dictum episcopum sol„ lemnibus sancto viro exequiis, quibus magna virorum multitudo ex „ Marchiæ & Umbriæ provinciis perveniens præsens fuit, novis etiam „ miraculis sancti viri merita comprobantibus, venerabili sepulturæ ejus „ corpus datum est in ecclesia sanctæ Mariæ de Abbatissis extra Serram„ comitum, cui ipse præsederat, in nobili ac devoto marmoreo sepulcro „ reconditum, ubi innumerabili populorum, sed maxime Serræ-comitum „ incolarum concursu venerationem obtinet irremissis aliis prodigiis coru„ scans, adeo ut loci ipsius, Serræ-comitum nimirum, protector habea„ tur, ubi ab immemorabili ejus festivitas celebratur in die XVI. no„ vembris. Anno M. CCC. LXXX. quidam infirmus ex Foro-semproniensi „ urbe ad visitandum ejus sacrum corpus deductus est, qui integra nocte „ apud sepulcrum quiescens mane facto sanum se invenit; quare promi„ sit se in proximo ejus sollemnitatis die cum divite dono ad ipsius sol„ lemnitatem pro gratiis referendis reditum facturum. " Jure merito ex mox narrato miraculo infert Jacobillius, apud quem per compendium extat memorata Gerardi vita, tredecim post ejus mortem annis ibidem agi solitum fuisse festum ipsius; totidem enim excurrunt ab anno 1367. emortuali sancti viri ad annum 1380. quo miraculum contigit. In antiquo Serræ-comitum statuto, quod renovatum fuit anno 1524. sanctus Gerardus protector, gubernator, intercessor & defensor communis & populi terræ ejusdem loci, & gloriosissimus confessor quatuor vicibus appellatur, ubi etiam decernitur ipsius sollemnitatem esse de præcepto observandam, ac injungitur loci prætori & prioribus, ut publicis sumptibus pallium pulcherrimum ipsius ecclesiæ donent, ac sollemnissimum officium cum processione populi celebrandum ibidem curent. In antiquis Senogalliensis ecclesiæ kalendariis adnotatur ad diem XVI. novembris: *Sancti Gerardi confessoris non pontificis duplex. Apud nos habetur ecclesia in diœcesi, cujus corpus in propria ecclesia requiescit. Lectiones primi nocturni de feria, reliqua omnia de communi. Vesperæ de eodem, commemoratio sequentis diei*. In vetustiore breviario ms. ecclesiæ sanctæ Mariæ de Abbatissis, postea Venetiis recuso anno 1495. & iterum cum aliquibus additionibus anno 1501. legitur: *Die* XVI. *novembris obitus beatissimi Ghirardi de Serra-comitis*. Erat vir sanctus altæ staturæ, carnis olivigeræ exsiccatæ, barbæ longioris, tunicam gerebat ex albo crassiore panno Camaldu-

a T. III. p. 360

b *Ibid. p.* 366.

maldulensium eremitarum more confectam. Ejus cappa usque ad hodiernam diem in eadem ecclesia, ubi ejus corpus requiescit, asservatur. In veteri icona ipsius ecclesiæ de Abbatissis ad altare dicatum sanctæ Agathæ, lignea imago sancti Gerardi cum habitu Camaldulensi, sed cucullo strictiore & tunicæ affixo, necnon cum pileolo invisitur, & ad ejus pedes antiquis characteribus scriptum est: *Sanctus Gherardus.* ANN. CHR. 1367.

Cardinalis Alexander Oliva ex Saxo-ferrato oriundus, presbyter tituli sanctæ Susannæ, episcopus Camerinensis, & olim Augustiniensis ordinis sui præfectus generalis, sanctimonia & doctrina celeberrimus, ac theologorum sui temporis princeps appellatus, cum legatum ageret in ducatu Spoletano & in Marchia Anconitana, die duodecima martii anni M.CCCC. LXI. ex conventu sanctæ Mariæ de Saxo-ferrato ordinis sancti Augustini, indulgentiam perpetuam centum dierum visitantibus præfatam ecclesiam sanctæ Mariæ de Abbatissis in festivitatibus sanctæ Mariæ virginis impertivit, atque in ipso diplomate utitur his verbis: *Ubi corpus gloriosissimum beati Gerardi dicitur esse reconditum, cujus meritis inclyta ibidem miracula visa extiterunt, ac quotidie plura fieri videntur.* „ Novissime, subdit Jacobillius, anno M.DC.LIX. die XIX. maji, de superiorum licentia, translatio beati Gerardi facta est, Francisco-maria de „ Honoratis nobilis Serræ municipe protonotario apostolico, vicario sancti officii & episcopali Serræ-comitum magnificentius ex sua devotione „ sacellum beati Gerardi exornante, interventu Honorati episcopi Urbaniensis ejus fratris, ac circiter quatuor millibus hominum ex vicinis „ populis, cum multis confraternitatibus non invitatis concurrentibus, „ in arcam cypressinam intra aliam nuceam perbelle ornatam sacrum „ Gerardi corpus est repositum, veteri marmoreo tumulo subter altare „ condito, ad quem infirmos deferunt populi, qui sospitatem recipiunt. „ Post dictam enim translationem innumeris Deus miraculis servum suum „ illustravit, unde fama divulgata tota pene Marchia & Umbria commota est, itaut plusquam milleni in dies ad eum visitandum recur- „ rant; " testaturque idem Jacobillius eodem anno translationis ipsius sacri corporis historiam suam scribens, „ plusquam triginta hominum „ millia usque ad id tempus eo convenisse. Dicatum etiam fuit eodem „ anno 1659. die XVIII. septembris altare beati Gerardi a præfato Ho- „ norato Urbaniensi episcopo in eadem ecclesia sanctæ Mariæ, quæ prin- „ ceps est illius loci. " Hæc descripsimus ex vitis manu exaratis beati Gerardi, ex monumentis Saxi-ferrati & Serræ-comitum, ex Petro Rodulpho Tossinianensi, quorum excerpta in medium profert Jacobillius tomo III. Sanctorum & Beatorum Umbriæ pagg. 49. & sequentibus. Gerardi meminit ad dictam decimam-sextam diem novembris etiam Philippus Ferrarius in suo Catalogo generali, his verbis: *Senogalliæ in Umbria sancti Gherardi confessoris;* & in adnotationibus: *Gherardus sive Gerardus in territorio Senogalliensi ex tabella ecclesiæ Senogalliensis, in qua corpus illius veneratur.* Antiquarum imaginum beati Gerardi superior vestis est ad instar casulæ veteris. Vidimus alibi constantem non fuisse habitum hunc in monasterio Saxo-ferratensi, & beatum Albertum in tabula altaris majoris ejusdem cœnobii sanctæ Crucis, quæ redolet seculum decimum-quintum, cuculla potius esse indutum, ita & alios concellitas ejusdem loci; sed in codicibus liturgicis monasterii Avellanensis ad literas initiales conspiciuntur monachi cucullis, casulis & cappis induti; quod argumento est promiscue usurpatas fuisse eas vestes.

V. Electio abbaris hospitalis de Plavi.

PETRUS Venerius abbas Sanæ-vallis anno præterito elegerat in abbatem

Ann. Chr. 1367. tem monasterii hospitalis de Plavi sibi subjecti Franciscum de burgo sanctorum Quadraginta de Tarvisio. E contra Ardovinus presbyter cardinalis, & apostolicus in Italia legatus elegerat Johannem monachum sancti Thomæ de Torcello. Convenientes ergo simul uterque electus in ecclesiam Veneti prioratus sancti Benedicti de Brundulo anno præsenti M. ccc. lxvii. die xiii. martii indictione v. pontificatus Urbani V. anno v. compromiserunt in Petrum abbatem monasterii Fraternitatis ordinis Cisterciensis Cabillonensis diœcesis, reformatorem omnium monasteriorum Cisterciensium in partibus Italiæ, & in Johannem abbatem monasterii de Jubino Januensis diœcesis, qui judices arbitri pronuntiarunt in favorem Francisci electi ab abbate Sanæ-vallis. Sententia extat in tabulario monialium sanctæ Mariæ Angelorum de Muriano, quæ pontificia concessione seculis sequentibus in jura introjerunt ejusdem Plavensis abbatiæ.

VI. Appellatio Basilii abbatis Agnani ab episcopo Arretino.

Basilius abbas sanctæ Mariæ de Agnano Arretinæ diœcesis ad præsentiam se constituit Johannis de Plano-radicis vicarii Jacobi episcopi Arretini, & simul cum Jacobo abbate monasterii sanctarum Floræ & Lucillæ de Arretio appellavit a mandato ejusdem vicarii, quo clericis præcipiebatur, ut persolverent episcopo subsidium caritativum, eo quod fuisset indiscreta taxa unicuique imposita contra constitutionem Benedicti XII. Rom. pont. incipientem *Vas electionis*; ex tabulario sanctæ Mariæ in Gradibus. Jacobus ante biennium successerat Boso in cathedra Arretina.

VII. De castro Vicarelli ab impositionibus libero declarato.

Vertebat quæstio inter cameram Romanæ urbis, & inter monasterium sanctorum Andreæ & Gregorii in clivo Scauri circa castrum Vicarelli, quod quidem camera obnoxium fecerat impositionibus, monachi autem Gregoriani liberum ab iisdem asserebant, eo quia destructum affatim habitatoribus tunc carebat. Pronuntiavit itaque Nicolaus de Stabia judex palatinus & cameræ urbis, quod „ cum dictum castrum propter „ societates & *brigas* non amplius inhabitaretur, destructum quinimmo, „ & dirutum esset, reductumque ad casale, de cetero non subjiceretur „ impositionibus salis, focatici, jurium, mensurarum, sequimentorum, „ grasciariæ & aliorum onerum, habito consilio cum viris sapientibus, „ & specialiter cum toto assertamento præsentium dominorum septem re„ formatorum reipublicæ Romanorum, Senatus officium exercentium ad „ beneplacitum domini papæ: Anno M. ccc. lxvii. pontificatus domi„ ni Urbani papæ V. indictione v. mensis julii die xvi. tempore nobi„ lium virorum Ciecchi de Corciano, Ciecchi Janutæ & collegarum ip„ sorum septem reformatorum reipublicæ Romanorum. “ Sententiam damus in appendice ex codice Gregoriano. Ante paucos dies ex Avenionense civitate Romam redierat, stationem & sedem suam restiturus optimus pontifex Urbanus V. ut legitur in libro *Obligationum* his verbis. „ Hoc anno die quarta junii Urbanus V. Romanus pontifex veniens „ de Avenione Romam exivit mare, & intravit Cornetum, in quo qui„ dem loco erat Ægidius Alvari cardinalis Sabinensis, qui prius erat „ legatus sedis Apostolicæ, & tunc propter adventum domini papæ ces„ savit ejus legatio. Die autem vigesima-tertia augusti ipse cardinalis in „ Viterbio diem suum clausit extremum. “

Absoluto Petro Fanensi causa suarum infirmitatum ab onere regendæ plebis sanctæ Mariæ de Balneo Johannes prior Camaldulensis die vigesima-tertia julii [a] instituit in rectorem dictæ plebis Nicolaum priorem sancti Andreæ de Arimino ad beneplacitum suum, & capituli eremi, ad quam etiam spectabat collatio; manu Bertucii quondam Corradi de Serra-comitis notarii.

[a] §. *Electio* 59. A. 4. 62.

Con-



B. Silvester Florentinus conversus Camaldulensis monasterii S. Mariæ Angelorum de Florentia, qui obiit anno 1348. ex tabula Silvani Ractii



B. Paula Virgo Florentina Abbatissa Camaldulensis S. Margaritæ de Florentia, quæ cœlestibus charismatibus clara decessit anno 1368. ex tabula Silvani Ractii.

Ann. Chr. 1368. VIII.

Obitus S. Paulæ abbatissæ S. Margaritæ in Casagiolo.

CONTIGIT hoc anno felicissima mors beatæ Paulæ abbatissæ sanctæ Margaritæ de Casajolo in urbe Florentia, quæ post quinquaginta & plures annos tum in Dei servitio, tum in eodem monasterio impensos feliciter transiit ad suum sponsum Jesum die VI. januarii, qua celebratur festum epiphaniæ Domini. Antequam oculos clauderet, visitationem promeruit principum apostolorum; plures quoque nobiles matronæ & religiosi viri ejus lectulo adstitere, cum decumberet. Sollemnes ipsius exequias curarunt monachi Angelorum, qui ejus sacrum corpus in suo capitulo sepelierunt. Testamentum ipsa confecit, quo reliquit eidem Angelorum monasterio cœnobium suum sanctæ Margaritæ, in quo vixerat, & in quo jam obierant omnes ejus sorores & sociæ, præcipiens, ut statim a morte sua disiicerentur ædificia, & monasterium solo prosterneretur, ne a viris secularibus incoleretur locus, in quo tantis Jesu-christi visionibus dignata fuerat. Executus est testamentariam Paulæ voluntatem Bindus Benini, in quem hanc curam transtulerunt monachi. Eam quoque conditionem apposuit beata Paula, ut quotannis in ecclesia sanctæ Mariæ-angelorum celebraretur festum sanctæ virginis & martyris Margaritæ, & anniversaria Missa pro anima sua suarumque sororum quolibet anno decantaretur. Præfatus Bindus Benini Florentinus civis paulo post capellam in capitulo monachorum condidit in sancti Johannis-baptistæ honorem, ad quam translatæ fuere beatæ Paulæ reliquiæ, quæ demum curante Silvano Ractio Angelorum monacho unitæ cum reliquiis beati Silvestri, & beati Jacobi monachorum ejusdem cœnobii in ecclesia coluntur, ut ad annum emortualem Silvestri 1348. diximus. Ex tabulario Fontis-boni acquisierant monachi sanctæ Mariæ Angelorum anno 1325. habitationem quarumdam mulierum de Pœnitentia e regione eorum monasterii, ut liquet ex literis facultatem hujusmodi facientibus Bonaventuræ prioris generalis, qui anno M. CCC. XXV. indictione VIII. die XV. julii ex palatio novo Fontis-boni permisit ipsis mutuare partem pecuniæ, „ quia, ait, quod „ Dei timorem habetis præ oculis, ex vestris fructibus evidenter colligitur, „ cum opera, quæ facitis, testimonium perhibeant veritati, cum pro ve„ strarum, vestrorumque successorum conscientiarum quiete, vestrique loci „ honestate ampliori acquirere intendatis habitationem quarumdam mu„ lierum seu sororum de Pœnitentia in oppositum vestri monasterii, si„ tam ex altera parte viæ in populo sancti Michaelis de Visdominis, „ titulo permutationis in possessionem cum domibus, quam emere omni „ nisu vultis a domino Bencivenne Bonajunctæ decretorum doctore, & „ invicem convenistis, cui possessioni positæ in civitate Florentina in via „ sancti Galli in populo sancti Laurentii adhæret via publica, Scholay„ nus aurifex &c. “ Ex Bonaventuræ hujusmodi literis patet habitationem sororum de Pœnitentia acquisitam a monachis Angelorum alteram esse ab acquisitione monasterii sanctæ Margaritæ, quod beata Paula tum vivens, tum moriens subjecit eidem monasterio Angelorum; & aliunde novimus in Casajolo plura fuisse, præsertim sub sanctæ Mariæ-magdalenæ invocatione, sororum de Pœnitentia domicilia.

Qua ratione autem Fortunius quinquaginta & amplius annos tribuerit beatæ Paulæ incolatus in monasterio sanctæ Margaritæ, compertum non habemus. Eodem enim anno sacrum velamen suscepisset beata Paula, quo vestem monasticam induit in cœnobio Angelorum beatus Silvester, nempe anno 1318. & tamen idem Fortunius introductam ipsam Paulam in monasterium sanctæ Margaritæ ad annum 1333. affirmat, vel ut vult Ractius ad annum 1331. & quidem viginti-duos annos natam, ex quibus annis

Ann. Chr. 1368.

annis ad 1368. recurrunt vel anni triginta-quinque, vel triginta-septem. Si autem computentur anni, quibus vixit in monasteriis sanctæ Ursulæ, & sancti Hilari, possunt quidem conflari anni quinquaginta, sed tunc vel septennis vel novennis monasterium primum ingressa fuisset, cum anno 1331. vel 1333. vigesimum-secundum ætatis annum attingeret. Quomodo autem beatus Silvester puellæ septenni vel novenni eam interrogationem fecisset: *An cognosceret virum?* reliquum ergo est, ut quos annos tribuit Fortunius monasticæ palæstræ beatæ Paulæ, tribuantur toti ejus fere vitæ, itaut vel quinquagesimo-septimo, vel nono ætatis suæ ad Deum transierit præsenti anno.

IX. Delegatio apostolica pro juribus monast. S. Petri in Vinculis Pisarum. a *Pag.* 24.

URBANUS papa V. Guidoni abbati sancti Michaelis in burgo Pisarum XVII. kalendas martii hujus anni commisit judicium controversiarum, quæ vigebant inter paræcianos ecclesiæ sancti Andreæ foris portam, & inter priorem monasterii sancti Petri in Vinculis ejusdem urbis. Troncius [a] in memoriis Pisanis habet hanc delegationem factam fuisse tum dicto abbati, tum priori sancti Frigdiani de Luca, qui decreverunt, quod tam ratione patronatus, quam ratione prælationis, ecclesia sancti Andreæ pertineret ad prioratum sancti Petri, & prior hujus postremi loci patronus & prælatus esset illius ecclesiæ, ac tempore vacationis quatuor vel plures electi a parœcianis sacerdotem aliquem in rectorem nominarent, quem exhiberent priori sancti Petri, qui eum in parochum constitueret. Parochus autem seu rector sancti Andreæ die festo Vinculorum sancti Petri, die sancti Blasii, & die dedicationis sancti Salvatoris teneretur quotannis adsistere primis vesperis dictorum festorum & Missis; die vero sancti Andreæ solveret priori censum solidorum quadraginta, & prandium institueret omnibus sancti Petri canonicis; die insuper dominica palmarum offerret altari sancti Petri cereum unius libræ, & traderet medietatem ceræ defunctorum illorum, qui non humarentur neque in ecclesia sancti Andreæ, neque in illa sancti Petri. Hæc divi Petri ecclesia collegiata diu permanserat, postea fuit commendata, cujus postremus commendatarius Petrus-johannes a Scorno post vicennium anno 1388. institit apud Urbanum VI. ut traderetur monachis Montis oliveti pro domo hospitii in urbe Pisarum. Concesserat locum iis monachis in Agnano colle proximo Pisanæ urbi Johannes Scherlatus archiepiscopus Pisanus, & in honorem sancti Hieronymi ædificaverat ipsis ecclesiam, ac monasterium inchoaverat anno 1360. quos etiam annuente summo pontifice hæredes ex asse effecerat moriens anno 1362. Bartholomæus vero Testa Pisanus anno 1364. dotaverat ecclesiæ Agnani majus altare; postremo Sixtus IV. adjunxit monasterio Agnani anno 1475. abbatiam sancti Michaelis de Agnanello. Ipsorum tamen monachorum Montis-oliveti præcipuum fundamentum fuit supradicta ecclesia, seu prioratus olim canonicorum sancti Petri, ut ait idem Troncius, ad quem relicto Agnano se postea receperunt. In ipso sancti Petri ad Vincula prioratu Guido Pisarum episcopus anno 1072. instituerat *clericos regulariter vivere*.

X. Venditio territorii de Asqua facta Camaldulensibus. b §. *Emptio* 123. *A.* 4, 69.

COMES Bandinus quondam Uberti comitis de Romena vendidit Johanni priori generali Camaldulensi [b] die XII. octobris hujus anni totum territorium de Asqua, & alterum dictum Cerretum-freginese cum omnibus pascuis, montibus, vallibus, terris, & cum libertatibus & immunitatibus, quas habere consueverant conductores dicti pasculi a comitibus de Romena, jus quoque fidelitatis, homagium & jurisdictionem in homines dicti territorii, excepto jure animadvertendi in sontes, pretio Florenorum quingentorum. Consensum præbuit Lisa olim Uberti de Pazzis Vallis-

Vallis-arni ejuſdem Bandini comitis uxor. Actum in caſtro Montis-granelli manu Pacis quondam Riccii de Loro notarii.

ANN. CHR. 1368.

XI. Eccleſia S. Luciæ de Camprena ſubmiſſa eremo Camaldulenſi.

NUCCIUS quondam Franciſci, Nerius quondam Nigri, & Lippus quondam Jannetti de villa Camprenæ curiæ caſtri Biblenæ pro ſe, & vice Maggii Perutii aſſerentis ſe habere commiſſionem a Franciſco Petri de Biblena, in optatis habentes providere ſtatui eccleſiæ ſanctæ Luciæ de Camprena, habito inter ſe tractatu, decreverunt ſubmittere & adjungere dictam eccleſiam eremo Camaldulenſi, itaut prior generalis de cetero eam curam ſibi aſſumeret eligendi rectorem, qui inſerviret parœcianis, & adminiſtrationem gereret bonorum eccleſiæ [a]; manu Guidonis olim Dini de Cetica notarii.

In capitulo officialium ſive obedientiarum eremi Camaldulenſis, ut legitur [b] in regeſto XVIII. decretum fuit ſub hoc anno, ut officio pœnitentiarii, quando nullus recluſus eremita eſſet in eremo, fungi poſſent ipſi eremitæ aperti, quibus etiam liceret confeſſiones ſecularium excipere, quod vetitum fuerat anno 1355. a capitulo generali Burgenſi. Poſt hæc tempora adaucto numero confeſſariorum ordinariorum, officium pœnitentiarii in eremo fuit ſenſim abolitum.

[a] §. Electio 31. A. 4. 68.

[b] Pag. 50.

XII. Paginæ aliquot monaſteriorum.

OCTAVA januarii [c] Bonus Franciſci de Imola prior ſancti Johannis-baptiſtæ Cellarum inter Ambas-paras renovationis jure dedit ad annos quinquaginta fratri Leonardo Franciſci de Foro-julio præceptori ſancti Michaelis de Arimino ordinis Hieroſolymitani eccleſiam ſancti Simonis de Butrio territorii Ariminenſis cum ſuis poſſeſſionibus & bonis, quæ ad præfatum monaſterium Cellarum ex donationibus archiepiſcoporum Ravennatum ob reverentiam ſancti Alberici fundatoris, ut legitur in pagina, eidem ſacro loco legitime factis pertinebant; manu Johannis notarii.

[c] §. Invalidæ. 3. A. 4. 66.

Die decima-nona maji Stephanus Stephanucii de Piro monachus eremi Suaviciniæ, celebris ob cultum beati Dominici Loricati, cujus corpus in eccleſia dictæ eremi ſeu monaſterii quieſcit, ſindicario nomine, & conſentiente Johanne Lippi priore ejuſdem monaſterii, vendidit quamdam domum ſitam Fabriani, pretiumque ejus convertit in erectionem & opus eccleſiæ ſancti Johannis de Monte-ſanctæ-Mariæ in Caſſiano membri ejuſdem monaſterii.

In libro *Obligationum* legitur die quinta januarii Gregorium abbatem ſancti Petri ad Vincula diœceſis Ravennatis promiſiſſe pro ſuo communi ſervitio quinquaginta Florenos; centum autem Venturam abbatem ſancti Johannis-baptiſtæ de Acereta Faventinæ diœceſis, alioſque centum hunc pro ſervitio Petri prædeceſſoris ſui ſpopondiſſe.

ANN. CHR. 1369.

XIII. Abbatiæ Caſinenſi præficitur Andreas Faventinus mon. Camaldulenſis.

DESTITUTA erat jam fere ab initio hujus ſeculi abbate regulari inſignis abbatia Caſinenſis, quam in epiſcopatum erexerat Romanus pontifex Johannes XXII. anno 1319. eidem de ſpeciali epiſcopo ſuo tempore proviſurus. Oddo epiſcopus primum Polenſis, tum archiepiſcopus Arborenſis, inde Piſanus, poſtea patriarcha Alexandrinus adminiſtrator erat hujus abbatiæ anno 1329. Primus, qui ut epiſcopus, in cathedra Caſinenſi ſedit, fuit Raymundus anno 1326. inde anno 1340. Guido Gallus, tum Ratherius anno 1341. poſtea Stephanus de Gambarutis anno 1343. Guillielmus anno 1345. Franciſcus de Aptis Tudertinus, primum Corphienſis, tum Cluſinus, tum Caſinenſis epiſcopus ſextus ab Innocentio VI. electus fuit anno 1353. ſed translatus ad eccleſiam Florentinam locum fecit poſt biennium Angelo Acciajolio, qui prius Aquilanam, poſtea Florentinam gubernaverat eccleſiam. Octavus epiſcopus Caſi-

Ann. Chr. 1369.

Casinensis fuit alter Angelus de la Posta electus anno 1358. Obiit Angelus secundus III. idus aprilis anni 1362. Tum administrata est abbatia a vicariis; sed eodem anno die XXVI. julii nonum & postremum Casinatibus episcopum dedit idem Romanus pontifex Innocentius VI. Angelum hujus nominis III. ex clarissima Ursina gente, qui defunctus est vel desiit anno 1365. vel sequenti. Hæc episcoporum series nobis constat ex elaboratissimo opere historiæ Casinensis monasterii confecto ab abbate domno Erasmo Gattola, qui subdit post Angeli obitum sanctissimum pontificem Urbanum V. quo peculiarem suam erga parentem beatissimum Benedictum, cujus erat alumnus, reverentiam testatam faceret, voluisse abbatem cœnobii Casinensis se esse, teste ipsius bulla anni 1366. sub die XX. novembris. Abbatiam igitur Casinensem per vicarios suos plures rexit Urbanus, sed præsenti anno die V. decembris literas dedit Andreæ Faventino Camaldulensi monacho, constituens ipsum in primum iterum post episcopos Casinensem abbatem, concedens insuper illi facultatem decem ex quolibet ordine non Mendicantium monachos inter Casinates adsciscendi, tironesque recipiendi ad monasticam professionem. Literæ Urbani apud eumdem Gattolam sunt hujusmodi ex autographo tabularii Casinensis, quas & nos producimus.

Urbanus episcopus servus servorum Dei dilecto filio Andree abbati monasterii Casinensis ordinis sancti Benedicti nullius diocesis salutem &c. *Ad ea, que divini nominis cultum & locorum religiosorum augmentum respiciunt, libenter intendimus, & eis, quantum cum Deo possumus, favorem apostolicum impartimur. Cum itaque hodie de persona tua, ob tuorum exigentiam meritorum, nobis & fratribus nostris accepta, monasterii Casinensis ordinis sancti Benedicti, quod nullius diocesis existit, de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica duximus providendum, preficiendo te eidem monasterio in abbatem; Nos attendentes, quod in eodem monasterio juxta ipsius exigentiam facultatum nimis parvus est numerus monachorum, ac cupientes, quod in monasterio ipso monachorum numerus augeatur, & ipsius Sancti regula laudabiliter observetur, tibi facultatem facimus transferendi auctoritate nostra hac vice de quibusdam aliis monasteriis quorumcumque ordinum non Mendicantium ad prefatum monasterium Casinense usque ad decem monachos, de quibus tibi videbitur, ac insuper de novo recipiendi in monachos ejusdem monasterii, auctoritate predicta, juxta tue voluntatis arbitrium, quoscumque clericos vel laicos, qui sub regulari habitu cupiant in eodem monasterio tecum, & cum aliis ipsius monasterii monachis virtutum Domino famulari, ipsisque regularem habitum exhibendo. Contradictores quoque auctoritate predicta appellatione postposita compescendo, quibuscumque constitutionibus apostolicis ac statutis* &c. *Datum Rome apud sanctum Petrum nonis decembris anno* VIII. Videatur etiam Tomus octavus epistolarum secretarum ejusdem Romani pontificis pagina 71. quem laudat ad hunc annum Odoricus Raynaldus.

XIV. Quis primus abbas Casini post episcopos?

Die vigesima-prima januarii anni sequentis nondum Casinum se receperat Andreas, ut fit compertum ex aliis literis ejusdem Romani pontificis datis ea die ad Petrum de Tartaris, quem interea constituit visitatorem cœnobii Casinensis. Sed pervenerat Andreas Casinum ante diem quartam martii, ut ostendemus anno sequenti. Interim duce eodem Gattola demonstrandum est Andream Faventinum fuisse revera primum post novem episcopos abbatem Casinensis monasterii. Arnoldus Wion lib. I. Ligni vitæ cap. XIII. scribit „ anno 1371. Casinensem abbatem extitisse „ se Bartholomæum a Senis, qui primo regiminis sui mense veneno

„ sumpto

„ sumpto obierit, sepultus in basilica Casinensi. " Scipio in libro de viris illustribus Montis-casini Bartholomæum primum fuisse ait post episcopos abbatem, atque inopina morte correptum secundo suæ administrationis anno nedum expleto. Auctor alter anonymus sequentia profert de Bartholomæo: „ Interim defuncto die XII. septembris anni Domini „ M. CCC. LXII. papa Innocentio eidem in pontificatu successit Urbanus „ V. electus die XXVII. septembris. Is statim ut intellexit miserandum „ sacri monasterii Sublacensis statum, facultatem concessit monachis ex „ corpore conventus eligendi sibi novum præsulem secundum sancti pa„ tris Benedicti regulæ statuta. Quapropter fratres unanimi voto con„ senserunt in fratrem Bartholomæum e civitate Senarum oriundum, „ sacri Specus monachum &c. " Narratisque ipsius gloriosis gestis in regimine monasterii Sublacensis, in hæc verba concludit: „ Pluraque alia „ mente destinaverat providere, si in regimine abbatiæ Sublacensis diu„ tius præfuisset. Nam cum celebris ejus bonitatis fama publica ad au„ res Urbani V. pervenisset, & ex Galliis Romam rediisset, Bartholo„ mæum septimo sui præsulatus anno ad Casinensis monasterii regimen „ transtulit anno ab incarnatione Domini M. CCC. LXIX. Inito itaque „ Casinensi præsulatu depravatos monachorum mores, præcipue quorum„ dam nobilium vivendi licentiosam objurgare cœpit vitam, & auda„ ciam reprimere, unde & eorum indignationem subiit, & invidiam, „ quapropter & in ejus perniciem conjurantes dolis vitæ ejus insidiaban„ tur, a quibus tertio sui regiminis anno, idest Domini M. CCC. LXXI. „ in mense septembri atroci toxici violentia abreptus fertur, & in ba„ silica Casinensi sepultus. " Hæc fabulosis accenset idem Gattola, & jure merito; nam Bartholomæus erat abbas monasterii Sublacensis mense februario anni 1369. ex ejusdem Urbani diplomate dato XII. Kalendas martii pontificatus sui anno VII. & nonis decembris ejusdem anni Andreas Faventinus electus fuit a dicto Urbano in abbatem Casinensem; quare nullatenus reperiuntur duo vel tres anni, qui assignentur Bartholomæo in regimine abbatiæ Casinensis, neque ullo modo conciliari potest, quod Bartholomæus ad annum 1371. pervenerit, cum eo anno jam Andreas administrationem gereret monasterii Casinatis anno præsenti ab Urbano V. eidem præfectus. ANN. CHR. 1369.

QUOD autem Andreas Faventinus, primusque abbas Casinensis post abbatum restitutionem, extiterit antea monachus Camaldulensis, confirmationis robur recipit ex testimonio omni exceptione majori anonymi scriptoris vitæ Urbani papæ V. apud Raynaldum sub num. XXVI. ad annum 1370. ex editione Bosqueti, qui in hæc verba totam rei seriem exponit: „ Memoratus Urbanus papa anno septuagesimo currente, vo„ lens, quod in monasterio Casinensi religio monachorum Nigrorum, „ quæ ex institutione & ordinatione beati Benedicti suum quasi sumpsit „ exordium, vigeret præcipue, essentque religiosi in ipso vitam exem„ plarem ducentes, quemadmodum alias extiterant, posteaquam de epi„ scopali dignitate ipsum ad abbatialem reduxit, tria fecit. Primo, quia „ erat quasi collapsum in ædificiis, quæ propter terræmotum erant pro „ majori parte diruta, ipsum fecit reparari & reædificari, & in hoc vo„ luit exponi proventus ipsius, quamdiu vacavit. Secundo advocavit mo„ nachos, & collegit religiosos & devotos de diversis aliis monasteriis, „ in quibus sciebat vitam monasticam melius & strictius observari, quos „ ibidem instituit & ordinavit perpetuo residere, amotis ab inde pluri„ bus vagabundis & insolentibus, qui vitam secularem, potius quam re-

XV. Probatur Andream fuisse Camaldulensem, non Olivetanum.

„ gularem

ANN. CHR. 1369.

„ gularem erant ibidem soliti observare . Tertio deliberavit eidem in „ abbatem præficere aliquem, qui juxta regulam beati Benedicti vivens ad „ sic vivendum præfatos monachos suo exemplo alliceret , & etiam com- „ pelleret, ubi ad contrarium eos inclinatos inveniret ; & cum , licet „ diutius perquisitum, talem juxta votum suum in cœnobiis monacho- „ rum Nigrorum non inveniret , ne in suo hujusmodi sancto desiderio „ frustraretur , ad eremum fratrum Camaldulensium sub regula eadem „ famulantium aspectum habuit , in quo, quod optabat , adinvenit, vi- „ rum videlicet, qui totus erat devotus, orationi & lectioni assidue de- „ ditus, & alias Dei servitio semper intentus, beneque morigeratus, & „ in agendis circumspectus , qui etiam omni tempore ab esu carnium „ abstinebat , & alias insuper abstinentias , ordinationesque monasticas „ juxta præcepta & instituta dictæ regulæ indefectibiliter observabat, de „ quibus ipse plenius informatus eum ad se vocavit, & licet satis invi- „ tum & renitentem eidem monasterio præfecit in abbatem, & ad per- „ severantiam in bonis operibus , ac ut cum timore Domini officium „ sibi traditum sollicite & debite exerceret , ipsum caritative & dulci- „ ter admonuit & induxit, qui tam onus sibi impositum , quam moni- „ ta ejusmodi humiliter suscipiens , monachos sibi subditos ad similiter „ vivendum induxit, & in debitis religione & obedientia tenuit, mona- „ steriumque ipsum pro tunc satis in spiritualibus & temporalibus refor- „ matum in statu debito conservavit, deditque formam & aperuit viam „ suis successoribus & posteris , ut similiter facerent in futurum. “ Totidem verba ex eadem Urbani vita exscripsit ex eodem Bosqueto , & cum ms. codicibus contulit Stephanus Baluzius in vitis paparum Avenionensium. An Andreas Faventinus abbas Montis-casini ex Camaldulensi monacho idem fuerit cum Andrea similiter Faventino , qui erat proxime ad hæc tempora prior monasterii sancti Mathiæ de Muriano , anno sequenti ad examen revocabimus. Qua ratione autem contra apertum testimonium scriptoris anonymi & coævi Marcus-antonius Scipio Casinensis monachus, Secundus Lancellottus, Arnoldus Wion , Ughellius & ceteri scriptores historiæ monachorum Montis-oliveti Andream primum vel secundum juxta ipsos post episcopos Casinensem abbatem astruant fuisse Olivetanæ familiæ monachum , ipsi viderint. Illud exploratum est Andream ex facultate ejusdem Romani pontificis sibi facta inducendi monachos aliarum congregationum , qui abbatiæ Casinensis reformationi, monasticæque disciplinæ secum vacarent, inter ceteros dilexisse & elegisse Montis-oliveti ascetas observantiæ laude apprime tunc florentes , ut melius declarabitur anno, qui sequitur. Ceterum, si bene intelligimus, & ut etiam opinatur Baluzius, repugnantiam omnem tollere videtur Lancellottus , qui duos distinguit Andreas nomine , & quidem utrumque unum post alterum abbatem Casinensem, primum , qui Monte-olivenses expetierit, secundum Montis-oliveti antea monachum . Narrata enim cujusdam Olivetani monachi difficultate adeundi Montem-casinum , ad quem locum vocatus fuerat ab Andrea abbate, subdit: „ Sentio alios ex nostris „ Montem-casinum concessisse , ex his præcipue Petrum & Andream . „ Utut sit, quid de utroque tradiderint historiæ , exponam . Andreas „ Faventinus Olivetanus anno 1371. pridie kalendas octobris primus & „ octuagesimus abbas legitur in Monte-casino . Imperat toto, quo com- „ modum vixit , triennio ad annum usque 1374. Ad capitularia , ut „ ajunt, subsellia sepelitur. “ En ergo Lancellottus distinguens Andream abbatem Olivetanos vocantem ab altero Andrea , qui una cum Petro

(Tar-

(Tartaro) Casinum advocatus fuit, quique juxta ipsum abbatis dignitatem obtinuit anno tantummodo 1371. Sed nos tutiora ex monumentis Casinatibus & ex historia Gattolæ de Andrea nostro proferimus, dicemusque etiam anno sequenti.

ANN. CHR. 1369.

XVI. Monasterium Valle-castrense appetit unionem cum Camaldulensibus.

HACTENUS monasterium sancti Salvatoris & sancti Romualdi Vallis-castri propriis & municipalibus legibus & usibus vixerat; ac licet ipsum a fundamentis excitasset sanctus parens Romualdus, qui in eo sepulcri etiam honorem eligere maluerat, numquam tamen se subdiderat disciplinæ eremi Camaldulensis, quam tot congregationes & monasteria primis statim seculis susceperant. Convocato itaque capitulo Valle-castrensium monachorum, mandante Guillielmo Mariani vicario ejusdem monasterii, die XIX. septembris hujus anni institutus fuit Balduccius Vannuccii monachus dicti loci in procuratorem, qui se sisteret coram Romano pontifice Urbano V. & ab eo enixe flagitaret, „ quatenus dignaretur copulare Valle-castrense monasterium & ipsius membra cum „ ordine Camaldulensi, ut sicuti beatissimus Romualdus prædictorum ordinis & monasterii auctor & fundator fuerat, ita sub uno capite & „ sub una religione cœnobium Vallis-castri imposterum consisteret; “ juramento autem se obstrinxerunt monachi rata omnia habituros quæcumque Balduccius ageret vel obtineret; manu Benedicti Zutii de Albacina Camerinensis diœcesis notarii [a], ex pagina tabularii Fontis-boni. Quid Balduccius egerit, non liquet; dilatam scimus ad multos annos, idest ad annum 1394. & rursus interjectis oppositionibus, ad annum 1406. fuisse unionem, quæ hactenus haud interrupta perseverat. Quod capitulum convocatum fuerit a vicario Valle-castrensi, indicat vacasse tunc abbatiam morte, vel dimissione Gualfredi Perusini abbatis Vallis-castri, ad quam electus fuit Conradus de Fabriano, cujus monumenta afferemus anno sequenti.

a §. *Mandatum.* 38. *A.* 4 77.

XVII. Compositæ controversiæ inter Ferracianenses & Insulanos monachos.

JOHANNES prior generalis Camaldulensis electus arbiter a Blasio abbate Insulani monasterii, & a Bartholomæo priore cœnobii sancti Paterniani de Ferracciano super discordiis exortis inter ipsos quoad libertatem prioris Ferraccianensis, & quoad subjectionem hujus monasterii Insulanæ abbatiæ, definivit die quinta aprilis hujus anni, quod prior Ferracciani deberet esse perpetuus prior, neque posset removeri ab abbate, nisi pro crimine manifesto, & ex causa approbata per constitutiones ordinis; prior tamen obedientiam abbati desponderet tamquam suo immediato prælato, juxta regulam sancti Benedicti & statuta Camaldulensis congregationis; insuper ex juramenti vinculo bona sui monasterii teneretur conservare, neque unquam alienare, nec de novo infeudare sine abbatis permissione; deberet recipere abbatem, monachos & nuntios Insulani monasterii, eisque decentem hospitalitatem exhibere, visitationem demum & correctionem spiritualem & temporalem tam in capite, quam in membris subire a prædicto abbate. Denique confirmavit Johannes arbitrium seu consimilem sententiam latam olim anno 1226. a Guidone prædecessore suo priore Camaldulensi. Johannis compositio extat in eodem archivo Fontis-boni [b]; manu Nicolai Johannis de Taliaferris Foro-liviensis notarii.

b §. *Sententia* 13. *A.* 4. 73.

XVIII. Provisio abbatiæ S. Petri ad Vincula Ravennatis territorii.

VACABAT monasterium sancti Petri ad Vincula in territorio Ravennate; quare anno M. CCC. LXX. more Pisano die XXVII. decembris idem Johannes prior Camaldulensis supplici libello expetiit a Romano pontifice Urbano V. ut providere dignaretur de dicta abbatia Bartholomæum priorem sancti Andreæ in Silva. Annuit idem Romanus pontifex, & anno sequenti M. CCC. LXX. more Romano die XIII. martii commisit

præfa-

ANN. CHR 1369.

præfato Johanni priori generali, ut eumdem Bartholomæum in possessionem induceret dicti monasterii vacantis, quod sibi specialiter reservaverat, ita tamen ut noviter electus prius reciperet benedictionem a catholico episcopo, & præstaret sacramentum fidelitatis; verum ex iis nullum deinceps præjudicium generaretur archiepiscopo Ravennati. Datum Romæ pontificatus anno VIII. servaturque breve in chartario Fontis-boni [a].

a §. Brevia. 6. A. 4 1.

XIX. Mandata Johannis prioris generalis Camaldulensis.

IDEM præses generalis destinavit Paulum abbatem monasterii sancti Michaelis de Muriano in suum vicarium ad curam monialium sancti Parisii de Tarvisio, itaut præesset earum clausuræ, honestatique vitæ, neque permitteret laicos viros ingredi septa monasterii, & facultatem insuper ipsis faceret vendendi aliquot bona ejusdem parthenonis pro diluendo ære alieno. Datum in monasterio Fontis-boni anno Domini M.CCC.LXIX. indictione VII. die XVI. mensis augusti. Extat in Appendice ad vitam sancti Parisii [b].

b Pag. XXXVI.

c § Mandatum 36. A. 18. 56.

Datum quoque fuit in mandatis [c] hoc anno die XXXI. martii ab ipso Johanne priore visitatoribus ordinis, ut recens assumptos prælatos, qui juxta congregationis statuta infra mensem ab assumptione sua eremum Camaldulensem non visitarent, ceterosque ordinis prælatos, qui eamdem visitationem infra annum negligenter ommitterent, corrigerent, & ab ipsis eam pecuniæ quantitatem exigerent, quæ compensaret & æquivaleret expensis ejusdem visitationis, si facta fuisset, consignandam sacristæ eremi; manu Silvestri Florentini scribæ Johannis prioris generalis Camaldulensis.

XX. Collationes aliquot monasteriorum.

d §. Electio 60. A. 4, 72.

e Ibid. 61. A. 4. 75.

MONASTERIUM sancti Viti de Vicetia collatum fuit die vigesima-nona martii [d] a Johanne priore Camaldulensi Bartholomæo priori sancti Michaelis de Cazano; manu Arrighi Vannis Puccii Pistoriensis notarii. Die vigesima-nona maji [e] Antonius abbas Uranensis præsentavit Roberto episcopo Britonoriensi electionem factam ab abbate Prataliense rectoris sancti Johannis de Richò; Lucio quondam magistri Francisci Medici de Britonorio paginam roborante. Robertus episcopus Britonoriensis ex ordine eremitarum sancti Augustini distinguendus est ab alio Roberto episcopo itidem Britonoriensi, qui dolore eversæ urbis Foro-popiliensis administrationem ejus ecclesiæ cesserat in manibus pontificis anno 1364.

XXI. De Societate Pisana juratorum.

f T. XV. col. 216.

IN ecclesia sancti Michaelis de Burgo Pisarum instituta erat quædam virorum societas, quæ appellabatur *Juratorum*. Legitur in chronico Andreæ Dei Senensis [f] apud Muratorium, ipsam ivisse in occursum Petri, Gherardi, & duorum filiorum Petri de Gambacurtis, qui ab imperatore Carolo IV. impense honorati fuerant, & exclamasse: *Vivat sanctus Michael, vivat imperator, & omnes ejus jurati*. Pariter de ipsa societate, quæ congregabatur in dicta sancti Michaelis ecclesia, habet Paulus Troncia in Memoriis Pisanis [g] ad hunc annum, eam pro insigne ex una parte habuisse imaginem sancti archangeli Michaelis, ex altera vero Aquilam nigram imperialem in campo aureo, ad pedes autem signum communitatis Pisanæ, eamque erectam fuisse post transitum, quem per urbem Pisanam hoc ipso anno fecerat Carolus IV. imperator, fusiusque ipsius societatis institutionem legesque describit. Appellabantur autem jurati, quia fidelitatem jurare debebant populo Pisano, & tenere neutralitatem inter urbis factiosos, & persequi partem tumultuantem. Ad quatuor-mille cives ascendebat hujus societatis numerus.

g Pag 421.

XXII. Obitus Johannis abbatis Vangaticiensis.

DECESSIT hoc anno Johannes abbas Vangaticiensis, ut legitur in necrologio ejusdem monasterii ad diem decimam octobris: *Anno Domini*

ni M. CCC. LXVIIII. *obiit domnus Johannes Iniquitatis de Placentia venerabilis abbas hujus loci*. Iniquitatis cognomen erat illud familiæ, ficut etiam in urbe Patavina familia erat de Malitiis. Benedictus de Malitiis de Padua monachus Vangaticienfis refertur in eodem necrologio ad XVII. kalendas julii. Viginti annis rexerat Johannes Vangaticienfe cœnobium poft Severum Saxo-ferratenfem, & fucceſſorem habuit Antonium del Ferro feniorem. In Bononienfibus chartis mentio fit fub hoc anno Johannis de Placentia abbatis Vangaticienfis cum fuis monachis, inter quos numerantur Paulus prior fancti Petri de Monte-filice, & Felicianus archipresbyter plebis de Abbatia. Ann. Chr. 1369.

Accessit hoc anno Andreas Faventinus monachus Camaldulenfis ad recipiendam poffeffionem monafterii Montis-cafini, cujus abbatiæ titulo & dignitate fub finem anni præteriti infignitus fuerat a Romano pontifice Urbano V. Aderat in eo monafterio ante diem quartam martii, nam ea die fcribens Urbanus Neapolitano & Beneventano archiepifcopis, & epifcopo Trojano, exponit exhibitas fibi fuiffe querelas dilectorum filiorum Andreæ abbatis & conventus monafterii Cafinenfis, quod per prælatos, qui antea rexerant, factæ fuerant in grave ejufdem monafterii damnum locationes nonnullis clericis & laicis &c. Datum Romæ apud fanctum Petrum IV. nonas martii pontificatus fui anno VIII. Vix credi poteft (fubdit Gattola) quot beneficiis privilegiifque locupletatum fuerit cœnobium Cafinenfe fub Andrea abbate ab eodem Romano pontifice Urbano V. qui vetera prædecefforum fuorum Zachariæ, Clementis III. Gregorii IX. renovavit, confirmavitque privilegia, quorum quædam ipfe recenfet. Nonis januarii quatuordecim ex diverfis cœnobiis probatæ vitæ monachos Cafinum advenientes approbat, ut per eos regula fancti Benedicti adamuffim obfervetur. Quarto nonas martii jubet, ut monachi Cafinates ceteraque illis fubjecta monafteria pfalterio deinceps Gallicano utantur; committens Andreæ abbati, ut contradictores per cenfuram ecclefiafticam coerceat. Die antecedenti ftatuit, ut Cafinenfis abbas in omnibus conciliis aliifque publicis locis primum ubique poft epifcopos locum occupet, omnibufque præcedat abbatibus, etiam Cluniacenfi, Ciftercienfi, & fancti Victoris Maffilienfis urbis. Eadem die Andreæ concedit, ut tam in monafterio Cafinate, quam in prioratibus ac monafteriis fubjectis follemnem populo poffit benedictionem impertiri poft Miffarum, Vefperarum & Matutinorum facra & divina officia. Sexto idus maji poftquam narravit a fancto patre Benedicto factam harum partium ab idololatria ad religionem catholicam converfionem, regulam infuper eo in loco ab ipfo fcriptam promulgatamque, & religiofe a monachis hactenus fervatam, poft narratam etiam everfionem monafterii funditus ante viginti annos, celebrifque bafilicæ ob ingentis terræmotus vim, præcipit, ut collata biennio fexagefima fructuum parte ab omnibus cœnobiis Benedictinæ regulæ, nobile monafterium, infignifque bafilica tot Sanctorum, potiffimum fancti patris exuviis ditata, reftauretur. Quam exactionem curandam mandavit epifcopo Catanienfi, archiepifcopo Pifano, & epifcopo Florentino. Confirmavit demum Urbanus tertio nonas junii abbati & monafterio Cafinenfi veteres exemptiones, libertatefque loci. Emit infuper Andreas abbas tercentis & quinquaginta Florenis aureis mitram pontificalem, & centum Florenis baculum paftoralem, ac viginti anulum pontificalem cum faphiro citrino; vetavit autem nonis maji idem Romanus pontifex, ne vel ipfe, vel ejus fucceffores aliquando

Ann. Chr. 1370. XXIII. Andreas abbas accedit Cafinum, varia privilegia ejus monaft. conceffa ab Urbano V.

Ann. Chr. 1370.

quando alienarent hujusmodi ornamenta, quæ inservire deberent in perpetua tempora usibus abbatum Casinensium. Hæc omnia excerpsimus ex laudata historia Erasmi Gattolæ.

XXIV. Idem convocat ex omnibus congregationibus monachos Casinum, & præsertim Olivetanos.

a Lib. I. pag. 27.

Ex Lancellotti autem Olivetana historia [a] addiscimus eumdem Romanum pontificem ex Monte-flascone XVI. kalendas septembris pontificatus sui anno VIII. sequentes literas dedisse ad ipsum Andream abbatem pro adaugendo numero Casinatum cœnobitarum. *Urbanus episcopus servus servorum Dei dilecto filio Andree abbati Montis-casini* &c. *salutem* &c. *Cupientes, quod monasterium Casinense ordinis sancti Benedicti nullius diocesis, in quo per Dei gratiam & meritis ejusdem Sancti reformata est observantia regularis, augeatur numerus monachorum, de tua circumspectione ac zelo religionis gerentes in Domino fiduciam pleniorem, tibi transferendi ad prefatum monasterium quadraginta monachos quorumcumque monasteriorum dicti ordinis, etiamsi habitum album vel griseum deferant, aut sint religionis Sancti-spiritus in Urbe secundum instituta beati Petri confessoris, qui vulgariter Celestini nominantur, eosque in dicto Casinensi monasterio recipiendi in monachos & fratres, ac ipsis habitum dicti monasterii exhibendi, & sincera in Domino caritate tractandi, & providendi seu faciendi eis provideri, sicut aliis monachis monasterii prelibati, ac contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendi* &c. *plenam concedimus tenore presentium potestatem* &c. Volens itaque Andreas pontificiis obtemperare desideriis, & concupitæ reformationi insistere, scripsit inter ceteros Raynerio abbati monasterii sanctæ Mariæ Montis-oliveti & ejusdem congregationis præsidi generali, ut sex ex suis monachis singillatim nominatos intra quindecim dierum spatium transmitteret Montem-casinum cum suis vestimentis, aliisque rebus ad eorum personas spectantibus. Datum in monasterio nostro Casinense die XXIII. mensis octobris indictione IX. anno scilicet præsenti, mutata indictione mense septembri. Ad monachos nominatos & electos literas dedit Raynerius abbas *ex castro Asciano in plebe sanctæ Agathæ die* XXIII. *novembris indictione* IX. An tamen electi omnes ex congregatione Montis-oliveti monachi Montem-casinum perrexerint, certum omnino non est, sicut cognitum est Johannem de Narbona ex ipsis unum, æquis rationibus in medium prolatis renuisse accedere ad ipsum cœnobium, & appellasse apud apostolicam sedem ac apud eumdem pontificem Urbanum, eodem *anno die* IV. *decembris indictione* VIII. quæ erat ordinaria anni 1370. in episcopali palatio Bononiæ; quæ omnia fusissime prostant apud eumdem Lancellottum.

XXV. Urbanus V. pontificalia insignia concedit Johanni priori Camaldulensi.

Idem Romanus pontifex Urbanus ex Monte-flascone secundo idus augusti pontificatus sui anno octavo Johanni priori Camaldulensi ejusque successoribus facultatem fecit, ut tam in eremo, quam in omnibus aliis monasteriis, locisque sibi subjectis uti valeret pontificalibus insignibus, mitra nimirum & anulo & sandaliis, ac sollemnem populis collectis benedictionem impertiri posset in Missis, Vesperis & Matutinis, nisi forte præsens esset aliquis episcopus, vel apostolicæ sedis legatus, non obstante constitutione Alexandri papæ IV. quæ incipit; *Abbates*, aliisque quibuscumque minime refragantibus. Idipsum eidem priori concessit peragere in parœcialibus ecclesiis, aliisque ad eremum pertinentibus, quamvis pleno jure non subessent.

Eadem die interdixit mulieribus cujuscumque conditionis & gradus existerent, ne abietum silvam, quæ cingit eremum Camaldulensem, ingrederentur, similes inhibitiones renovans antiquitus factas ab aliis Romanis

manis pontificibus, & seculo præsertim antecedenti a Gregorio IX. suo prædecessore. — Ann. Chr. 1370.

Tertio nonas junii ex eodem loco priori & conventui monasterii sancti Mathiæ de Muriano confirmata voluit omnia monasteria ab ipsis monachis, & ab eorum prædecessoribus prioribus, vel de bonis Murianensis cœnobii, vel de collatis ex pia fidelium largitione constructa, nimirum sancti Johannis-baptistæ de Judaica, sancti Johannis-baptistæ de Faventia, sancti Johannis-baptistæ de Bagnacavallo, sancti Johannis-baptistæ de Fossa-clodia, sanctæ Mariæ de Pisauro, & sanctorum Mathiæ & Christinæ de Foro-livio tamquam membra subjecta suo capiti, in quibus voluit, ut potestatem haberet prior sancti Mathiæ deputandi priores, eosque ad nutum revocandi, visitandi & corrigendi tamquam in monasterio suo degerent. Silentio prætermittitur in hoc Urbani diplomate monasterium sanctæ Mariæ de Rhua territorii Patavini. — XXVI. Confirmat privilegia monasterio S. Mathiæ de Muriano.

Demum ea ipsa die, cum compertum habuisset in supradicto sancti Mathiæ de Muriano monasterio regularem observantiam, potissimum circa abstinentiam ab esu carnium, & ab aliis ordini monastico interdictis, jamdiu viguisse, & apprime vigere, magis quam in nonnullis aliis monasteriis ejusdem ordinis, decrevit, ut præfati monachi a priore generali non possent transferri ad alia monasteria Camaldulensia, neque a quocumque alio auctoritatem habente ad cœnobia alterius ordinis, nisi in his floreret majus disciplinæ regularis institutum, vel nisi ad monasterium Camaldulense reformandum evocarentur, & tunc peteretur ac obtineretur apostolicæ sedis licentia. Vidimus idipsum statutum fuisse in comitiis generalibus congregationis anni 1360. licet postea retractatum fuerit in alio capitulo hujusmodi decretum. Cum enim his temporibus summa pietate & zelo monasticæ disciplinæ ducti primum ipse Urbanus V. & postea Gregorius XI. ipsius successor nullum non moverent lapidem, quatenus reformarentur illustria olim monasteria, copiam faciebant reformatoribus educendi ex quocumque bene instituto cœnobio ascetas; aliquot tamen monasteriorum cœnobitas excipiebant, quia a sua solitudine, vel a suis patriis consuetudinibus removeri admodum gravate ferebant. — XXVII. Vetat, ne monachi ejus loci ad alia monasteria transferantur.

Prior Murianensis sancti Mathiæ cœnobii erat Mercurialis, qui hoc eodem anno M. CCC. LXX. indictione VIII. die V. mensis septembris novam monachorum suorum coloniam deduxit in Bononiensem urbem ad habitandum monasterium recentissime suæ congregationi traditum sive fundandum. Johannes siquidem quondam Cichi de Armis civis Bononiensis de capella sancti Donati ex singulari devotione, quam gerebat erga monasterium sancti Mathiæ de Muriano, ad præsentiam constitutus Thomæ Matthæi de Firmo juris periti, judicis deputati a nobile milite Paulo de Stafilo potestate urbis Bononiæ pro Romana ecclesia, donavit quasdam terras cum oratorio in figuram ecclesiæ, licet locus omnino esset profanus, extra portam sancti Mamæ, super quas ædificari deberet ecclesia sub titulo & invocatione sanctæ Mariæ de Angelis una cum adjuncto monasterio, in quo residerent cœnobitæ sub disciplina eremi sancti Mathiæ, & prior loci destinaretur a prioribus ejusdem Murianensis monasterii. Quam donationis paginam integram ex tabulario dicti cœnobii sancti Mathiæ edimus in Appendice; ex qua intelligimus, cur ad hunc annum in opere ms. Caroli Sigonii de episcopis Bononiensibus, apud Cl. Virum, & præsulem Trombellium legatur: „ Eodem anno VIII. „ idus septembris fratres Camaldulenses sedes ad portam sancti Mamæ „ posuerunt ad ædem, quam Gera Pepulus condidit, & sanctam Mariam „ An- — XXVIII. Ædificatur monasterium S. Mariæ de Angelis Bononiæ.

Ann. Chr. 1370. „ Angelorum vocavit. " Johannes nimirum de Armis emerat eas terras & oratorium a Francisca filia & universali hærede quondam nobilis militis domini Matthæi, quondam domini Zere seu Geræ olim domini Romæi de Pepulis de Bononia, & a Thoma filio Friderici Octaviani de Ubaldinis, contra quos promisit idem Johannes prædicto Mercuriali priori sancti Mathiæ semper se defensurum ea bona, quæ donabat. Extat etiam pagina scripta a monachis sancti Mathiæ, qua die XXIV. septembris constituunt Mercurialem priorem suum in eorum procuratorem ad eligendum priorem loci noviter acquisiti in urbe Bononiensi. Ughellius [a] in episcopis Bononiensibus scribit sub Aymerico Bononiæ gubernatore, qui his temporibus Bononiensem ecclesiam regebat, Camaldulenses Bononiam introductos fuisse circa annum 1366. Alludit nimirum ad novum monasterium præsenti anno ipsis donatum, cum ceteroquin ante plura secula Camaldulensis ordo multas sedes fixisset in urbe Bononiensi, ædificatis pluribus monasteriis, ut liquido demonstratum est in hisce Annalibus.

[a] T. II. col. 26.

XXIX. Mercurialis prior S. Mathiæ de Muriano.

Mercurialis ex priore subjecti monasterii sancti Johannis-baptistæ de Faventia transierat hoc ipso anno ad cœnobium princeps sancti Mathiæ de Muriano, & subrogatus fuerat in locum Andreæ, qui prior ejusdem monasterii enunciatur initiis ejusdem anni. Scilicet Laurentio priori post annum 1363. vel iterum suffectus fuerat Andreas, qui olim regimen tenuerat ejus cœnobii, vel alter Andreas, ut patet ex sententia lata ab ipso Andrea, vel sub finem anni præcedentis, vel initio præsentis, inter asceterium sancti Jacobi de Gallicia Murianensis oppidi, seu hujus parthenonis sindicos ex una parte, & inter presbyterum Johannem Zannotum de Luca ex altera, qua sententia privavit moniales possessione minus legitima aliquot prædiorum in diœcesi Tarvisina, comprobans calculo suo judicium latum anno 1368. a Francisco Quirino patriarcha Gradensi judice subdelegato Pauli Foscari Castellani seu Venetiarum antistitis. Ante quadraginta annos Bartholomæus episcopus Torcellanus ex sanctæ Mariæ Angelorum de Muriano parthenone eduxerat monialem quamdam Gaudentiam nomine ad incolendum novum sancti Jacobi asceterium sub ordine sancti Augustini, quod eatenus obtinuerant religiosi viri ejusdem divi Augustini institutum profitentes. Inter cetera bona, ipsi sacrarum virginum domicilio attributa fuerant ea prædia, quæ veritate perspecta prius a patriarcha Gradensi, inde appellatione secuta ad Romanum pontificem Urbanum V. adjudicata fuerant præfato presbytero ab Andrea priore sancti Mathiæ. Die duodecima februarii indictione VIII. presbyter in possessionem immissus fuit juxta Andreæ sententiam, & Gabriellia priorissa sancti Jacobi una cum suis monialibus esse liberata ea bona censuit, & voluit a legitimo domino recto jure iniri. Totam litis seriem, sententiarumque collectionem habes tomo II. [b] ecclesiarum Torcellanarum Cl. senatoris Cornelii. Ceterum cum Andream habeamus sub finem præteriti anni, vel sub initium anni præsentis priorem sancti Mathiæ de Muriano, & cum reperiamus hoc ipso anno in ejus locum suffectum Mercurialem, non improbabiliter dicetur ipsum regimen monasterii sancti Mathiæ dimisisse, assumptum ad abbatiam Casinensem, præsertim si Andreas prior hoc anno idem fuerit cum Andrea Faventino priore ejusdem cœnobii superioribus annis. Inter cetera laudabilia merita Andreæ electi Casinensis abbatis effertur abstinentia ipsius ab esu carnium, quam scimus potissimum invaluisse in monasterio sancti Mathiæ de Muriano. Verum tamen potuerint esse duo Andreæ eodem nomine donati,

[b] Pag. 184. &c.

nati, quorum alter prior fuerit sancti Mathiæ, alter ab alio Camaldulensi monasterio assumptus, transire potuerit ad regendam abbatiam Casinensem.

Ann. Chr. 1370.

XXX. Permutatio terrarum facta a Valle-castrensibus.

Ex tabulario sancti Blasii de Fabriano permutatio terrarum secuta est inter monasterium Vallis-castri, cujus abbas erat Corradus, & inter nobilem virum Bartholomæum Esmedutii de Sancto-severino hoc anno die XXIII. novembris juxta licentiam obtentam die IV. ejusdem mensis a fratre Marco episcopo Camerinensi, qui Andreæ abbati monasterii sancti Laurentii de Sancto-severino, priori monasterii Suavicinienfis, & rectori ecclesiæ sancti Salvatoris de Piro examen demandaverat, an in hujuscemodi permutatione major intercederet utilitas monasterii Valle-castrensis. In alia pagina dicti loci leguntur sub hoc anno Corradus abbas Valle-castrensis, Angelus Bontagni de Camerino prior sancti Salvatoris de Lanciano, Johannes Berardus de Porcarella præpositus sancti Salvatoris de Decimano, Bartholus Marinus de Eugubio rector ecclesiæ sancti Donati de Colle-bassano, Balduccius Vannucciusde Perusio plebanus sancti Venantii de Albacina, Thomas præpositus sancti Johannis de Petriolo, qui tamquam primores ex Valle-castrensibus monachis elegerunt sibi procuratores ad agendas causas sui monasterii.

XXXI. De Bartholomæo priore S. Viti de Vicetia.

Franciscus archipresbyter vicarius fratris Johannis episcopi Adriensis, præsentibus Feliciano archipresbytero sancti Johannis de Abbatia, & Nicolao archipresbytero de Arquada districtus Rhodigii fassus fuit se recepisse quindecim ducatos auri a Bartholomæo priore monasterii sancti Viti de Vicetia, solvente totius cleri Vicetini nomine, qui taxatus fuerat propter transitum Guillielmi capellani domini papæ & cantoris Bajocensis. De ipso Bartholomæo priore refertur, quod cum anno 1375. Johannes de Surdis episcopus Vicetinus illum advocasset coram vicario suo, quo jure aut titulo obtineret beneficium & præbendam ecclesiæ sancti Viti, dederit pro responso, episcopum non esse judicem suum, sed esse tres abbates, qui destinati fuerant conservatores jurium Camaldulensium a sede apostolica. Reapse Bonincontrus abbas sancti Georgii-majoris Venetiarum interpellatus ab eodem Bartholomæo tamquam unus ex dictis conservatoribus, epistolam conscripsit omnibus prælatis Vicetinis, ne Bartholomæum molestiis afficere præsumerent.

XXXII. Electio Petri abbatis Fullinatis declarata legitima.

Nordilio abbati Sanæ-vallis de Fullina defuncto suffecerant monachi Petrum Venerium de Clodia ad annum 1362. quo prima hujus abbatis acta produximus. Irritaverat ipsius electionem tamquam minus canonicam Gasbertus episcopus Cenetensis; sed die XXIII. septembris hujus anni indictione VIII. Petrus episcopus Tarvisinus executor apostolicus Gasberto Cenetensi silentium imposuit, ac monachis Sanæ-vallis præcepit ex sententia Thomæ de Paxton auditoris sacri palatii apostolici emanata die XXVII. maji hujus anni, & data ex Viterbio, Petrum agnoscendum esse tamquam legitimum dicti monasterii abbatem.

Lucas prior & vicarius generalis Azolini episcopi Senensis die XVII. decembris hospitale sancti Juliani vel Jacobi cum bonis suis adjunxit parthenoni monialium nostrarum sancti Mamiliani Senarum, cum onere recipiendi peregrinos, tradens ipsum Leonardo priori sancti Vigilii recipienti pro monialibus, notario Petro Michaelis Senense; ex archivo Rosæ Senarum numero 73. Ughellius defunctum facit Azolinum episcopum Senensem die tertia januarii anni 1370. Id intelligendum erit de anno Florentino, hoc est initio anni 1371. Lucas autem Ghini Bettini

Senen-

Ann. Chr. 1370.

Senenſis erat prior ſancti Martini, & in patrio epiſcopatu ſucceſſit anno 1377. Azolino poſt Jacobum & Guillielmum intermedios epiſcopos.

XXXIII. Urſus Avellanenſis fit epiſcopus Faventinus.

URSUS Eugubinus monachus Avellanenſis electus fuit hoc anno abbas ſanctæ Mariæ foris portam Faventiæ. Sub ipſo in paginis ejus monaſterii nominatur hoſpitale ſancti Leonardi de Vincareto in comitatu Faventino tamquam ſubjectum abbatiæ ſanctæ Mariæ, cui hoſpitali providetur de rectore. Succeſſit Urſus Petro abbati, cujus mentio habetur ad annum 1360. Petrus Laurentio nominato ad annum 1358. Laurentius vero Matthæo Callienſi, cujus monumenta attulimus ad annum 1354. Evectus poſtea fuit Urſus ad infulas epiſcopales ejuſdem urbis anno 1391.

XXXIV. Eccleſia S. Severini Utriculi ſubjecta monaſt. S. Gregorii de Urbe.

EX codice Gregoriano innoteſcit eccleſiam ſancti Severini de pertinentiis terræ Utriculi fuiſſe ſubjectam eidem monaſterio ad clivum Scauri. Eccleſiæ hujus rector, aſſentiente abbate & monachis ſancti Gregorii, inſtrumentum locationis hoc anno confecit in Urbe, præſentibus Nicolao rectore eccleſiæ ſanctæ Mariæ in Via, & Cecco rectore eccleſiæ ſanctæ Luciæ de Columna.

XXXV. Permiſſio facta epiſc. Parentino incidendi ligna monaſt. de Lemmo.

CONGREGATO conſilio hominum caſtri ſancti Laurentii in eccleſia ſancti Martini de mandato Fantini Mauroceni poteſtatis ejuſdem caſtri in territorio Parentino & capitanei Payſinatici, convocatiſque judicibus, attenta & in medium producta petitione Giliberti Georgii de Venetiis epiſcopi Parentini de neceſſitate reparationis eccleſiæ monaſterii ſancti Michaelis de Lemmo, conceſſum fuit epiſcopo, ut poſſet incidere ligna territorii dicti monaſterii, pro reſarcienda eccleſia, ad aſſertionem ejuſdem epiſcopi, dicentis nemus ſeu territorium dicti monaſterii eſſe ſub ſua cuſtodia & cura, eccleſiamque quotidie in ruinam vergere, ſimulque proviſum fuit, ut ſtatuerentur termini territorii hominum ejuſdem caſtri, & territorii monaſterii Lemmenſis. Præfata autem conceſſio facta eſt ad vitam ipſius epiſcopi, dummodo perſeveraret regere eccleſiam Parentinam. Gilibertus ſeu Gilbertus renuntiatus fuit epiſcopus Parentinus anno 1367. mortalitatem vero exuit anno 1388.

XXXVI. Monumenta aliquot ad Camaldulenſes ſpectantia.

CAROLUS IV. imperator, qui in Italiam deſcenderat, donavit hoc anno oppidum Burgi-ſancti-Sepulcri Guillielmo domino de Griſaco, qui dominium ejus loci tenuit uſque ad diem XV. julii anni ſequentis, ut refertur in hiſtoriis Burgenſibus.

Bartholomæi a Burgo-ſancti-Sepulcri abbatis ſancti Salvatoris de Cantiniano mentio fit ad hunc annum in cujuſdam inveſtituræ pagina exiſtente Lucæ apud rectorem Sebaſtianum Donati.

Lucius epiſcopus Cæſenas nuntius & collector apoſtolicus in provincia Thuſciæ recepit a Johanne priore generali Camaldulenſi uncias auri pro annis quatuordecim die tertia februarii, Urbani V. anno octavo [a].

Die vigeſima-ſeptima decembris Benedictus de Dorillis abbas monaſterii ſancti Apollinaris in Claſſe ex libro *Obligationum* promiſit pro ſuo communi ſervitio quingentos Florenos; mille vero Antonius abbas ſanctæ Mariæ de Vangaticia; ille Michaeli, hic Johanni abbatibus ſucceſſerant.

Die prima novembris Johannes prior generalis Camaldulenſis convocatis eremitis expoſuit, quod inito calculo ab anno 1349. quo ad prioratum aſſumptus fuit per ſedem apoſtolicam, ad præſens tempus expenderat in utilitatem eremi de propria pecunia mille ducentos quadraginta ſeptem Florenos auri, quam ſummam donabat eremo, abdicatis etiam omnibus poſſeſſionibus emptis tum a Bonaventura ſuo prædeceſſore, tum

a ſe,

[a] §. *Finis* 34. *A*. 4. 3.

a se, quarum redditus consueverant propriis usibus priores applicare; manu Johannis Burgensis hospitalarii sancti Frigdiani scribæ prioris ex tabulario Fontis-boni [a]; in quo etiam [b] refertur donatio quædam facta Petro a Nocerio priori sanctæ Mariæ de Poplena ad utilitatem ejus hospitalis.

ANN. CHR. 1370.

a §. *Nosabilia* 37. *A.* 18. 63.
b §. *Donatio* 33.

In necrologio Vangaticiensi quarto nonas augusti hujus anni legitur: *Obiit illustris vir Ugo filius domini Obizi marchionis Estensis anno* M. CCC. LXX.

CUM plura bona, decimæ & jurisdictiones cœnobii Casinensis a violentis usurpatoribus invasa fuissent, Andreas abbas perditis labentibusque rebus opem ferre volens, instituit præsenti anno juridicas inquisitiones in omnibus oppidis suæ abbatiæ subjectis, quas curavit conscribendas in regesto, quod in tabulario ejus loci unitum reperitur cum regestis trium Angelorum episcoporum Casinensium, easque per extensum profert in sua historia [c] abbas Erasmus Gattola. Pariter cum subditi monasterii dirissime vexarentur a ministris regiis, obtinuit a Johanna regina Jerusalem & Siciliæ literas datas anno sequenti die penultimo junii indictione x. regnorum ejus anno XXX. quibus compescuit ministrorum extorsiones & violentias.

ANN. CHR. 1371.
XXXVII.
Andreæ abbatis Casinensis gesta.

c *Par. II. pag.* 427.

VENDITUM fuit hoc anno, post Urbani V. Rom. pont. mortem, oppidum Burgi-sancti-Sepulcri dominis de Malatestis. Scribens enim Gregorius XI. Urbani successor Anglico cardinali episcopo Albanensi, & in terris Italiæ Romanæ ecclesiæ in temporalibus vicario generali, post alia hæc ad rem nostram profert: *Quod etiam in castro Burgi-sancti-Sepulcri Civitatis-castelli diœcesis, quod in partibus Thusciæ consistit, ad dilectum filium nobilem virum Guillielmum dominum de Grisaco ex concessione imperiali pertinet, dum ipsius castri venditione eamdem Romanam ecclesiam, si nobis placeret, cuicumque alteri præferre voluisti &c. Verum quia de juribus imperii nos intromittere nolumus, nec illa acquirere volumus, & si aliquid per nos fieret, id multis communitatibus Italiæ non placeret, ideo vendendi dictum castrum alicui servitori & confæderato prædictæ Romanæ ecclesiæ, itaut terris ecclesiæ, & partibus circumstantibus non possit venire scandalum, neque damnum, tibi, & eidem domino de Grisaco licentiam per præsentem concedimus, ita tamen quod ipse, cui vendetur castrum, promittat non esse perpetuo contra Romanam ecclesiam, & quod de dicto castro ad mandatum ejusdem ecclesiæ guerram & pacem faciat, & ejus gentes receptabit in eo, quia nulli, de quo possit evenire contrarium, damnum, seu scandalum ac sinistrum, vendi volumus castrum ipsum. Datum Avenione*; sed deficit annus. Hæc epistola extat in codice bibliothecæ regiæ Parisiensis, quam exscripsit olim in Galliis degens Cl.V. Philippus Venuti Cortonensis, & cum aliis anecdotis monumentis ad academiam Cortonensem transmisit. Venditum ergo fuit castrum Burgi pretio decem & octo millium Florenorum Galeotto de Malatestis principi Ariminensi, ut asserit collector jurium abbatiæ Burgensis, qui historiam Burgi prosequens sub dominatu principum Malatestarum, hæc speciatim de Galeotto subdit: „ Is dominus princeps humanitate omni decorus „ erat. Ædes in Burgo construxit, arces etiam quatuor ad quatuor or„ bis & cœli partes, ultra eam arcem, quam ab illis quatuor juniori„ bus nomen veteris arcis adepta est, quæque in eminentiori quadrati „ Burgi angulo ipsi Burgo ceterisve junioribus tamquam filiabus domi„ natur & præstat. “

XXXVIII.
Venditio oppidi Burgi-sancti-Sepulcri dominis de Malatestis.

JUS-

Ann. Chr. 1371.

XXXIX. De jurisdictione abbatis Montis-tiphii.

Jussu ejusdem Anglici cardinalis facta fuit hoc anno mensibus octobris & novembris descriptio vicariatus Montis-feretri, in qua inter cetera hæc leguntur: *Castrum Montis-tiphorum est super quodam saxo fortissimo, & undique fossata, & in summitate habet gironem, in quo est abbatia fortis. Tenet abbas Montis-tiphorum, & administrat justitiam hominibus dicti castri, in quo sunt focularia triginta-quinque;* & paulo post: *Castrum Petræ-bizingorum est super quodam saxo forti in quadam valle, & habet turrim fortem. Tenet abbas de Monte-tiphorum, qui ministrat justitiam hominibus dicti loci, in quo sunt focularia sexdecim.* Hæc exscripsimus ex Specimine rationum urbis Sancti-leonis, dictæ Montis-feretri, Johannis-baptistæ Marini [a], qui eam notitiam habuit ex autographo archivi Vaticani. De abbatia sanctorum Martini & Bartholomæi in vocabulo Tiphio verba primum fecimus ad annum 1089. Gerardo ad eum annum abbate existente, licet ex tabulario Fontis-boni memoria ipsius monasterii sit antiquior ad annum 1057. quo nominatur Johannes abbas sanctæ Mariæ & sanctorum Bartholomæi, Benedicti & Martini de Tipho, cujus nomen perseverat ante Gerardum usque ad annum 1081. Gerardi autem nomen ab anno 1084. ad 1114. post Gerardum Rolandus ad annum 1134. & Ugo ab anno 1162. ad 1181. Martinus legitur ab anno 1184. ad 1190. & Dominicus rector & abbas de Tiphio reperitur ab anno 1198. ad 1206. Post Dominicum alter Rolandus, inde Bartholus sub anno 1209. tum Gregorius ab anno 1212. usque ad 1243. Anno sequenti 1244. Tiezus, & ad 1249. Guillielmus abbates leguntur. Ab anno 1256. ad 1264. Andreas, tum Ventura ab anno 1279. ad 1294. quo anno reperitur etiam Bartholus usque ad annum 1315. & ab eo anno ad 1333. Guillielmus abbas, olim rector ecclesiæ de Cella sancti Bartholomæi de Popano. Andreas de Fabriano abbas Tiphi nominatur ad annum 1341. tum Angelus ad 1369. Post Angelum, qui præsenti anno vivebat, nomina efferuntur abbatum Martini ab anno 1395. ad 1406. tum Bartholomæi de Lenzis de Florentia ad annum 1409. postea Johannis-antonii de Clusio ab anno 1416. ad 1438. sub quo ab Eugenio IV. unita fuit abbatia Tiphii cum monasterio Deciani & utraque cum eremo Camaldulensi. Ex superioribus Anglici cardinalis actibus liquet ipsum post electionem Gregorii XI. non statim se recepisse Avenionem, cujus urbis erat episcopus, ut scribit Ciacconius, sed in officio legati apostolici in Italia perseverasse ad aliquod tempus sub pontificatu etiam Gregorii XI.

[a] *Append. p.* 275.

XL. Statuta Saxo-ferratensia.

Abbas Sitriensis monasterii per hæc tempora erat Johannes de Marliano, auditor etiam generalis & cancellarius Petri tituli sanctæ Mariæ Transtiberim de Urbe presbyteri cardinalis, necnon in provinciis Patrimonii beati Petri in Thuscia, Spoletani ducatus, Campaniæ & Maritimæ, civitatum quoque Perusinæ & Tudertinæ pro domino papa vicarii generalis. Ipse Johannes de Marliano abbas præsenti anno M. CCC. LXXI. indictione IX. tempore domini Gregorii papæ XI. die V. septembris confirmavit & in aliquibus correxit statuta Saxo-ferratensis oppidi & ejus comitatus, ut legitur pag. 79. eorumdem statutorum, quæ mss. servantur. De Petro cardinale aliqua iterum dicemus ad annum 1373. Johannes autem de Marliano suffectus fuerat in abbatia Sitriensi Hermanno de Attis abbati, qui obierat die XIII. julii anni 1360. ut habetur apud Jacobillium [b]. Ipsius Johannis nomen reperitur in libro *Obligationum*, qui die vigesima augusti anni 1364. promittit pro suo communi servitio ducentos Florenos.

[b] T. *III. p.* 365.

Ex

Ann. Chr. 1371.

Ex testamento Francisci de Romena reparata fuit in eremo Camaldulensi cella sancti Benedicti, electo executore postremæ ejus voluntatis Johanne Superantio vicario Johannis prioris generalis; manu Leonardi Francisci de Castellione notarii.

XLI. Consecratio ecclesiæ S. Johannis de Judaica.

Consecratam fuisse præsenti anno die duodecima februarii ecclesiam sancti Johannis-baptistæ de Judaica a Paulo Foscaro episcopo Castellano seu Venetiarum prodit Coletus in additionibus ad Italiam Sacram Ughellii [a]. Ante biennium circuitum cœnobii breviori spatio arctatum dilataverat loci prior, qui situm monasterio adhærentem pretio emerat a magistratu, quem *Cataveri* Venetiis appellant, ad quem devolutus fuerat ex morte Francisci seu Cecci Paschalici ab intestato & absque hæredibus defuncti.

a T. V. c. 1283.

Synodo publicæ clericorum, quæ habita fuit Meldulæ in ecclesia sancti Nicolai hoc anno, interfuerunt Robertus episcopus Britonoriensis, Antonius abbas sanctæ Mariæ de Urano tum nomine sui monasterii, tum nomine priorum monasteriorum & ecclesiarum sancti Paterniani de Ferracciano, sanctissimæ Trinitatis, & sancti Antonii de Brittonorio, & sancti Sigismundi de Gavedecolle, Honestus abbas sancti Rophilli de Foro-popilio, Guillielmus prior generalis ordinis sanctæ Mariæ de Vincareto, & Placidus prior sanctæ Mariæ de Scardavillis.

XLII. De Augustino de Abaco Florentino monacho.

Vivebat his temporibus Augustinus celeber monachus Camaldulensis, facile Camalduli-Florentini, communiter appellatus Augustinus ab Abaco, qui in urbe Florentiæ magno juventutis concursu & plausu arithmeticam sive Abaci regulas docebat in quadam domo, quam extra monasterium conductam tenebat. In chronico Lutiani Joseph-maria Brocchius [b] memorat sub die XVII. julii anni præteriti Laurentium Andreæ Francisci a Burgo-sancti-Laurentii pro servitio ejusdem Augustini conduxisse a Jacoputio Soldanerio, & a Nicolao ac ab Andrea nepotibus ejus domum, ubi dictus Augustinus cathedram erexerat; charta manu Landi Fortini. Die prima decembris anni sequentis apud eumdem Brocchium [c] testis fuit ipse Augustinus una cum Bartholomæo de Bononia monacho itidem Camaldulense receptionis habitus canonicorum regularium ordinis sancti Augustini factæ ab Antonio Francisci a Lutiano in monasterio sanctæ Mariæ-magdalenæ Castri-franchi episcopatus Lucensis, in quo nomen dedit. Distinguendus est Augustinus noster a Paulo similiter dicto ab Abaco egregio æque magnique nominis professore, sed viro seculari, de quo consuli potest Mannius, qui plura de ipso profert [d] in tomo XIV. antiquorum Sigillorum.

b *Pag.* 35.

c *Pag.* 38.

d *Pag.* 22.

XLIII. Collatio aliquot monasteriorum.

Gregorius XI. ex Avenione anno primo sui pontificatus die vigesima-secunda februarii [e] commendavit Johanni priori Camaldulensi Angelum dudum per ipsum & per monachos sancti Petri de Rota Arretinæ diœcesis postulatum in abbatem dicti monasterii, & a sede apostolica provisum & institutum.

e §. *Brevia* 7. *A.* 4. 19.

Similiter anno primo die XVII. aprilis commisit Anglico cardinali episcopo Albanensi Bononiæ residenti, ut ad examen revocaret permutationem terrarum, quam tractabant inter se episcopus Florentinus, & monachi sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia; ex tabulis hujus monasterii [f].

f *Num.* 219.

Destituto rectore prioratu sanctæ Mariæ de Petraficta ob refutationem Donati ultimi prioris Petrus prior abbatiæ Poplenæ, ad quem ex antiquissima consuetudine spectabat institutio novi rectoris, elegit die quarta maji [g] ad voluntatem suam in priorem Nicolaum Bonagiuntæ de Castro

g §. *Electio* 62. *A.* 4. 20.

Ann. Chr. 1371. ſtro Lierna monachum Camaldulenſem; manu Derſi quondam Villani de Colle notarii.

Simon abbas ſancti Salvatoris de Berardinga & ſancti Vigilii Senarum promiſit die decima-ſeptima octobris centum triginta-quatuor Florenos, totidem item pro ſervitio Thomæ prædeceſſoris ſui, cujus obligatio facta fuerat anno 1362. die vigeſima-ſexta auguſti, ut continetur in libro *Obligationum*.

Baſilium abbatem Agnani judicem hoc anno pro epiſcopo Senenſi affert Peccius in ſuis Senenſibus epiſcopis [a].

a Pag 418.

Ann. Chr. 1372. XLIV. Comitia Caſinenſia, & Camaldulenſia in urbe Piſana.

IN comitiis generalibus celebratis hoc anno in monaſterio Montis-caſini, quibus interfuerunt prælati abbates, & præpoſiti ſubjecti ei monaſterio, promulgavit Andreas abbas nonnulla decreta, quæ per extenſum ex codice XLVII. bibliothecæ ejus loci refert Gattola in ſua hiſtoria Caſinenſi pag. 534. Verſantur potiſſimum circa clauſuram monaſterii, circa vitandum diſcurſum extra clauſtra ſine licentia, circa ſilentium, obſervantiam regularem, paupertatem & abſtinentiam a carnibus. Subduntur autem caſus reſervati abbati, & alii caſus reſervati priori vel ſubpriori. Cum vero plura monaſteria recuſarent ſolvere ſexageſimam fructuum, quam indixerat Urbanus V. omnibus monaſteriis Nigrorum & Alborum ordinis ſancti Benedicti, qui abſque alio proprio nomine neque congregatione ulli addicti appellabantur Benedictini, pro reſtauratione baſilicæ & monaſterii Caſinenſis, Raymundus cardinalis epiſcopus Præneſtinus literas hoc ipſo anno dedit archiepiſcopo Piſano, & archiepiſcopo Nicoſienſi, epiſcopis Urbe-vetano, Florentino & Catanienſi, Paulo abbati ſanctæ Crucis de Fonte-avellana, & abbatibus ſancti Nicolai de Litore Venetiarum, ac ſancti Martini in Hungaria collectoribus, ut monaſteria Benedictina adigerent ex mandato Gregorii XI. Urbani V. ſucceſſoris ad celerem perſolutionem ejus impoſitionis.

Camaldulenſis etiam congregationis comitia celebrata fuere eodem anno die XXVII. maji in monaſterio ſancti Michaelis de Burgo Piſarum, præſide Johanne priore generali, & definitoribus Antonio Vangaticienſe, & Juſto ſancti Juſti de Volaterris abbatibus, Mercuriale priore ſancti Mathiæ de Muriano, Franciſco priore ſanctæ Trinitatis de Peruſio, Romualdo Majore eremi & Johanne eremita. Electus fuit in iis in ordinis protectorem Petrus cardinalis presbyter tituli ſancti Laurentii in Damaſo. Is erat ex nobiliſſima familia Florentina Corſinia, & ex patriæ epiſcopo renuntiatus S. R. E. cardinalis ab Urbano V. ante biennium. Cautum pariter in iiſdem comitiis fuit, ut monachi Vallis-umbroſæ & eremitæ reciperentur in monaſteriis Camaldulenſibus tam in choro, quam in refectorio, ac ſi eſſent ordinis Camaldulenſis, & ejuſdem ordinis defunctorum brevia per breviferarium ordinis deferrentur ad ſingula monaſteria. Similia decreta pro ſuis Vallumbroſanis quoad brevia mortuorum mittenda per ordinem Camaldulenſem vidimus edidiſſe anno 1353. beatum Michaelem Flaminium Arretinum eorum abbatem generalem. Poſt ſexennium iteratum fuit idem decretum tum a Johanne præſide generali Camaldulenſium, tum a Simone Gavillenſe abbate generali Vallis-umbroſæ. Sollemnis erat etiam in Vallumbroſanis diſtinctio monachorum & eremitarum, ut erat apud Camaldulenſes. Simile ſtatutum conditum fuit etiam pro monachis Fontis-avellanæ. Ordinatum eſt pariter a patribus in capitulo congregatis, ut non monacho vel eremitæ, ſed ſacriſtæ deinceps tribueretur proviſio pecuniaria veſtimentorum diſtribuendorum inter ceteros,

ros, & si quæ pecuniæ superessent, converterentur in reparationem cellarum eremi. Data fuit insuper facultas Majori eremi dispensandi tempore hyemis a recitatione officii defunctorum noctu in choro, ita tamen quod unusquisque ipsum teneretur persolvere in cella sua; quæ omnia digesta leguntur manu Leonardi olim Francisci de Castellione-arretino notarii.

ANN. CHR. 1372.

XLV. De ecclesia & bonis S. Michaelis de Quadrigaria.

Ex eodem capitulari congressu, ut habetur [a] in tabulario Fontis-boni, præsentibus Girardo abbate sancti Hippolyti de Faventia, Petro priore sanctæ Mariæ de Poplena, aliisque, facta fuit commissio Thomasio abbati sanctæ Helenæ ad flumen Æsinum, ut instituerет aliquem monachum Camaldulensem in rectorem ecclesiæ sancti Michaelis de Valtricaria seu Quadrigaria, cum auctoritate concedendi in emphyteusim dimidium territorii de Quadrigaria nobilibus viris Florutio Corraduccii, & Thomasuccio de Revollone hæredibus Gentilis de Revollone, qui sub finem præteriti seculi a Frigdiano priore generali Camaldulensi receperat totum dictum territorium, quod immediate pertinebat ad eremum Camaldulensem, & super quo exsurgebat dicta ecclesia sancti Michaelis, & permutationis titulo eo tempore tradiderat alias possessiones sitas in districtu castri Accolæ ejusdem Æsinæ diœcesis; verum cum eæ possessiones per alios dominos evictæ fuissent & potenter occupatæ, ac eremus Camaldulensis de iis fuisset expoliata, nunc dicti Corraduccius & Thomasuccius, ut indemnitati eremi facerent satis, relaxabant medietatem supradicti territorii de Quadrigaria & ecclesiam, dummodo ipsis alia medietatis possessio renovaretur a rectore præfatæ ecclesiæ sancti Michaelis. Quare die XXI. junii in burgo Vallis communis Serræ-sancti-Quirici in ecclesia sanctæ Mariæ Thomasius abbas sanctæ Helenæ, constituto Christophoro de Nuceria in rectorem ecclesiæ sancti Michaelis, medietatem dictarum possessionum tradidit rectori, alteram vero medietatem præfatis nobilibus in emphyteusim.

[a] §. Notabilia 38. A. 17. 34.

XLVI. Johanni priori generali commendatur monaster. S. Zenonis Pisarum.

Idem Johannes prior Camaldulensis XVI. die februarii hujus anni [b] impetravit a Romano pontifice Gregorio XI. commendari sibi monasterium sancti Zenonis Pisarum, eo quod bellorum vastationibus aliorumque infortuniorum occasione redditus ejusdem cœnobii essent admodum imminuti & tunc vacaret abbate. Datum Avenione anno secundo; ad beneplacitum tamen domini papæ. Quare ipse pro servitio dicti monasterii promisit die XXIII. septembris trecentos Florenos, ut legitur in libro *Obligationum*, recognoscens etiam alios trecentos Florenos pro servitio Roberti prædecessoris sui ex obligatione anni 1363. die prima julii. Idem Johannes prior una cum eremitis tradidit aliquot latifundia monasterio sancti Laurentini de Arretio [c] ad commodiorem sustentationem monachorum ejus cœnobii, & Benvenuti Bartholomæi Senensis loci prioris. Benvenutus Bartholomæi capellanus etiam erat sanctimonialium Buldronensium, quibus & Johannæ earum abbatissæ donavit hoc anno omnia sua & quinquaginta Florenos, quos habebat in bonis & domibus monialium sanctæ Trinitatis de Florentia.

[b] §. *Brevia*. 8. *A*. 4. 22.

[c] §. *Donatio*. 34 *A*. 4. 26.

XLVII. Statuta Senensia pro monasterio Rosæ.

Consilium appellatum Campanæ urbis Senensis publico decreto statuit, ut monasterio Rosæ ejusdem urbis & Camaldulensis ordinis, præter sal, summa librarum quadraginta quotannis persolveretur. Siquidem anno 1343. suscepto ejus cœnobii patrocinio destinaverant primores urbis annuam eleemosynam librarum quadraginta erogandam dicto loco, quæ summa deinceps ad salis æstimationem redacta fuerat; „ sed cum mona„ chi, subdit Fortunius [d], ut a carnibus abstemii, tanto sale non indi„ gerent, quatuor Bichernæ provisores, qui erat alter magistratus, in„ ter-

[d] *Part. II. lib. III. c.* 20.

Ann. Chr. 1372.

„ tercesserunt mediatores , ut monachi , qui non solum orando starent „ pro incolumitate civitatis assidue , sed multos quoque in scrutiniis „ perferrent labores, residuum in pecunia obtinuerint numerata; " quæ summa præter sal firmata est hoc anno die XXVIII. novembris a consilio Campanæ . Senensis respublica monachis utebatur in negotiis publicis, ut alibi vidimus consuevisse uti etiam Florentinos & Arretinos.

XLVIII. Consecratio ecclesiæ S. Mariæ in Gradibus Arretii.

Die decima novembris ejusdem anni consecrationis beneficio insignita fuit ecclesia sanctæ Mariæ in Gradibus Arretinæ urbis , ut colligitur ex monumento in ea ecclesia existente , & altare majus dedicatum est in honorem sanctissimæ Trinitatis, sancti Thomæ apostoli, sancti Georgii , sanctæ Cæciliæ, & sancti Silvestri papæ. Altare ad manum lævam juxta ordinem ecclesiæ veteris ad honorem sanctæ Crucis, sancti Erasmi , Septem fratrum , sancti Antonii , & sancti Sebastiani; sed altare beatæ virginis Mariæ, quod antea consecratum fuerat, &, ut fert traditio , temporibus sancti episcopi & maryris Donati , in suo pristino statu remansit, ut adnotat etiam Thomas Minius in sua ms. Camaldulensi historia.

Hæc memoria prostat in sacrario ecclesiæ sanctorum Andreæ & Gregorii de Urbe . „ Anniversarium perpetuo celebrandum die omnium fi„ delium Defunctorum pro nobilibus familiæ Raggiæ Januensis , inter „ quos complures infra referendi nedum de privata posterorum carita„ te, verum de republica egregie meruerunt , " Anno M. CCC. LXXII. Nicolaus recensetur reipublicæ antianus, quæ tunc dignitas eadem erat ac nunc senatoria &c.

Abbatissa sancti Mamiliani prope Senas de novo electa confirmabatur tum ab episcopo Senensi, tum a priore generali Camaldulensi juxta veterem consuetudinem , sicut contigit hoc anno tum per vicarium deputatum a Guillielmo episcopo , tum per specialem commissarium prioris Camaldulensis ; manu Gerii Nerii de Senis vicarii die vigesima septembris [a]. Guillielmus externus homo Senensibus datus fuerat in episcopum a Gregorio XI. anno præterito.

a §. *Electio.* 63. *A.* 4. 28.

Vacante ecclesia seu prioratu sancti Mariani de Monte-tignoso curiæ comitatus Florentini membro monasterii sanctæ Mariæ de Adelmo Volaterranæ diœcesis, idem prior generalis Johannes quinta octobris [b] elegit in priorem Angelum monachum Camaldulensem , committens Guidoni abbati Adelmensi , ut eum in possessionem induceret ; notario Johanne Ciampoli de Monte-gonzio.

b *Ibid.* *A.* 4. 29.

Ann. Chr. 1373.

XLIX. Obitus Andreæ abbatis Casinensis.

Decessit hoc anno, nondum completo regiminis sui quadriennio, Andreas Faventinus abbas Montis-casini . In emortuali ejusdem monasterii hæc leguntur : XIII. *kal. octobris obiit bonæ memoriæ domnus Andreas sacerdos & abbas, & reformator hujus loci anno Domini* M.CCC.LXXIII. Falluntur itaque Lancellottus, Scipio & Belfortius, & quotquot, qui ad sequentem annum ad tertium Kalendas octobris Andreæ mortem differunt. Ipsius pietatis & religionis testimonium , vel antequam ad sacrum illum locum regendum & instituendum evocaretur, attulimus ad annum 1369. anonymi scriptoris vitæ Urbani V. verbis; pia etiam ipsius decreta, justitia & zelus pro recuperandis bonis deperditis Casinensis cœnobii produnt, quantum observantiæ monasticæ cultor & amator fuerit, quantisque honoris Dei decorisque ejus domus stimulis adactus.

L. Monachi S. Mariæ Angelorum Florentiæ renuunt transferri ad reformanda alia monasteria.

Successit ipsi in regimine ejusdem abbatiæ suffectus anno sequenti a Gregorio XI. Petrus de Tartaris, monachus congregationis Montis-oliveti, olim prior sanctæ Mariæ-novæ de Urbe, inde reformator & abbas

bas monasterii sancti Laurentii extra muros ejusdem Urbis. Siquidem die v. augusti antecedentis anni ex Villa-nova Avenionensis diœcesis literis suis præceperat idem Romanus pontifex Gregorius eidem Petro tunc sanctæ Mariæ novæ priori, ut purioribus institutis reformationis leges induceret in monasterium sancti Laurentii tunc vacans per obitum alterius Andreæ abbatis, & mandaverat monachis ibidem residentibus, vasallis insuper & fidelibus ejus monasterii, ut obedientiam novo abbati Petro præstarent. Potestatem præterea eidem fecerat educendi e quocumque monasterio, illo excepto Montis-casini, duodecim monachos ordinis sancti Benedicti, quorum auxilio reformationi operam navaret. Hac commissione & facultate munitus Petrus mentem suam adjecerat potissimum ad ascetas nostros Camaldulenses sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia magna tunc vitæ opinione præclaros. Sed hi confugium statim habuerunt ad eumdem Romanum pontificem, clausuram perpetuam sui monasterii ob ejus oculos præsertim ponentes, supplicesque efflagitarunt, ne de monasterio suo transferrentur. Quare anno pontificatus tertio, hoc est præsenti, ex Avenione bulla sua [a] decrevit Gregorius XI. & dedit in mandatis Lucæ Redolfuccio episcopo Nucerino & Urbis vicario, ne ex dicto sanctæ Mariæ-angelorum monasterio ad sanctum Laurentium traducerentur Angelici cœnobitæ. Idipsum scripsit Petro abbati; extatque in tabulario dicti cœnobii, in quo & præfatæ Gregorii epistolæ, appellatio facta die decima maji [b] hujus anni ad apostolicam sedem ante abbatem sancti Bartholomæi de Bono-solatio ab Ambrosio monacho & converso sindico Florentini monasterii, contra præceptum dicti episcopi vicarii, qui cogere volebat Michaelem Ghiberti Angelorum monachum, ut se conferret ad monasterium sancti Laurentii de Urbe; manu Francisci Ciai a Pulliciano notarii.

Ann. Chr. 1373.

a *Num.* xv. xvi. xvii.

b *Num.* ccxxiv.

LI. Indulgentiæ Gregorii XI. concessæ monasterio S. Mariæ Angelorum de Florentia.

Ex eodem loco idibus junii pontificatus anno tertio absolutionem in mortis articulo Johanni priori, monachis & conversis ejusdem monasterii Angelorum concessit, & die xv. julii [c] idem Romanus pontifex indulgentiæ bullam dilargitus est monachis tunc degentibus in præfato cœnobio, cum onere jejunium celebrandi per anni spatium qualibet feria sexta a die, qua bullam recipiebant.

c *Num.* ccviii.

LII. Appellatio prioris Camalduli Foro-liviensis ab episcopo ejus urbis.

Etiam Stephanus prior sanctæ Mariæ Camalduli Foro-liviensis ex tabulario Fontis-boni [d] appellavit ad abbatem sancti Januarii de Campoleone Arretinæ diœcesis tamquam ad conservatorem ordinis Camaldulensis, adversus literas Theobaldi de Monte-granario vicarii Artandi episcopi Foro-liviensis, quibus ipsi priori mandabatur, ut infra decem dies deberet solvere summam subsidii caritativi prædicto episcopo sub pœna excommunicationis, cui quidem appellationi vicarius non detulit, sed Stephanus prior exhibuit privilegium Alexandri papæ IV. Apostolosque petiit; manu Johannis Peppi de Baldonibus de Foro-livio notarii. Artandus supplendus est in episcopis Foro-liviensibus inter Bartholomæum & Paulum, & quidem inter legitimos antistites, licet Ughellius, [e] qui verum ejus nomen, sedisque tempus ignoravit, quemdam Ortandum antistitem Foro-liviensem comminiscatur ad annum 1390. quem forte intrusum a Benedicto XIII. anti-papa suspicatur, & qui Ughellio notas adjecit, revera intrusum pronunciet.

d § *Appellatio* 10. A. 432.

e *T. II. col.* 580.

LIII. Consecratio basilicæ eremi Camaldulensis.

Reparata pro tertia vice basilica sacræ eremi Camaldulensis dedicata & consecrata fuit hoc anno die octava augusti a Francisco archiepiscopo Pisano; quare ea die encœnia adhuc aguntur, ut scribit Fortunius, & memoria hujus consecrationis ad calcem regulæ eremiticæ impressæ

Ann. Chr. 1373.

pressæ anno 1520. extat in bibliotheca ejusdem eremi. Franciscus de Moricottis archiepiscopus Pisanus evasit inde S. R. E. cardinalis.

LIV
De Petro de Stagno S. R. E. cardinale.

PETRUS tituli sanctæ Mariæ Transtiberim presbyter cardinalis erat hoc tempore vicarius & gubernator abbatiæ sancti Victoris de Clusis; degebant tamen adhuc in eo monasterio cœnobitæ, & anno 1375. abbas regularis nominatur Alexander de Gualdo, tum in charta locationis die IX. decembris ejus anni, tum in aliis paginis tabularii sanctæ Catharinæ de Fabriano. Petrus ortus ex Gallica prænobili familia de Stagno, ab Urbano V. ex Italia iterum in Gallias concedente anno 1370. mense septembri toti Italiæ præfectus fuerat, & postea ab ejus successore Gregorio XI. confirmatus. De Petro consulatur insigne elogium in adnotationibus ad epistolam XXIII. sanctæ Catharinæ Senensis, quæ illi literas dedit. Procurator ipsius cardinalis legitur Matthæus de Cancarariis Bononiensis.

Ex codice Gregoriano Philippus de Offida abbas monasterii sanctorum Andreæ & Gregorii de Urbe locavit hoc anno castrum de Mazzano, castrum Vetus, & bona ecclesiæ sanctæ Fortunatæ de Sutrio.

Ann. Chr. 1371.

LV.
Gregorii XI. epistola pro castris Raven. nianæ in favorem monasterii Classis.

CUM castra Ravennianæ in Fanensi territorio, quæ ad jus pertinebant abbatiæ sancti Apollinaris in Classe Ravennæ, occupata prius a Malatestarum dominorum familia, inde ea loco ejecta detinerentur a gentibus Romanæ ecclesiæ, conquestus fuit sua supplici epistola Benedictus abbas Classensis apud Romanum pontificem Gregorium XI. humiliterque petiit ea sibi restitui. Sequentibus itaque literis commisit idem Romanus antistes Guillielmo cardinali diacono sancti Angeli vicario suo in Italia, ut jura Classensis monasterii ad examen revocaret, provideretque pro justitia. Quas literas, quæ totam rei seriem exponunt, ex tabulario ejusdem abbatiæ subjicimus.

Gregorius episcopus servus servorum Dei dilecto filio Guilielmo sancti Angeli diacono cardinali ..... ecclesie pro nobis, eademque ecclesia in temporalibus vicario generali salutem & apostolicam benedictionem. Exhibita nobis pro parte dilectorum filiorum Benedicti abbatis & conventus monasterii sancti Apollinaris in Classe Camaldulensis ordinis Ravennatensis diocesis petitio continebat, quod licet Fractarum, sancti Viti, Montis Rolli, Turris ac Montis-veteris castra consistentia in contrata, que dicitur Ravegnana, Fanensis diocesis, ad abbates, conventum & monasterium predictos jure dominii vel quasi justo titulo pertinerent, prout pertinent, tamen olim nonnulli nobiles de Malatestis nuncupati, qui tunc in partibus illis tyrannice dominabantur, castra hujusmodi, que diu antea per abbates & conventus predictos seu eorum predecessores postea extiterant, tunc etiam possidebant, violenter occuparunt, & aliquandiu detinuerunt indebite. Quod postmodum prefatis nobilibus per gentes Romane ecclesie inde ejectis, nonnulli officiales ejusdem ecclesie nomine camere apostolice castra predicta ad manus ejusdem camere reduxerunt, ipsaque castra cum eorum juribus ac pertinentiis .... per officiales ejusdem camere detenta & occupata fuerunt, in con....abbatie, conventus & monasterii grave prejudicium & gravamen ..... pro ipsorum abbatie & conventus fuit nobis humiliter supplicatum ad providendum his in premissis, & opportuno remedio dignaremur. Nos itaque hujusmodi supplicationibus inclinati, circumspectioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus vocato dilecto filio procuratore Fiscali pro ...... ecclesia in partibus illis, & aliis, qui fuerint vocandi, & auditis hujusmodi propositis, quod justum fuerit, summarie & de plano

sine

sine scripturis & figura judicii, sed sola facti veritate inspecta, appellatione remota, decernas . . . . & alia juris remedia firmiter observari. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, censura simili appellatione cessante, compellas veritati testimonium perhibere; non obstantibus . . . . . felicis recordationis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, in quibus cavetur, ne aliquis extra suam civitatem . . . . . nisi in certis exceptis casibus, etiam in illis ultra unam dietam in fine sue diocesis ad judicium evocetur, seu nec judices a sede apostolica deputati aliquos ultra unam dietam a fine diocesis eorum . . . . presumant, ac de duobus dietis in concilio generali, quam aliis constitutionibus apostolicis contrariis quibuscumque, seu si aliquibus conjunctim vel divisim a dicta sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut extra vel ultra certo loco ad judicium vocari non possint per literas apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Datum apud Villam-novam . . . . . die IV. nonas maji pontificatus nostri anno IV.

Ann. Chr. 1374.

Evincitur ex hac epistola, quod licet Classenses monachi permutationis paginam scripserint anno 1308. ut vidimus, ad transferenda hujusmodi jura in alios dominos, tamen vel permutatione postea cum effectu non secuta, vel alia ex causa, eadem castra etiam ad tempora Gregorii XI. spectabant ad abbatiam Classensem, & non dumtaxat quoad jurisdictionem spiritualem, sed etiam quoad temporalem.

LVI. Absolutio Johannis abbatis S. Crucis Saxi-ferrati.

Ex tabulario autem sancti Blasii de Fabriano subdimus absolutionis paginam, quam conscripsit Bartholomæus episcopus Potentinus pro Johanne abbate sanctæ Crucis de Saxo-ferrato, præsertim quia Ughellius, neque in Potentinis episcopis Lucaniæ, neque in Potentinis Piceni agnovit Bartholomæum episcopum.

Universis presentes literas inspecturis Bartholomeus Dei & apostolice sedis providentia episcopus Potentinus salutem in Domino. Noveritis nos reverendissimi in Christo patris & domini Johannis miseratione divina tituli sanctorum Nerei & Achillei presbyteri cardinalis majoris penitentiarii domini nostri pape literas, quibus he nostre litere sunt annexe, cum ea, qua decuit, reverentia recepisse, quarum auctoritate venerabilem in Christo patrem domnum Johannem abbatem monasterii sancte Crucis Comitum ordinis sancti Benedicti Camerinensis diocesis, ipsius confessione prius diligenter audita, ipsum a sententiis, quas incurrit, & irregularitate precipue contracta absolvimus, & dispensavimus cum eodem, ipsumque per duos dies suspendimus a divinis, demum meritis sibi suffragantibus, sancte matri ecclesie restituimus absolutum. In cujus rei testimonium presentes nostras literas his literis duximus applicandas, nostrique sigilli appensione munivimus. Acta sunt hec Salone Arelatensis diocesis in domo nostre habitationis anno Domini M. CCC. LXXIV. indictione XII. die mensis maji XXII. pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri domini Gregorii divina providentia pape XI. anno IV. presentibus honorabilibus & discretis viris &c.

Ego Bertrandus Vincentii in predicta absolutione presens fui & manu mea scripsi.

Ego Johannes Ricchi de Fabriano licentiatus in legibus predicte absolutioni & contentis in ea, ac in commissione predicta interfui, & ad predictorum fidem propria manu mea subscripsi una cum supradicto domino Bertrando, Nello Nerii de Fabriano, Jacobo de Griffonibus de Bononia testibus.

Et

ANN. CHR. 1374. *Et ego Jacobus de Griffonibus de Bononia omnibus suprascriptis presens fui & in testimonium premissorum me ss.*

LVII. Examen testium super privilegio concesso monasterio Gualdensi.

HOC ipso anno G.. hoc est Geraldus de Podio abbas Majoris-monasterii Turonensis, vicarius generalis almæ Urbis, Patrimonii beati Petri in Thuscia, Spoletani ducatus, Campaniæ, Maritimæ & civitatis Perusinæ aliarumque urbium in Italia, mandavit Andreæ de Amelia juris canonici professori, priori majoris ecclesiæ Ameliensis & auditori suo in spiritualibus, ut ad requisitionem monachorum sancti Benedicti de Gualdo committeret Nicolao plebano plebis Taini de Gualdo, & nobili viro Masio potestati Gualdensi examen quorumdam testium super privilegio olim concesso monasterio Gualdensi a Johanne sancti Theodori diacono cardinale, qui unierat eidem cœnobio ecclesias sancti Laurentii de Colle-bassano Nucerinæ diœcesis & sancti Martini de Collibus Perusini territorii.

LVIII. Acta Antonii abbatis Vangaticiensis.

ANTONII del Ferro Parmensis in locum Johannis abbatis subrogati in abbatia Vangaticiensi monumenta primum habentur sub anno M. CCC. LXX. in tabulario dicti loci. Ipsius mentio etiam fit sub anno præsenti M. CCC. LXXIV. indictione XII. die IX. mensis aprilis, qua Girardinus de Baronibus Rhegiensis archipresbyter sancti Georgii de Tamaro subcollector apostolicus in urbe Ferraria confessus fuit se recepisse ducatos ducentos boni auri a Theobaldo priore sancti Firmi de Este solvente nomine domni Antonii Dei & apostolicæ sedis gratia abbatis monasterii sanctæ Mariæ de Vangaticia, pro parte solutionis quingentorum quinquaginta ducatorum auri, in quibus dictus dominus abbas & dictum monasterium tenebantur cameræ apostolicæ, pro caritativo subsidio nuper imposito per sanctissimum patrem & dominum dominum Gregorium XI. & ex pacto composito cum venerabili viro domino Francisco de Bavicissa exactore apostolico. Antonii abbatis nomen perseverat usque ad annum M. CCC. LXXXVI.

LIX. De abbatibus SS. Decentii & Germani de Pisauro.


NICOLAUS abbas monasterii sanctorum Decentii & Germani de Pisauro approbavit, calculoque suo firmavit hoc anno sub die IX. januarii statuta synodi Pisaurensis, quæ celebrata fuerat anno antecedenti a Leale episcopo ejusdem urbis. Hujus monasterii, quod subjectum erat alteri sancti Apollinaris in Classe Ravennæ, series abbatum hujusmodi conficitur, quos ex variis tabulariis Pisaurensibus eruit & cognitioni nostræ communes fecit humanissimus & Cl. vir Hannibal de Abbatibus-Oliveriis Pisaurensis patricius, quorum etiam nomina frequentissime occurrunt in paginis archivi Classensis. Ad annum 1266. XIV. januarii reperitur Fridericus; ad annum 1285. die XI. martii Guido libellos emphyteuticos renovans; ad annum 1322. die IV. junii Frigdianus; anno 1358. IV. junii Lucas, qui licentia & assensu Michaelis abbatis Classis vendidit domum; post Nicolaum vero sub anno 1391. die IV. maji Bonus Faventinus effertur abbas ejus monasterii; ad annum 1411. V. februarii Hieronymus abbas testis subscripsit in quadam renovationis pagina facta a capitulo Pisaurensi priori sancti Heracliani. Ad annum circiter 1420. Ughellius de Bagnacavallo abbas interfuit synodo Johannis Benedicti episcopi Pisaurensis; ad annum 1430. die XXV. novembris Jacobus nominatur rector ecclesiæ Putei & abbas ecclesiæ sancti Decentii. Raphael ad annum 1443. die XXVIII. octobris; Antonius XIV. octobris anni 1456. & executor fuit bullæ Pii II. Romani pontificis anno 1461. pro danda possessione ecclesiæ sanctæ Mariæ de Limata. Ad annum 1464. die II. januarii Xanthes de Samperolis Pisaurensis abbas legitur & commendatarius sancti Vincentii (Decentii), & demum ad annum 1479. XX. februarii


bruarii idem Xanthes vicarius dicitur episcopi Pisaurensis, abbas vero monasterii sanctorum Decentii & Germani de Pisauro Aloysius de Bencis Cotiniolensis. Ann. Chr. 1374.

Monasterium sancti Hieronymi de Monte-pruno partium Mucelli Fesulanæ diœcesis, jamdudum anno nimirum 1360. ordini Camaldulensi & Johanni priori generali cum pluribus aliis oblatum fuerat, quod ad cetera congregationis monasteria copulatum legimus sub hoc anno, & provisum de priore. Hieronymus Arretinus primus loci regimen tenuit, inde Nicolaus Florentinus, & anno 1379. Minias Senensis, ut ex chartis Camaldulensibus adnotavit in suo chronico Eduardus Baroncinius. LX. Provisiones aliquot monasteriorum.

Die undecima aprilis [a] idem Johannes prior removit Nicolaum de Senis a regimine monasterii sancti Andreæ de Candiculis, & ad claustrum revocavit, eo quod indebite occupaverat bona & redditus hospitalis eremi Camaldulensis siti prope Candiculanum monasterium, cum utrumque tam monasterium, quam hospitale essent manualia beneficia dictæ eremi; manu Leonardi Francisci notarii.

[a] §. Electio 65. A. 17. 61.





ANNALES CAMALDULENSES.

LIBER QUINQUAGESIMUS-QUINTUS,

Ab anno Christi M. CCC. LXXV. *ad annum* M. CCC. LXXXVI.

ANN. CHR. 1375.

I. Eremitar. Camaldulensium consuetudines receptæ apud Mont-olivetanos.



D hæc tempora initia eremiticæ vitæ ad consuetudinem eremitarum Camaldulensium apud suos Mont-olivetanos statuit Secundus Lancellottus [a]. Sed ejus verba referamus: „ Summo cœnobiarcha, hoc est Michaele Pratense „ abbate generali, postulante, ut monachis nonnullis in „ Monte-oliveto aliisque cœnobiis commorantibus, numinis instinctu, Superum caritate, meditationis desiderio impulsis, quo „ magis proficiant, asperiorem solitudinis sedem exoptantibus locus maxime opportunus constituatur, pontifex (Gregorius XI.) emisso diploma- „ te permittit, ut sapientissimis in consilium adhibitis, circa monaste- „ rium, pluribus etiam in locis minus frequentibus, cubicula conjuncta „ vel seposita duodecim, vel partim conjuncta & partim seposita ædifi- „ centur monachis pariter duodecim permansuris, ibique oratorium sive „ templum cum cœmeterio, cum turri, una tantum campana perso- „ nante, pro consuetudine Camaldulensium in Arretino, vel quomo- „ do præsidi senioribusque placuerit, extruatur, eremo religiosissimi „ quique destinentur, his ex eodem numero aliquis præside præ- „ ponatur, sive alias præpositus confirmetur, cui id præcipue cu- „ randum sit, ut eremicolæ a monastica & eremitica disciplina & in- „ stitutione non discedant Camaldulensi, vel quæ a senioribus a conven- „ tu deligendis videatur proposita, Olivetano abbati & successoribus non „ secus atque ceteri in congregationem cooptati, perpetuo subjiciantur, „ invisat, corripiat, aliaque præstet consimilia, quæ aliis consueverit. „ Est quoque in mandatis a pontifice, ut monasterium Ruffenianum pau- „ lo ante adjunctum Mont-olivensi (erat illud in agro Arretino) pror- „ sus agreste, & ædificiorum vetustate & militantium injuriis ita colla- „ psum, ut monastico conventui idoneum non sit, quantum monacho „ sufficiat, aliive populari sacerdoti animarum imperio defungenti sensim „ asservato, ad eremum colentes applicetur, ejusque proventibus sustinea- „ tur.

[a] Pag. 32.

„ tur. Factum credo initium eremi circa monasterium Montis-oliveti, „ & pro argumento esse oratoria, quæ & hodie inter nemora conspiciun- „ tur, non tamen habitata, cum nullum sit pene cohabitationis vesti- „ gium." Hæc Lancellottus de eremitis Mont-olivetanis a Camaldulensi disciplina & institutione non discedentibus, sed post Romualdum anachoreticæ vitæ institutorem ipsius vestigia sequentibus.

ANN. CHR. 1375.

II. Donatio facta eremo Camaldulensi.

DIE duodecima septembris Saviana filia Sacchini Sacchi de Rocca sancti Cassiani, & uxor olim Freschi quondam Zannis de Zafferiis de Porticu donavit Johanni de Porticu monacho Camaldulensi recipienti vice ecclesiæ sancti Romualdi eremi Camaldulensis aliquot latifundia juxta jura monasterii sancti Gaudentii de pede Alpium, ad illuminandam cum candelis & dupleriis ecclesiam sancti Romualdi, dum celebrabuntur Missæ, & ad reparandas cellas dictæ eremi; ex excerptis Baroncinii [a].

a §. *Donatio* 37. *A.* 4. 51.

III. De veteribus imaginibus ecclesiæ S. Johannis de Florentia.

SUB ara majori ecclesiæ sancti Johannini in via sancti Galli Florentiæ ad tabernaculum, ubi coloribus expressæ sunt imagines sanctissimi Salvatoris, beatæ Mariæ virginis, sanctorum Petri & Pauli, Benedicti & Romualdi, veteribus literis hæc prostat inscriptio: *Reverendissimi in Christo patris domini domini Johannis decretorum doctoris abbatis sancti Salvatoris Camalduli de Florentia abbatis Benedictini anno Domini* M. CCC. LXXV. *factum est hoc tabernaculum, in quo sunt reliquiæ &c.* Scilicet sanctimonialibus, quæ hodie appellantur sancti Johannini, tradita fuerat incolenda ecclesia Camalduli Florentini sancti Salvatoris, ex qua tabernaculum secum deduxerunt in novum sancti Johannini templum; exeuntes enim ex antiquo earum conventu sanctorum Johannis-baptistæ & Nicolai, dicto hodie *in Calza* intra portam sancti Petri *in Gattolini* anno 1529, & ingressæ in monasterium sancti Salvatoris, quod iis temporibus reliquerant monachi Camaldulenses, anno 1547, asportarunt ad ecclesiam sancti Johannini præfatum tabernaculum.

Simon abbas sancti Salvatoris Berardingorum, & sancti Vigilii Senensis vice Johannis prioris eremi ad Vivum inducit in possessionem abbatiæ sanctæ Mariæ de Thoma Bartholomæum quondam Benedicti de Arretio; ex archivo Rosæ Senarum [b].

b *Num.* 20.

ANN. CHR. 1376.

IV. Ecclesia S. Benedicti de Ferraria donata Camaldulensibus.

MONACHI Camaldulenses Ferrariam evocantur hoc anno ad recipiendam ecclesiam sancti Benedicti prope urbem, juxta sequens monumentum, quod exscripsimus ex tabulario Classensi.

Anno Domini Gregorii pape XI. anno VI. *Riccobonus de Mazzonibus notarius de Mutina, nunc vero civis Ferrarie, & cancellarius magnifici domini domini Nicolai marchionis Estensis, exposuit domino Bernardo episcopo Ferrariensi se jamdudum pro salute anime sue* &c. *desiderasse quamdam ecclesiam sub vocabulo beati Benedicti subjectam hospitali sancti Leonardi, & constructam in burgo sancti Leonardi prope Ferrariam, que erat sine cura, erigere in monasterium, ubi poneret monachos ordinis Camaldulensium, accedente pariter consensu providi viri Catanei nati domini Rigi de Cataneis de Lendinaria rectoris & administratoris dicti hospitalis, cujus petitioni predictus Ferrariensis episcopus assensit, dans licentiam edificandi monasterium ad usum fratrum Camaldulensium cum obligatione, quod prior, capitulum & conventus solvant quotannis rectori dicti hospitalis duplerium unum quatuor librarum cere nove, & camere episcopali unam ecclesiolam cere nove ponderis quatuor librarum in festo beati Georgii* &c. *Actum Ferrarie anno* M. CCC. LXXVI. *indictione* XIV. *die* XXII. *aprilis.* Ego

Ann. Chr. 1376.

Ego Petrus de Pialbenis notarius &c. *una cum Nascimbene de Brinis notario* &c.

Facile Classensium monachorum laudabili vitæ opinione motus Riccobonus, Ferrariam Camaldulensium eorum cœnobitarum coloniam deducendam optavit. Rubeus enim [a] referens ad annum 1366. infelicem statum urbis Ravennæ ad ea tempora, subdit: „ Paucos in ea urbe repertos fuisse, qui sequi contenderint exempla monachorum ex divi Benedicti familia, virorum probitate inclytorum, " inter quos recenset monachos Deo servientes, qui aderant in cœnobio sancti Apollinaris in Classe. Quidquid sit, Johannes prior generalis Camaldulensis, ad quem spectabat monasteriorum receptio, anno sequenti jam ædificato prope ecclesiam domicilio pro cœnobitis admittendis, de consensu eremitarum suorum, vicarium in ipso deputavit Bartholomæum Ferrariensem abbatem Sacrariensis monasterii in Sardinia, qui loci possessionem iniret, atque adnecteret eumdem locum eremo, facultatemque haberet recipiendi monachos, oblatos, conversos pro servitio dictæ ecclesiæ; manu Leonardi de Castillione notarii. Eidem loco satis congrue in monasticis ordinato anno 1379. gubernatorem in spiritualibus & temporalibus præfecit Stephanum monachum de Candiculis, mandans Girardo abbati sanctorum Laurentii & Hippolyti de Faventia, ut eidem Stephano Ferrariensis monasterii possessionem traderet. Bernardum episcopum Ferrariensem decessisse anno 1373. auctor est Ughellius [b], quem ex superius allato monumento constat supervixisse saltem ad annum VI. Gregorii XI. hoc est ad præsentem.

a Lib. VI. p. 583.

b T. II. col. 547.

V. De ecclesia S. Andreæ de Arimino.

Ex eodem Classensi tabulario die XIII. maji Bartholomæus Tolomei de Arimino de burgo sancti Andreæ, nuntius juratus Benedicti abbatis sancti Apollinaris in Classe affixit ad portam ecclesiæ sancti Andreæ literas ejusdem abbatis, per quas declarabat fratrem Michaelem monachum Classensem electum fuisse in rectorem ejusdem ecclesiæ per nobilem virum Jacobum quondam Cavallerii de Faitanis Ariminensem sindicum parœcianorum dictæ ecclesiæ, quæ vacabat per mortem fratris Michaelis de Faventia monachi, & in quibus etiam assignabatur terminus trium dierum iis, qui se opponere vellent præfatæ electioni; manu Bartholi quondam Marcutii notarii.

VI. Provisiones prælatorum factæ a Gregorio XI. & a Johanne priore.

Gregorius XI. die XX. martii monasterium sanctæ Helenæ de flumine-Æsino, quod vivente Thomasio postremo ejus loci abbate providendum sibi reservaverat, post ipsius obitum contulit Nicolao abbati de Candiculis, quem etiam Johanni priori Camaldulensi commendavit, præcipiens, ut apostolico beneficio ipsum pacifice gaudere sineret [c]. *Datum Avenione pontificatus nostri anno sexto*. Additur pontificiæ bullæ pagina commissionis factæ die XVI. januarii a monachis sanctæ Helenæ eidem Johanni priori, ut ipsorum vice nominaret & postularet a Romano pontifice futurum abbatem; manu Johannis Guiduzoli de castro Rosorii notarii.

c §. Brevia. 9. A. 4. 52.

Idem Romanus pontifex ex Avenione pontificatus sui item anno VI. abbati monasterii sancti Vigilii Senarum commisit conficiendum examen cujusdam querelæ fratrum Prædicatorum Senensium, quod intelligimus [d] ex archivo ejusdem conventus Prædicatorum.

d Num. 443.

Obeunte similiter Basilio abbate sanctæ Mariæ de Agnano [e], ex tabulario sanctæ Mariæ in Gradibus suffectus est in ejus locum abbatis titulo Johannes prior sanctæ Cæciliæ de Podio-sanctæ-Cæciliæ, qui locus spectabat ad eamdem Agnani abbatiam.

e Num. 584.

Va-

VACANTE prioratu sanctorum Benedicti & Petri de Vivo ordinis Camaldulensis diœcesis Clusinæ & districtus Castillionis Vallis-urciæ per mortem Ambrosii ultimi prioris, Orlandus abbas sancti Benedicti de Mojano, Thomas prior ecclesiæ sanctæ Victoriæ de Sarthiano, & Jacobus Landi de Senis rector ecclesiæ sancti Andreæ de Radicofano, vicem etiam agens Gregorii Cerchi Marini de Sarthiano plebani plebis sancti Martini ultra Clanas, ad quos electio & postulatio novi prioris de Vivo spectabat, commiserunt voces & vices suas Johanni priori generali Camaldulensi die undecima octobris, ut aptiorem eligeret; manu Francisci quondam Thomasii Pucii de Urbe-veteri notarii; ex tabulario Fontis-boni [a].

ANN. CHR. 1376.

VII. Ipse Gregorius pontificiam sedem restituit in Urbe.

a §. Electio 71. A. 4. 57.

Gregorius XI. calamitatibus motus Romanæ urbis & totius Italiæ provinciæ, exoratus insuper, & non semel, exemplo antecessoris sui Urbani V. ex Galliis in Italiam sedem pontificiam restituere & transferre volens, solvit die XVI. novembris e Liburno, ut Romam se conferret, sed maris procella quassatus die tantummodo quinta decembris Cornetum pervenit, ex quo loco postea Romam pedestri itinere petiit. Quatuor cardinales, qui ipsum in eadem navi comitabantur, ex Liburno Pisas se contulerunt, terrestre iter præponentes, cum amplius maris insultus sustinere non valerent; alter ex ipsis fuit cardinalis Petrus a Judice Lemovicensis frater consobrinus papæ, qui etiam Pisis defunctus in primatiali basilica sepulcri honorem habuit; secundus exceptus fuit in monasterio sancti Pauli ad ripam Arni, reliqui vero duo ad sancti Michaelis in Burgo monasterium nostrum hospitati sunt, ut habet Troncia in memoriis Pisanis [b].

b Pag. 444.

„ OMNIUM postremus, qui ex monachis Avellanitis Eugubinorum „ episcopus adlectus sit, Gabriel fuit Neccioli Gabriellii filius, ex „ ea scilicet familia, quæ civitatis imperium antea occupatum, cum vi „ & armis tueri non potuisset, adhuc tamen animo retinebat. Neque „ vero Gabriel is, de quo dicere instituimus, minori quam quisquam „ mortalium, regnandi cupiditate flagravit, quem potius inter arma, „ quam in monasticæ vitæ studiis educatum dixeris. “ Hæc Sartius ad hunc annum in episcopis Eugubinis, qui ipsius etiam vitam ante episcopatum describens, præclarum hocce factum narrat illius, eo tempore, quo abbatiam de Insula-filiorum-Manfredi, quam iniit anno 1350. obtinebat: „ Cum enim anno M. CCC. LXXVI. septembri mense Eugubini „ armis subito correptis a pontifice defecissent, jamque populus, ad quem „ publica res venerat, furore percitus concursum fecisset ad episcopi „ ædes, Gabrielis unius opera popularis impetus compressus est, episco„ pi domus a rapina & incendio, episcopus ipse ab injuria prohibitus, „ nihil enim propius factum est, quam ut eum populus, ut palam mi„ nitabatur, vivum in suis ædibus combusserit. Eugubinus episcopus erat „ Johannes ex Aldobrandina Florentina familia, alumnus autem ordinis „ fratrum Prædicatorum. Bernius in eo non est audiendus, subdit Sar„ tius, quod ait Gabrielem ante annum 1378. mense aprili episcopum „ non esse creatum, nec ante eum annum sedem Eugubinam vacasse. „ Johannem enim episcopum, quem anno tantum 1378. obiisse tradit „ idem Bernius, superiore anno, vel etiam fortasse exeunte anno 1376. „ paulo post eas civitatis Eugubinæ turbas ex hac vita migrasse opor„ tet. Extant enim adhuc literæ, quas Eugubini publice ad Romanum „ pontificem dederunt, orantes, ut sibi Gabrielem Gabriellium præfice„ ret, quæ literæ scriptæ sunt anno 1377. septimo idus martii, & quin-

ANN. CHR. 1377.

VIII. De Gabriele Gabriellio abbate facto episcopo Eugubino.

„ to

Ann. Chr. 1377.

„ to kalendas maji ejusdem anni jam electum fuisse constat. Extantque „ ejus temporis decreta ab Eugubinis publice facta ad excipiendum summo cum honore novum antistitem ex Urbe reducem. Non desunt etiam tabulæ in archivis Eugubinis, quæ februario mense ejus anni cathedram Eugubinam vacasse confirmant. Itaque a Romano pontifice Gregorio XI. creatus episcopus Gabriel Ferrariam eo volente profectus est, a cardinali Gebennensi Æmiliæ legato inaugurandus. Inde autem rediens, quo omnium ordinum plausu & lætitia exceptus sit, quod studium totius civitatis fuerit in ejus adventu celebrando, quantum denique auri in eam rem ex publico impensum sit, supra fidem esse videretur, nisi Guerrerii Bernii probatissimi scriptoris, qui ea omnia multis descripsit, testimonium accederet. Id scilicet Eugubinis propositum erat, ut Gabriellios, quos plurimum gratia & auctoritate posse intelligebant, neque inter sese admodum, neque cum plerisque civibus concordes erant, maxime devincirent, & in caritate patriæ conjunctissimos retinerent. Itaque ut non unum modo Gabrielem episcopum, sed omnem eam gentem velle se ornare, & novis honoribus augere viderentur, ad cetera lætitiæ signa, quibus primum episcopi adventum in civitatem prosecuti sunt, id etiam est additum, ut nonnullos ex Gabrielliis creaverint milites, quod per eos dies perhonorificum habebatur. Itaque in conventu omnium ordinum militare cingulum iis traditum est a nobili milite Bosone Ungaro Bosonis filio, cui publica auctoritate mandatum fuerat. “ Hæc Sartius, quæ narrantur ab eodem Bernio his verbis: „ Regressu episcopi in patriam maxima fuit in urbe exultatio, & creati fuere quatuor equites e familia Gabrielliorum, Cantus Jacobi, Franciscus Neccioli, Gabriel Johannis, Philippus Ruscioli. Commune urbis episcopo donavit mille Florenos auri, ducentos cuilibet equiti, octuaginta Bosoni, qui equites creavit, ad vestem emendam. Decem & septem societates suis distinctæ insignibus vestibusque varii coloris, quæ per urbem die & nocte discurrebant. Centum tibicines adhibiti fuere, “. „ Verum immodica illa, prosequitur Sartius, civitatis Eugubinæ lætitia certissimum præsagium fuit impendentium calamitatum. Neque enim multo post civilibus odiis ardere iterum civitas cepit, episcopus vero a partibus & armis adeo non abhorruit, ut ipse omnium maxime flammam civilis discordiæ fovere visus sit. Equidem sub initium episcopatus optimi civis officio saltem in speciem functus est. Cum enim civitati placuisset, ut aliquot ex primoribus civibus legatos ad Romanum pontificem mitteret, qui cum eo de republica tractarent, Gabriel ex eo numero esse voluit, eoque profectus est cum octo equitibus, splendido pro more temporum comitatu, qui magnum dynastem decuisset. Sed non diu clam fuit, quo ejus consilia spectarent. Nam cum ad domestica præsidia novas hominum principum & potentissimarum civitatum amicitias adjunxisset, eaquippe de causa & Senis, & Florentiæ, & Arimini fuerat, tandem occasionem rei bene gerendæ nactus, civitatem cum equitatu, quem a Galeotto Malatesta Ariminensium regulo acceperat, subito adortus occupavit. “ Cetera de Gabriele episcopo ex abbate Insulensis monasterii subjecti cœnobio Fontis-avellanæ annis sequentibus. “

IX. Camaldulenses vitam exorant aliquibus civibus Cæsenatibus.

Inter collectanea Vespasiani Tiberti Cæsenatis, qui cum gratiam obtineret cardinalis sanctæ Floræ camerarii, liberum habebat accessum tum in bibliothecam, tum in archivum Vaticanum, & collegit, quæ ad Feudorum librum condendum erant utilia, ipsumque vendidit Bonfilio

Thesau-

thesaurario; quique ad multum temporis seculo XVI. occupans monasterium nostrum sanctæ Mariæ de Urano in diœcesi Britonoriensi, congregationi Camaldulensi multa negotia facessivit, hæc leguntur: „ Monachi Camaldulenses degentes ad costam sancti Pauli Cæsenatis urbis vitam impetrarunt multis civibus Cæsenatibus a cardinale Gebennense, qui ut legatus apostolicus exercitum ducebat. “ Destruxerat siquidem cum Brittorum exercitu idem cardinalis urbem Cæsenam, mortique adjicere volens plures nobiles viros & cives ejusdem urbis, iram suam continuit ad preces monachorum Camaldulensium, qui institerunt apud ipsum pro civium salute.

Ann. Chr. 1377.

Ad hæc tempora refertur discessus e patria beati Petri Gambacurtæ nobilis patricii Pisani, qui lustratis prius sacris eremi Camalduli, Vallisumbrosæ, Alverniæ, aliorumque locorum solitariis recessibus, sedem suam fixit ad annum 1380. apud Montem-bellum Urbinatis provinciæ, ubi prima jecit suæ Hieronymianæ congregationis semina. Consulatur Sajanellus in historicis monumentis ejus congregationis.

X. Collationes aliquot monasteriorum.

VACANTE ecclesia sancti Angeli de Rosciano, quæ erat manualis monasterii Burgi-sancti-Sepulcri, ob mortem Silvestri postremi prioris, Bartholomæus abbas Burgensis ipsam contulit Bartholomæo Blasii de Clusio.

In paginis archivi sancti Romualdi de Urbe post Antonium Ferrariensem abbatem Uranensem reperitur ad hunc & ad sequentes annos abbas ejus monasterii Dionysius. Legitur & ejus nomen in tabulario Fontis-boni, nam die tertia februarii [a] Johannes prior Camaldulensis ex commissione sibi facta per breve apostolicum datum Livorni, sive Liburni diœcesis Pisanæ die decima-sexta novembris anni præteriti a Gregorio papa XI. pontificatus sui anno sexto Dionysium dudum abbatem sanctæ Mariæ de Adelmo transtulit ad Uranense monasterium, recepto juramento ab ipso juxta formam sanctæ Romanæ ecclesiæ; manu Leonardi Francisci de Castellione Arretino notarii. Ea nimirum die vidimus anno antecedenti Romanum pontificem Gregorium Liburnum applicuisse. Antonii autem abbatis Uranensis obitus refertur in necrologio Vangaticiensi decimo-sexto kalendas augusti anni M.CCC.LXXVI.

a §. *Electio.* 67. *A.* 4. 56.

Ann. Chr. 1378.

XI. Monasterium S. Mariæ Angelorum de Florentia deprædatur.

ARCTA & sancta familiaritate conjuncta fuerat beatæ Paulæ abbatissæ sanctæ Margaritæ in Casajolo de Florentia, dum viveret, femina quædam valde religiosa appellata Vocula, quam divini spiritus gratia replebat. Hæc revelationibus & visionibus a Deo dignabatur, quas consueverat, ut faciebat etiam beata Paula, statim referre priori monasterii Angelorum, a cujus ductibus pendebat, qui postea ipsarum revelationum seriem manifestaret iis, quorum interérat. „ Vidit itaque quadam die Vocula beatissimam virginem Mariam coronatam diademate in capite, & sedentem in nobilissimo throno, ad cujus pedes beata Paula instantissime efflagitabat pro salute monasterii Angelorum, ac intellexit gravissimum infortunium ei cœnobio imminere, cujus tamen loci beata Virgo declaravit se futuram semper patronam & protectricem, expandens interea vestem suam. Visionem hanc aperuit de more femina religiosa Johanni priori, & Michaeli subpriori ejusdem monasterii, valde anxia, eosque adhortata est profunda caritate, ut satagerent Deum reddere placatum, media recitatione orationis Dominicæ, & Salutationis Angelicæ centies, ipsosque securos reddidit de singulari protectione, quam monasterii Angelorum habebat beata Paula. “

Hæc

Ann. Chr. 1378.

Hæc Fortunius. Addit Ractius ipsam Paulam ante multos annos prævidisse & prædixisse hujusmodi cladem, quæ monasterio superventura erat. „ Die itaque vigesima-secunda vel tertia junii hujus anni cum populus „ jamdiu mussitaret adversus nobiles viros Florentinæ urbis, & ex que„ rimoniis ad apertissimas discordias venisset, ignem applicuit pluribus „ ipsorum domibus, inter quas iis familiæ Albitiorum. Post ignem do„ mibus applicitum plebs magis magisque furens elatis vocibus exclama„ re cœpit: *Ad Angelos*, *ad Angelos*. Et nulla interposita mora ad in„ star indomitarum ferarum cucurrit ad januam ejus cœnobii maxima „ populi multitudo, ut eam disjicerent vel incenderent. Nulli peperce„ runt operæ monachi, ut vesanos sacrilegosque homines repellerent, ac „ mitigarent. Sed hi viam sibi parantes per tecta & per muros Septimi, „ ac ex eo loco in monasterium descendentes depopulati sunt cœnobium „ omne. Sola primo impetu intacta remansit ædes sacra, in qua recon„ debantur ecclesiæ ornamenta & vestes, quam tutati sunt Guido Tho„ mæ, & Veri de Medicis, fugæ interea se dantibus monachis, quorum „ aliqui vulnerati fuere cum priore Johanne, qui ictum sustinuit in ca„ pite, alii vero occisi, ut Bernardus Bonæ conversus. Res omnes mo„ nasterii furtibus & rapinis patuere, ipsa fratrum cubilia spoliata; pre„ tiosa vero quæque sublata, quæ nobiles cives in monasterio tamquam „ in sacro loco condiderant. Ingressi fuere cœnobium plusquam decem „ mille homines vocem extollentes: Vivat populus; mulieres quoque e „ triviis & meretrices reclusioni non parcentes religiosum locum inquina„ runt. Quidam Franciscus a Podio-bonitii e cœno plebis homo super„ bus, nil intentatum reliquit, ut suadente diabolo ignem applicaret „ monasterio, ut ipsum in favillas redigeret. Sed cum nullibi ignem re„ periisset, nisi ad lampadem valetudinarii, evenit, ut dum nimia cele„ ritate & furore ad lampadem venisset, ex qua ignem accenderet, lu„ men extinctum fuerit, protegente locum beata virgine Maria, preci„ bus beatæ Paulæ. Excessit damnum dictæ rapinæ valorem ducentorum „ millium scutorum auri. " De hac depopulatione verba facit etiam in historiis Camaldulensibus idem Fortunius [a], qui superiora postea digessit in vita, quam ex Tantinio conscripsit divæ Paulæ. „ Per id tempus, „ inquit, anno videlicet 1378. casus accidit cœnobio Angelorum valde „ sinister, sicut ex chronicis Gini Nerii Caponii mihi ostendit Silvanus „ noster Ractius. Orto quippe maximo tumultu per civitatem Floren„ tiam inter populum & collegia, causa reponendi ordines justitiæ apud „ nobiles, Silvestro Alamanni Mediceo vexillifero, populus cucurrit con„ citus atque furibundus ad carceres, easque confregit & incendit; su„ binde cœnobium eremitarum Angelorum majori adhuc furia invectus „ invasit, intusque per vim ingressi, locum immaniter depopulati sunt, „ quod nobiles plurimi scrinia auri & argenti, & suppellectilia nobiliora „ ac pretiosiora ibi recondita haberent, subripueruntque pecunias & res, „ quæ centum millium aureorum (ducentorum millium habet Ractius) „ nummorum æstimationem excessere; dum vero ubique per omnes of„ ficinas debacchati sunt, duos aut tres monachos occiderunt. Accidit „ idem ex alio latere ad cœnobium sancti Spiritus, & longe majora „ damna irrogata fuissent, nisi quidam ex prioribus supervenientes ru„ morem sedavissent. " Gini Nerii Caponii historia a Fortunio laudata publici juris facta fuit a Muratorio inter Scriptores rerum Italicarum, [b] appellataque est hæc popularis seditio *Casus de Ciompis*. Ciompi appellabantur carminatores lanæ, traditurque hoc nomen invectum longe antea

a P. II. lib. III. cap. 14.

b T. XVIII. p. 1106.

tea in vile vulgus a Gallis, qui sub regimine ducis Athenienfis Florentiæ agebant, quafi alter alterum *compatrem* appellaret, ut illuftrat idem Muratorius. Meminit hujus invafionis etiam auctor anonymus Magliabecchianus in fua ms. memoria, monachumque unum cœnobii Angelorum occifum innuit. Poft tam atrox facinus præcepit die XXVIII. julii Johannes prior generalis Camaldulenfis monachis ejufdem cœnobii, ne de cetero vel palam, vel occulte aliquid reciperent intra fepta fui monafterii tamquam in locum depofiti a quacumque perfona urbis etiam ad exilium damnata a republica Florentina, optime animadvertens eam cladem fuftinuiffe cœnobium non propter monachos, fed propter pretiofas fubftantias in eo reconditas a civibus Florentinis.

ANN. CHR. 1378.

XII. Abbatibus S. Jufti Volaterrarum conceffa pontificalia infignia.

IMMATURA morte præreptus deceffit hoc anno die vigefima-feptima martii optimus pontifex Gregorius XI. dignus, qui ad multos annos Romanæ & univerfali ecclefiæ præeffet. Poft plures concertationes a faniore cardinalium parte fuffectus fuit in ejus locum die octava aprilis Bartholomæus Prignanus archiepifcopus Barenfis, qui nomen affumpfit Urbani VI. Is anno pontificatus fui primo privilegium irrogavit abbatibus monafterii fanctorum Jufti & Clementis Volaterranæ urbis, ut poffent uti pontificalibus ornamentis in Miffarum follemniis, & benedictionem populo impartiri poft Miffarum, Vefperarum & Matutinorum officia, nifi adeffet aliquis antiftes, vel apoftolicæ fedis legatus. Die pariter vigefima-fexta julii, cum fibi refervaffet more fuperiorum pontificum electionem prælatorum ad regimina monafteriorum, præfecit cœnobio fancti Frigdiani de Pifis Laurentium monachum fancti Mathiæ de Muriano, quod vacabat per mortem Francifci abbatis, quem quidem Laurentium monachi fancti Frigdiani ignorantes pontificiam refervationem jampridem elegerant in fuum præfulem, ipfumque a fe iterum electum confirmavit idem Romanus pontifex. Datum Tibure anno pontificatus fui primo.

XIII. Capitulum generale Vangaticienfe.

CONVOCATO ad diem decimam-octavam octobris capitulo generali congregationis in monafterio fanctæ Mariæ de Vangaticia, & affumptis pro definitoribus, præter Johannem generalem præfidem, Benedicto abbate Claffenfi, Paulo abbate fancti Michaelis de Muriano, Laurentio noviter electo abbate fancti Frigdiani Pifarum, & Johanne abbate fancti Petri de Monte-muro, ftatutum fuit inter cetera, ut in augmentum devotionis erga beatam virginem Mariam, die ejufdem immaculatæ Conceptionis officium cum follemnitate pleniffima perfolveretur per totum ordinem, ficuti hactenus confueverat fieri die Nativitatis ejufdem, mutato dumtaxat vocabulo Nativitatis in illud Conceptionis, & lectiones de ipfo fefto propriæ canerentur. Antiquarunt patres omnium excommunicationum pœnas tam in conftitutionibus ordinis, quam in generalibus capitulis, five a prioribus Camaldulenfibus hucufque indictas, quarum loco pecuniarias pœnas infligendas decreverunt, videlicet abbatibus vel prioribus, five abbatiffis vel prioriffis Florenorum auri quinque, monachis vel monialibus Florenorum duorum, unius autem Floreni converfis & converfabus. Vetarunt veftes *Croccias* vulgariter appellatas, quas itinerantibus permiferunt. Providerunt parthenoni fanctæ Chriftinæ de Tarvifio ob bella deftructo, fimiliter monafterio Montis-chrifti ad paupertatem redacto ob alia bella in Sardinia graffantia. Demum in protectorem ordinis loco Petri Corfinii affumpferunt cardinalem de Mediolano. Is erat Simon de Borfano Mediolanenfis archiepifcopus creatus anno 1370. anno autem 1375. electus S. R. E. cardinalis ad titulum fanctorum Johannis & Pauli

Ann. Chr. 1378.

& Pauli a Gregorio XI. qui primum pro Urbano VI. suffragium tulit, inde ab eo deficiens Clementi VII. adhæsit, in cujus obedientia diem clausit extremum Niciæ in Provincia die XXVII. augusti anni 1381. & ibidem sepultura fuit donatus. Ad ipsum Simonem una cum duobus aliis cardinalibus Italis extat scripta epistola sanctæ Catharinæ Senensis, quæ in nova editione numero est 31.

Cum propter bellorum injurias monasterium sanctæ Mariæ de Pratalia vacuum derelictum fuisset a monachis, statutum fuit a Johanne priore generali,[a] die secunda novembris, facile in superioribus comitiis, ut quando militum furor deferbuisset, iterum inhabitaretur saltem a duobus monachis, quorum alter sacerdos foret, & de victu ac vestitu providerentur ab abbate, qui monasterii Prataliensis redditus obtinebat.

a *. Notabilia 39. A. 17. 133

XIV. Testamentum Angeleriæ pro monast. S. Michaelis de Muriano.

Sequens excerptum, quod continet insertum testamentum a centum annis confectum in favorem monasterii sancti Michaelis de Muriano, subjicimus ex archivo dicti loci[b].

b Caps. 15. 9.

In Christi nomine, amen. Anno nativitatis ejusdem M. CCC. LXXVIII. *indictione* I. *die* XI. *mensis februarii, Venetiis in monasterio S. Michaelis de prope Murianum Castellane diocesis in loco, ubi dicitur capitulum predicti loci* &c. *presentibus nobili viro domino Marco Dandulo quondam Andree de contracta sancte Marine* &c. *Certum est, quod domina Angelera relicta quondam domini Jacobi Michaelis de confinio sancti Johannis Baptiste de Venetiis per cartam sui testamenti scriptam manu presbiteri Stephani Mauro sancte Marie Matris Domini & notarii factam in* M. CC. LXXVIII. *mensis julii die* VI. *indictione* VI. *& nunc a me Georgio de Gibillino notario visam & lectam, instituit suos commissarios dominos procuratores sancti Marci super commissarias, & religiosos viros priores sancti Andree de Aimanis & sancti Michaelis de Muriano, & eorum successores. Inter alias ordinationes & legata fecit quamdam ordinationem punctaliter in hec verba: Proprietatem meam, quam ego habito positam in sepedicto confinio sancti Johannis Baptiste* &c. *dimitto monasteriis sancti Andree de Aimanis & sancti Michaelis de Muriano tali conditione & ordine, quod nunquam possit vendi, pignorari* &c. *sed priores, qui erunt in ipsis duobus monasteriis per tempora, dictam proprietatem debeant affictare* &c. *& quidquid de ipso affictо perceperint, inter se equaliter dividere. Et rogo priores & fratres monasteriorum suprascriptorum, quod annuatim anniversarium mihi faciant, & me in suis orationibus habeant commendatam* &c. *Et est etiam certum, quod frater Benedictus monachus & syndicus predicti loci sancti Michaelis anno* M. CCC. LXIX. *dictam proprietatem affictavit procuratori loci sancti Andree de Aimanis* &c. *Et est etiam certum, quod prior, fratres & capitulum loci & monasterii sancti Andree de Aimanis concesserunt & locaverunt Juliano Cortese omnes domos & possessiones, que spectabant ad monasterium sancti Andree pro sua parte & medietate, vigore testamenti predicte quondam domine Angelerie, & pro parte, que pertinet predicto loco sancti Michaelis prope Murianum pro ducatis* XLV. *auri in anno* &c. *Et est etiam certum, quod dictus Julianus Cortese aufugit de Venetiis; quare predicti prior & fratres sancti Andree de Aimanis vendiderunt & dederunt nobili domine Helene Vioni de confinio sancti Johannis Bragore relicte domini Marci Vioni una cum expensis factis in his domibus a predicto Juliano Cortese* &c. *Quibus omnibus visis & consideratis per predictam dominam Helenam, considerans etiam quod dominus abbas & fratres loci sancti Michaelis nunquam ratificaverunt dictas expensas, supplicavit domino abbati atque eum precibus efficacibus rogari fecit, quatenus ratificaret*

caret expenſas predictas ; quam quidem ratificationem dictus abbas facere recuſavit, ſed tandem motus ad preces efficaces bonorum & magnorum virorum &c. *convocato capitulo, in quo interfuerunt venerabilis vir domnus frater Paulus Dei gratia abbas dicti monaſterii, frater Angelus de Abbatia, & frater Bartholus de Venetiis* &c. *ſe compoſuerunt cum prefata Helena* &c.

Ann. Chr. 1378.

Ego Georgius de Gibillino quondam Jacobi de civitate Belluni civis Venetiarum & notarius &c.

Benignæ quondam Joſephi de Taybano abbatiſſæ parthenonis ſanctæ Annæ de Bononia tamquam ſubjecti monaſterio ſancti Hippolyti de Faventia mentio fit ſub hoc anno in pagina tabularii alterius aſceterii ſanctæ Chriſtinæ ejuſdem urbis.

Ann. Chr. 1379. XV.

Eccleſia S. Potentianæ de Urbe conceſſa Camaldulenſibus.

RAINULPHUS de Monte-ruco Gallus provinciæ Lemovicenſis e genere Innocentii VI. Romani pontificis, & nepos cardinalis Petri de Monte-ruco, cardinalitia dignitate auctus ab Urbano VI. anno præcedenti, & inſignitus titulo ſanctæ Pudentianæ, alias Paſtoris, conceſſit hoc anno eccleſiam ſui tituli monachis eremi Camaldulenſis, cedentibus vel decedentibus archipresbytero & canonicis, qui ei eccleſiæ hactenus deſervierant, & tunc inſerviebant, ſed propter præbendarum tenuitatem ad quinarium numerum redacti erant, neque debita dignitate divina perſolvebant, volens, ut ſuppreſſis iis canonicis, ex eorum præbendis undecim monachi ibidem ordinari deberent. Confirmavit donationem cardinalis Rainulphi Romanus pontifex Urbanus die ſeptima aprilis pontificatus ſui anno ſecundo. Paucis tamen annis unio monaſterii ſanctæ Pudentianæ ſeu Potentianæ congregationi Camaldulenſi profecit. Ad eam eccleſiam incolendam miſit Johannes prior Camaldulenſis anno 1385. Jacobum de Padua abbatem ſancti Zenonis Piſarum, cui etiam datum fuit in mandatis, ut ex eo monaſterio negotia ordinis in Romana curia gereret, & tamquam procurator generalis in ipſo reſideret. Iterum anno 1389. collata legitur ea eccleſia tamquam manualis eremi tum Philippo Bartholi, tum Benvenuto monachis prioribus; manu Fei Bindi notarii de Podio-bonitio; ſed paulo poſt impetrata & commendata ſeculo ſequenti obtinebatur a Nicolao Albergatto cardinale ſanctæ Crucis, itaut anno 1432. monachi Camaldulenſes non amplius domicilium haberent in eo monaſterio, & Ambroſius prior generalis Camaldulenſium eo ipſo anno primum ad monachos ſanctæ Mariæ-novæ congregationis Montis-oliveti, inde ad ſanctam Cæciliam divertere & commorari neceſſe habuerit, & incaſſum, ut ordini denuo reſtitueretur, laboraverit; tempore Petri Delphini alterius præfecti generalis is auctor fuit Johanni Memmio priori ſancti Viti de Vicetia, ut ab avunculo ſuo Maphæo Gerardo cardinale peteret reddi Camaldulenſibus eamdem eccleſiam, quam commendatam detinebat tunc Rodericus Borgia cardinalis in ſummum pontificem nomine Alexandri VI. recens electus. Sed neque eo tempore obtineri potuit, & tandem poſt commendam ceſſit capitulo baſilicæ ſanctæ Mariæ-majoris de Urbe; temporibus noſtris ei eccleſiæ inſerviunt patres Ciſtercienſes congregationis Fullienſis. Obiit Rainulphus cardinalis poſt triennium, ut indicat epitaphium marmori inſculptum in foribus ejuſdem eccleſiæ: *Hic jacet reverend. pater dominus Rainulphus tit. s. Pudentianæ presb. cardin. natione Lemovicenſ. de genere Innocentii pp.* VI. *qui in hoc titulo ſuo monachos conſtituit. . . . . . . An.* M.CCC.LXXXII. *die* XV. *menſis auguſti.*

Ann. Chr. 1379.

XVI. Binæ indulgentiæ parthenonis S. Johannis-evang. de Buldrone.

Frater Bonaventura tituli sanctæ Cæciliæ presbyter cardinalis & legatus apostolicus in urbe Florentina die decima martii hujus anni indulgentiam quadraginta dierum concessit visitantibus ecclesiam sancti Johannis-evangelistæ de Buldrone extra Florentiam, ubi residebant sanctimoniales Camaldulenses, diebus Domini, dominicisque quadragesimæ, aliisque diebus. Altera indulgentiarum pagina ad favorem ejusdem parthenonis habetur sub die XVII. martii, quam relaxavit Johannes episcopus Pistoriensis. Ex prima cardinalis concessione in cognitionem venimus Bonaventuram ex familia Baduaria de Peraga prope Patavium, & ex ordine eremitarum sancti Augustini, creatum fuisse S. R. E. cardinalem in prima promotione ab Urbano VI. & Panvinium ac Ciacconium errare, qui ipsum existimant promotum ad eam dignitatem anno dumtaxat 1384. cum e contra etiam in diplomatibus datis annis 1378. & 1379. a Clemente VII. antipapa appelletur *cardinalis pontificis Urbani*, & in epistola ipsi scripta a sancta Catharina Senensi, quæ ad sponsum suum evolavit die trigesima aprilis anni sequentis 1380. eodem cardinalitio titulo decoretur. Johannes autem Pistoriensis alterius indulgentiæ largitor est Johannes quondam Vincentii de Viventiis Florentinus ex præposito Pratensi creatus Pistoriensis episcopus, translatus postea ad Cerviensem ecclesiam, non statim post annum 1377. ut habet Ughellius, sed saltem post diem decimam-septimam martii hujus anni 1379. qua die præfatam indulgentiarum bullam, ut episcopus Pistoriensis, concessit sanctimonialibus Buldronensibus.

XVII. Obitus Riccoboni benefactoris monaster. S. Benedicti de Ferraria.

Decessit hoc anno Riccobonus Mazonus de Mutina civis & habitator in urbe Ferrariensi, qui die vigesima-prima junii hujus anni indictione secunda in sacristia majoris ecclesiæ Ferrariensis suas testamentarias tabulas condens, sepulturam elegit apud ecclesiam sancti Pauli ejusdem urbis ante altare, quod idem testator cum uxore sua Bonaventura construere fecerat sub invocatione & titulo sancti Spiritus. Inter cetera vero legata reliquit conventui fratrum sancti Benedicti prope Ferrariam ordinis Camaldulensis quamdam pecuniæ, frumenti & vini quantitatem, ad hoc ut fratres dicti conventus continue horis debitis Missas & divina officia diurna & nocturna dicere & celebrare pro anima ipsius & suorum omnium deberent; ita tamen ut in dicto monasterio continue octo fratres, vel ad minus sex residerent, nisi legitima causa impediret eos posse ibidem residere. Ipsam autem testamenti syngrapham subjicimus ex archivo monasterii Classensis.

In Christi nomine, amen. Anno ejusdem nativitatis millesimo trecentesimo septuagesimo-nono indictione secunda die vigesimo-primo mensis junii in majori ecclesia Ferrariensi in sacristia ejusdem ecclesie. Quoniam casus repentine mortis &c. *Propterea discretus vir ser Riccobonus filius quondam domini Riccoboni de Mutina civis & habitator civitatis Ferrarie in contrata Bucce-canalium, necnon cancellarius illustris & magnifici domini domini Nicolai Dei gratia marchionis Estensis sanus per gratiam Domini nostri Jesu Christi mente, sensu ac bono intellectu & corpore, precogitans in predictis, & ipsa formidans, nolens intestatus decedere, dispositionem & ordinationem bonorum & rerum suarum omnium per presens nuncupativum testamentum sine scriptis in hunc modum & formam facere procuravit & fecit. In primis elegit dictus testator corporis sui sepulturam apud ecclesiam sancti Pauli de Ferraria in arca sua ante altare, quod idem testator, & quondam domina Bonaventura ejus uxor construi fecerunt in ipsa ecclesia sub vocabulo sancti Spiritus. Circa cujus corporis sepulturam voluit & ordinavit*

vit idem testator expendi debere illud, quod domine Ursine infrascripte uxori dicti testatoris, & filiis suis infrascriptis ac commissariis suis videbitur convenire. Quod sepulcrum dictus testator voluit esse debere dicte domine Ursine, ac heredum & descendentium ipsius testatoris; item reliquit dictus testator conventui fratrum sancti Benedicti de prope Ferrariam ordinis Camaldulensis & ipsis fratribus, qui per tempora fuerint, semper & in perpetuum omni anno de bonis ipsius testatoris libras LX. *Bononienses, videlicet dimidium in festo sancti Michaelis & aliam dimidiam in festo pasche Resurrectionis* &c. *& modios tres boni frumenti, & tres castellatas boni vini puri in graspis tempore recoltus & vendemiarum, & hoc ut fratres dicti conventus continue horis debitis debeant Missas & divina officia diurna & nocturna dicere & celebrare pro anima dicti testatoris & omnium suorum, ita tamen quod in dicto monasterio & loco continue octo fratres vel ad minus sex faciant residentiam, nisi ex legitima causa vel propter aliquam necessitatem expressam non possent, ut supra, adesse continue, inter quos quatuor sint in presbyteratus ordine constituti* &c.

Ann. Chr. 1379.

Ego Timotheus Robertus filius domini Hippolyti apostolica & imperiali auctoritate notarius & civis Ferrariensis suprascripta omnia, prout in schedis scripturis originalibus quondam egregii viri domini Petri de Pialbenis olim civis & notarii publici Ferrariensis sumpsi, scripsi & exemplavi anno Domini M. D. LXXIX.

Urbanus VI. hoc anno motus precibus sanctimonialium & abbatissæ sanctorum Gervasii & Protasii prope Bellunum, quæ eatenus nulli prælato regulari suberant, ipsarum visitationem & correctionem tradidit abbatibus sanctæ Mariæ Sanæ-vallis de Fullina tunc Cisterciensis, nunc Camaldulensis ordinis, sub quorum ductu & visitatione ad hodiernam diem perseverant. Datum Viterbii idibus martii, pontificatus nostri anno primo; ex veteri exemplo membranaceo ejusdem parthenonis.

XVIII. Consecratio altaris in abbatiæ Poplenensis ecclesia.

Guido episcopus Mantuanus ex prænobili Mantuana Gonzaga familia præsenti anno die decima-septima julii [a] consecravit quoddam altare Angeli Nutarini de Faeto, quod erat extructum in ecclesia abbatiæ sanctæ Mariæ de Poplena ex latere inferiori & sinistro ingredientibus dictam ecclesiam, ipsumque dedicavit in Dei omnipotentis honorem, sub vocabulo sanctæ Mariæ-magdalenæ, & sanctæ virginis Catharinæ, de quarum reliquiis in dictum altare immisit, concedendo indulgentiam anni unius & quadraginta dierum accedentibus ad prædictum altare die dedicationis, ac per totam octavam singulis diebus dierum quadraginta, & singulis annis in tertia dominica mensis julii unius anni & quadraginta dierum. Promisit autem præfatus Angelus Nicolao priori ejusdem abbatiæ, quod ipse de bonis suis prædictum altare dotabit ad hoc, ut in ipso Missæ & divina officia celebrentur; prior autem licentiam concessit inchoatum monumentum perficiendi ipsi Angelo ante idem altare, ut in eo omnes de ejus familia humari possent; quæ omnia confirmata fuere a Johanne priore generali Camaldulensi manu Johannis Lappuccii notarii de Puppio.

a §. *Indulgentiæ* I. *A.* 4. 73.

XIX. Provisio monasterii S. Hieronymi de Monte pruno.

Vacante monasterio sancti Hieronymi de Monte-pruno partium Mucelli Fesulanæ diœcesis per translationem Nicolai Florentini prioris ad abbatiam sanctæ Mariæ de Toma, idem Johannes prior generalis, ad quem de jure collatio & provisio spectabat, elegit in priorem Miniatem Senensem monachum, mandans Francisco capellano sanctimonialium Buldronensium, ut illum in possessionem induceret mense junio; manu Leonardi notarii. Unitum fuerat monasterium sancti Hieronymi congregationi Camaldulensi anno 1374. licet ad annum 1360. facultas

facta

Ann. Chr. 1379.

facta fuisset eidem Johanni præsidi generali ipsum ad ordinem adjungendi. In necrologio monasterii sanctæ Mariæ ad Carceres ad diem XXIII. octobris legitur: *Obiit reverendus domnus Franciscus prior Carcerum.*

XX. Bellum Clodiense Venetos inter & Januenses. Destructa eccl. S. Johannis-baptistæ.

PUGNATUM fuit hoc anno sub Carolo Zeno patritio Veneto clarissimo, & classis maritimæ Venetæ strenuissimo imperatore contra Januenses in urbe Clodiensi prope ecclesiam nostram sancti Johannis-baptistæ extra urbem, ut narrat Jacobus Zenus Caroli nepos Feltrensis & Bellunensis episcopus in vita ejusdem patrui sui ad Pium II. Romanum pontificem. „ Ecclesia, inquit, erat haud procul christiano cultu Johanni-ba„ ptistæ dicata. Ab ea, quantum jaci bombardæ ictus poterat, tuto loco „ figere castra decrevit Carolus. " Ea igitur occasione solo æquata fuere monasterium & ecclesia nostra sancti Johannis, quam vix a sexaginta annis construxerant monachi Murianenses sancti Mathiæ; quam denuo reædificarunt, cessantibus bellorum tumultibus. Interea die decima-tertia septembris anni sequentis in majori consilio Venetorum pars capta fuit, quod Camaldulensibus Clodianis interim traderetur incolendus locus sanctæ Claræ, ut legitur in libro cancellariæ ducalis appellato *Novella*; quod ipsum confirmatum fuit iterum anno 1383.

XXI. De Nicolao Lapi monacho Angelorum Florentiæ. Ad eum libelli Colucii Salutati.

NICOLAUS Lapi filius, Florentiæ natus in populo sanctæ Felicitæ, ex nobilissima familia a castro homonymo de Uzano in Valle-nebulæ appellata, post jurisprudentiæ operam datam, ecclesiasticosque gradus susceptos, hoc anno die vigesima-quinta februarii monasticam togam induit, professus regularem vitam in cœnobio sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia, assumpto Hieronymi nomine; Nigio Johannis chartam professionis roborante. Maurus Lapius alter monachus noster cœnobii sancti Mathiæ de Muriano in vita beati Petri Sardi de Massalenis asserit Nicolaum fuisse canonicum ecclesiæ majoris Florentinæ. Optimo Hieronymi consilio Colucius Pierii Salutati a Stignano cancellarius celeberrimus reipublicæ Florentinæ excitatus fuit ad conscribendos duos libellos *de Seculo et Religione*, quos eidem dicatos voluit, quique reperiuntur in bibliothecis sancti Mathiæ de Muriano, Vallis-umbrosæ, pluribusque aliis Florentinis scriniis, hæc potissimum in ipsis præfatus ad Hieronymum.

„ Memor semper fui, venerabilis & reverendissime frater, postquam „ te mundo subtractum in sanctissimo cœnobio suo lætus & avidus visi„ tavi, rerum omnium principi per religionis vinculum adhærentem, „ quod tuæ caritati promiseram aliquid ad te scribere, quo alacrius pro„ sequereris incepta, quodque te in hujus seculi fuga ferventer accen„ sum, ad illius summi & inenarrabilis boni dilectionem, quod toto cor„ de, tota mente, tota anima, totisque viribus diligere juberem, para„ ret ardentius, immo jam paratum solidius confirmaret. Debemus qui„ dem proximo tam naturali ratione, qua simul omne genus hominum „ alligamur, quam christianæ religionis glutino, qua sumus omnes fra„ tres in Christo, ut correctione subveniamus erranti, lapsum erigamus, „ moneamus ignarum, & viam salutis per Dei gratiam eligentem no„ stris exhortationibus adjuvemus. In qua re fateor *&c.* " Sed ipse prologus integre editus habetur ex codice Riccardiano in catalogo mss. ejus bibliothecæ, quem gaudemus publicæ luci donatum opera & studio V. Cl. Lamii; ex quo quanta conjunctionis familiaritas Hieronymum inter & Colucium cederet, dignoscimus. Ostendit autem in his libellis Colucius, quid Hieronymus fugerit, quidve modo sequatur. Seculum, quod fugerat, describit in primo opusculo omnibus rhetoricæ artis floribus, dictaque sua testimonio sanctorum patrum roborat. Invehitur contra seculum,

lum,

lum, quod appellat immundissimam sentinam turpitudinum, campum diaboli, fallacem viscum, officinam malorum, fabricam vitiorum, tristem lætitiam, falsum gaudium, exultationem inanem, aram tribulationum, lacum miseriarum, naufragium virtutum, incentivum scelerum, malorum fomitem, iter cœcum, tramitem salebrosum, carcerem horridum, scenam iniquitatum, arenam laborum, theatrum inhonestatum, horribile præcipitium, domum anxietatum, mare turbidum, vallem calamitatum, ærumnarum domicilium, speculum vanitatum, corruptionem mentium, laqueum animarum, parentem mortis, infernum viventium, aggregationem caducorum, viam mortalium, peregrinationis hominum diversorium, ministratorem necessariorum, suppeditatorem voluptatum. „ Vide, concludit mi Hieronymi, quid sit iste mundus, quem fugis, quove nos „ sensibus dediti tam perdite delectamur. " Memorat in ipso opusculo schisma recens conflatum in ecclesia. „ Ecce quales se toti mundo præ„ bent, qui se fore mundi cardines gloriantur. Post exhibitum siquidem „ fidelibus unum Christi vicarium, sive, ut plures arbitrantur, sollemni„ ter ordinatum, sive ut ipsi credi volunt, per impressionem metus as„ sumptum, inaudito atque pessimo exemplo venenum abominandi schis„ matis effundentes, alterum elegerunt. " Capite 28. ut declaret, quod mundus sit speculum vanitatum, describit pulcra Florentinæ urbis ædificia: „ Ascendamus, inquit, consecratum pio cruore beati Miniatis ab „ Arni ripa sinistra colliculum, aut antiquarum Fesularum montem, „ vel alia circumstantia promontoria, unde per sinus omnes completius „ videri possit nostra Florentia. Ascendamus precor, & intueamur mi„ nantia mœnia cœlo, sydereas turres & immania templa, & immensa „ palatia, quæ non sunt privatorum opibus structa, sed impensa publi„ ca, vix est credibile potuisse compleri, & demum vel mente vel ocu„ lis ad singula redeuntes consideremus, quanta in se detrimenta susce„ perint. Palatium quidem populi admirabile cunctis, & quod fateri „ oportet, superbissimum opus jam mole; sua in scipso resedit. Basi„ lica vero nostra stupendum opus, cui, si unquam ad exitum vene„ rit, nullum credatur inter mortales ædificium posse conferri, tanta di„ ligentia incœptum, & usque ad quartum jam fornicem consummatum, „ quo speciosissimo campanili conjungitur, quo quidem nedum pulcrius „ ornari, sed nec pingi aut cogitari formosius queat, rimas jam egit, „ quæ videantur in deformitatem ruinæ evasuræ, ut post modicum tem„ pus resarciendi non minus futura sit indiga, quam complendi. Quot „ autem & qualia civium habitacula, quotque palatia intestini dissidii „ civica pestis assumpsit? Quot tum studiosa tum fortuita consumpse„ runt incendia? Quot vetustate in se ipsa & violentia temporis rue„ runt? Quæ mox, si paulum expectaveris, sunt peritura. Non oportet „ maximarum consanguinitatum, quæ a nostris oculis evanuerunt, oc„ casus describere; nam sive vetera percurramus, sive in nostra tempora „ venientes moderna narremus, sive urbis nostræ revolvamus annales, „ facilius erit singulorum viventium capita numerando concipere, quam „ extinctas clarissimorum prosapias virorum recensere &c. Felix itaque „ mi Hieronyme, qui seculum relinquens & mundi pompas, quarum „ studium te poterat fœditate maculare, ex malorum oculis te in con„ gregationem honestam & sanctissimam conjecisti. "

ANN. CHR. 1379.

Secundus Colucii libellus titulum profert *de Religione*. Difluit autem quam commendabilis sit religio claustralis, quæque vota contineat. Elucidat, quanta puritas religiosos deceat, quidve religionum vestes significent,

Ann. Chr. 1379. cent, edocet. „ Cogita, inquit, tecum hac puras vestes magno te astringere vinculo puritatis. Quas mecum sæpe considerans, minus admiror sanctissimum illum patrem, virginis Mariæ devotum, sanctum Bernardum, nec non sanctum Romualdum tuum divina revelatione vidisse albis indutos vestibus scalas ascendere paradisi. Aptissimus quidem meo judicio religioni color, qui semper admoneat, quam immaculate sint viæ nostræ tempora transigenda. Significat enim color niger pœnitentiæ luctum & nostri mœrorem exilii, sint illæ permixtorum colorum & nativis intextæ lanis vestes humilitatis & abjectionis indicium; magis tamen propriam viam religionis amplectitur color albus, qui præsentis vitæ curam & futuræ statum magno mysterio repræsentat. “ Majus esse religiosorum meritum asserit, quam eorum, qui citra voti vinculum operantur. Professionis monasticæ tenendam semper memoriam inculcat. Debere religiosos asserit resistere indefesse tentationibus, quibus eos diabolus conatur a proposito revocare. Vota continentiæ, paupertatis & obedientiæ demum describit pluribus. Quæ ad Hieronymum spectant, Nicholi nomen ipsi in baptismate impositum asserit. Clericalem vitam eum prius assumpsisse affirmat, non Dei famulatum sibi proposuisse, sed præbendas, beneficia, prælaturas & episcopales infulas. „ Nec te, subdit, fefellit opinio. Obventionibus quidem pene episcopus, ad gradum & ordinem pontificis pervenisti. Fundasti tuæ mentis propositum, non in Deo, sed in mammona, in divitiis, in ambitione, opulentiam temporalem carnali, non spirituali studio, & superexcellentiam in domo Domini & in ejus ecclesia cupiendo. Cum vero de religione esse cœpisti, tecum meliori consilio cogitasti. Quid tuis desideriis ingerebatur? Certe non opes, qui dimissis omnibus, quæ habebas, paupertatem eras sollemniter promissurus. Non splendida & lauta convivia, qui de copiosis mensis eras ad frugalitatem & inopiam transiturus. Non, ut arbitror, prælaturas. Non enim adeo futilis reputo te fore consilii, quod de tuorum beneficiorum prælationibus, quas certissime possidebas, ad incertam spem minoris præsulatus per transigenda religionis munera te transferres. Non igitur in hoc sancto tuæ professionis auspicio occurrit tibi nisi Deus, nisi Christus crucifixus, nisi desideranda cunctis, si non relaxatæ fuissent habenæ deliciis, egestatis militia, continentiæ frænum, & obedientiæ jugum. “ Si aliqua resecentur audacter & liberius pro more hujus temporis dicta, merentur profecto aliquando lucem respicere hi duo Colucii libelli ad Hieronymum, quem brevi tempore evectum ad supremam Camaldulensium dignitatem videbimus. Ceterum inter Colucium & inter Hieronymum cedebat frequens epistolicum commercium. Colucius præterea codices corrigebat, qui usui futuri erant monachis sanctæ Mariæ Angelorum, ut ex hac autographa brevissima ipsius epistola colligitur ad eumdem Hieronymum: „ Mitto tibi munusculum istis paucis noctibus correctionis studio lucubratum, in quo si quid proficietis tu vel alii, laus sit omnium conditori Deo, cui placeat me in tuis sanctis orationibus commendare. Vale felix & diu. Colucius tuus. Eam protulit Lamius in supralaudato catalogo mss. bibliothecæ Riccardianæ.

Ann. Chr. 1380.

XXII. Urbanus VI. indicit visitationem congregationis Camaldulensis.

Reformationi monasticæ disciplinæ apprime intentus Romanus pontifex Urbanus VI. paulo post suam electionem in supremum ecclesiæ hierarcham, plures deputaverat religiosos viros in visitatores monasteriorum & congregationum ordinis sancti Benedicti in Italia. Inter

ceteros apostolica commissio facta fuit Bartholomæo Seraphino Ravennati, priori tunc insulæ Gorgonæ ordinis Cartusiensis, Jacobo Patavino priori sanctæ Mariæ de Monte-murcino prope Perusium congregationis Montis-oliveti, & Johanni Florentino priori sancti Laurentii prope Florentiam itidem Montis-oliveti monacho, visitandi eremum Camaldulensem, monasterium Fontis-boni & totam congregationem Camaldulensem. Verum cum in ipso actu visitationis interpositæ fuissent quædam appellationes ad apostolicam sedem, visitatio inchoata ad debitum finem perduci non potuit. Quare ab eodem Romano pontifice ex Urbe XIII. kalendas octobris pontificatus sui anno tertio, hoc est anno præsenti, id negotii commissum fuit Thomæ S. R. E. cardinali & episcopo Tusculano, qui suis literis breve apostolicum inserens ex eadem urbe die XIX. decembris hujus anni iterum eumdem Bartholomæum Gorgonensem priorem, & Dionysium Mediolanensem præpositum sancti Torpetis de Pisis ordinis monachorum Humiliatorum in visitatores ordinis Camaldulensis citra Alpes, ac Sardiniæ, Corsicæ, Montis-christi & Ilbæ insularum destinavit. Vix incœptis actibus novæ visitationis Thomas episcopus Tusculanus & cardinalis e vivis sublatus est, ut dicemus anno sequenti. Quapropter tertio vivæ vocis oraculo Urbanus Nicolao tituli sancti Ciriaci cardinali presbytero ad reformandum ordinem Camaldulensem tam in capite, quam in membris visitationem demandavit, qui cardinalis literis suis datis die decima octobris anni sequentis Johanni priori Camaldulensi, abbatibus & prioribus delegationem apostolicam sibi factam notam voluit, manu Johannis Boest clerici Leodiensis scribæ domini cardinalis & notarii [a]. Sed de iis anno sequenti, quo contigerunt. Ad Bartholomæum Gorgonensem priorem extat epistola sanctæ Catharinæ Senensis numero LIV. ex editione Hieronymi Gilii. Jacobum de Padua omittit Lancellottus in serie priorum Montis-murcini, quam texit in sua historia monachorum congregationis Montis-oliveti.

a §. *Visitatio* 9. 10. *A.* 4 5. 11.

XXIII. Electiones aliquot prælatorum Camaldulensium.

IDEM Romanus pontifex, attenta reservatione monasteriorum & prælaturarum facta per prædecessorem suum Gregorium XI. monasterium sancti Zenonis urbis Pisarum, quod olim ad beneplacitum apostolicum commendatum fuerat Johanni præsidi generali congregationis, post obitum ejusdem Romani pontificis Gregorii ipsum habens pro vacante, contulit hoc anno die quinta-decima novembris [b] Romualdo monacho eremi Camaldulensis. Datum anno pontificatus sui tertio. Pariter die undecima decembris [c] ad abbatiam sanctæ Mariæ de Urano, quod monasterium pastore destitutum erat per mortem Dionysii postremi abbatis, transtulit Laurentium Murianensem ex altera sancti Frigdiani Pisarum.

b §. *Brevia* 12. *A.* 4. 4.

c *Ibid.* 13. *A.* 4 7.

Defuncto Mercuriale priore sancti Mathiæ de Muriano communibus suffragiis suffectus est in ejus locum a monachis die vigesima-septima junii Johannes Superantius patritius Venetus, & qui olim egerat vicarium Johannis prioris generalis. Is tamen nondum expleto quarto sui regiminis mense locum fecit ad diem XXVII. octobris Jacobo de Bastianis Faventino monacho, de quo plura proferemus annis sequentibus.

Franciscus de Aguzzonibus Urbinas circa hunc annum ab Urbano VI. datus fuit episcopus urbi Faventinæ, sed cum gravibus negotiis pro sede apostolica distentus nunquam accedere posset ad suam ecclesiam, eam administravit opera Girardi abbatis sanctorum Hippolyti & Laurentii ejusdem urbis, ut liquet ex collationibus beneficiorum ecclesiasticorum, usque ad annum 1384. quo Franciscus Faventinæ ecclesiæ nuntium dicens ad

ANN. CHR. 1380. Beneventanum archiepiscopatum fuit translatus. Hæc novimus ex Tonduccio in historia Faventina [a].

a Pag. 13.

ANN. CHR. 1381. XXIV. Visitatio Camaldulensis ordinis facta a Thoma cardin. patriarcha Gradensi.

THOMAS de Frignano Mutinensis ex generali ordinis Minorum Gradensis patriarcha anno 1372. & S. R. E. cardinalis primum tituli sanctorum Nerei & Achillei, inde etiam sancti Laurentii in Damaso, ut scribit Panvinius, postremo episcopus Tusculanus creatus anno 1378. ab Urbano VI. Romano pontifice, visitator constitutus ordinis Camaldulensis sub finem anni elapsi, ut diximus, subdelegavit hoc anno visitatores, qui pro se hoc officio perfungerentur. Reperimus in tabulario monialium sanctæ Christinæ de Fundatia Bononiensis urbis, [b] „ anno M. CCC. LXXXI. „ indictione IV. die XXIX. junii Jordanum hactenus abbatem monasterii „ sanctorum Nazarii & Celsi de Verona, nunc vero assumptum ad mo„ nasterium sanctorum Cosmæ & Damiani de Rodą Jaderensis diœcesis, „ & Fridericum de Alemannia monachum visitatores ordinis Camaldulen„ sis subdelegatos ad monasterium sanctæ Christinæ visitandum, & ad „ alia monasteria citra alpes a reverendissimo domino cardinale Gradense „ ad id deputato per dominum papam, ea die resedisse ad monasterium „ sanctæ Mariæ de Angelis prope Bononiam, ubi etiam comparuit Chri„ stophorus de Aleotis clericus procurator Bartholomææ de Senis abba„ tissæ sanctæ Christinæ. “

b Capf. A. 17.

Alterum monumentum hujus visitationis extat in secreto Venetiarum tabulario; nam cum ex Bononia iidem visitatores Venetias essent profecturi pro eo officio gerendo in monasterio sancti Mathiæ de Muriano, cui subjiciebatur superius Bononiense monasterium de Angelis, decretum fuit a Senatu Veneto in Rogatis die octava julii, ut scriberetur Romano pontifici, ne ad Venetum monasterium visitatores accedentes aliquid novi ingererent. Subjicimus Senatus-consultum, quod etiam refert in suis ecclesiis Torcellanis Cl. V. & senator Flaminius Cornelius [c], ut inde argumentum duci queat, quanta virtutum laude effulgerent tunc tempore cœnobitæ monasterii sancti Mathiæ, & alterius sancti Johannis-baptistæ de Judaica æque subjecti San-mathiano. *Cum sint venturi aliqui monachi ad visitandum monasteria heremitarum sancti Mathiæ de Muriano, & sancti Johannis de Judaica, quæ sunt loca tantæ devotionis, & in quibus sunt priores & monachi optimæ religionis & sanctæ vitæ, & dicti visitatores intendunt deponere priores dictorum locorum, qui ipsa loca optime gubernant, & sunt devotissimi nostri dominii, & etiam removere de monachis, & inserere de aliis forensibus & aliarum religionum & ordinum taliter, quod monasteria destruerentur, & devotio amitteretur. Vadit pars, quod possint scribi literæ domino papæ, & illis dominis cardinalibus, qui videbuntur, in recommendationem priorum & monachorum, ad finem, quod non fiat novitas in eis.*

c Supplem. pag. 436.

Ultra alpes delegaverat Thomas cardinalis Bartholomæum Gorgonensem, & Dionysium sancti Torpetis præpositum, ut vidimus anno antecedenti; & ex archivo Cartusiæ prope Pisas constat *tertio idus martii indictione* IV. *anno* M. CCC. LXXXI. *secundum cursum & consuetudinem notariorum Pisanæ civitatis*, hoc est anno præsenti etiam Romano, eosdem visitatores Pisas accedentes, cum reperiissent monasterium sancti Frigdiani ejus urbis abbate carere per translationem Laurentii olim abbatis ad Uranense cœnobium, facultate suæ delegationis elegisse in abbatem sancti Frigdiani Stephanum Richomani de Florentia ex priore claustrali di-

cti

cti monasterii. Quam postremam paginam ad Appendicem remittimus, quia in ipsa electionis charta inseruntur tum Urbani VI. literæ ad Thomam cardinalem, tum Thomæ literæ ad præfatos suos delegatos commissarios & visitatores.

Dum hæc agerentur, extremum diem clausit ipse Thomas in Urbe, sepultus ante sacellum beatæ virginis Mariæ de Aracœli, ut indicat inscriptio, quæ fere exolevit, in qua tamen hæc verba leguntur: *Mille currentibus annis tercentis quater vicenis unoque juncto*. Constat ex his actibus Thomam cardinalem episcopum Tusculanum fuisse, quem Ughellius in iis episcopis non recenset; ejus laudes prædicat Wadingus; conciliator præsertim fuit pacis anno 1372. Venetos inter & Carrarienses dominos, ut testis est etiam Dandulus. Obtinuerat ipse Thomas jam ab anno 1374. die XXIX. januarii a Gregorio XI. facultatem visitandi omnia monasteria *etiam Camaldulensia* suæ provinciæ. Similem concessit post biennium hoc est anno 1383. die XXX. aprilis Urbano patriarchæ ejus successori Urbanus papa VI. quoad monasteria sanctimonialium, quorum Romanorum pontificum literas ex archivo patriarchali Venetiarum publici juris fecit idem Cl. senator Flaminius Cornelius [a].

a *Decad. IV. pag* 123. & *seqq.*

XXV. Alter visitator post illius mortem Nicolaus Caracciolus cardinalis.

Subrogatus ad visitatoris Camaldulensium monasteriorum munus implendum Nicolaus cardinalis tituli sancti Ciriaci ex Caracciola gente & ex ordine Prædicatorum, mandavit Johanni priori Camaldulensi ceterisque prælatis, ne pendente visitatione per se vel per suos deputatos facienda aliquid interea innovaretur in provisionibus beneficiorum, nullus sine sui expressa licentia curiam Romanam adire tentaret, nulla collecta ordini vel monasterio alicui imponeretur, sed quisquis in residentia propriorum monasteriorum visitationem expectaret & reciperet. Aliqua de cardinalis Nicolai reformatione dicemus annis sequentibus.

Idem Romanus pontifex Urbanus VI. anno pontificatus sui quarto, decimo kalendas augusti commisit abbatibus sancti Salvatoris Camalduli Florentini, & Montis-scalaris congregationis Vallis-umbrosæ, & plebano plebis sancti Johannis de Greti Florentinæ, Fesulanæ & Pistoriensis diœcesum, ut forent perpetui conservatores privilegiorum & jurium monasterii sancti Baronti ordinis sancti Benedicti diœcesis Pistoriensis.

XXVI. Collatio aliquarum ecclesiarum.

Die quinta-decima julii destituta ad plures annos rectore ecclesia sanctorum Bartholomæi & Luciæ de Camprena plebatus Partinæ Arretinæ diœcesis, ita quod ipsius collatio & provisio ad sedem apostolicam devoluta diceretur, Christophorus de Prato-veteri prior sancti Nicolai de Carnario, uti cameræ apostolicæ in Fesulano & Arretino episcopatibus subcollector, & commissarius Jacobi Narniensis episcopi nuntii apostolici & generalis collectoris præfatam ecclesiam & jura ejusdem locavit Johanni priori Camaldulensi; ex tabulario Fontis-boni [b].

b §. *Locatio*.

Raymundus episcopus Patavinus adjunxit monasterio sanctæ Mariæ ad Carceres hospitale sancti Danielis ejusdem urbis deputatum ad tenendam hospitalitatem pauperum dietim supervenientium; idque egit voluntate capituli sui, archipresbyteri & canonicorum majoris ecclesiæ Paduanæ publico instrumento scripto sub signo & nomine Mundi quondam Dominici de Padua de contrata Domi publici notarii & officialis cancellariæ præfati Raymundi episcopi anno M.CCC.LXXXI. indictione quarta die jovis quinto mensis septembris.

Ambrosius prior ad Vivum contulit hospitale sancti Benedicti de Canneto prope Montem-politianum Petro Johannis Medicis monacho Camaldulensi, ex archivo [c] Rosæ Senarum, ex quo [d] etiam novimus Hieronymum abba-

c *Num.* 242.
d *Num.* 61.

Ann. Chr. 1381. abbatem Adelmensem vicarium Johannis prioris generalis Camaldulensis arbitrum electum ad differentias componendas inter eumdem Ambrosium priorem eremi ad Vivum, & inter Orlandum abbatem sancti Petri in Campo decrevisse non esse molestandum dictum abbatem ab eodem priore, sed subesse dumtaxat correctioni & visitationi prioris generalis. Actum in monasterio sancti Zenonis; manu Leonardi olim Francisci de Castellione Arretino.

Ann. Chr. 1382.
XXVII.
Monasterium Montis-crucum reformandum datur Camaldulensibus.

IDem Raymundus Patavinus antistes, de quo mox diximus, utpote qui per hæc tempora omnia monasteria congregationis sancti Benedicti, quæ dicebatur Patavina, monachorum alborum, reformanda tradebat monachis vel antiquiorum congregationum, vel florentioris disciplinæ, & ante biennium cœnobium Vendanum cum suis adnexis congregationi ascetarum Montis-oliveti addixerat, præsenti anno die decima-septima februarii, consentiente capitulo canonicorum suorum, donavit, subjecitque congregationi Camaldulensi & Johanni priori generali monasterium sanctæ Mariæ Montis-crucum suæ diœcesis, quod propriis impensis reformare & ad regularem statum redigere, eo quod erat multipliciter desolatum, intendebat, transferendo ipsum ejusque bona in proprietatem eremi Camaldulensis, jura omnia episcopo debita remittendo, itaut de cetero monasterium hocce sortiretur eamdem naturam Camaldulensis eremi. De insignibus prioribus ejus cœnobii aliqua inspersimus seculo antecedenti his Annalibus, conjecimusque ad annum 1284. ipsum vel eo tempore disciplinæ Camaldulensi manum dedisse. Sed benefico diplomate Raymundus episcopus ipsum hoc anno affatim Camaldulensibus cessit; quare die octava martii Paulus abbas sancti Michaelis de Muriano tamquam sindicus Johannis præsidis generalis & eremitarum Camaldulensium, manu Viviani Andreæ de sancta Eulalia notarii, de mandato dicti episcopi, inductus fuit in corporalem possessionem ejusdem monasterii. Die vero vigesima martii Franciscus de Carraria dictus Heroum, & dominus Paduæ ac capitaneus, tamquam patronus dicti monasterii, quod ejusdem Francisci progenitores fundaverant & dotaverant bonis, sciens dictam donationem, eam approbavit, ac nomen familiæ suæ de Carraria, quod *ex antiquitatis crossitie* omissum fuerat, deinceps præfato monasterio indidit, ac vocari voluit sanctæ Mariæ de Carraria in Monte-crucum, & monachos, qui inibi in futurum habitarent, liberavit & exemit ab omnibus datiis & collectis de gravaminibus realibus & personalibus ac mixtis, quæ per ipsum vel per commune Paduæ imponi possent; manu Bardini-angeli de Biazzis de Padua notarii. Generalis vicarius ejusdem Raymundi Patavini episcopi erat Petrus de Montagnana licentiatus in jure canonico, & prior sanctæ Mariæ ad Carceres, qui etiam legitur sub anno præsenti indictione quinta ad diem secundam novembris in paginis Patavinis ex collectione Brunatii [a]. Fallitur igitur Guido Pancirolus, qui libro III. cap. 28. *de claris legum interpretibus* scribit Petrum a Montagnana cœnobii Carcerum priorem Decretum interpretatum fuisse in Patavino gymnasio anno Domini circiter 1480. Re enim vera Petrus refertur in matricula secunda doctorum Patavinorum utriusque juris ab anno 1300. ad annum 1444. & deficit ipsius nomen in matricula sequenti ab anno 1444. apud Angelum Portenarium libro septimo capite octavo libri, cui titulus: *Felicità di Padova*. Errat præsertim Pancirolus cum Petrum declinante seculo XV. floruisse affirmet, & collegam postea ipsum faciat Francisci Zabarellæ, qui certe vivebat ad finem seculi XIV. & initiis

[a] Pag. 2009.

tiis

tiis seculi sequentis, cujus anno 1410. episcopus factus fuit ecclesiæ Florentinæ, & anno subsequenti S. R. E. cardinalis.

ANN. CHR. 1382.

XXVIII. Apostolica auctoritate Jacobus de Padua fit vicarius generalis ordinis.

TEMPORE apostolicæ visitationis, de qua annis præcedentibus, aliqua minus regularia in monasteriis Camaldulensibus sublata fuere. Ea provenerant partim ex infelicis hujus seculi conditione, partim etiam ex ingenita humana imbecillitate, demum quoque ex decrepita ætate Johannis præsidis generalis. Quare attenta ejus longævitate Urbanus papa VI. die vigesima-quarta maji hujus anni [a] Jacobum de Padua suo speciali brevi deputavit in vicarium generalem congregationis Camaldulensis, & in coadjutorem Johannis senio & debilitate attriti, ita tamen ut Johannes honeste tractaretur, sed ab omnibus prælatis obedientia vicario generali præstaretur. De hoc magistratu in Camaldulensem familiam apostolica auctoritate invecto extant consilia in jure Laurentii de Pinu & Gasparis de Calderinis decretorum doctorum libro primo [b] Consiliorum mss. bibliothecæ eremi Camaldulensis. Sed novum non erat in congregatione hujus vicariatus officium. Seculo præcedenti anno 1261. Jacobus pœnitentiarius prior Camaldulensis Bartholomæum priorem Camalduli Florentini in vicarium generalem ordinis elegerat. Ipse Johannes ante quinquennium Dominicum monachum de Vivo constituerat in suum generalem vicarium. Occasio itaque consulendi doctores ea fuerit, quia apostolica auctoritate transferebatur in vicarium generalem regimen ordinis absque dependentia a priore generali. Jacobus de Padua hoc anno vicarius ab Urbano destinatus monachus olim fuerat sanctæ Mariæ de Monte-oliveto & prior sanctæ Mariæ de Monte-murcino prope Perusium. Inter postulatos anno 1371. ab Andrea abbate Montis-casini apud Lancellottum numerabatur Jacobus de Padua monachus Montis-oliveti; an commigraverit Jacobus Montem-casinum, idem monasterium cum Andrea abbate reformaturus, ignoramus; certum est ipsum Jacobum anno 1379. ex delegatione pontificia unum fuisse ex visitatoribus ordinis Camaldulensis, pauloque post aliis literis pontificiis obtinuisse ab eodem Romano pontifice Urbano VI. transitum ex Olivetana ad Camaldulensem familiam. Ad ipsum, dum adhuc inter Montis-oliveti cultores degeret, & prioris officio in Florentino Montis-oliveti monasterio fungeretur, extat Catharinæ Senensis epistola numero LXXIX. novæ editionis. De eodem alia in medium proferemus annis sequentibus. Altera ejusdem sacræ virginis epistola numero CC.XXIV. scripta fuit ad Laurentium de Pinu decretorum doctorem, quem pro vicariatus officio consultum diximus ab eremitis Camaldulensibus, & in scriptis consilium suum dedisse.

[a] §. *Notabilia* 40. *A.* 1. 52.

[b] *Pag.* 52.

XXIX. Compositæ differentiæ inter Johannem priorem generalem, & inter abbatem S. Zenonis Pisarum.

OBTINUERAT Johannes præses generalis ad plures annos in commendam monasterium sancti Zenonis Pisarum usque ad annum 1380. quo Urbanus VI. ipsum tamquam vacans contulerat Romualdo monacho Camaldulensi. Plures quæstiones Johannem inter & Romualdum exortæ fuerant, quarum arbiter & compromissarius electus fuit Benedictus filius Petri de Gambacurtis capitanei Pisarum, qui die vigesima-prima aprilis hujus anni M.CCC.LXXXIII. stilo Pisano lites omnes sopivit, decernens [c], ut Romualdus abbas de cetero subjectionem & obedientiam præstaret Johanni priori, & Johannes Romualdum fraterna caritate diligeret, debita contracta per Johannem priorem a Romualdo abbate extinguerentur, & camerarius generalis ordinis ex collectis quamdam pecuniæ summam abbati persolveret pro expensis ab ipso factis; manu Francisci quondam Jacobi de Vico notarii.

[c] §. *Sententia* 15. *A.* 15. 187.

XXX. Statuta castri Moggionæ approbata a Florentina repu-blica.

DIE vigesima octobris edita fuere statuta & leges municipales communis

Ann. Chr. 1382. munis hominum castri Moggionæ & pertinentiarum domus Camaldulensis per viros deputatos ab eodem Johanne generali præside, quæ statuta disposita fuere in quatuor partes cum suis rubricis, & comprehensa foliis decem & septem pecudineis; Rata ipsa habuit idem Johannes, & publicari præcepit in generali congregatione dictorum hominum in ecclesia ejusdem communis, scripta manu Andreæ de Loro notarii & scribæ Matthæi Jacobi camerarii Camaldulensis, Guidonis Ducciarini, & Mati Vitæ de Moggiona, quibus statutorum editio commissa fuerat; approbata quoque fuere a vicario Thomasii Ghinghii civis Florentini & potestatis Biblenæ pro communi Florentino; demum roborata & confirmata a deputatis communis Florentiæ die vigesima novembris manu Lapi quondam Mazæi de Prato notarii Florentini, & subscripta per Colucium quondam Pierii Colucii de Stignano cancellarium reipublicæ Florentinæ.

Siquidem eo mense „ Guido Thomasini civis Florentinus & frater „ Matthæus Jacobi conversus Camaldulensis sindici Johannis prioris & „ eremitarum ac monachorum, atque vice & nomine communis & homi„ num de Moggiona fidelium & subditorum eremi Camaldulensis preces „ & petitionem coram prioribus artium & vexillifero justitiæ populi Flo„ rentini exhibuerunt, ut in recommendisiam & protectionem dignaren„ tur accipere præfatos priorem, eremitas, & homines villæ de Mog„ giona, aliorumque dictæ eremi locorum, nec non territorium, loca & „ villam prædictam, in quibus commorabantur, quæ vicinorum & ini„ quorum hominum injuriis & vexationibus adeo erant exposita, ut me„ tuerent magis in futurum vexari, nisi potentia Florentini populi de„ fenderentur. Non enim modicum præsidii ac defensionis juvamen jam„ dudum ex anno 1339. retulerant, vel solis ipsius reipublicæ Florenti„ næ literis commendatitiis, quasi sub ejus protectione tunc essent. Ita„ que septem capita ejusmodi recommendisiæ proposuerunt, illudque præ„ cipue, quod in ejusdem signum annuatim offerretur per sindicum prio„ ris, eremitarum, & hominum de Moggiona cereus in die festo sancti „ Johannis-baptistæ mense junio ad altare ecclesiæ ejusdem sancti. Hoc „ insuper addito, quod per supradicta vel per alia quæcumque ordina„ menta sive decreta communis Florentiæ hactenus edita sive in futurum „ edenda nullatenus derogatum censeretur favori, ac juribus priori & „ eremitis quomodolibet competentibus in locis & personis supradictis: „ Ea igitur in omnibus & per omnia priores & vexillifer justitiæ solle„ mni habita deliberatione cum confaloneriis & hominibus populi Flo„ rentini comprobata admiserunt, & executioni mandari, atque in fu„ turum observari stabilierunt & decreverunt;" manu Ser Bini quondam Scarfagni notarii de Prato notarii.

At cujus naturæ esset, quidve importaret ista recommendisia, referendum committitur anno 1443. Thomasio de Salvettis & Dominico de Martellis legum doctoribus, qui retulerunt sacram eremum Camaldulensem, monasterium Fontis-boni, eorumque membra, sive abbatiam Prataliæ, castrum Moggionæ, & territorium Camaldulense nullo modo esse sub dominio Florentino ejusque statu, sed tantum populo & dominio recommendata, neque ideo subjecta atque obnoxia impositionibus & oneribus imponendis per ipsum commune Florentinum. Quibus itidem consiliis & capitulis recommendisiæ visis & approbatis anno 1446. priores artium & vexillifer cum collegiis & officialibus gabellæ communis Florentiæ deliberaverunt nullas imposterum deberi gabellas portarum sive transitus de bonis ad eremum & loca ejus pertinentibus & necessariis priori

& ere-

& eremitis familiæ Casentini ex quavis mundi parte per districtum & comitatum Florentiæ ducendis sive reducendis; manu Thomasii de Moscardis notarii. Idem approbatum anno 1495. manu Johannis Gerardi notarii, & annis 1496. & 1499. post perpensa Laurentii de Ridolfis, Dominici de Bonsis, Angeli de Nicolinis, Antonii de Malegonellis, & Puccii de Pucciis doctorum consilia; idem confirmatum privilegio magni ducis Cosmi de Medicis anno 1540. & diplomatibus successorum Ducum, novissimo etiam anni 1724. Johannis Gastonis Magni Ducis privilegio.

ANN. CHR. 1382.

XXXI. Ædificatio monasterii S. Catharinæ de Fabriano.

SECUNDUS Lancellottus in historia sua Mont-olivetana [a] origines declaraturus monasterii sanctæ Catharinæ de Fabriano, quod ad hodiernam diem incolunt monachi ejus congregationis, scribit „ circa annum „ humanæ salutis 1300. (profecto seculo XIV. dicere maluit) Johan„ nem Fabrianensem, monachum Silvestrinæ congregationis ad Montem„ fanum duo circiter millia passuum a Fabriano distantem studio melioris „ vitæ incensum, secessum aliquem a summo cœnobiarcha, Deo commodius, „ quam cum ceteris liceret, vacaturum petiisse. Voti compotem fa„ ctum accepisse prioratum sancti Laurentii de Laureto in Santanatolien„ si, sancti Antonii ibidem, sanctæ Catharinæ de Brucettis sub Fabria„ num, sanctæ Mariæ Vallis-pauperis de Camerino, & sancti Antonii de „ Gualdo, ex his ecclesiam sanctæ Catharinæ comparando sibi domicilio „ idoneam existimasse. Verum cum nec sibi eo in loco ex quotidianis „ illorum temporum incursionibus præliisque pro voto ac religione com„ morandum videretur, ab eo, qui apud Camertes episcopum agebat, „ Benedicto Fabrianensi, & a monachis sancti Blasii (nescit Lancellot„ tus cur ab iis?) impetrasse, ut ubi Castrum vetus situm est, eo san„ ctæ Catharinæ ecclesiam transferret in quasdam domos, quibus a fe„ mina quadam comitissa filia Ranaldi Rigocii donatus fuerat, atque ita „ præstitit XII. kalendas martii, quo die ceneralia agebantur a Christo „ nato 1392. in sanctæ Catharinæ honorem templum inchoavit, tanta„ que solertia & industria usus, ut non modo paucos intra menses ab„ solverit, sed etiam haud exiguo monachorum numero ædibus prope „ excitatis supremum fastigium absolverit. “ Hæc, quæ obscure protulit Lancellottus, ad veterum paginarum veritatem, quas exscripsimus ex tabulario sancti Romualdi de Urbe [b], & subjungimus, clarius & tutius lumen recipiunt.

[a] Pag. 175.

[b] Fascic. XV. n. 18.

In Dei nomine amen; Anno Domini millesimo tricentesimo octuagesimo secundo indictione quinta, tempore domini Urbani pape sexti die vigesimasecunda mensis januarii, Fabriani in ecclesia sancti Blaxii de Fabriano membro monasterii sancti Victoris de Clusis Camerinensis diocesis & districtus Fabriani, presentibus domno Stephano Bene, & domno Antonio Matthei de Fabriano testibus rogatis, scilicet: Appareat evidenter, quod adunato in dicto loco ad sonum campanelle, ut moris est, capitulo & conventu monasterii sancti Victoris predicti, de mandato religiosi viri domni Jacobi Datadei de Fabriano abbatis dicti monasterii, infrascripti representantes majorem partem dicti capituli, ut asseruerunt, quorum monachorum nomina sunt hec, videlicet domnus Federicus Corradi, domnus Johannes Vagnoli, domnus Andreas Deutesalvi, & domnus Johannes Laurentii de Fabriano, ipse domnus abbas & monachi suprascripti unanimiter & concorditer sibi ipsis concorditer auctorantes & consentientes, ipsorum nemine discordante, nomine & vice dicti monasterii sancti Victoris & dicte ecclesie sancti Blaxii membri dicti monasterii dederunt & concesserunt plenam & liberam licentiam perpetuis temporibus valituram venerabili viro fratri Johan-

Ann. Chr. 1382. *Johanni Bartholomei de Fabriano priori ecclesie sancti Laurentii de Lavareto districtus sancte Anatholie Camerinensis diocesis ibidem presenti, & petenti edificandi & construendi & edificari & construi faciendi de novo ecclesiam sub vocabulo sancte Catharine in terra Fabriani in quarterio castri veteris super terreno olim domini Raynaldi domini Rigotii de Corradis de Fabriano sito in dicto quarterio castri veteris, juxta viam a pluribus lateribus, & heredes Nutii domini Bertholdi, & Petri olim Nelli Andreutii, & virorum nobilium de Farrationibus de Fabriano, vel alia latera, & quod terrenum est positum infra parochiam dicte ecclesie sancti Blaxii, ut asseritur, non obstante predictum terrenum contineatur & includatur sub parochia predicta dicte ecclesie sancti Blaxii. Quam quidem licentiam predictus abbas & monachi semper valere voluerunt, & firmam esse. Et promisit per se & suos in posterum successores dicto domno priori stipulanti & recipienti nomine & vice dicte ecclesie sancte Catharine, & dicti sancti Laurentii dictam licentiam semper ratam & firmam habere & tenere, & observare, eamque non revocare, seu contra eam non facere, vel venire jure aliquo, sive colore quesito, sub hypotheca & obligatione bonorum dicti monasterii atque sub obligatione bonorum dicte ecclesie sancti Blaxii* &c.

Et ego Augustinus Matthei de Fabriano imperiali auctoritate notarius predictis omnibus interfui & ea rogatus scribere scripsi & publicavi.

En cur licentiam ædificandi ecclesiam sanctæ Catharinæ a monachis sancti Blasii exquisierit & obtinuerit Johannes Fabrianensis, cujus etiam tempora claro documento tenemus. Etiam ad annum 1388. Johannis prioris sanctæ Catharinæ de Fabriano nomen occurrit in tabulario dicti prioratus, nunc abbatiæ. De pluribus acquisitionibus factis a monachis sanctæ Catharinæ, ac de ipsorum litibus & compositionibus cum aliis monachis sancti Blasii agemus suis annis. Alterum diploma existit in archivo præfati monasterii sancti Blasii, & ex eo addiscimus Urbanum VI. ex Viterbio XVII. kalendas octobris pontificatus sui anno quinto, hoc est anno præsenti, vacanti cœnobio sancti Christophori de Castro-durante Urbinatis diœcesis & ordinis sancti Benedicti per mortem Angeli postremi abbatis præfecisse alterum Angelum Vannis de Civitate-castelli monachum sanctæ Catharinæ de Fabriano ordinis sancti Benedicti Camerinensis diœcesis; forte Angelus fuit monachus ejus sanctæ Catharinæ cœnobii, quod præexistebat ante novam ejusdem nominis monasterii constructionem, ut innuere videtur idem Lancellottus.

XXXII. Testamentum Richardi comitis de Prata.

Testamentarias tabulas condidit hoc anno M. CCC. LXXXII. indictione V. die X. septembris comes Richardus quondam egregii viri Maynardi comitis de Prata, præsentibus fratre Daniele præceptore ecclesiæ sancti Johannis de Prata, Paulo priore sancti Martini-rupti, & Nicolao comite de Porcilia aliisque testibus. Jussit corpus suum sepeliri in præfata ecclesia sancti Johannis, cui legata reliquit, item ecclesiæ sanctæ Mariæ de Battutis, ecclesiæ sancti Jacobi, ecclesiæ sanctæ Luciæ, ecclesiæ sancti Simeonis, & ecclesiæ sancti Martini-rupti, quæ ad Camaldulenses pertinebat. Johannem & Albertum filios suos hæredes omnium suorum bonorum reliquit, socerum suum Nicolaum comitem de Porcilia, & Johannem militem & comitem de Prata, ac Jacobinam ejus uxorem tutores & testamenti executores statuens. Integras tabulas ex archivo sancti Mathiæ de Muriano ad Appendicem remittimus ad illustrationem ecclesiarum & ditionis nobilium comitum de Prata, quarum parvæ ad diem hanc reliquiæ supersunt.

Legi-

Legitur in libro *Obligationum* Michaelem abbatem monasterii de Orticaria, alias Discalceatorum, prope Pisas ordinis Camaldulensis, alias sancti Benedicti, promisisse die quinta decembris pro communi servitio centum-quinquaginta Florenos. An monasterium hocce disciplinam Camaldulensem susceperat per hæc tempora? Pulsanenses antehac ibidem degebant. Ann. Chr. 1382.

Deficiente Simone Borsano cardinale Mediolanense & protectore congregationis Camaldulensis ad partes Clementis VII. antipapæ, ac paulopost defuncto in ejus obedientia, Camaldulenses primores elegerunt sibi in ordinis protectorem Nicolaum Misquinum ex Carracciola familia ordinis Prædicatorum & S. R. E. cardinalem presbyterum tituli sancti Ciriaci, qui assumpta commendatione Camaldulensis ordinis, confirmatoque in vicarium generalem, & in Johannis coadjutorem Jacobo Patavino, partes egit protectoris, visitatoris, reformatoris & correctoris ejus congregationis. Hoc ipso anno Hieronymum Ægidii de Florentia abbatem sanctæ Mariæ de Adelmo licentiatum in jure canonico, & qui insuper appellatur Ludovici Donati cardinalis Venetiarum tituli sancti Marci auditor, constituit cardinalis Nicolaus in procuratorem generalem, camerarium, collectorem & exactorem omnium impositionum capitulorum generalium, prioris, & vicarii generalis auctoritate factarum & fiendarum in toto ordine, cum potestate subdelegandi. Datæ sunt literæ ex Urbe anno M.CCC.LXXX.III. indictione VI. die IV. mensis julii pontificatus Urbani papæ VI. anno VI. præsentibus Antonio episcopo Theanense & Augustino de Arimino ordinis fratrum Prædicatorum. Substituit autem Hieronymus abbas Adelmensis pro se Nicolaum de Florentia abbatem sanctæ Mariæ de Toma, & Matthæum de Senis priorem sanctæ Margaritæ de Tosina. Actum in monasterio sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia, præsentibus Johanne Nerii priore ejus cœnobii, Michaele Ghibertii subpriore, Hieronymo Lapi, Francisco Fedi (is confessarius fuerat beati Silvestri) aliisque die sexta octobris. Ughellius[a] mentionem facit Antonii episcopi Theanensis ad annum dumtaxat 1388. Johannem quemdam antipapæ Clementis VII. sectatorem ante ipsum Antonium episcopum faciens ejus urbis.

Ann. Chr. 1383. XXXIII. Nicolaus Caracciolus cardinalis protector & reformator ord. Camaldulensis.

[a] T. VI. col. 571.

Urbanus VI. die nona junii[b] episcopo Imolensi & Hieronymo abbati Adelmensi commisit, ut inducerent in possessionem prioratus sanctorum Catharinæ & Eustachii de Imola Nicolaum Gratiæ de Florentia. Datum Romæ pontificatus anno VI. Ex Tibure idem Romanus pontifex octavo kalendas augusti pontificatus sui anno sexto facultatem fecit abbatibus, prioribus & monachis utriusque sexus Camaldulensis ordinis eligendi sibi confessarium, qui in mortis articulo plenam remissionem confitentibus impartiretur. Subjungitur forma absolutionis ab omnibus peccatis & excommunicationibus ex tabulario nostro sancti Michaelis de Muriano, quæ est hujusmodi.

XXXIV. Bullæ Urban VI. pro Camaldulensibus.

[b] Ibid. 15. A. 4. 21.

† *Urbanus episcopus servus servorum Dei dilectis in Christo filiis universis abbatibus, prioribus & monachis ceterisque personis professis utriusque sexus Camaldulensis ordinis salutem & apostolicam benedictionem. Provenit ex vestre devotionis affectu, quo nos & ecclesiam Romanam reveremini, ut petitiones vestras illas, presertim que animarum salutem respiciunt, ad exauditionis gratiam admittamus. Hinc est, quod vestris supplicationibus inclinati, ut confessor, quem quilibet vestrum duxerit eligendum, omnium peccatorum vestrorum, de quibus corde contriti & ore confessi fueritis,*

Ann. Chr. 1383. *ritis, semel tantum in mortis articulo plenam remissionem vobis in sinceritate fidei & unitate sancte Romane ecclesie, ac obedientia & devotione nostra vel successorum nostrorum Romanorum pontificum canonice intrantium persistentibus auctoritate apostolica concedere valeat devotioni vestre, tenore presentium indulgemus. Sic tamen, quod confessor de his, de quibus alteri fuerit satisfactio impendenda, eam vobis, si supervixerit, vel per alios, si tunc forte transierit, faciendam injungat, quam vos vel alii facere teneamini, ut prefertur. Et ne, quod absit, propter hujusmodi gratiam reddamus vos procliviores ad illicita in posterum facienda seu committenda, volumus, quod si ex confidentia remissionis hujusmodi aliqua forte committentur, quod ad illa predicta remissio vobis nullatenus suffragetur. Nulli ergo &c. Datum Tybure* VIII. *kl. augusti pontificatus nostri anno sexto.*

Statim lecto privilegio sacerdos debet facere infrascriptam absolutionem super infirmum de omnibus peccatis & de omni excommunicatione.

Auctoritate Dei omnipotentis suis vicariis Petro & aliis delegata, & mihi per Urbanum pontificem commissa, absolvo te ab omni sententia excommunicationis, suspensionis, & interdicti, si quam predictarum incurristi, & a participatione excommunicatorum & interdictorum, si tenetis, & restituo te in sacramentis ecclesie cum communitate fidelium. In nomine † Patris, & † Filii, & Spiritus † sancti, amen.

Item absolvo te ab omnibus peccatis tuis, que confessus es & contritus, & de omnibus, que oblitus es, & libenter confitereris, & condigne contritus esses, si tue memorie occurrerent, & a circumstantiis eorum, auctoritate predicta tribuens tibi plenissimam indulgentiam omnium peccatorum tuorum predictorum, quantum claves ecclesie se extendunt, & restituo te in illa pueritia & in illa essentia, & in illo statu & gradu, quando baptizatus fuisti, & restituo te in sanctis sacramentis ecclesie per Dei largifluam pietatem. In nomine † Patris & † Filii & Spiritus † sancti, amen. Pax Christi sit tecum amen. Dominus noster Jesus Christus det tibi tolerantiam & patientiam, amen.

XXXV. De ecclesia S. Petri Aquæductii in territorio Auximano.

Rectore destituta ecclesia seu prioratu sancti Petri Aquæ-ductii ad Aquam-vivam territorii urbis Auximanæ per mortem Marini Justini de Tolentino monachi eremi Suaviciniæ Camerinensis diœcesis, ad quam eremum pertinebat electio successoris, Johannes Lippi Comitis de Sanctoseverino prior dictæ eremi, consentientibus monachis suis, & etiam rectoribus ecclesiarum sanctæ Felicitæ de Piro & sancti Salvatoris, qui similiter erant monachi ejusdem eremi, elegit hoc anno in rectorem supradicti prioratus fratrem Bartholomæum monachum suum, qui se sistere deberet pro confirmatione coram Petro episcopo Auximano. Quinquennium rexit eam ecclesiam Bartholomæus, eoque defuncto anno 1388. præfatus prior Suaviciniæ die octava octobris elegit in ejus successorem Benvenutum Petri Cecchi canonicum Auximanum. Verum huic electioni oppositum est, quod Benvenutus esset clericus secularis, & minor viginti-quinque annorum, & insuper quod ob bellorum desolationes nullus amplius supererat parœcianus in territorio ejus ecclesiæ. Cum autem dictus prioratus esset beneficium monasticum, & per monachos regi consuetum regulariter, & esset dignitas, ac sic communiter reputaretur & nominaretur, statutum fuit electionem præfatam esse irritandam. Quare deinceps neque providentibus monachis, nec aliquid contra objecta reponentibus, idem Petrus episcopus beneficium hocce ad se devolutum existimans, ipsum contulit fratri Ugoni Auximano ordinis sancti Francisci & episcopo Serthiensi die trigesima octobris ejusdem anni, collationis

char-

chartam rogante Angelo Vannis notario episcopatus; cui episcopo Ugoni Auximanus idem antistes ecclesiam quoque parœcialem sanctæ Trinitatis intra urbem antea contulerat, ne mendicare cogeretur. Ann. Chr. 1383.

XXXVI. Camaldulenses reficiunt ecclesiam S. Jo: baptistæ de Clodia.

Bello Clodiensi ante quadriennium Venetos inter & Januenses æstuante, destructa soloque æquata fuerant ecclesia & monasterium sancti Johannis-baptistæ ordinis Camaldulensis, quæ extra urbem Clodiensem, in loco dicto *Calix major*, exsurgebant. Quare Antonius Venerius Venetorum dux monachis Clodiensibus copiam fecit, ut interim, dum novæ ædes ædificarentur vel repararentur, fas ipsis foret commorari in monasterio & ecclesia sanctæ Claræ. Renovatum fuit postea monasterium cum templo; narratque Petrus Morarius episcopus Justinopolitanus in patria ms. Clodiense historia priorem hujus loci novi anno 1410. humilem principi Venetiarum libellum obtulisse, ut sollemnis supplicatio, quæ quotannis a civibus Clodiensibus fiebat ad cathedralem ecclesiam die vigesima-quarta junii natalitia sancti Johannis-baptistæ, pro gratiarum actione, quod urbem Deus a jugo Januensium liberasset anno 1381. deinceps fieret ad novam sancto Johanni-baptistæ dicatam Camaldulensium ecclesiam, principemque piæ petitioni annuisse, publicasque gratias deinde relatas fuisse in eodem templo, quod sancto præcursori sacratum fuerat.

Supradictus dux Venetiarum Venerius Jacobo priori & monachis sancti Mathiæ, quibus subjiciebatur præfata ecclesia Clodiensis, indulsit, ut fundamentum latum, sive ripam possent construere prope suum monasterium in paludibus, ad majus ibidem adventantium commodum, mandans rei executionem Petro Pisani potestati Muriani juxta decreta Senatus & Consiliorum majoris & minoris. Data in ducali palatio die penultima decembris indictione VI. hujus desinentis anni.

XXXVII. Pestis in urbe Pisana. Monasterium Arcus Senarum desolatum.

Cum pestis desæviret hoc anno in urbe Pisana, a Romano pontifice Urbano VI. facultatem expetierunt & obtinuerunt cives ejus urbis transferendi ex Castillione-Piscariæ ad urbem suam sacra lipsana corporis sancti Guillielmi eremitæ & confessoris, quæ ibidem colebantur. Die quarta maji capsa reliquiarum pervenit Pisas, & viginti dierum spatio supplicante populo sacrum corpus per urbem delatum fuit, cujus pietatis & religionis remedio placata est ira Dei, & pestilentia cessavit, ac iterum Castellionem fuit relatum sacrum pignus, ut fuse narrat in suis memoriis Pisanis Paulus Troncia.

Monasterium appellatum Arcus & etiam sanctæ Mustiolæ urbis Senarum, ad quod seculo præterito ex concessione apostolica se reduxerant monachi Vivenses, ad miserabilem statum per hæc tempora tum propter injurias bellorum, tum propter impositionum gravamina redactum erat, adeout necesse fuerit monachos loco cedere; quare monasterii forma sublata, unus tantum in ipso institutus fuit de cetero parochus, qui curam subjectarum animarum expleret.

XXXVIII. Obitus Gabrielis episcopi Eugubini.

Gabriel episcopus Eugubinus patriam Carolo Dyracchii duci pro Romano pontifice regendam tradiderat anno 1380. octavo idus septembris, quo die Carolus civitatem ingressus est, sed die postero excessit, in sui locum civitati gubernandæ Raymundum Ptolomæum Senensem præficiens. Initio anni sequentis dominandi cupidus idem Gabriel urbem Carolo eripuerat, & tyranni ad instar regebat. Verum reformidans hoc nomen, simul etiam ut securitati imperii consuleret, summo studio egit, ut Eugubinæ civitatis vicarius ipse a Romano pontifice diceretur, quo nomine, subdit Sartius [a], honestari mos erat eorum tyrannidem, qui civitates aliaque loca pontificiæ ditionis occupabant. Eo titulo effertur in

[a] *Pag.* 200.

Ann. Chr. 1383. pagina hujus anni nonis februarii confecta pro firmanda pace inter Gualdenses & Eugubinos, ubi leguntur adfuisse Nicolellus Lundulfi filius, & Gabriel episcopus pro sancta sede vicarius. Sed cum ne ea quidem ratione populares motus cohibere posset, civitatem populo tradidit, pactis quinque mille aureis ad diem solvendis, sibique retentis duobus totius Eugubini territorii munitioribus castris Cantiano & Serra-sancti-Abundii, ea insuper conditione adjecta, ut sibi præsidium in arce Eugubina habere liceret, quoad pacta sibi pecunia solveretur. Iis ab eo gestis Cantianum concessit, ibique paulopost & anno præsenti peste sublatus est, vir bellica virtute & civili prudentia illustrior, quam studio procurandæ & amplificandæ religionis, quæ sunt episcopi partes. Arguit deinde Sartius Bernium, qui Gabrielem obiisse scribit anno sequenti, dum e contra in tabulis Eugubinis ut mortuus effertur ad mensem septembris hujus anni, Matthæus Villanius pro Gabriele Jacobum nominat.

Augustinus abbas sancti Petri de Rota Arretinæ diœcesis promisit die trigesima-prima martii pro communi servitio sexaginta-sex Florenos ex libro *Obligationum*.

Ann. Chr. 1384.

XXXIX.

Monasterium Porciliæ unitum cum altero Montis-crucum, & datum Camaldulensibus.

Beneficus in Camaldulenses monachos Raymundus episcopus Patavinus, qui ante biennium donationis pagina aggregaverat eremo Camaldulensi monasterium Montis-crucum, hoc anno adjunxit cœnobio huic alterum monasterium sanctæ Mariæ de Porcilia, quod ad ea prope tempora semper sui juris fuerat, habitatum similiter a monachis albis ejusdem peculiaris congregationis ordinis sancti Benedicti; sed iis annis habitatoribus fere vacuum, tam in spiritualibus, quam in temporalibus subjiciebatur monasterio Montis-crucum. Re enim vera Porciliense cœnobium ad eam dejectionem devenerat, „ ut anno M. CCC. LXXI. indictione IX. die martis XII. mensis augusti in præsentia domini Bonaventuræ de Pulveraria archipresbyteri Estensis & vicarii generalis reverendissimi patris domini Heliæ electi episcopi Paduani comparuerit domnus Zaninus monachus professus monasterii fratrum sanctæ Mariæ de Porcilia ordinis sancti Benedicti & habitus albi legitimo priore carentis, qui totum capitulum dicti monasterii repræsentat, & in quo residet jus omne capituli ejusdem monasterii, cum nullus alius frater vel monachus ad præsens sit in dicto monasterio, comparuerit scilicet ad faciendam electionem sindicorum & defensorum ejusdem cœnobii; “ quod novimus ex pagina [a] monasterii sancti Michaelis de Muriano. Profecto mirari subit, quod monasterium illud caput fere congregationis Patavinæ, post alterum sancti Benedicti de Padua, & de cujus origine, virisque claris & cœlitum honore dignatis abunde differuimus suis annis, ut etiam de divisione monachorum a sanctimonialibus, his temporibus ad eam desolationem devenisset, & tamquam membrum capiti suppositum foret monasterio Montis-crucum. Decrevit itaque Raymundus episcopus, ut in cœnobio Montis-crucum institueretur collegium duodecim monachorum, quorum duo destinarentur habitaturi in monasterio Porciliensi, unumque corpus efficerent cœnobitæ dicti loci cum Porciliensibus, & utrobique vita & instituta ordinis Camaldulensis observarentur. Post quadriennium die VIII. octobris [b] Porciliense monasterium mandato Hieronymi prioris generalis Camaldulensis visitatum fuit a visitatoribus deputatis, & in actibus immediate subjectum dicitur cœnobio Montis-crucum de Carraria. Supradictam unionem fecit Raymundus ordinaria auctoritate de consensu capituli sui die XXV. maji [c], accipientibus possessionem monasterii

a *Capf.* XXXIV. *n.* 5.

b §. *Visitatio* 11. *A.* 4. 75.

c §. *Unio* 2. *A.* 433.

sterii Porciliensis vicario Johannis prioris generalis Camaldulensis, qui erat Paulus abbas sancti Michaelis de Muriano, & visitatoribus ordinis, qui manu Bartholi Nicolai notarii de Padua promiserunt præsidem generalem congregationis ceterosque eremitas ratam habituros hujusmodi unionem. Additur etiam in hac secunda pagina, quod Franciscus de Carraria septimus dominus Paduæ & capitaneus, religione sacræ eremi Camaldulensis & fama impulsus tradiderat cœnobium Porciliense Paulo abbati sancti Michaelis cum onere, ut quotannis una Missa pro animæ suæ refrigerio a cœnobitis celebraretur. ANN. CHR. 1384.

XL. Obit Paulus abbas S. Michaelis de Muriano. Sufficitur alter Paulus.

PAULUS mox nominatus abbas sancti Michaelis de Muriano decessit sub finem hujus anni, vel initio sequentis, nam legitur anno sequenti in ipsius locum subrogatum fuisse alterum Paulum Lazari in abbatem ex priore sancti Martini-rupti de Prata. Extat breve Urbani VI. secundum Paulum instituentis abbatem [a], datum apud castrum Luceriæ-christianorum, anno pontificatus sui VII. die XXI. februarii, anno proinde 1385. mense pariter [b] aprili die secunda pontificatus sui anno VI. hoc est anno præsenti, ex urbe Neapolitana Leali Malatestæ episcopo Ariminensi mandavit idem Romanus pontifex, ut vacante monasterio Camaldulense sancti Benedicti de Saviniano ejusdem Ariminensis diœcesis faveret Jacobo Macturi monacho Camaldulensi, quem in abbatem ipse elegerat, & declaraverat nihili faciendam ob reservationem pontificiam alteram electionem factam a monachis.

a §. *Brevia* 16. *A.* 4. 31.
b *Ibid.* 15. *A.* 4. 21.

XLI. Lites inter priorem S. Jo: baptistæ de Judaica, & inter hospitalarium monasterio adjunctum.

CUM lites exortæ essent inter priorem sancti Johannis-baptistæ de Judaica, & inter hospitalarium rectorem adhærentis hospitalis sub invocatione sancti Francisci, Antonius Venerio dux Venetorum tamquam patronus hospitalis sententiam tulit pro conservandis bonis juribusque dicti hospitalis, quod in ipso ducali diplomate dicitur subesse priori monasterii sancti Johannis. Videatur judicium apud [c] Cl. V. Cornelium in historia Venetarum ecclesiarum. Prior sancti Johannis erat Mathias; hospitalarius autem frater Donatus, qui appellatur „ rector hospitalis pauperum, orphanorum, scholarium & pupillorum, qui in eodem loco degebant, „ quique ibidem continue deducebantur, itaut hospitalis domus non sufficeret ad eos continendos. “

c *T. I. pag.* 289.

Johannes generalis prior ex tabulario Fontis-boni [d] vacante monasterio sanctissimæ Trinitatis de Sacraria insulæ Sardiniæ instituit die XV. octobris in abbatem Philippum Bartholi de Florentia monachum sancti Salvatoris Camalduli-Florentini; manu Leonardi Francisci de Castellione-aretino notarii.

d §. *Electio* 68. *A.* 3. 35.

Ex eodem [e] Gregorius de Saxolis abbas sancti Angeli de Vergareto compositionis leges tulit hoc anno cum universitate castri Vergareti pro solutionibus ab ipsa quotannis faciendis priori & eremo Camaldulensi.

e §. *Concessiones*.

XLII. Benegrandis del Rosso tumulatur in eccl. S. Michaelis Pisarum.

OBIIT hoc anno, & tumulatus fuit in nostra ecclesia sancti Michaelis de Burgo Pisarum Benegrandis del Rosso, qui anno 1370. unus fuerat ex sindicis communitatis Pisanæ electis pro firmanda in urbe Lucensi pace inter cives Pisanos & inter Carolum IV. imperatorem. Ad ipsius sepulcrum sequens inscriptio fuit apposita. † *Hic jacet dominus Benegrande Rossi civis & mercator Pisanus honorabilis miles militiæ fratrum Gaudentum gloriosæ Virginis Mariæ, qui obiit Dominicæ incarnationis anno* M.CC..... IIII. *die* X. *aprilis;* hoc est anno præsenti, ut conjicit Dominicus Mannius Sigillorum tomo XVII. [f] Monasterii sancti Michaelis abbas erat Johannes, qui die quarta maji hujus anni promisit pro communi servitio ducentos Florenos; ex libro *Obligationum*.

f *Pag.* 33.

Ann. Chr. 1385.

XLIII. De monasterio de Camajore, quod postulabat societatem cum Camaldulensibus.

JOHANNES generalis prior Camaldulensis hoc anno M.CCC.LXXXV. die XIII. februarii, accedente assensu eremitarum, elegit in procuratorem suum & totius congregationis in Romana curia Jacobum de Padua, eumdem, qui sibi in officio præsidatus coadjutor datus fuerat, eratque tunc temporis vicarius generalis ordinis, ad hoc potissimum, ut cum Romano pontifice Urbano VI. ageret pro unione monasterii sancti Petri de Camate, seu Camajore, sive demum Campo-majore diœcesis Lucanæ, & ordinis Florensis, cujus abbas & monachi expetebant societatem inire cum monachis congregationis Camaldulensis, efflagitaret insuper absolutionem pro quibuscumque personis dicti Florensis ordinis, & obtineret translationem Rainerii abbatis ejusdem monasterii ad abbatiam tunc vacantem sancti Zenonis urbis Pisarum; quæ omnia perageret utendo consiliis & opera Nicolai tituli sancti Ciriaci presbyteri cardinalis, qui Camaldulensis ordinis protectionem gerebat. Pagina [a] mandati confecta est manu Johannis de Hetsfrede clerici Leodiensis notarii; ex tabulario Fontis-boni. Antiquissimum est monasterium sancti Petri Campi-majoris. Ipsum sub apostolica sancti Petri protectione susceperant tum Adrianus papa IV. tum anno 1180. Alexander III. qui postremus ipsius bona & ecclesias enumeravit. Ad annum 1254. introductus jam fuerat in monasterium Campi-majoris ordo Florensis sive Florentinus, cujus institutor extiterat beatus Johannes Joachimus abbas. Id quod liquet tum ex absolutione concessa eo anno die XXVI. februarii ab Innocentio papa IV. abbati ejusdem monasterii, qui appellaverat ab excommunicatione, quam tulerat adversus dictum monasterium magister Raullus a Susaria prior sancti Georgii ordinis sancti Augustini diœcesis Trecensis nuntius apostolicus, dum per Lucam transiret opera Gualterii canonici Lucensis, tum etiam liquet ex libertate seu exemptione ab ordinarii jure, quam sequenti anno dilargitus fuit eidem monasterio Alexander papa IV. die tertia novembris, & demum ex liberatione a subsidiis præstandis literis scriptis paulo ante ex Anagnia III. nonas augusti pontificatus Alexandri papæ IV. anno primo, hoc est anno 1255. in quibus paginis monasterium Campi-majoris appellatur ordinis Florensis. Existunt hæc monumenta inter ceteras scripturas hospitalis Lucensis dicti *Misericordiæ*, quæ asservantur in curia, quæ vocatur Mercatorum, & Consulum patronorum dicti hospitalis, cui postmodum adjuncta fuere bona abbatiæ Campi-majoris. Alexandri III. diploma ecclesias dicti monasterii recensentis, & Alexandri IV. alterum liberationis a subsidiis libenter edimus ad illustrationem hujus monasterii, de quo pauca admodum habet Lubinus in Notitia abbatiarum Italiæ; sed prius animadvertimus exitu facile caruisse hujusmodi unionem, quandoquidem ulteriora non supersunt de eo monasterio documenta in chartis Camaldulensibus Fontis-boni, ex quibus superiora decerpsimus; neque Rainerius ad abbatiam sancti Zenonis translatus fuit, sed ipse Jacobus procurator generalis; & facile Cistercienfibus, ex quibus etiam olim coaluerat ordo Florensis, adjudicata & adjecta fuere personæ & monasteria Florensia. Monumenta porro sunt hujusmodi.

[a] §. Mandatum 49. A. 4. 40.

Alexander episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Benedicto abbati monasterii sancti Petri de Campo ejusque fratribus tam presentibus, quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Officii nostri nos admonet &c. *Eapropter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus clementer annuimus, & prefatum monasterium, in quo divino mancipati estis obsequio, ad exemplar predecessoris nostri fel. mem. Adriani pape, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & presentis scripti privilegio communi-*

munimus. Statuentes, ut quaſcumque poſſeſſiones, quecumque bona idem monaſterium impreſentiarum juſte & canonice poſſidet, aut in futurum conceſſione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis preſtante Domino poterit adipiſci, firma vobis veſtriſque ſucceſſoribus & illibata permaneant, in quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipſum, in quo prefatum monaſterium ſitum eſt, cum omnibus pertinentiis ſuis. In Campo-majore capellam ſancti Michaelis, & capellam ſancti Bartholomei, eccleſiam ſancti Vincentii cum hoſpitali & omnibus pertinentiis ſuis; in Lumbrici capellam ſancti Blaſii; in Pedona capellam ſancti Frigdiani; apud Salam capellam ſancti Salvatoris; apud portam Ghertiani eccleſiam ſancte Marie; apud Ripam hoſpitale ſancti Sixti; terram quoque Tranſericim, & terram, quam dedit Actus monachus eccleſie veſtre, & omnes res ſeu bona a Gualdrada quondam Uberti & Bonicone de Reicito predicto monaſterio donationis ſeu oblationis titulo traditas, prefato monaſterio preſenti ſcripto confirmamus. Decimas ſane, quas uſque ad hec tempora canonice poſſediſſe noſcimus, nullus vobis auferre, ſeu ſuper his idem coenobium irrationabiliter inquietare preſumat. Liceat etiam vobis clericos ſeu laicos liberos & abſolutos ad vos de ſeculo fugientes ad converſionem ſuſcipere, & ad Dei ſervitium pariter retinere. Preterea ſi qui apud eumdem locum ſe decreverint ſepelire, niſi forte excommunicati vel interdicti ſint, eorum devotioni & extreme voluntati nullus obſiſtat, ſalva tamen juſtitia parochialis eccleſie. Ut autem quietius omnipotenti Deo ſervire poſſitis, decernimus, ut occaſione hoſpitii nullus epiſcopus locum veſtrum audeat pregravare, ſeu novas exactiones ibidem imponere. Oleum infirmorum & ordinationes fratrum ſeu clericorum veſtrorum a dioceſano ſuſcipietis epiſcopo, ſi quidem catholicus fuerit, & ea gratis & abſque pravitate aliqua voluerit exhibere, alioquin quem malueritis, catholicum adeatis antiſtitem, qui noſtra fultus auctoritate, quod poſtulatur, indulgeat. In prenominatis autem capellis ſit vobis facultas canonice ponendi presbyteros, quemadmodum uſque ad hec tempora noſcimus tenuiſſe. Precipimus etiam, ut nullus eccleſias eidem cenobio pertinentes, quas impreſentiarum juſte & canonice poſſidet, aut in futurum juſte aquirere contigerit, inquietare, vel clericis in ipſis Domino famulantibus, aut rebus eorum injuriam vel moleſtiam irrogare ...... Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum &c. ſalva apoſtolice ſedis auctoritate, & in predictis capellis dioceſani epiſcopi canonica juſtitia. Si qua igitur &c.

Ann. Chr. 1385.

Vias tuas † *Domine*

SCS | SCS
PETRUS | PAULUS
ALEX | ANDER
PP. | IIJ.

demonſtra mibi.

Ego Alexander catholice eccleſie epiſcopus ss.
† *Ego Ubaldus Oſtienſis & Velitrenſis ep. ss.*
† *Ego Theodinus Portuenſis & ſancte Ruffine ep. ss.*
† *Ego Vivianus presb. card. tit. ſancti Stephani in Celiomonte ss.*
† *Ego Ugo presb. card. tit. ſancti Clementis ss.*
† *Ego Matthæus presb. card. tit. ſancti Marcelli ss.*
† *Ego Laborans presb. card. ſancte Marie trans Tiberim tit. Caliſti ss.*
† *Ego Jacinthus diac. card. ſanctorum Coſme & Damiani ss.*
† *Ego Johannes diac. card. ſancti Angeli ss.*
† *Ego Mattheus ſancte Marie nove diac. card. ss.*

Datum

Ann. Chr. 1385. *Datum Velletri per manum Alberti S. R. E. presb. card. & cancellarii IV. kal. madii indictione* XIII. *incarnationis Dominice anno* M. C. LXXX. *pontificatus vero domni Alexandri pape* III. *anno* XXI.

Loco † sigilli plumbei.

Alexander episcopus servus servorum Dei dilectis filiis . . abbati & conventui monasterii sancti Petri Campi - majoris ordinis Florentini Lucane diocesis salutem & apostolicam benedictionem . Vestre meritis religionis inducimur , ut vos speciali gratia prosequamur. Hinc est , quod nos vestris supplicationibus annuentes vobis auctoritate presentium indulgemus , ut ad receptionem & provisionem alicujus in pensionibus vel beneficiis ecclesiasticis per literas apostolice sedis aut legatorum ejus impetratas, per quas non sit jus alicui acquisitum , vel etiam impetrandas , cujuscumque tenoris existant, minime teneamini, nec ad ea compelli possitis , nisi hujusmodi litere apostolice impetrande faciant de indulgentia hujusmodi mentionem . Nulli ergo &c. *nostre concessionis* &c. *Datum Anagnie* III. *nonas augusti pontificatus nostri anno* I.

Loco † sigilli.

XLIV. De abbatibus S. Michaelis de Mutiano pluribus eodem tempore.

Supradicto Jacobo vicario generali ordinis statuta fuit residentia in Urbe ad monasterium noviter receptum sanctæ Pudentianæ . Præterea ipsum Jacobum circa eadem tempora electum abbatem sancti Michaelis de Muriano , sancti Zenonis Pisarum , & sanctæ Mariæ de Vangaticia scimus , primi tamen & tertii monasteriorum possessionem inire non est permissus, vel certe non iniit . Et ut ab illo sancti Michaelis de Muriano exordiamur , vacante eo cœnobio per obitum Pauli ultimi abbatis , quod erat membrum eremi Camaldulensis , cui traditum fuerat anno 1212. Johannes prior generalis, habito eremitarum consilio , suffecit in abbatem prædictum Jacobum, quem in electionis literis appellat coadjutorem suum & vicarium generalem ordinis . Verum , cum ad notitiam ejusdem præsidis Johannis venisset , quod dominium Venetiarum admodum moleste ferret monasterium Venetum reformandum esse per civem Patavinum, attenta Carrariensium dominorum Paduæ cum Venetis simultate , immo aperta inimicitia; qua etiam de causa bona, libros & sacra cimelia dicti monasterii in tuto loco reponenda censuerat Senatus Venetus, volens idem Johannes recte providere , Jacobum electum loco movit, & in abbatem dicti cœnobii suffecit Christophorum Venetum origine , & tunc ascetam eremi Camaldulensis , virum virtutibus ornatum , magisque acceptum dominio & civibus Venetiarum, cui administrationem monasterii commisit, mandans prioribus sancti Mathiæ & sancti Johannis de Judaica, ut Christophorum in possessionem immitterent; manu Petri Brandi Nardi de Volateris notarii [a] die VII. junii hujus anni . De electione Jacobi Patavini ad abbatiam Vangaticiensem agemus anno sequenti , quo contigit . Interim acta Christophori abbatis sancti Michaelis de Muriano prosequamur . Decima-nona mensis junii oblato suæ electionis chirographo mandavit dominium Venetiarum Nicolao Foscaro potestati Muriani , ut pacificam Christophoro traderet monasterii possessionem ; proinde ab eodem potestate redditæ in ejus manus fuere res ejusdem monasterii , quas ex commissione ducali tenebat apud se repositas, & singillatim adnotatas in libro cancellariæ communis Muriani , & inter cetera legitur restituta *una ancona, in qua sunt duæ Cruces constructæ de Ligno, quo crucifixus fuit Dominus noster Jesus Christus* ; manu Dominici quondam Gibellini de Arquada Ferrariensi notarii , ut habetur in excerptis Baroncinii . Ipsa ancona , sive icona continebat eam Crucis Dominicæ

a §. *Electio* 69. *A.* 4. 43.

cæ nobilissimam portionem, cujus historiam narravimus ad annum 1362. ANN. CHR. 1385.

Quiete tamen monasterium sancti Michaelis obtinere permissus non fuit Christophorus; hinc reperimus die VI. novembris anni sequentis iterum in consilio Rogatorum statutum fuisse hujusmodi senatus decretum[a]: *Quod in favorem venerandi viri fratris Christophori abbatis sancti Michaelis de Muriano possint scribi literæ pro obtentu abbatiæ dicti monasterii domino papæ & cardinalibus, & aliis, qui videbuntur dominio;* id quod demonstrat controversias, litesque ipsi motas ad obtinendam monasterii possessionem. Reapse Hieronymus prior generalis Camaldulensis, qui Johanni successit, dedit in mandatis anno 1387. priori sancti Mathiæ de Muriano, ut administrationem ejusdem monasterii sancti Michaelis de Muriano traderet Paulo Lazari electo abbati contra Christophorum Venetum, qui se pro abbate gerebat; quod legimus[b] in tabulario sancti Mathiæ. Anno similiter M. CCC. LXXVII. more Florentino, idest initiis M. CCC. LXXVIII. indictione XI. die XXIV. januarii idem Hieronymus prior non Christophorum, sed prædictum Paulum abbatem sancti Michaelis de Muriano, & Jacobum priorem sancti Mathiæ constituit in suos speciales nuntios & procuratores ad se sistendos coram abbatibus sancti Georgii-majoris Venetiarum, sancti Juliani de Arimino, & sanctæ Mariæ de Florentia tamquam judicibus conservatoribus delegatis ad omnes lites eremi Camaldulensis[c]; manu Fei Georgii de Podio-bonitio notarii. Romanus siquidem pontifex Urbanus VI. ut diximus, vi suæ reservationis alterum dicto sancti Michaelis monasterio præfecerat abbatem, Paulum nimirum Lazari bulla sua data apud castrum Luceriæ-christianorum VIII. kalendas martii anno pontificatus sui VII. hoc est initio hujus anni. Lapsis autem duobus & fere tribus annis, ipse Paulus a Romana sede provisus præsentavit Hieronymo priori generali pontificias literas, fidemque insuper fecit se aliis tribus literis apostolicis roboratum possessionem loci velle inire, adeoque petiit, quatenus juris remedio compelleret ipse præses Christophorum de Venetiis, quem asserebat illius monasterii intrusum per annos tres, ad dimittendum sibi vacuum monasterium, bona resque illius. Ex adverso excepit Christophorus, ut provisus a sede apostolica Paulus a sua petitione repelleretur, dicens se esse abbatem juxta leges, vigore sollemnis possessionis sibi traditæ dicti monasterii per tunc temporis priorem generalem ordinis Johannem, cujus erat manuale beneficium cœnobium sancti Michaelis. Extat in codice primo mss. consiliorum bibliothecæ Fontis-boni[d] consilium Francisci Zabarellæ Patavini super breve Urbani VI. conferentis anno 1385. monasterium sancti Michaelis, quod eatenus fuerat manuale, ut dicebatur eremi. In excerptis Baroncinii legitur Paulum Lazari impeditum fuisse a dominio Venetiarum, & prohibitum ab acquirenda loci possessione; quare idem prior generalis Hieronymus „ anno M. CCC. LXXXVIII. die VI. julii[e] deputavit supra„ dictum Christophorum monachum de Venetiis in vicarium ejusdem „ monasterii, eo quod ipsum cœnobium sui abbatis Pauli Lazari justis „ de causis præpediti præsentiali regimine destitutum diu fuerit, & in „ futurum diu fore sperabatur, præsertim cum Christophorus ducalis do„ minationis Venetiarum & aliorum fide dignorum sit commendatus bo„ no testimonio. “ Christophori acta leguntur in archivo nostro sancti Michaelis usque ad diem V. januarii anni 1389. qua locavit prædia monasterii sui posita in villa Stornapredæ, immo ex altero sancti Mathiæ novimus Hieronymum priorem generalem anno M. CCC. LXXXIX. indictione XIII. die VII. martii, secundum consuetudinem Florentinam, adeoque

a Apud Cornel. Eccl. Venet. Suppl. pag. 433.

b Caps. S. Helenæ n. 9.

c §. Mandatum 55. A. 4. 74.

d Pag. 68.

e §. Electio 69. A. 4. 80.

ANN. CHR. 1385.

que anno 1390. amovisse Paulum Lazari de Castellione-arretino ex abbatia sancti Michaelis de Muriano, & iterum elegisse in abbatem ejusdem monasterii & in vicarium generalem Christophorum de Venetiis, qui proinde videtur abbatis titulo & dignitate gavisus usque ad annum 1392. quo electus fuit Paulus Venerius in abbatem dicti monasterii.

XLV. De insigni portione S. Crucis legata monasterio S. Mathiæ de Muriano.

GEORGIUS Basilius patricius Venetus testamentariis tabulis suis conditis die XXII. julii hujus anni sanctissimæ Crucis vivificæ portionem, & quidem insignis magnitudinis, eremitis sancti Mathiæ de Muriano legavit, una cum quinquaginta ducatis aureis pro ornamento loci, ubi reponenda erit, & adorationi locanda dicta Crux, quæ ostendi posset populis, sed non loco dimoveri, tribusque clavibus clauderetur, quarum unam teneret prior, alteram custos sacrarii, tertiam procurator loci, vel si laicus procurator non existeret, senior ex monachis cœnobii, cum obligatione, ut quotidie Missa defunctorum celebraretur, exceptis diebus Dominicis & diebus jejunii; aliter episcopus Castellanus eam deferret ad ecclesiam sancti Petri de Castello. Cum circa hanc donationem controversia orta fuisset inter dictum monasterium, & inter hæredes Georgii Basilii, judices curiæ Venetæ, quos appellabant *Procuratoris*, anno M. CCC. LXXXV. more Veneto, hoc est anno sequenti, die V. februarii decreverunt adimplendam esse in integrum mentem & voluntatem prædicti testatoris; quæ judicum sententia edita est in ecclesiis Torcellanis [a] cl. senatoris Cornelii. Extant aliæ tabulæ testamenti Johannis Basilii quondam Petri Francisci, Candidæ in insula Cretæ anno 1363. confectæ, quibus testator vult, quod *Crux mea, quam habeo, in qua habeo maximam devotionem, debeat esse prædictarum sororum mearum* (ipse erant Fantina uxor Pauli Georgii, & Francischina uxor Jacobelli Emo) *& si ambæ decederent sine hæredibus, debeat venire ipsa Crux domino Marco Basilio de Venetiis, & suis hæredibus*. Paginam rogavit Nicolaus de Laurentio notarius, & autographa extat apud patricium virum Petrum Gradonicum quondam Vincentii procuratoris. Vel Crux hæc devenit tandem ad Georgium, vel demum alia fuit Crux legata a Johanne, alia a Georgio, utroque ex nobili Basiliorum familia. Paucis ab hinc annis maximo monachorum mœrore, postquam per totam diem publicæ fidelium venerationi patuerat pretiosa hujus Crucis portio, miserabiliter secretissimo furto sublata fuit, incassum perquisitis ad hodiernam diem sacrilegi criminis auctoribus.

a T. III. pag. 144.

XLVI. Donationes codicum monast. S. Mariæ Angelorum de Florentia.

FRANCISCUS Bruni populi sancti Petri-majoris Florentiæ, qui tunc a secretis erat Romani pontificis Urbani VI. dono legaverat per testamenti paginam monasterio sanctæ Mariæ Angelorum Florentiæ insigne Bibliorum volumen. Mutata voluntate hoc anno die IV. julii tradidit librum suum vocatum *Catholicon* cum aliis libris, qui forent ejusdem pretii cum bibliorum volumine, exceptis tamen iis, qui vendendi erant magistro sacri palatii. Idem Franciscus a secretis fuerat Urbani V. in cujus obitu consolatoriam ad Franciscum epistolam dedit Colucius Salutatus anno 1371. Gregorii XI. & demum Urbani VI. Romanorum pontificum. Eodem mense die XXIV. presbyter Johannes Lapacii capellanus sancti Petri-majoris ob suam devotionem, quam gerebat erga prædictum cœnobium, & monachos, qui ibi degebant tempore Johannis Nerii prioris, alterum Bibliorum volumen mediocris formæ dono dedit, quod computatum fuerat in Florenis quinquaginta auri; item missale membranaceum, reservans tamen sibi usum eorum codicum tempore vitæ suæ, qui numquam vendi, opignorari vel alienari possent, sed semper inservirent usui

ere-

eremitarum dicti monasterii. Idem Johannes anno 1416. donavit eidem cœnobio alterum missale juxta ritum curiæ Romanæ in membranis scriptum manu sua; breviarium insuper magnum, aliudque parvum.

Ann. Chr. 1385.

XLVII. Monumenta aliquot monasteriorum.

Jacobus quondam Ghini de Puppio tabulis suis rogatis manu Johannis Matthæi notarii die xv. julii [a] hæredes suos constituit eremum Camaldulensem, monasterium sancti Fidelis de Puppio, & conventum fratrum Minorum de Certo-mondo, quodlibet pro tertia parte.

Eidem eremo Camaldulensi, ex archivo sancti Michaelis in Burgo Pisarum, Urbanus VI. præsenti anno indictione VIII. confirmavit abbatiam sanctissimæ Trinitatis de Sacraria in insula Sardiniæ.


Quidam cives Florentini hoc anno statuerunt esse in civitatem Arretinam revocandos omnes, quos dicebant *Exbannitos* ab eadem urbe tempore potestariæ domini Carraccioli de Neapoli, & inter ceteros Johannem abbatem sanctæ Mariæ de Agnano. Statutum reipublicæ Florentinæ scriptum fuit die XXIV. martii a Jacobo Vannucci & ab Eucio Francisci notariis Florentinis; Caracciolus autem potestas fuerat Arretinæ urbis anno præterito, ex [b] archivo publico civitatis.

Antonius abbas sancti Michaelis in Burgo Pisarum ex libro *Obligationum* recognovit pro servitio Michaelis prædecessoris sui Florenos ducentos; item pro servitio Raynerii alterius prædecessoris sui totidem; similiter pro servitio Jacobi prædecessoris pariter sui Florenos CXXX.

a §. *Mandatum* 50. *A.* 4. 54.

b *Num.* 891.





ANNALES CAMALDULENSES.

LIBER QUINQUAGESIMUS-SEXTUS.

Ab anno Christi M. CCC. LXXXVI. *ad annum* M. CCC. XCVI.

Ann. Chr. 1386.

I. Electiones prælatorum Camaldulensium factæ ab Urbano VI.



RBANUS papa VI. vigesima-octava maji Albanum de Florentia [a] monachum sancti Salvatoris Camalduli-Florentini constituit in abbatem sancti Petri ad Vincula Ravennatis territorii. Pariter die IV. julii [b] elegit sive confirmavit in abbatem sanctæ Mariæ de Insula Galeatensis ditionis, quod monasterium vacabat per mortem Blasii abbatis, Vitalem priorem Eremi-novæ, quem monachi ignorantes pontificiam reservationem jam sibi in præsidem nominaverant die XVII. octobris [c]. Viduato monasterio sancti Michaelis in Burgo Pisarum pastore ob decessum Bartholomæi abbatis, præfecit Jacobum tunc sancti Georgii de Fossono ordinis sancti Benedicti abbatem, non obstante, quod habitum alterius coloris gereret, eique utramque administrationem commisit. Hæc brevia data sunt ex urbe Januensi, ad quam anno antecedenti ex Neapolitano regno se receperat summus antistes, atque signata sunt anno IX. sui pontificatus.

a §. *Brevia* 17. *A.* 4. 10.
b *Ibidem* 18. *A.* 4. 12.
c *Ibid.* 19. *A.* 14. 18.

II. Provisio abbatiæ Vangaticiensis facta ab eodem.

OBIIT hoc anno Antonius del Ferro Parmensis abbas sanctæ Mariæ de Vangaticia, cujus decessus refertur ad kalendas aprilis in necrologio ejusdem monasterii his verbis: *Ven. in Christo pater domnus Antonius de Ferro de Parma abbas monasterii sanctæ Mariæ de Vangaticia obiit in* M. CCC. LXXXVI. *die primo mensis aprilis.* Nuntiata ipsius morte in Romana curia, idem Romanus pontifex ejus loco elegit Jacobum de Padua abbatem sancti Zenonis Pisarum. Sed hic antequam conficerentur literæ apostolicæ, provisioni Romani pontificis de se factæ in ipsius manibus renuntiavit, ejusque renuntiationem Urbanus accepit, ac ex eadem Januensi urbe III. kalendas augusti pontificatus sui anno IX. ad novam electionem deveniens assumpsit ad regimen Vangaticiensis monasterii Antonium alterum, similiter del Ferro appellatum, dictum autem juniorem, qui tunc prioratum regebat monasterii sancti Petri de Monte-silice ordinis Camaldulensis, mandans Johanni priori generali congregationis, ut

Anto-

Antonium electum commendatum haberet, ac in ampliandis & conservandis juribus ejus monasterii propensum & favorabilem se illi exhiberet. Jacobus Patavinus electus abbas Vangaticiensis appellatur de familia Mentiorum in pagina tabularii ejusdem monasterii ad hunc annum; & ex Urbani diplomate intelligimus ipsum Jacobum rejectum a regimine monasterii sancti Michaelis de Muriano anno præterito institutum fuisse abbatem sancti Zenonis Pisarum, a quo monasterio ipsum transferre ad Vangaticiense satageret idem Romanus pontifex. In libro *Obligationum* ad diem IV. junii adnotatur Jacobus abbas sanctæ Mariæ de Vangaticia; ad diem vero primam septembris Antonius abbas sanctæ Mariæ de Vangaticia; & postea *Attende hic, quod iste debuit recognoscere tantum, non obligare, quia promotio est facta bis in anno.* Et ad diem decimam-nonam januarii anni sequentis prædictus *Jacobus, qui fuerat translatus ad monasterium Vangaticiense, & postmodum reductus ad monasterium sancti Zenonis, iterum se obligavit.* ANN. CHR. 1386.

III. Obitus Johannis a Carmiano prioris S. Mariæ Angelorum de Florentia.

DEFUNCTUS est etiam hoc anno Johannes a Carminiano prior sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia, „ qui dum comparando materiam, „ ait Fortunius, pro perficienda infirmorum atque hospitum fabrica ni- „ mis anxie laboraret, gravi morbo correptus est, & has fragiles reli- „ quit umbras, patribus annumeratus die sexta augusti anni M. CCC. „ LXXXVI. “ Successor ei datus est Michael Ghibertii piissimus Angelorum asceta, decretorum doctor, qui etiam tempore sui prioratus vicarium egit Florentini episcopi.

IV. Antonius monachus Camaldulensis, fit episcopus Suanensis.

SCRIBIT Ughellius [a] Antonium monachum Camaldulensem ad Suanensem in Ethruria sedem ascendisse hoc anno 1386. die decima-nona martii, quod colligit ex libro *Provisionum prælatorum Urbani papæ VI.* decessisse autem anno 1390. sed in tabulario hospitalis Senensis refertur ipsum renuntiatum fuisse episcopum Suanæ ad annum 1380. adeoque præveniendum est tempus electionis ipsius.

a T. III. col 752.

V. Historia aliquot monasteriorum.

JOHANNES prior Camaldulensis & alter Johannes prior ad Vivum audientes Orlandum de Montone abbatem sancti Benedicti de Mojano diœcesis Clusinæ, sed territorii Perusini, suspectum esse apud Perusinum populum, adeoque non posse cum bona Perusinæ civitatis gratia administrare in suo monasterio, ne quid detrimenti propterea interim pateretur ejus cœnobium, ipsum Orlandum a regimine loci removendum censuerunt, idipsum ei persuadentes, ut commisso sibi monasterio vale diceret. Actum in Clusentino apud castrum Socii manu Francisci olim Petri de Monte-granello notarii; ex pagina archivi Rosæ Senarum [b].

b *Num.* 29.

Philippus de Cavalcantibus canonicus Florentinus & in Thusciæ partibus collector generalis apostolicus devolutam ad cameram asserens ecclesiam sancti Nicolai de castello Luci plebanatus sancti Johannis-majoris Florentinæ diœcesis in partibus Mucellanæ regionis, eo quod gubernatore esset destituta, propter generalem revocationem a se factam quorumcumque beneficiorum & ecclesiarum, ipsam locavit sindico parthenonis sancti Petri de Luco ad novennium.

In autographa pagina tabularii sancti Blasii de Fabriano ad hunc annum ecclesia sancti Romualdi ejusdem loci, quam modo incolunt sanctimoniales ordinis sancti Benedicti Nigrarum, appellatur membrum monasterii sancti Romualdi abbatiæ Valle-castrensis.

Ex libro *Obligationum* Johannes abbas monasterii sanctorum Justi & Clementis Volaterrarum die vigesima-tertia maji promisit pro communi servi-

Ann. Chr. 1386.

servitio centum Florenos. Ducentos autem spopondit die duodecima novembris Jacobus abbas sancti Michaelis in Burgo Pisarum.

Anno Domini M. CCC. LXXXVII. more Pisano die septima maji Antonius de Ilva abbas monasterii sancti Mamiliani Montis-christi ordinis Camaldulensis, ad quem spectabat regimen alterius monasterii sanctæ Mariæ de Scala, districtus Sassaris in Sardinia quoad spiritualia & temporalia, constituit in suum procuratorem Jacobum episcopum Sorrensem in eadem Sardiniæ insula; manu Petri Johannis de Ceuli notarii Pisani; ex tabulario Fontis-boni [a].

a §. Mandatum 51. A. 4. 63.

VI. Paulus Venerius monasticen amplectitur in cœnobio S. Mathiæ de Muriano.

Paulus ex nobilissima patritia gente Veneria Venetiis ortus efficitur hoc anno monachus in cœnobio sancti Mathiæ de Muriano. Cum sacra religionis vota emittere in monasterio vellet, & jam foret a patre suo emancipatus, testamentum condidit, quo reliquit Ursæ matri suæ domum sitam in confinio parœciæ sancti Hieremiæ, residua vero bona sua legavit Francischinæ Viaro materteræ & commissariæ suæ; notario Petro Girardo priore hospitalis sancti Marci. Dum in seculo degeret, appellabatur Petrus, pater vero ipsius Jacobellus Venerius patritius Venetus parœciæ sancti Barnabæ. Has notitias hausimus ex tabulario ejusdem monasterii sancti Mathiæ. Post sex monachatus annos abbas effectus cœnobii sancti Michaelis de Muriano, clarissimus evasit tam apud suos, quam apud exteros, quinquaginta & amplius regiminis annorum spatio, quibus frequenter nobis ipsius mentio occurret.

Ann. Chr. 1387.

VII. Hieronymus de Uzano fit prior generalis Camaldulensis.

EX Janua Lucam se receperat sub finem anni elapsi Romanus pontifex Urbanus VI. In ea urbe consistens cum comperisset obitum Johannis prioris generalis Camaldulensis, instituit seu confirmavit in ipsius successorem Hieronymum de Uzano ex monacho sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia electum ad supremum congregationis regimen. Literæ Urbani datæ sunt die vigesima-octava martii pontificatus sui anno nono [b]. Ipsa die mandavit eremitis Camaldulensibus, ut illum in suum priorem reciperent. Tertio suo brevi eadem die commisit vassallis & subjectis eremo, ut electo priori juramentum & obedientiam præstarent. Demum vigesima-prima aprilis [c] ipsi Hieronymo indulsit, ut juxta instituta sui ordinis a quocumque catholico antistite benedictionis munus percipere valeret, injungens benedicenti episcopo, ut ab ipso electo fidelitatis sacramentum exigeret. Hæ postremæ literæ signatæ sunt anno pontificatus sui decimo, qua die ante novennium consecratus fuerat ipse Urbanus in summum ecclesiæ hierarcham. Hieronymus ex libro *Obligationum* promisit die vigesima-quarta aprilis pro communi servitio ducentos Florenos.

b §. *Brevia* 20. A. 4. 60.

c *Ibid.* 21. A. 4. 61.

VIII. De obitu Johannis Hieronymi prædecessoris.

Quoad obitum Johannis Hieronymi prædecessoris, is contigit mense januarii hujus ineuntis anni, qui vita & ætate longæva (nonagenario enim major decessit) quadraginta fere annis congregationi præsedit varia fortuna. Sub ipso tamen plura contigere congregationi Camaldulensi decora, licet exploratum sit postrema sua senectute res indiguisse, ut coadjutore & vicario pontificio provideretur. Paucis ante mortem diebus die scilicet prima anni, scribi fecit quoddam memoriale velut instrumentum, ubi egit de redditibus bonorum Roizelli Arretini civis annuatim dandis camerario Camaldulensi pro subsidio illius eremitæ, qui incoleret cellam nuncupatam sancti Johannis-baptistæ, & de aliis redditibus ab eodem legatis, atque convertendis in subsidium dotium erogandarum puellis de

ipsius

ipsius familia, vel saltem civium Arretinorum. Paulopost Johannes prior supremum diem clausit, & sepultura donatus fuit in eremo Camaldulensi die decima-tertia januarii, ut legitur in excerptis tabularii Fontis-boni [a] apud Baroncinium. Ipsa ejus tumulationis die expostulatus fuit Romanus pontifex, ut dignaretur successorem ordini viduato concedere, & eadem die convocati fuere ad comitia pro idonea persona proponenda ordinis prælati. Propositus, electus & confirmatus fuit Hieronymus ab Uzano.

ANN. CHR. 1387.

a §. *Notabilia* 41. *A.* 15. 165.

IX. Hieronymus prioris generalis officium suscipit.

QUIS fuerit Hieronymus, antequam ad clavum congregationis admoveretur, vidimus ad annum 1379. qua autem ratione electioni suæ consenserit, novimus ex eodem Fontis-boni archivo. Die siquidem duodecima martii secuta ejus electio nota illi facta fuit in monasterio Angelorum commoranti per Nicolaum abbatem sanctæ Helenæ de flumine Æsino, cui nequaquam se posse assentire vel dissentire respondit vir humilis, obedientiæ & perpetuæ reclusionis jugo subjectus, absque sui prioris claustralis licentia. Quare statim alter Nicolaus eremi Camaldulensis Major preces obtulit Romano pontifici pro ejus confirmatione, quas summus antistes exaudivit, datis superioribus epistolis. Annuit Hieronymus post epistolas pontificias, quamvis ægre, relicto monasterio suo, eremum Camaldulensem adiit, magistratus ibidem insignia & onera suscepturus, sed custos acerrimus consuetudinis sui monasterii, in ipsum cito regressus est, ubi totum reliquum vitæ suæ & officii ad triennium peregit, quandoquidem instrumenta omnia, facultates & acta, quæ ipsius tempore causa eremi confecta fuere, ex monasterio Angelorum data sunt.

X. Electiones prælatorum.

EX eadem Januensi urbe XVII. Kalendas maji anno nono Urbanus VI. confirmavit in priorem sanctæ Margaritæ de Tosina Petrum monachum & abbatem sancti Salvatoris de Silva-munda ad requisitionem Nicolai Majoris eremi, & Jacobi abbatis sancti Zenonis vicarii generalis congregationis, tempore, quo nondum eremi Camaldulensis possessionem acceperat Hieronymus, quique de reservatione pontificia ignari eumdem Petrum jampridem in priorem sanctæ Margaritæ elegerant.

Demum die sexta novembris pontificatus sui anno decimo Franciscum sancti Theonisti abbatem ordinis Camaldulensis & diœcesis Ariminensis præfecit monasterio sancti Apollinaris in Classe vacanti per obitum Benedicti de Dorillis postremi abbatis. Datum Perusii, in quam urbem transierat Urbanus ex urbe Luca. Promisit Franciscus die secunda januarii anni sequentis ex libro *Obligationum* pro communi servitio suo consuetos Florenos.

Renuntiante Gregorio de Arretio eremitæ Camaldulenses elegerunt in priorem monasterii sancti Quirici de Rosis Arretinæ diœcesis Philippum de Florentia monachum dicti cœnobii die trigesima aprilis, committentes priori Curtis-luponis, ut electum in possessionem induceret; manu Francisci Pieri de Monte-granelli notarii [b].

b §. *Electio* 72. *A.* 4. 62.

Ecclesia sancti Laurentii de sancto Laurentio districtus Meldulæ erat subjecta monasterio Insulano ex pagina conscripta a Vitale abbate ejus monasterii ad Laurentium abbatem Uranensem, quem die decima junii in suum procuratorem instituit [c].

c §. *Mandatum* 54. *A.* 4. 68.

XI. Consecratio templi S. Mathiæ de Muriano.

TEMPLUM sancti Mathiæ de Muriano instauratum nuper studio Jacobi prioris ejus monasterii consecratum fuit hoc anno M.CCC.LXXXVII. die XVIII. augusti in dominica a Giliberto Georgio Parentino episcopo, altare quidem majus dicatum ad titulum sancti Mathiæ, altare a parte dextera sanctæ Mariæ, ad lævam sancti Johannis-baptistæ; visitantibus eam ecclesiam diebus quadraginta de injunctis sibi pœnitentiis auctoritate diœcesa-

Ann. Chr. 1387. cesani accedente relaxatis. Episcopale Gilberti privilegium prostat in ecclesiis Torcellanis [a] Cl. Cornelii ex autographo ejusdem monasterii.

a P. III. pag. 143.

XII. Nova ædificia in monasterio Angelorum de Florentia.

b P. II. lib. III. cap. 15.

De ædificiis per hæc tempora in monasterio & in ecclesia sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia hæc habet Fortunius [b]: „ Successit Johanni „ priori (anno præterito defuncto) Michael Ghibertius decretorum do„ ctor, perfecitque fabricam infirmorum atque hospitum, sacellumque „ sancti Johannis-baptistæ decollati ibidem in capite posuit mense septem„ bri, operam ferente Angela matre fratris Philippi Stoldii, Adjudica„ vit item ipsi fabricæ Florenos quadringentos ex hæreditate Jacobi de „ Maleficis, quam ut vicarius episcopi pauperibus Christi distribuit. „ Huc accessit largitio votiva Simonis cognominati Luchini, Johannis „ Fani textoris, & Bonnaccursii nepotis in longe majori summa. Ad „ hæc devolvitur hæreditas paterna Hieronymi Uzanensis legum doctoris „ & ordinis generalis cœnobii professoris, & paulopost Angeli fratris, „ qui multum cœnobio utiles fuere. Bernardus item de Nobilibus erexit „ sacellum sancti Jacobi, idque honestissime dotavit; ne autem pecuniæ „ in fabricatione infirmariæ deessent, subsidium Florenorum septingentorum „ ultro obtulit in Galliam proficiscens, ubi Parisiis vita excessit. Sacel„ lum fundatum fuit die xxv. julii. “ De fundatione oratorii sancti Jacobi apostoli mentionem facit etiam Dominicus-maria Mannius [c] in suis Sigillorum libris, ubi multa congerit de Bernardo Cini Bartholini ex antiqua familia Florentina de Benvenutis, inde appellata de Nobilibus, qui Bernardus plura servitia præstitit Carolo V. Galliarum regi, decoratus præterea ab ipso perhonorifico diplomate. „ Fuit is, subdit, maximus „ benefactor monasterii Angelorum, & oratorium præfatum construxit, “ ejusque alia beneficia fuse memorat idem Mannius collectis notitiis ex tabulario dicti loci, in quo legitur ipsum Bernardum quinque domos præfato cœnobio reliquisse anno sequenti die nona novembris, & onus monachis imposuisse celebrandi quolibet anno diem festivum sancti Jacobi, & alterum decollationis sancti Johannis-baptistæ in oratorio, quod ipse construxerat in claustro & in capitulo, atque lampadem semper accensam tenendi ante sancti apostoli Jacobi aram [d].

c T. XV. pag. 22.

d Num. 349.

Ann. Chr. 1388.

XIII. Camaldulensium lites de decimis.

Suscitaverant iterum plebanus Partinæ & rectores ecclesiarum sub eodem plebanatu constitutarum antiquas controversias de non solvendis decimis eremo Camaldulensi, quas seculo undecimo statuerant Theodaldus, Immo & Constantinus episcopi Arretini. Expostulavit de his Hieronymus prior generalis Camaldulensis ad Franciscum abbatem sancti Juliani de Arimino, cujus monasterii præsides conservatores declarati fuerant jurium Camaldulensium a Johanne papa XXII. Is subdelegavit Franciscum priorem sancti Martini Senarum, qui literas ad plebanum & ad rectores dedit, ut solutionem præfatam non denegarent; alioquin elapsis terminis se processurum comminatus est ad sententiam definitivam, & ad pœnam excommunicationis, juxta auctoritatem apostolicam sibi delegatam; manu Francisci Augustini de Senis notarii, die prima decembris [e].

e §. Libellus I. A. 4. 84.

XIV. Ecclesia S. Laurentii data monialibus Luci.

Viri nobiles Johannes & Cecchus Ugolini Francisci de Ubaldinis patroni ecclesiæ sancti Laurentii ad sanctam Crucem prope castrum Scarperiæ mandatum dederunt hoc anno, ut ipsa ecclesia traderetur parthenoni sancti Petri de Luco, quod paucis milliaribus distabat ab ipso Scarperiæ oppido, & adnecteretur ecclesiæ ejusdem monasterii; manu Francisci de Lojano notarii, ut in excerptis tabularii Fontis-boni & in chronico tradit Baroncinius ad annum 1085. Extat in codice Consiliorum diver-

diversorum ejusdem Fontis-boni consilium Francisci de Zabarellis Patavini [a] *super jurepatronatus dominorum de Ubaldinis ecclesiæ sancti Laurentii ad sanctam Crucem erigendæ in monasterium monialium*. Ex hoc consilio intelligimus hos viros nobiles cogitasse de construendo parthenone sanctimonialium in oppido Scarperiæ, ad quod sacræ virgines de Luco coloniam deducerent. Id tamen factum nullibi legimus.

ANN. CHR. 1388.

a *Pag.* 65.

XV. Testamentum Andreæ de Albizinis.

TESTAMENTO suo condito hoc anno die septima januarii Andreas Francisci de Albizinis populi sancti Petri-majoris de Florentia priorem monasterii sanctæ Mariæ Angelorum electorem perpetuum constituit presbyteri honesti & pii, qui teneretur quotidie Missæ sacrificium offerre pro se, suisque genitoribus & uxore in ecclesia sancti Laurentii de Poreto in plebanatu sancti Crescii de Macivola comitatus Florentini, vel in alia ecclesia Florentinæ urbis, prædia cum domo in substentationem presbyteri relinquens, cetera Helenæ uxori suæ & filio, quibus decedentibus sine posteris, hæreditatem omnem adirent monachi prædicti cœnobii; ex tabulario ejusdem loci [b].

b *Num.* 326.

XVI. Monumenta Camaldulensia.

EX eodem monasterio anno millesimo tercentesimo octuagesimo-septimo, indictione undecima secundum cursum & consuetudinem Florentinam, tempore sanctissimi patris domini Urbani papæ VI. die XXIV. januarii Hieronymus prior generalis, cum proposuisset non egredi septa sui monasterii, constituit in suum procuratorem generalem ad impetrandas literas in curia Romana Nicolaum abbatem monasterii sanctæ Helenæ de flumine Æsino.

Franciscus de Caponago Decretorum doctor & subconservator apostolicus eremi Camaldulensis deputatus ab abbate sancti Juliani de Arimino legitur sub hoc anno in tabulario Fontis-boni [c].

Die octava martii [d] Andreas de Cæsena prior monasterii sanctæ Mariæ de Camaldulo Bononiensi, & Johannes de Foro-livio prior sanctorum Simonis & Judæ de Bononia ordinis Camaldulensis visitatores destinati a Hieronymo priore generale visitationis officio functi sunt in monasterio sancti Mathiæ de Muriano & die penultimo ejusdem mensis in monasterio sanctæ Mariæ de Porcilia prope Paduam immediate subjecto monasterio sanctæ Mariæ Montis-crucum de Carraria; manu Johannis Saloni de Murano, & Bartholi Nicolai de Padua notariorum.

c §. *Monitoriales.*

d §. *Visitatio* 11. *A.* 4. 75.

XVII. Moniales S. Agathæ reformant monast. S. Georgii a Capraria.

SANCTIMONIALES monasterii sanctæ Agathæ de Florentia hoc anno operam dedere reformationi parthenonis sancti Georgii a Capraria Pistoriensis diœcesis siti in loco parum remoto a flumine Arni e regione Montis-lupi, id mandante episcopo Pistoriensi, qui erat Andreas de Boccagnis sive de Franchis. Historia hujus reformationis satis liquide colligitur ex scriptura autographa, quæ existit in tabulario ejusdem monasterii sanctæ Agathæ, in qua hæc continentur. *De anno Domini* M. CCC. LXXXVIII. *& de mense novembri ipsius anni reverendus in Christo pater & dominus dominus episcopus Pistoriensis per suum specialem vicarium recepit in moniales & pro monialibus monasterii sancti Georgii de Capraria Pistoriensis diœcesis tunc vacantis de jure & de facto, tam in capite quam in membris, quatuor moniales de monasterio sanctæ Agathæ de Florentia, & dictas quatuor moniales fecit & creavit capitulus* (sic) *& hoc apparet per publicum instrumentum seu instrumenta; deinde ipsæ quatuor moniales capitulariter congregatæ unam ex se tamquam totum capitulum in abbatissam elegerunt, quæ electio fuit per ipsum dominum episcopum canonice confirmata. Modo in monasterio sanctæ Agathæ est una monialis, quæ fuit una de illis, quæ remotæ fuerunt per dictum dominum episcopum, & demum transmissa ad monasterium sanctæ Agathæ de Florentia, ut ibi sta-*

Ann. Chr. 1388. *staret & profiteretur, & ipsius monasterii sanctæ Agathæ monialis existeret, & fuit & est induta habitu dicti monasterii sanctæ Agathæ, qui in colore differebat ab habitu dicti monasterii sancti Georgii ante reformationem, de qua supra fit mentio. Et in dicto monasterio stetit a dicto anno Domini* M. CCC. LXXXVIII. *& citra ut & tamquam monialis dicti monasterii sanctæ Agathæ, & ut talis & pro tali fuit & est habita, tractata & reputata ab abbatissa & monialibus dicti monasterii, & ab aliis monialibus dicti monasterii admissa fuit ad capitulum & communes tractatus, & quia scienter & sponte dictis tractatibus, capitulo & actibus communibus immiscuit, & similiter ad chorum & ad alia incumbentia, prout aliæ moniales admissa fuit & se immiscuit.* Ex hoc documento in notitiam venimus, aliquot moniales sanctæ Agathæ ab episcopo Pistoriensi translatas fuisse ad monasterium sancti Georgii de Capraria pro inducenda ibidem reformatione; illas autem sancti Georgii moniales ex eo monasterio remotas, & deductas ad illud sanctæ Agathæ, quod clarius compertum fit ex prosecutione supradictæ narrationis. Nam *pater prædictæ monialis post aliquot annos comparuit coram capitaneis sancti Michaelis in Orto patronis dicti monasterii sancti Georgii, & petiit sibi restitui & dari dictam monialem, ut illam ponat in priori monasterio, cui dedit dotes suas. Pro parte monasterii scilicet sanctæ Agathæ respondetur, quod dicta monialis non debet restitui, nec non cogi per dictos capitaneos ad restituendam dictam monialem ex causis infrascriptis; & primo, quia in primo monasterio nullum fuit dictæ moniali jus acquisitum, quia secundum asserta per patrem tempore ingressus & tempore exitus seu remotionis ipsius erat minor ætate. Secundo, quia ipsa abbatissa & aliæ moniales fuerunt per dictum dominum episcopum a dicto monasterio remotæ & juridice privatæ, ut constat per acta curiæ Pistoriensis episcopi apud ipsam curiam existentia, quod etiam satis patet, quia dictum monasterium tamquam vacans fuit datum & concessum dictis quatuor monialibus. Tertio his cessantibus, quæ non cessant, dicitur, quod dicta monialis tacite professa est regulam monasterii sanctæ Agathæ per delationem habitus tanti temporis, & observationem, quæ est melioris observantiæ, quam regula prioris monasterii. Insuper dicitur, quod pater prædictus non est persona idonea ad repetendam dictam monialem, sed repetitio, si aliqua fieri deberet, quod non est verum per ea, quæ superius dicuntur, spectaret ad primum monasterium. Et etiam insuper dicitur, quod cognitio istius negotii non spectat ad capitaneos, sed ad judicem spiritualem & ecclesiasticum, cum ipsi sint seculares. Modo quantum quid juris super petitis & responsis.* Ex his responsionibus clarius confirmatur monasterium sancti Georgii tamquam omnino de novo refectum suscepisse instituta sanctimonialium sanctæ Agathæ & vestem albam, quam hæ deferebant, translatis e contra in monasterium sanctæ Agathæ abbatissa & monialibus nigri coloris primis incolis monasterii sancti Georgii. Anno 1494. episcopus Pistoriensis jacturam fecerat omnis jurisdictionis in idem cœnobium sancti Georgii ex epistola reipublicæ Florentinæ ad episcopum ejus temporis sub die XIII. februarii, quæ extat in codice [a] epistolarum ipsius reipublicæ, qua prohibetur episcopo, ne divexet moniales sancti Georgii: *Delata est*, inquiunt, *ad nos querela, & ea quidem a gravioribus civibus monasterium sancti Georgii de Capraria a dominatione vestra, cum nullam in eo auctoritatem jusque habeat, perturbari vexarique. Nos autem, quia quæ Dei sunt, Deo relinquimus, causam hanc decernere non decrevimus, neque in ea judicium ferre,*

[a] Pag. 237.

ferre volumus. Verum, quoniam nostro auxilio monasterium iniistis, idque isti conqueruntur, cupimus, quæ hoc ingressu facta sunt, irrita omnino esse. Vos autem pontificio jure ea cum adversariis Romæ agere. Quamobrem sinite moniales, resque suas, ut prius erant, esse, causamque integram eo, ubi agenda sunt, deferte, ne nobis necesse sit, quod nostro auxilio illatum est, nostra quoque opera removere. Sententia denique hæc nostra est, ut neutri vestrum in his, quæ summi pontificis sunt, faveamus, sed omnia integra ad apostolicam sedem deferantur; appellaverant siquidem moniales ad summum pontificem. Si asceterium sancti Thomæ de Capraria, cujus abbatissæ & monialibus extat apud Ughellium [a] scripta anno M.C.XLII. secundo idus novembris indictione VI. epistola Gotifredi episcopi Florentini, idem foret cum parthenone sancti Georgii, quod antiquitus duplicem & utrumque titulum haberet, ut aliqui putant, monasterium sancti Georgii vetustiores obtineret origines.

ANN. CHR. 1388.

[a] *T. III. col.* 91.

XVIII. De monasterio Gignori.

ALIUD monasterium appellatum de Gignoro copulatum fuit cum parthenone sanctæ Agathæ, cujus tamen unionis verum tempus ignoramus. In libro archiepiscopatus Florentini, cui titulus *Bullettone*, sub numero 18. hæc leguntur ad chartam renuntiationis factæ dicti monasterii Gignori episcopo Florentino a rectore ecclesiæ sanctæ Mariæ de Lepore anno 1246. „ Nota, quod dicta ecclesia Gignori solvit annuatim censum epi„ scopatui Florentino quinque librarum ceræ novæ, & translatum est di„ ctum monasterium ad locum de Bibbiena in via sancti Galli, ubi mo„ do est monasterium. “ Animadvertit Cl. V. Ricca additum illud *modo* non referri ad annum 1246. sed ad tempus, quo adnotator memoriam præfatam addidit.

Rainerius abbas sancti Michaelis in Burgo Pisarum spopondit ex libro *Obligationum* pro suo servitio die vigesima-nona maji hujus anni Florenos ducentos. Vigesima-nona aprilis Paulus abbas sancti Michaelis de Muriano Florenos XXXIII. De Paulo abbate sancti Michaelis videantur, quæ diximus ad annum 1385.

ANN. CHR. 1389.

XIX. Hieronymus de Uzano postulatur in patriæ episcopum.

RESPUBLICA Florentina vacante episcopatu suæ urbis per abdicationem Bartholomæi de Uliariis Patavini, & ordinis Minorum, scripsit Romano pontifici Bonifacio IX. qui in locum Urbani VI. hoc anno defuncti die secunda novembris in supremum ecclesiæ universalis antistitem creatus fuerat, ad favorem Hieronymi de Uzano prioris generalis Camaldulensis, fratris Jacobi de Altovitis ordinis Prædicatorum, qui postea fuit episcopus Fesulanus, fratris Ludovici de Marsiliis ex ordine sancti Augustini, & fratris Honufrii de Vicedominis vel de Steccutis ordinis eremitarum similiter sancti Augustini, ut unum ex ipsis in episcopum sibi concedere dignaretur, Colucio Salutato cancellario epistolas exarante, ut scribit Ferdinandus Leopoldi Melioris in Florentia illustrata [b]. Iterum pro Hieronymo epistolæ deprecatoriæ missæ fuere die XXVII. decembris hujus anni & die XXX. januarii anni sequentis indictione XIII. non obstantibus recommendationibus pro aliis eidem domino papæ porrectis, ut legitur in actibus existentibus in Florentino archivo appellato *delle Tratte* sive *Extractionum*, & in epistolis ejusdem Colucii, & in libro Reformationum Florentiæ. Electus tamen fuit in episcopum Florentinum frater Honuphrius, qui tunc Volaterranam ecclesiam regebat; siquidem Florentini in patriæ episcopum cupiebant sibi dari virum, qui partibus non addictus urbis discordias non foveret, in quorum numero propositos, & præsertim Hieronymum Uzanensem habebant.

[b] *Pag.* 148.

Ann. Chr. 1389. XX. Historia aliquot monasteriorum.

ÆDIFICABATUR quoque Florentiæ hospitale, vulgo vocatum Bonifacii. Idem Hieronymus hoc anno, teste supralaudato Ferdinando Melioris [a], participes fecit omnium bonorum spiritualium congregationis Camaldulensis eos, qui manus adjutrices porrigerent ad ejus constructionem.

In libro Visitationum monasteriorum subjectorum capitulo Bellunensi legitur præsenti anno die XV. julii canonicos Bellunenses ad Vedanæ monasterium transtulisse, & ipsi præfecisse Leonardum Camaldulensem monachum, ut nos per literas monitos fecit Cl. V. Lucius Dolleonus Bellunensis. Modo in Vedanæ cœnobio commorantur monachi Carthusiani.

Die XXIV. septembris vacante ecclesia sine animarum cura sancti Johannis de Camurano Humanatensis diœcesis, subjecta monasterio sancti Romualdi Vallis-castri, Angelus abbas ejusdem cœnobii Baptistam Augustini de Fulgineo in possessionem immisit ejus ecclesiæ, præsentibus Herculano Cicchi de Perusio abbate sancti Savini de Firmo, Baldantonio Francisci de Schifanoja districtus Perusii abbate sancti Urbani de Pyro, Antonio de Matelica præposito sancti Michaelis de Argignano districtus Fabriani, chartam electionis & possessionis rogante Petro Colecte domini Percivalli de Cassia.

Constituti die octava junii hujus anni coram Hieronymo priore generali Camaldulensi in monasterio Angelorum de Florentia Benvenutus abbas sanctissimæ Trinitatis de Monte-herculis, & Philippus Bartholi de Florentia prior sanctæ Potentianæ de Urbe, asserentes expresse, quod dicta monasteria sunt manualia eremi Camaldulensis, cupientes invicem permutare monasteria, ipsa resignarunt in manibus dicti prioris, qui affirmans se post summum pontificem ordinaria potestate fungi in ordine Camaldulensi, & ad ipsum pleno jure spectare hujusmodi resignationes, declaravit ea monasteria vacare, & Philippo contulit monasterium Montis-herculis, committens Dominico de Corezzo rectori ecclesiæ de Paganico ejusdem Camaldulensis ordinis, ut electum in possessionem induceret; manu Fei quondam Bindi de Podio-bonitio notarii; ex tabulario Fontis-boni [b].

Ann. Chr. 1390. XXI. Jubilæum concessum Camaldulensibus.

MEDITATUS fuerat Romanus pontifex Urbanus VI. anno præterito jubilæi reductionem ad triginta-tres annos ex quinquaginta, auspicandumque ipsum decreverat præsenti anno, sed morte præventus die decima-octava octobris anni elapsi, reliquit onus hoc suo successori, qui fuit cardinalis Petrus Tomacellus electus in Romanum pontificem sub nomine Bonifacii IX. die secunda novembris ejusdem anni 1389. Cum autem Hieronymus prior generalis congregationis Camaldulensis perpetuæ reclusionis legibus se obstrinxisset, ac jubilæi fructu gaudere concupiret, a recens electo Romano antistite suppliciter expetiit, ne gravaretur incommodo & evagatione hujusmodi itineris ad Romanam urbem, immo pro tota Camaldulensi congregatione eremitarum & monachorum preces obtulit ea potissimum ratione, quia tam eremitæ, quam monachi Camaldulenses solitariæ vitæ assueti populorum frequentiam & per urbes excursiones formidabant. Quare die tertia martii hujus anni [c] concessit Bonifacius IX. ipsi Hieronymo & universis Camaldulensis ordinis monachis professis indulgentias concessas per Urbanum VI. prædecessorem suum immediatum ad jubilæum recipiendum, dilargitus scilicet ipsis, ut ex præsenti anno de triginta-tribus in triginta-tres annos in perpetuum eadem spiritualium gratiarum beneficia obtinerent, perinde ac si personaliter visitarent basilicas sanctorum apostolorum Petri & Pauli, basilicam Lateranen-

a *Zibald.* 35. *pag.* 249.

b §. *Electio* 74. *A.* 4. 88.

c §. *Indulgentiæ* 2. A. 4. 2.

ranensem, & aliam sanctæ Mariæ-majoris de Urbe, cum plenissima peccatorum omnium remissione & absolutione, dummodo sibi eligerent confessarium aliquem, qui incommoda itineris permutaret in alia pietatis & religionis opera. Datum Romæ anno primo. ANN. CHR. 1390.

Consueverant pariter priores generales Camaldulenses quolibet anno visitare limina Apostolorum, quam visitationem per se vel per procuratorem peragebant. Quare Marinus S. R. E. cardinalis sanctæ Mariæ-novæ & camerarius domini papæ anno 1388. die tertia aprilis publica syngrapha testatum fecit Hieronymum priorem generalem Camaldulensem visitasse sedem apostolicam per Paulum procuratorem ordinis; nihil tamen obtulisse vel serviisse. Die etiam septima aprilis hujus anni idem cardinalis fidem fecit, quod prædictus prior generalis singulis annis Romanam sedem citra montem existentem visitare obligatus, per dominum Antonium de Ponte sacri palatii apostolici causarum auditorem in specialem procuratorem suum ad hoc institutum pro anno præterito visitavit, absolvens insuper eumdem priorem a reatu perjurii aliisque pœnis propter moram visitationis retardatæ. Datum Romæ anno pontificatus domini papæ Bonifacii IX. primo.

XXII. Provisio monasteriorum.

IDEM Romanus pontifex die vigesima-quarta octobris [a] monasterio sancti Salvatoris Berardingorum & sancti Vigilii Senarum illi adjuncto vacanti per obitum Simonis abbatis præfecit Nicolaum abbatem sanctæ Helenæ de flumine Æsino. Is in libro *Obligationum* legitur obtulisse duodecima novembris pro consueto servitio Florenos centum triginta-quatuor. Die nona novembris [b] mandavit monachis sanctæ Mariæ de Morrona Volaterranæ diœcesis, ut in abbatem reciperent Gregorium, qui a prædecessore suo Urbano constitutus fuerat ipsis in præsulem. Utrumque Bonifacii breve signatur anno pontificatus sui primo. In eodem *Obligationum* libro Franciscus abbas sanctæ Mariæ de Toma Arretinæ diœcesis legitur promisisse die vigesima-secunda martii octuaginta-tres Florenos.

Trigesima maji Hieronymus prior Camaldulensis contulit prioratum ecclesiæ sancti Petri de Mucchio Volaterranæ diœcesis manualem eremi Francisco olim Georgii de Esculo monacho; manu Leonardi Johannis Andreæ de Monte notarii; ex tabulario Fontis boni [c].

Maglorius de Britonorio monachus Camaldulensis & prior ecclesiæ sancti Johannis de Richò constitutus coram Petro abbate sanctæ Mariæ de Pratalia die XXV. martii [d], præter obedientiam, annuum censum se persoluturum spopondit abbatiæ Prataliensi.

XXIII. De auctoritate prioris generalis in monasterium Angelorum de Florentia.

ORTA recens fuerat controversia, quanta foret auctoritas prioris generalis Camaldulensis in monasterium sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia occasione veterum pactorum, quæ simul inierant anno 1293. Frigdianus prior Camaldulensis, & Guitto Arretinus loci fundator, quæ libertatem quamdam præseferebant. Consulti itaque fuere doctores magni nominis, qui tunc florebant; inter ceteros Laurentius de Redulphis Florentinus decretorum doctor, qui exceptis causis visitationum, confirmationis prælati & annui census, monasterium præfatum exemptum declaravit, die vigesima januarii hujus anni. Confirmavit Laurentii votum Gaspar de Bemigis Perusinus, Salustius Guillielmi de Perusio, & post plures transactos annos Guillielminus Tanaglia Florentinus, Paulus de Castro Paduæ legens jura civilia, Prosdocimus de Comitibus & Paulus de Arretio legens in jure canonico in eadem urbe Patavina anno 1432.

XXIV. Hieronymi prioris generalis obitus.

IN eodem monasterio sanctæ Mariæ Angelorum, ait Fortunius, „ anno M. CCC. XC. ædificatur sacellum sancti Nicolai opera nobilis feminæ „ Gem-

a § *Brevia* 23. *A.* 4. 10.

b *Ibid.* 24. *A.* 4. 12.

c §. *Electio* 75. *A.* 4. 6.

d §. *Promissio* 2. *A.* 4. 3.

Ann. Chr. 1390.

„ Gemmæ Manetti a Filicaria. Delata vero hæreditate Manfredi Bellincioni, quæ adita est ab Angelo & Bartholomæo filiis monachis, „ ædificatur sacellum sancti Martini. " Frequentes hujusmodi hæreditates deveniebant eidem monasterio, quia magna pietatis opinione apud Florentinos cives florebant eo tempore hujus loci ascetæ. Specimen hujus rei habemus etiam ex historia transitus beati Johannis a Cellulis oriundi a Chitignano in Ethruria, & ordinis Vallumbrosani eremitæ, qui ad cœlum evolavit hoc anno. Hæc historia asservatur in bibliotheca Sanlaurentiana [a] Florentiæ, publicique juris facta fuit olim a Biscionio bibliothecæ custode; in ea igitur legitur ad paginam XXVIII. quod ipse „ beatus Johannes paucis diebus antequam spiritum Deo redderet, ad- „ stantibus cubili suo dixerit, quod ad ipsum venerat beata Domitilla „ virgo cum alia muliere amicta veste candida, & utraque ipsi dixerat. „ His diebus fuimus apud monachos sanctæ Mariæ Angelorum, nunc ve- „ nimus hic, & ex hoc tempore ibimus aliunde. "

[a] Banco 43. n. 18.

Reapse apud monachos Angelorum diem suum clausit hoc anno idem Hieronymus prior generalis congregationis, qui solitudinis in primis amator per decennium, totumque triennalis officii sui tempus pedem nunquam movit e claustris ejus cœnobii, cui nomen dederat. In adnotationibus ms. ad Martyrologium Usuardi, quod existit in bibliotheca Camaldulensi habetur: VIII. *kalendas decembris anno Domini* M. CCC. XC. *domnus Hieronymus venerabilis prior Camaldulensis & ejusdem ordinis generalis obiit sepultus in monasterio de Florentia de Angelis*. De Andrea ejus successore anno sequenti.

XXV. Raynaldus Brancaccius protector ordinis.

Protectionem ordinis Camaldulensis assumpsit Raynaldus Brancaccius cardinalis diaconus sancti Viti in Macello; ipsius nomen legitur sub hoc anno in tabulario Fontis-boni. Electus fuit protector a patribus post obitum Nicolai Caraccioli cardinalis, qui supremum diem obierat ad quartum kalendas augusti anni antecedentis; creatus autem fuit Raynaldus S. R. E. cardinalis ab Urbano VI. anno 1384.

XXVI. Restitutio decimarum facta monachis Porciliensibus.

Cum domini Carrarienses, dum Patavino gauderent imperio, a quadraginta annis occupassent in Campo-longo decimam, quæ spectabat a duobus fere seculis ad monasterium sanctæ Mariæ de Porcilia tam virorum, quam feminarum, & cum in dominium ejusdem urbis, abactis Carrariensibus, introisset Johannes Galeatius ex Vicecomitibus comes Virtutum, monachi & sanctimoniales Porcilienses per Johannem monachum suum sindicum supplicem ei libellum porrexerunt, ut eamdem decimam restituere ipsis dignaretur. Quare ex Mediolano die decima-octava augusti anni M. CCC. LXXXIX. Johannes comes scripsit Jacobo Regnæ magistro possessionum suarum in Padua, ut re ad examen vocata, jus Porciliensibus monachis diceret, debitamque decimam redderet. Instituto examine & senioribus testibus advocatis, agnoscens Jacobus, quod revera a centum quinquaginta & pluribus annis monasterium Porciliense pacifice gavisum fuerat ea decima, habita matura deliberatione definivit & statuit eam esse monachis reddendam, sententia pronuntiata die XXVII. junii hujus anni indictione XIII. quam ex tabulario sancti Michaelis de Muriano integram damus in Appendice.

XXVII. Aliquot monumenta Camaldulensia.

Ex archivo Classensi sub hoc anno reperiuntur Rolandinus episcopus Adriensis, & Angelus de Ricasolis episcopus Faventinus. Ughellius in episcopis Adriensibus ignoravit Rolandinum.

In pavimento veteris ecclesiæ sanctorum Andreæ & Gregorii de Urbe inscriptio sepulcralis hujusmodi legebatur hunc annum referens: *Hic jacet*

cet

cet nobilis comes de Abreville de Francia egregius doctor sacri palatii apostolici causarum auditor, canonicus sancti Johannis Lateranensis, qui obiit anno Domini M. CCC. XC. *mensis julii die* XIII.

ANN. CHR. 1390.

Benedictus quondam Marzolani habitator castri Prati-veteris die vigesima-octava octobris ecclesiæ sanctæ Mariæ de Nive ejusdem loci reliquit quasdam terrarum portiones cum obligatione, ut ibidem celebraretur festum sanctæ Catharinæ; id si non adimpleretur, in jus earum terrarum vocavit moniales sancti Johannis-evangelistæ ejusdem castri; hanc notitiam ex archivo Carthusiæ Florentinæ eduxit olim Ferdinandus Melioris[a].

a *Zibald.* 84. *pag.* 147.

ANN. CHR. 1391.

XXVIII. Andreas eligitur prior generalis.

POST decessum Hieronymi prioris generalis Camaldulensis, qui contigerat die vigesima tertia vel quarta novembris anni præteriti, Nicolaus Major eremi cum ceteris eremitis scripsit abbatibus, prioribus, abbatissis, gubernatoribus, ceterisque, ad quos futura electio juxta ordinis constitutiones pertinebat, ut ad diem primam januarii hujus anni convenirent in eremum Camaldulensem pro instituendo novo priore. Legimus commissionem suæ vocis factam prædicto Nicolao a Michaele Ghibertii priore monasterii sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia[b], „ in „ quo quidem monasterio, subdit, obiit Hieronymus generalis, qui ob „ vitam eremiticam, quæ ducitur in dicto cœnobio, extra septa nullo „ unquam tempore egreditur, neque ipse, neque monachi dicti loci; “ pariter anno M. CCC. XC. die vigesima-septima decembris abbatissam & conventum monialium sancti Salvatoris de Foro-livio commisisse vices suas Gerardo abbati sancti Hippolyti de Faventia. Communibus suffragiis electus fuit in priorem generalem totius ordinis Andreas Faventinus J. V. D., qui tunc prior erat Camalduli Bononiensis. Die vigesima-septima februarii Romanus pontifex Bonifacius IX. tribus brevibus[c] eodem die datis ipsum in præsidem generalem congregationis dedit anno secundo sui pontificatus, atque septima martii copiam ipsi fecit, ut a quovis catholico antistite benedictionis munus percipere posset. A vero non abludit, hoc tempore, quo collationes dignitatum, officiorum & beneficiorum ecclesiasticorum reservatæ erant apostolicæ sedi, consuevisse Camaldulenses convocare prælatos, qui personam idoneam proponerent & eligerent, cujus nomen postea & merita transmitterentur Romano pontifici, qui iterum eligebat, sive confirmabat personam electam. Ceterum emendandus est Fortunius, qui recte quidem statuto obitu Hieronymi ad diem XXIII. novembris, vel XXIV. ratione tumulationis anni 1390. sibi non constans subdit, ob ejus mortem eremitas per certos nuntios advocasse prælatos ordinis, actisque comitiis Andream Faventinum J. V. D. qui agebat priorem Camalduli Bononiæ, generalem constituisse die quinta septembris, cujus electionem Bonifacius IX. tertio kalendas maji confirmatam habuit. Absurda hæc Fortunii, quæ annum cum dimidio differunt electionem & confirmationem Andreæ post mortem Hieronymi, corrigenda sunt ad fidem autographarum paginarum Fontis-boni, quas mox in medium protulimus.

b §. *Electio* 77. *A.* 4. 13.

c §. *Brevia* 25. *A.* 4. 15.

XXIX. Monasterium Pratalliæ unitur eremo Camaldulensi.

PRECIBUS ejusdem Andreæ prioris idem Romanus pontifex die decima-nona octobris[d] monasterium sanctæ Mariæ de Pratalia, quod sex milliaribus distabat ab eremo Camaldulensi, & tunc temporis ob bellorum tumultus, aliasque temporum injurias in spiritualibus & temporalibus erat valde collapsum, situmque in montanis & in vasta solitudine, in quo nullus tunc monachus inhabitabat, auctoritate apostolica in perpetuum adjunxit eidem eremo Camaldulensi, ita quod cedente vel decedente

d §. *Unio* 3. *A.* 4. 30.

Ann. Chr. 1391. cedente abbate, qui monasterio præerat, vel alias quomodolibet dimittente, liceret priori Camaldulensi possessionem ejusdem loci auctoritate propria apprehendere & retinere, nulla alia eo temporis licentia requisita, extinguens propterea abbatialem dignitatem & conventum in eodem monasterio, providens tamen, quod ecclesia & cœmeterium ad profanos usus non converterentur, & si fieri posset, per aliquem presbyterum eidem ecclesiæ inserviretur. Datum Romæ anno pontificatus sui secundo. Unionem hanc iterum anno 1405. confirmavit Bonifacii successor Innocentius papa VII.

XXX. Electiones prælatorum.

IDEM Andreas vacante monasterio sancti Viti de Vicetia per translationem Bernardi de Venetiis prioris ad monasterium sanctæ Mariæ Angelorum de Bononia, die decima junii indictione quarta Antonium de Imola monachum sancti Hippolyti de Faventia suffecit, committens priori sancti Bartholomæi prope Vicetiam ordinis sancti Augustini, ut priori electo possessionem cœnobii sancti Viti traderet.

Hujusmodi autem electiones prælatorum leguntur in tabulario Fontisboni factæ sub præsenti anno ab eodem Romano pontifice Bonifacio IX. Decima-sexta martii pontificatus secundo [a] ex Urbe in abbatem monasterii sanctæ Helenæ de flumine Æsino vacantis ob translationem Nicolai constituit Johannem de Fabriano ejusdem cœnobii monachum. Die decima-nona junii [b] præfecit monasterio sancti Apollinaris in Classe destituto pastore per obitum Francisci abbatis, Johannem tunc priorem sanctorum Simonis & Judæ de Urbicciano diœcesis Bononiensis. Demum cum obiisset Jacobus a Padua abbas sancti Zenonis de Pisis elegit [c] in ejus successorem XIV. novembris Michaelem Simonis ipsius loci cœnobitam, quem monachi Zenoniani reservationis pontificiæ ignari jampridem sibi præfecerant. Jacobi a Padua abbatis sancti Zenonis, & vicarii ad aliquot annos generalis congregationis pluries mentionem fecimus in his Annalibus, eumque viris piis & præstantibus hujus seculi penes nos accensere jure optimo debemus. Johannes autem superius nominatus abbas electus sanctæ Helenæ ex libro *Obligationum* promisit pro consueto servitio quinquaginta Florenos die vigesima-sexta aprilis.

a §. *Brevia* 27. *A.* 4. 27.
b *Ibid.* 28. *A.* 4. 14.
c *Ibid.* 29. *A.* 4. 23.

XXXI. Ursus monachus Avellanensis fit ep. Faventinus.

URSUS Eugubinus patria, Avellanensis autem instituti monachus, & abbas sanctæ Mariæ foris portam Faventiæ, cujus monumenta extant in tabulario dicti cœnobii ab anno 1370. ad episcopatum ejusdem Faventinæ urbis promotus est hoc anno, translato Angelo Ricasolo ad infulas ecclesiæ Arretinæ. Ursi episcopi documenta perseverant ad annum 1402. quo ex Faventina postulatus fuit ad cathedram Rosanensem. Anno 1394. ut procurator prædicti monasterii sanctæ Mariæ terras in emphyteusim tradidit Simoni a Palea comitatus Faventini. Eodem anno die vigesima-quarta septembris præsens fuit cuidam declarationi factæ a suis canonicis, ut legitur apud Tonduccium [d] & apud Petrum-mariam Cavinam [e] in introductione ad historiam Faventinam ejusdem Tonduccii. Die decima-sexta octobris ex libro *Obligationum* promisit Ursus pro suo servitio tercentos Florenos, item recognovit pro servitio Angelini & Francisci prædecessorum suorum, nimirum Angeli Ricasoli & Francisci de Aguzzonibus episcoporum Faventinorum.

d *Pag.* 448.
e *Pag.* XIV.

Ex paginis Avellanensibus hoc anno die quinta-decima martii Herculanus abbas sancti Savini de Firmo, unus ex tribus judicibus conservatoribus jurium monasterii sanctæ Crucis Fontis-avellanæ, vigore bullæ Johannis papæ XXII. delegavit in subconservatores ejusdem monasterii abbates sancti Petri de Eugubio, sancti Salvatoris Vallis-castri, sancti Bar-

tholi

tholi de Eugubio, & sanctæ Mariæ de Apennino Nucerinæ diœcesis, ut defenderent tuerenturque jura ejusdem cœnobii, & alterius monasterii sancti Donati de Gualdo Nucerini territorii, quod erat membrum monasterii sanctæ Crucis; ex tabulario sancti Romualdi de Urbe. Ann. Chr. 1391.

Bonus Faventinus abbas sanctorum Decentii & Germani de Pisauro testis apparet hoc anno in quadam pagina venditionis archivi societatis sancti Antonii abbatis ejusdem urbis. Actum in civitate Pensauri in domo habitationis domini abbatis sanctorum Decentii & Germani posita in dicta civitate, præsentibus venerabili viro domno Bono de Faventia abbate dicti monasterii, aliisque.

Anno pontificatus sui tertio Bonifacius IX. priori & monachis Angelorum de Florentia indulgentiam impartitus est ex Perusio die tertia novembris. Extat in tabulario ejusdem monasterii [a].

a *Num.* 211.

ROMANUS pontifex Bonifacius IX. die decima-nona januarii constituit in priorem monasterii Rosæ Senarum Petrum, tunc sancti Petri de Monte-liscario priorem, resignante prioratus officium Angelo Turino. Datum anno III. ex tabulario Fontis-boni [b]. Ann. Chr. 1392.

XXXII. Camaldulum Bononiense restituitur eremo Camaldulensi.

Idem III. kalendas februarii anno similiter III. diplomate dato Romæ apud sanctum Petrum, & directo ad Franciscum episcopum Prænestinum & sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalem ac vice-cancellarium mandavit, ut reciperet dimissionem prioratus monasterii sanctæ Mariæ de Camaldulo Bononiensi factam a cardinale sanctæ Susannæ, ac in possessionem ipsius immitteret Petrum Bartholomæi de Bononia monachum ejusdem cœnobii, quod ab eremo Camaldulensi Arretinæ diœcesis dependere dicitur. Vidimus etiam seculo præterito commendatum hocce monasterium, quod ad præsentem annum eodem commendationis titulo obtinebat Franciscus Carbonus Neapolitanus ex Cisterciensium religiosa familia & cardinalis tituli sanctæ Susannæ. Franciscus vero Moricottus Urbani VI. nepos & ab ipso creatus cardinalis, erat archiepiscopus Pisanus, & episcopus Prænestinus, ac S. R. E. vice-cancellarius. Diploma extat [c] in archivo monialium sanctæ Christinæ de Fundatia Bononiensis urbis.

b §. *Brevia* 30. *A.* 4. 25.

c *Sacc. B.* 18.

Demum in locum Ursi Eugubini electi episcopi Faventini anno præterito elegit in abbatem sanctæ Mariæ Foris-portam Faventiæ Carophylum de Rutis Eugubinum, qui anno 1395. ad vitam obtinuit etiam monasterium sancti Benedicti in Alpibus seu de Bifurco ordinis sancti Benedicti, sed coloris nigri, cui adjunctum fuerat per hæc tempora cœnobium Avellanense sanctæ Mariæ de Faventia habitus albi, ut legitur in paginis hujus postremi cœnobii.

XXXIII. Absolutio eremitarum Camaldulensium a censuris.

FRANCISCUS Carbonus cardinalis sanctæ Susannæ, de quo supra, sacræ etiam pœnitentiariæ erat præpositus, & hoc ipso anno die XIII. martii ad preces omnium monachorum & conversorum eremi Camaldulensis, quibus vetitum erat tum ex statutis Hieronymi, olim prioris generalis, tum ex novis Andreæ prioris tunc viventis, egredi extra eremum sub pœna excommunicationis, item ex literis Urbani papæ VI. denuntiatum ipsis fuerat, ne possent ad festivitates Sanctorum, vel ad mortuorum obsequia, præterquam in monasterium Fontis-boni exire, quia tamen nonnulli ipsorum ex eremo pedem moverant, & propterea excommunicationis vinculo illigati sacra insuper mysteria multoties peregerant, & in irregularitatis vitium incurrerant, mandavit Andreæ priori, ut eos absolutionis plenæ beneficio donaret. Datum Romæ Bonifacii papæ IX. anno III. [d] ex pagina Fontis-boni.

d §. *Monitoriales* 4. *A.* 4. 27.

ANN. CHR. 1392.

De eodem cardinale sanctæ Susannæ, legato insuper Patrimonii, Romandiolæ & ducatus Spoletani legimus in archivo collegiatæ sanctæ Mariæ-majoris Hispelli ipsum concessisse sub pontificatu Bonifacii IX. abbati & monachis sancti Silvestri de Monte-subasio ordinis Camaldulensis, ut attentis redditibus bonorum dictæ abbatiæ, qui minime sufficiebant, aggregarent eorum monasterio ecclesias sancti Petri & sancti Ruffini, ipsarumque præbendas & bona. Animadvertimus Franciscum cardinalem etiam sub hoc anno ex superioribus monumentis titulum presbyteralem sanctæ Susannæ retinuisse, quem [a] collectores vitarum S. R. E. cardinalium translatum affirmant ab Urbano VI. ad episcopatum Sabinensem. In tabulario sanctæ Mariæ in Gradibus [b] Franciscus titulo sanctæ Susannæ nominatur etiam sub anno 1401.

a T. II. col. 659.

b Num. 623.

XXXIV. Monast. S. Mariæ de Angelis Arimini datum Camaldulensibus.

LEALIS de Malatestis episcopus Ariminensis cupiens locum seu monasterium & ecclesiam dictam sanctæ Mariæ de Angelis suæ urbis, quam tunc detinebant & occupabant quædam mulieres laicæ, seu conversæ mendicantes, & nullius ordinis regulam profitentes, & quasi acephalæ, ex debito sui episcopalis officii reformare per viros religiosos, & præsertim per ascetas eremi Camaldulensis, cum pluribus negotiis distentus, tunc temporis non resideret in diœcesi sua, commisit die XVI. decembris præsentis anni Angelo abbati sancti Johannis-evangelistæ de Ravenna, qui vicariatus officium in ejus diœcesi gerebat, ut dictum locum cum ecclesia offerret, concederet & donaret præfatis eremitis Camaldulensibus; si qua vero ex his mulieribus vellet aliquam regulam approbatam suscipere, in monasteriis ejusdem urbis collocaretur, promittens se omnia rata habiturum, quæcumque ipse vicarius nomine episcopi faceret. Lealis episcopi literæ datæ sunt hoc anno e civitate Pisauri manu Bartholomæi Jacobi de Fanis Veronensis notarii & scribæ dicti episcopi. Die itaque XII. januarii anni 1394. præfatus vicarius Angelus abbas dono dedit Cæsario priori sanctæ Mariæ de Monte-medio ordinis Camaldulensis diœcesis Ariminensis recipienti vice Andreæ prioris generalis ordinis ecclesiam prædictam cum suis domibus, claustris &c. concedens eidem priori generali auctoritatem præficiendi ibidem viros idoneos & amovendi, aliaque peragendi juxta consuetudines Camaldulenses, & inducens supradictum Cæsarium in loci possessionem, manu Nicolai Ugolini Mariscalchi de Arimino notarii. Gonzaga ex epitaphio beatæ Claræ de Aquilatiis, ut ipse ait, vel de Agolantibus, praextitisse ad annum 1323. monasterium Angelorum Arimini affirmat [c] apud Wadingum, & primitus in ipso habitasse scribit sanctimoniales Benedictinas, quibus alio translatis, domus collata fuerit Clarissis; quo tamen anno incompertum habet. Consulantur doctissimæ & omni ex parte completæ dissertationes Cl. V. & comitis Josephi Garampii canonici sancti Petri de Urbe, & custodis Vaticani archivi, qui vitam ipsius beatæ Claræ paucis ab hinc annis illustrandam assumens, omnigena eruditione & divitibus antiquitatis ecclesiasticæ notitiis ipsam auxit & adornavit. Libenter & gratissime hic loci memoriam ipsius comitis & canonici præstantissimi ingerimus, cui acceptas referimus plures notitias ex archivo Vaticano, & ex epistolis Romanorum pontificum excerptas, quas his Annalibus hinc inde inseruimus. In Ariminensi territorio plura possidebant monasteria Camaldulenses, sancti Andreæ extra portam Arimini, sancti Theonisti de Longiano, & sanctæ Mariæ de Monte-medio, præter aliam abbatiam sancti Benedicti de Saviniano, de quibus aliqua suis locis memoravimus. Lealis de Malatestis Malatestæ filius Pisauriensis factus episcopus ab anno 1370. ad Ariminensem eccle-

c T. VII. p. 21.

ſiam post triennium translatus eam rexit uſque ad annum 1400. ANN. CHR. 1392.

HOC anno M.CCC.XCI. ſtilo Florentino indictione xv. die VI. februarii congregatæ ſanctimoniales Quercetanæ de Florentia cum Philippa earum abbatiſſa crearunt in ſuos procuratores & ſindicos Johannem Franciſci, Antonium Andreæ & Andream Franciſci habitatores Urbis Romanæ ad petendam ſuppliciter a Romano pontifice facultatem ſe transferendi de ſuo parthenone ad eccleſiam ſancti Johannis de Tralarcora prope Florentiam, & adjungendi ordini Camaldulenſi dictam eccleſiam ejuſque hoſpitalia cum exemptione a juriſdictione Florentini epiſcopi, ut erant alia Camaldulenſia aſceteria, & cedendi monaſterium Quercetanum monachis, facile iis ſancti Salvatoris Camalduli-Florentini [a]; ex archivo Fontis-boni, manu Michaelis Laurentii Johannis notarii.

XXXV. De eccleſiis S. Johannis de Tralarcora, & S. Luciæ.

[a] §. Mandatum. 58. A. 4. 26.

Quoad eccleſiam ſancti Johannis-baptiſtæ de Tralarcora cum adjunctis hoſpitalibus communes nobiſcum voluit Cl. vir Jo. Lamius ſequentes notitias, quas libenter in medium adducimus. „ Ad finem, inquit ipſe, „ ſuburbii urbis Florentinæ, ubi conſurgebat monaſterium ſancti Johan„ nis-evangeliſtæ dictum de Faventia, duo arcus reperiuntur, ædificiumque „ rotundum cum aliis vetuſtis antiquitatis reliquiis. Aquæ enim, quæ de„ ducebantur a Septimello & a Querceto, ideſt a radicibus montis Mau„ relli ad urbem Florentinam, licet venirent per aquæ-ductum Careg„ gium uſque, prope Florentiam pervenientes cauſa declivitatis ſoli ope „ arcuum indigebant efferri, & proinde ſuſtinebantur ab arcubus quinde„ cim circiter brachia Florentina altis, uſquequo deducerentur ad mu„ ros urbis verſus portam appellatam Faventiæ, ubi modo conſurgit arx. „ Reliquiæ horum arcuum & aquæ-ductuum videntur æquare tempora „ Etruſca vel Romana, & ante ducentos annos duodecim ex iis arcubus „ prominebant, ſed hodierna die duo tantum ſuperſunt, licet inſpician„ tur ceterorum fundamenta. Ædificia arcuum nomen dedere locis cir„ cumvicinis, quæ proinde appellata fuere *inter arcus*, & Italica lingua „ *Tralarcora* & *Arcoata*, atque ea loca ſunt in via, quæ appellatur vul„ go *Romituzzo*, quæ recte partem ſeptentrionalis arcis, vel antiquam „ portam Faventiæ reſpicit, & terminat ad burgum Fontis *a Rifredo* ad „ longitudinem unius fere milliarii. Diſtant hi arcus fere quadrante mil„ liarii ab eadem arce, Muneone flumine intermedio excurrente, & „ ibidem erat hoſpitale ſancti Johannis-baptiſtæ, dicti propterea *Tralar„ cora*. Xenodochium cum eccleſia divo Johanni-baptiſtæ ſacra extra ur„ bem Florentinam quidam Jacobus Bartholini filius ædificandum cura„ verat, & poſt varios caſus ordini equeſtri ſancti Johannis Hieroſoly„ mitani anno 1396. conceſſum fuit, cum eccleſiæ ſancti Jacobi in Cam„ po-corbulini frater Johannes Cecchius de Rubeis a Pogna præeſſet. „ Frater Gregorius xenodochus juxta xenodochium ſacellum cujuſdam ſo„ cietatis anno 1429. conſtruxit. Utrumque vero obſidionis Florentinæ „ tempore everſum eſt, ut eruditus Dominicus-Maria Mannius memoriæ „ prodidit. “ Ex hac Lamii illuſtratione colligitur moniales Quercetanas propoſuiſſe quidem & in votis habuiſſe, ſed minime tranſiiſſe ad incolendum hoſpitale ſancti Johannis, & in priſtino loco ſuo reſediſſe, infecto tranſmigrationis negotio. Sed Lamii epiſtolam proſequamur. „ Paulo „ diſtans, ſubdit, ab hoſpitali ſancti Johannis-baptiſtæ alterum exſurgit „ ſub titulo ſanctæ Luciæ in loco dicto *Romituzzo*, cujus eccleſia adhuc „ ſubſiſtit, & ſexcentos circiter paſſus abeſt ab urbe in via ultra Mu„ neonem, qua itur ad pontem Rifredi. “ Structura eccleſiæ ſeculi XII. eſſe videtur, ſed veretur idem Lamius, ne vetuſtior eccleſia partim diruta

ANN. CHR. 1392. diruta fuerit, & quæ nunc porta unica patet, lateralis esset, cujus rei argumentum præbet tecti culmen, quod a meridie ad septentrionem tendit, cum stillicidia ad orientem & occasum respiciant, & ad orientem porta conversa sit. Xenodochium ibidem fuisse Ferdinandus Leopoldus Meliorius affirmat. Hunc locum eremiticum appellatum fuisse opinatur idem Lamius, quod eremita aliquis apud eam ecclesiam degeret, vel xenodochium custodiret; ecclesiam tenui sacerdotio dotatam esse, & esse liberam affirmat, unicum altare habere cum tabula egregia picta, quæ protomen sanctæ Luciæ virginis & martyris ab infante Jesu serto e floribus texto redimitæ exhibet, opere artificis præexcellentis Jacobi a Ponte-ormæ. Hinc concludit Lamius, cur sanctimoniales Quercetanæ facultatem expetierint a Romano pontifice transeundi ad ecclesiam sancti Johannis-baptistæ, & insuper adjungendi vicina hospitalia; hospitale nimirum sancti Johannis, & alterum sanctæ Luciæ. Subjicimus bullam Johannis XXII. in qua indicatur fundatio & institutor hospitalis sancti Johannis-baptistæ, quam eductam ex archivo Vaticano & ex regesto bullarum anni primi Johannis XXII. parte III. epist. 2417. summa comitate edendam nobis permisit idem clarissimus Florentinarum rerum collector & illustrator Johannes Lamius.

Johannes episcopus servus servorum Dei universis Christi-fidelibus presentes literas inspecturis salutem & apostolicam benedictionem. Licet is, de cujus munere venit, ut digne sibi a suis fidelibus ac laudabiliter serviatur, de abundatia pietatis sue, que merita supplicum excedit & vota, bene servientibus multo majora tribuat, quam valeant promereri, desiderantes inde reddere Domino populum acceptabilem, fideles Christi ad complacendum ei quasi quibusdam illectivis muneribus, indulgentiis scilicet & remissionibus invitamus, ut exinde reddantur divine gratie aptiores. Cum igitur dilectus filius Jacobus hospitalarius hospitalis sancti Johannis-baptiste Inter-arcora prope Florentiam volens terrena pro celestibus, & transitoria pro eternis felici commercio commutare, hospitale ipsum, in quo tam viri, quam mulieres infirmi recipiuntur communiter, necnon & quamdam in eo capellam ad honorem ejusdem beati Johannis-baptiste de bonis propriis pia devotione construxerit, seque dicaverit ad ipsorum infirmorum obsequium, sicut ipse sua nobis petitione monstravit; nos cupientes, ut dicta capella eo devotius congruis honoribus a fidelibus frequentetur, & infirmis eisdem eo copiosius manus subsidii porrigatur, quo fideles Christi abundantius spiritualium largitione donorum se noverint confoveri, de omnipotentis Dei misericordia & beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus confessis, qui capellam ipsam in Nativitate et Resurrectione Domini centum, qui vero in beate et gloriose virginis Marie et beati Johannis-baptiste festivitatibus devote visitaverint annuatim, et iis qui predictis infirmis pias eleemosynas erogabunt, quadraginta dies de injunctis sibi penitentiis misericorditer relaxamus. Datum Avenione III. idus februarii pontificatus nostri anno primo.

XXXVI. Monumenta aliquot Camaldulensia.

ANTONIUS episcopus Volaterranus hoc anno M. CCC. XCII. indictione XV. die sexta aprilis, cum ex humanis excessisset Leonardus monachus sancti Savini de Pisis & postremus abbas monasterii sanctorum Hippolyti & Cassiani de Carisio, elegit in abbatem ejus loci Philippum monachum sancti Salvatoris Camalduli-Florentini, qui rector tunc erat ecclesiæ sancti Martini in Cisione, habita licentia a Johanne abbate Camaldulensi sancti Salvatoris.

Paulus Venerius regimen suscepit hoc ipso anno ad diem decimam-nonam

nam

nam decembris monasterii sancti Michaelis de Muriano Venetiarum urbis, ut deducitur ab anno ipsius emortuali, qui contigit anno 1448. die XXI. aprilis post cœnobii assumptum regimen anno quinquagesimo-sexto, mensibus quatuor, diebus duobus. Ann. Chr. 1392.

Interfuit eodem anno cum aliis prælatis in urbe Ferrariensi, juxta Muratorium, Antonius abbas Vangaticiensis consecrationi Nicolai filii Cabrini de Robertis facti episcopi Ferrariensis, quæ consecratio contigit die XV. maji sacro festo Pentecostes, ut legitur in chronico Estensi apud eumdem [a], post mortem Thomasii de Marca-piscibus Bononiensis & episcopi Ferrariæ, cui Bonifacius IX. suffecit eumdem Nicolaum. Sed id referendum ad annum antecedentem, quo Pascha contigit die XXVI. martii, & consequenter festum Pentecostes die XV. maji.

[a] T. XV. col. 530.

Comes de Battifolle Robertus filius comitis Caroli verus & legitimus dominus castri Prati-veteris ejusque districtus, nec non castri Montalti & alpium de Strabatenzole, devotionis & caritatis intuitu donavit inter vivos die vigesima-quinta octobris hujus anni [b] Matthæo *Santese*, hoc est sacristæ, monacho eremi Camaldulensis recipienti nomine dictæ eremi usumfructum, redditum & obventum pascuorum dictarum alpium cum arboribus & lignis sine solutione pedagii. Actum in cassero castri Prativeteris; manu Augustini quondam Angeli de Puppio. Enuntiantur ea bona fines habere cum bonis præfatæ eremi, cum bonis comitum Guidonis & Ricciardi de Mutiliana, & cum castro de Ridiracoli.

[b] §. *Donatio* 43. *A*.4.33.

XXXVII. De abbatia Triviensi ejusque juribus.

Gregorius abbas monasterii sanctæ Mariæ in Trivio Montis-cornarii Sarsinatis diœcesis existens præsenti anno M.CCC.XCII. die vigesima decembris indictione XV. in castro Valsavignonis pro actibus & officiis jurisdictionis suæ exercendis, in quo castro est, ut dicitur, prout diœcesanus in diœcesi sua, declaravit titulo reversionis pertinere ad suam abbatiam aliquot jura & bona posita in curtibus Bulciani, Bulcianelli, Castellaris, Cirignionis, Calanitiæ, Fratellarum, Valsavignonis & alibi. Hic loci, licet aliqua sparsim de abbatia Triviensi ejusque juribus dixerimus, colligere lubet ea, quæ ad jurisdictionem spectabant ejus abbatiæ. Ecclesia consurgebat in castro Bulciani dicata sancto Apollinari. In Bulcianello ædificatum erat monasterium abbatiæ Triviensi subjectum. In pagina cujusdam testamenti confecti anno 1305. nominantur monasterium de Trivio, plebs de Trivio, ecclesia de Cella, ecclesia de Monte-cornario, eremus sancti Alberici, & sorores de Trivio. Ecclesia Valsavignonis titulum obtinebat sancti Petri ex pagina anni 1318. ecclesia de Manoli nomen ferebat sancti Angeli ad annum 1339. ecclesia Alfari sancti Andreæ anno 1300. ecclesia de Fratellis sancti Christophori anno 1318. ecclesia castri Cellæ sancti Bartholomæi, & ecclesia Vessæ sancti Leonardi ad annum 1308. Hospitale Ranchambrosii titulum gerebat sancti Bartholomæi ad annum 1303. ecclesia Montis-cornarii sub invocatione sancti Ægidii anno 1303. Angajalem priorem sancti Salvatoris subjectum abbati Triviensi nominavimus ad annum 1268. Mentio insuper in paginis Triviensibus occurrit ecclesiæ sancti Angeli de Rivo-frigido, capellæ Cameragii, sancti Donati de Nassetto, sancti Johannis de Silvaplana, sancti Nicolai de Mazzi, sancti Angeli de villa Papatrice. Castra & oppida, quæ abbatia Triviensis possidebat, vocantur Calaniciæ, Silvæ-planæ, Nassetti, Alfari, Canonacciæ, Mazi; villæ vero Corneti, le Balze & Castri-veteris. Aliquo tempore, ut vidimus, vicarius generalis abbatis Triviensis fuit Uguccio de Fagiola frater Friderici monachi & abbatis Triviensis. Series abbatum Triviensium, præter veteres, ex documentis auto-

Ann. Chr. 1392.

autographis hæc est. Aldebrandus ad annum 1233. Juncta ad annum 1265, qui e vivis excessit anno 1307. die XIII. novembris. Fridericus a Fagiola ab anno 1308. ad 1326. Benedictus anno 1327. Stephanus ad annum 1347. Gregorius ab anno 1376. saltem usque ad annum præsentem. Quæ tum ex protocollis Buldronis & Nerii notariorum ejusdem abbatiæ, tum ex ms. historia Camaldulensi Thomæ Minii addiscimus. Alio in loco seriem abbatum prosequemur, & alia memoratu digna; & demum cladem abbatiæ ad finem vergente seculo sequenti.

XXXVIII. Sententiæ pro sale asportando ad favorem S. Gregorii de Urbe.

Possidebant monachi sancti Gregorii de Urbe in campis Ostiensibus plures salinas, jusque colligendi & asportandi sal intra Urbem ad monasterium suum ex antiquissima largitione sancti Gregorii Magni, qui monasterium sub titulo sancti Andreæ fundaverat, & amplissimis latifundiis & bonis dotaverat. Anno 1380. ab emphyteutis salinarum redditus fuerat monasterio salis debitus census, sed ipsum sal in campis relictum, ut monachi curam haberent ipsum ad monasterium deferendi. Verum cum monachi propter leges latas, quæ prohibebant salium deductiones, ipsum non auderent asportare, confugium habuerant ad Johannem de Cinthiis senatorem Urbis & ad ejus providum *assertamentum*, rationes jurium suorum, in ipso supplici libello exponentes, in quo etiam dixerunt, quod monasterium Gregorianum pro subsidiis præsentis belli solvendis fuerat admodum gravatum, & damna plura sustinuerat, ac per Petrutium de Columna monasterium ipsum spoliatum erat castro Sancti-Gregorii. Senator protulit sententiam, ut satis juribus monasterii fieret, & ut adhiberetur judex, qui causam dictam summarie decideret. Quare Stephanus domini Petri de Occidementinis judex palatinus & cameræ Urbis eo ipso anno, pontificatus Urbani papæ VI. tertio indictione IV. mensis septembris die XXIV. sententiam pro monasterio dixit, cui asseruit jus asportandi sal, & impetrandi a senatore & a conservatoribus cameræ Urbis licentiam id in futurum agendi sine contradictione, & absque necessitate solutionis pecuniæ camerario Urbis vel officialibus societatis. Pariter anno 1388. aliam obtinuerant monachi San-gregoriani favorabilem sententiam a Bartholomæo de Placentia licentiato in decretis & capitaneo populi Romani, ac judice appellationum, contra priorem, canonicos & capitulum basilicæ sancti Petri de Urbe, qui salinariorum causam protegentes, ante biennium se adversarios statuerant monasterii præfati, ac contra Jannoctum tunc episcopum Venusinum subconservatorem privilegiorum & jurium dictæ basilicæ. Bartholomæi de Placentia lata fuit sententia anno M. CCC. LXXXVIII. indictione XI. mensis januarii die XXIV. Demum præsenti anno M. CCC. XCII. pontificatus Bonifacii papæ IX. indictione XV. mensis februarii die XVII. Dominicus de Pensano abbas monasterii prædicti coram nobilibus viris Banderensibus, & coram consiliariis felicis societatis Balistariorum & Pavesatorum constitutus, prænarrata lite habita anno 1380. cum fisco & cum officialibus Urbis & populi Romani, & sententia obtenta a Stephano de Occidementinis exposuit præsidentes Urbis anno præcedenti misceri fecisse sal monasterii cum sale cameræ ad salaria reipublicæ, denegando ipsum tradere suo monasterio. Qui Bandereses statuerunt sal monasterio debere restitui sub die XX. martii. Has autem sententias petiit idem Dominicus abbas a Francisco de Mercatello decretorum doctore, archipresbytero plebis sanctæ Mariæ de Confinio Perusinæ diœcesis, capellano domini papæ & camerario ipsius, & curiæ cameræ apostolicæ generali auditore in publicam formam redigi. Quod quidem Franciscus concessit literis datis ex Urbe apud sanctum Celsum die decima junii hujus anni,

Colle-

Collectionem harum sententiarum ex codice Gregoriano damus in Appendice. Ex ipsa novimus bellum intestinum inter pontificios & anti-papæ fautores anno 1380. ad quod præcipue se armaverant Columnenses. Jannoctum Venusinum episcopum Ughellius [a] appellat Johannem, qui Romæ existens, inquit, judex datus est ab Urbano VI. anno 1385. ad dirimendam litem, quæ capitulum basilicæ Vaticanæ inter & abbatem sancti Gregorii æstuabat, qui sententiam protulit ad favorem capituli; ex archivo basilicæ ejusdem. Mortuum autem facit Johannem eodem vel anno sequenti, sed ex pagina nostra colligitur ipsum vixisse adhuc Romæ indictione IX. die XXI. octobris anni 1386. qua die mandata ex sua habitatione conscripsit contra collateralem Petrum curiæ Capitolii. Banderenses erant vexilliferi, pavesatores autem scutiferi. Intelliguntur autem hiç loci magistratus Romanorum, qui stabant pro Romanis pontificibus. Banderensibus scripsit anno 1376. pro sua Florentina republica epistolam [b] Linus Colucius Salutatus cancellarius Florentiæ. Banderenses etiam nominat sancta Catharina Senensis [c] in suis epistolis, & frequens est per hæc tempora ipsorum mentio in historia Romanorum pontificum.

ANN. CHR. 1392.

a T. VII. col. 173.

b Epist. XVII.

c Epist. 196. V. E.

XXXIX. Daniel de Ungrispach fit oblatus in monast. S. Mathiæ de Muriano.

REFERTUR ad hunc annum ingressus in monasterium sancti Mathiæ de Muriano Danielis Germani ex nobili familia de Ungrispach, qui post fere viginti annos liberæ commorationis in eo loco a latronibus jugulatus, beati & martyris titulum promeruit. „ Is in Germania inferiori „ ortus mercaturam Venetiis exercebat, frequenter vero ad cœnobium „ sancti Mathiæ Muriani navigiolo vectus divertere delectabatur, & quasi „ patrocinium ejus domus & fratrum susceperat. Captus vero in dies „ magis ac magis decore domus Dei (sicut fuerat semper eximius Dei „ cultor, & pauperum miserens & piorum locorum benevolus) ut in „ cœnobio sibi habitare liceret tamquam commisso, a priore & mona- „ chis facile impetravit. Deinde condito testamento ultima martii anni „ M. CCC. XCII. quingentisque aureis cœnobio legatis, suppellectilem il- „ luc detulit, & in inferiori parte claustri cubiculum sibi instituit &c. “ De ejus violenta morte anno 1411. agemus. Hæc porro ad Danielis illustrationem adnotat Cl. senator Flaminius Cornelius, cujus etiam sunt superiora ex Fortunio verba, & sequentia profert de Daniele illustria testimonia, „ Laurentius Trejus in libro, cui titulus; *Sacra monumenta* „ *Provinciæ Foro-julii* folio 114. de ipso ejusque patria refert, quod Da- „ niel de Ungrispach nobilibus parentibus ortus, secularibus vicibus diu „ vixit; hinc Foro-juliense ex patria Venetias profectus in monasterium „ sancti Mathiæ Muriani se recepit. Ibi timore Domini ac pietate præ- „ ditus, divitiis in pauperes erogatis, reliquum vitæ suæ monachorum „ acta imitando peregit. Ungrispach castellum est in montibus non lon- „ ge a Cormons & Goritia situm, veterem quidem olet originem inspi- „ cientibus, ibique Madrisii nobiles castellani ditionem possident. “ Johannes-joseph Capodaglius pariter in suo Utino illustrato parte prima folio 185. hæc Italice profert de Daniele ejusque familia, quæ nos in Latinum vertimus. „ Beatus Daniel filius Nicolai ex dominis Ungrispach, „ Cormons, Medeæ & Flojanæ, quæ familia ejusdem stirpis est cum fa- „ miliis dominorum de Madrisio, dynastarum Ech & Seltz, & comitum „ Turrianorum, sedem habentium in Carinthia, qui Nicolaus a quadrin- „ gentis annis domicilium fixit in Utino, & sepulturæ loca in ecclesiis „ sancti Francisci patrum Conventualium, cujus sacræ ædi diversis tem- „ poribus dono dedit calices argenteos, & sacra suppellectilia insigne præ- „ ferentia ejusdem familiæ, quod est dimidia alba Luna & rubea in cam-

„ po

Ann. Chr. 1392.

„ po albo & rubeo, quodque ad hodiernam diem deferunt domini Madrisii, quod est castrum nunc dirutum a Taleamento, cujus acquisitionem anno 1390. Henricus filius Johannis quondam Volrici de dominis Ungrispach & Cormons fecit, possident vero ejus descendentes jurisdictionem duarum villarum castro olim subjectarum una cum voce & voto in generali cœtu regionis in membro feudatariorum castellanorum. Daniel itaque a floridiori ætate operam dedit vitæ solitariæ & spirituali, & licet filius foret patris æque divitis & nobilis, abhorrens a commodis & a deliciis seculi, præsagiebat gloriam futuræ suæ ætatis. Progrediens in annis progrediebatur in virtutibus, & in desiderio se consecrandi integre Dei cultui, ita ut defuncto patre cogitaverit deserere consaguineos & patriam. Cum autem sæpius Venetias iter haberet, forte missus ob domestica negotia, dum commorabatur in urbe, solebat frequenter visitare monasterium eremitarum sancti Mathiæ de Muriano, & horas integras insumere in suavibus colloquiis cum ascetis loci. Quæ visitatio sæpius repetita amorem erga ipsorum exempla excitavit in Daniele; quapropter divino concitus spiritu decrevit anno 1392. se sociare sanctis eremitis, ac inter ipsos dies suos claudere. “

Quod autem Fortunius Danielem mercaturam exercuisse asserat, non inficiamur; verum mercatura eo temporis etiam penes nobiles viros erat in pretio, neque nobilitas ejus generis exercitio tollitur. Subjicimus libenter autographum instrumentum, quo Camaldulenses monachi hoc ipso anno die ultima martii in divi Mathiæ monasterio cubiculum eidem Danieli concesserunt, in quo pacifice & quiete pro animæ suæ salute stare & inhabitare decrevit, quod ex tabulario ejus loci est hujusmodi.

In nomine Domini nostri Jesu Christi. Anno a nativitate ejusdem millesimo tercentesimo nonagesimo-secundo indictione quinta-decima die ultimo mensis martii. Actum Muriani in monasterio sancti Mathie, presentibus egregio viro domino Guillielmo de la Scala cive & habitatore Venetiarum nato quondam magnifici & potentis domini Canis de la Scala Verone, & ser Johanne de Broilo quondam ser Desiderati cive Venetiarum de contrata sancti Johannis-decollati, & ser Francisco Rabia quondam ser Pauli cive Venetiarum de contrata sancti Simeonis prophete testibus ad hec omnia vocatis, adhibitis & rogatis. Ibique congregato capitulo & conventu monachorum & fratrum monasterii predicti sancti Mathie de Muriano ordinis Camaldulensis ad sonum campanelle more solito pro infrascriptis specialiter pertractandis & faciendis de mandato venerabilis patris domni Jacobi de Faventia Dei gratia prioris dicti monasterii, in quo quidem capitulo interfuerunt ipse dominus prior, & monachi & fratres infrascripti dicti monasterii, videlicet domnus Bartholomeus, domnus Christophorus, domnus Antonius, domnus Tiberius, domnus Blasius de Venetiis, & domnus Bernardus de Pisis, frater Romualdus de Venetiis, frater Marcus de Venetiis, frater Natalis de Venetiis, frater Antonius de Florentia, frater Nicolaus de Venetiis, frater Christophorus de Bagnacavallo, frater Mattheus de Florentia, frater Jacobus de Parentio facientes & constituentes ultra duas partes dicti capituli & conventus, prefatus dominus prior de voluntate et consensu dictorum suorum monachorum et fratrum, et dicti monachi et fratres de licentia et auctoritate dicti domini prioris omnes sibi invicem consentientes, et eorum nemine discrepante, revolventes suis in animis devotionem et reverentiam nobilis viri ser Danielis de Ungrispach, quas ipse singulariter dudum gessit, et in presentiarum gerit ad ecclesiam beati Mathie apostoli, et ad monachos et conventum dicti monasterii ordinis Camaldulen-

dulensis predicti, & considerantes merita sua ac beneficia, que ipse gratis, & suo dumtaxat motus instinctu per ..... cum operis ostendit, specialiter in donando dicto conventui ducatos quingentos de Imprestitis, quos ipse scribi fecit dicto conventui, ut clare & patenter apparet ad cameram Imprestitorum communis Venetiarum, & in libris etiam dicti monasterii, & advertentes & perpendentes a certo voluntatem intrinsecam ac piam dispositionem dicti ser Danielis, qui causa serviendi Deo & habendi conversationem cum dictis domino priore & monachis asseruit velle vivere & mori in dicto monasterio, in habitu tamen seculari & honesto, & sequi aliqua ex vestigiis dictorum monachorum, in quantum sibi cum Deo erit possibile, habito prius inter ipsos dominum priorem & monachos & fratres dicti monasterii scrutinio diligenti & deliberatione matura, & nolentes amittere bonam conversationem & piam dicti ser Danielis, omni modo, jure & forma, quibus melius & efficacius potuerunt, concesserunt eidem ser Danieli presenti, volenti, & petenti & affectanti unam cameram in dicto monasterio, in qua ad presens ipse ser Daniel moratur, & quam nuper ipse fecit ornari & reparari; dantes, conferentes & concedentes eidem ser Danieli presenti facultatem & libertatem plenariam possendi pacifice & quiete pro salute anime sue stare, morari & habitare in dicto monasterio de die & de nocte, & uti dicta camera, & in ea habitare ad suum beneplacitum & voluntatem, & ire etiam extra dictum monasterium & redire illuc, quandocumque & quotiescumque sibi placuerit, absque alicujus contradictione & reprehensione, ita tamen quod ipse non teneatur nisi ad ea, que sponte sua & secundum suam conscientiam facere & exercere voluerit, & promittentes sibi sollemniter, quod donec ser Daniel morabitur in dicto monasterio, donec ibidem vivet, dari facient sibi victum pro suo corpore necessarium, de his videlicet, que habebunt, & quibus utentur alii monachi & fratres dicti monasterii, possendo comedere, aut in conventu cum aliis, aut in sua camera, ut sibi placuerit, & sibi deputabunt unum ex monachis dicti monasterii, qui eidem ser Danieli serviet in cunctis sibi necessariis, & quandocumque contigerit prefatum ser Danielem de hac vita transire, facient eum ibidem sepeliri devote, et singulo anno in perpetuum facient anniversarium suum devote pro salute anime sue, et predicta omnia et singula concorditer et sollemniter per se et suos successores eidem ser Danieli inviolabiliter observare. Ex adverso autem prefatus ser Daniel ob devotionem et affectionem suas confirmans per se et suos heredes quecumque data et collata per eum dicto conventui, que minima sunt, promisit sollemniter prefatis domino priori et monachis, et fratribus antedictis presentibus et stipulantibus pro se et suis successoribus de donatis et collatis per eum numquam litem aut contradictionem movere dictis monachis et fratribus, aut eorum successoribus per se aut alium ullo modo, nec inferre volenti consentire; et de omnibus supra premissis per ipsos dominum priorem ac monachos et fratres gratias humiliter egit eis, et acceptavit ea grato animo et intentione fideli. De quibus omnibus, dum sic agerentur et fierent, voluerunt dicte partes fieri per me notarium unum et plura publica instrumenta unius et ejusdem tenoris. Ann. Chr. 1390.

Ego Marcus de Raphanellis de Venetiis quondam ser Matthei publicus imperiali auctoritate notarius et judex ordinarius his omnibus et singulis interfui, et rogatus scripsi et publicavi.

In tractatu de feudis olim per patriarcham Aquilejensem conscripto ab anonymo apud Muratorium in Antiquitatibus medii ævi [a] fit mentio Danielis his verbis: „ Extat instrumentum manu Johannis Susanii septimo „ idus

[a] T. I. col. 643.

Ann. Chr. 1392. „ idus julii M. CCC. XCIV. quo adversus Danielem Ungrispacum omnes „ exequitur causas, quod in tempore non recognovisset *habitantiæ* feudum, quod non incoluisset, quod alienandi jure non impetrato licentiam sibi arripuisset.“ Triplex erat in Foro-julio feudum, rectum & legale, habitantiæ & Ministeriale non a patriarchis solum, sed ab oppidanis quoque conferri solitum, de quibus videatur idem anonymus.

Augustini abbatis Puteolensis mentio fit ad hunc annum in tabulario sancti Pontiani urbis Lucensis [a].

a L. num. 40.

Ann. Chr. 1393.

XL. De ecclesia S. Mariæ de Vertilio, & de oratorio S. Antonii eremi.

CUM frequentes convenirent fideles ad ecclesiam sanctæ Mariæ de Vertilio Montis-sancti-Sabini, dilargitus est Romanus pontifex Bonifacius IX. hoc anno M. CCC. XCIII. die XXIX. augusti pontificatus sui anno quarto ex Perusio annos septem indulgentiarum visitantibus vel adjuvantibus eam ecclesiam, quo eorum devotio & pietas augeretur. Subjiciebatur ipsa ecclesia monasterio sanctæ Mariæ de Agnano, & plura tum de ipsa, tum de prodigiosa imagine beatæ Mariæ virginis disseruimus ad annum 1100.

Ad eamdem Agnani abbatiam spectabat altera ecclesia sancti Martini provinciæ Montis-amiati diœcesis Suanensis, cujus collatio facta ab abbate Johanne legitur sub hoc anno in libro Silvarum [b] tabularii ejusdem monasterii.

b Pag. 353.

Gerardus Benedicti Nerozzi de Albertis Florentinus suo testamento condito anno præsenti die vigesima-tertia martii [c] hæredibus suis mandavit, ut construerent in eremo Camaldulensi oratorium simile illi, quod construxerat Antonius Alberti ex consortibus suis. Quod oratorium ædificari mandaverit Antonius, non satis constat, nisi forte oratorium sancti Antonii portæ eremi refici & restaurari ordinaverit. Sed Gerardi voluntas effectum suum non fuit sortita, cum ipse Gerardus atque Antonius ejus consors uti reipublicæ Florentinæ rebelles exilio mulctati fuerint, eorumque bona fisco & officio Octovirorum Baliæ in cautionem attributa fuerint anno 1402. ut narrat Ammiratus in historia Florentina.

c S. Notabilia 42. A. 3. 40.

Commune ejusdem Florentinæ reipublicæ die XXIII. decembris [d] hujus anni privilegium concessit eremitis sanctæ Mariæ Angelorum suæ urbis, ut officiales *Montis* dicti communis semper tuerentur, protectionisque munere defenderent idem monasterium, & opem ferrent, quo consequeretur possessionem rerum legatarum prædicto loco.

d Num. 396.

XLI. Bona monasterii Morronæ sub defensione comitis de Monte-scudario.

GEORGIUS de Venetiis abbas monasterii sanctæ Mariæ de Morrona Pisani comitatus & ordinis Camaldulensis, obtento consensu ab Andrea de Faventia priore generali ejusdem ordinis, ejusque decreto & auctoritate, perpendens potentiam & excellentiam egregii viri Nicolai comitis de Monte-scudario, ipsum elegit in fidelem & defensorem sui monasterii & ordinis contra aliorum magnatum potentiam & violentiam indebite occupantium bona & prædia sui cœnobii; considerans quoque grata devotionis obsequia, quæ olim bonæ memoriæ magnificus & potens vir Bonifacius comes de Donoratico, & sextæ partis regni Galluritani dominus contulerat monasterio Morronensi, cujus bona Conradus abbas prædecessor suus anno M. CCC. VI. indictione quarta decimo-quinto kalendas februarii dicto comiti in feudum concesserat; porro Nicolaus comes de Monte-scudario erat de prosapia & in patrimonio, ut dicebatur, præfati comitis Bonifacii de Donoratico, qui masculum non habuerat hæredem; his, inquam, omnibus pensatis tradidit, libereque concessit Georgius abbas eidem Nicolao comiti ejusque hæredibus masculini sexus in feudum &

jure

jure feudi medietatem integram castri Montanini plebatus Balnei de Aquis & ejus territorii, dominii & proprietatis, pasturæ & nemorum, salvis honoribus patronatus & jurisdictionis, tribuens etiam omnia jura & nomina, quæ monasterium obtinebat in ipso castro, possessiones quoque alias de novo emptas, vel spectantes ad Morronense cœnobium. Excepit tamen patronatum ecclesiæ sancti Laurentii de Montanino, & eremitorii terræ veteris & novæ, quæ in eo contractu comprehensa esse noluit. Juravit e contra comes fidelitatem ac defensionem monasterii & abbatis, immo defensionem etiam prioris & totius ordinis Camaldulensis, cum pensione candelæ cereæ unius libræ pro censu ponendas super altare ecclesiæ in festo nativitatis beatæ Mariæ. Actum Pisis in capitulo monasterii sancti Michaelis de Burgo Pisarum, præsentibus Rainerio abbate sancti Michaelis, Bartholomæo abbate Burgense, & nobili viro presbytero Corradini quondam Jacobi Bandini de nobilibus Capronæ de Pisis, anno incarnationis Dominicæ M. CCC. XCIII. indictione prima die secundo januarii secundum ritum & consuetudinem Pisanorum. Eodem anno M. CCC. XCIV. stilo scilicet Pisano, indictione prima die undecima junii per procuratorem idem Nicolaus comes possessionem feudi accepit, eam tradente Georgio abbate. Integrum infuedationis instrumentum ad Appendicem remittimus ex apographo ecclesiæ Volaterranæ.

ANN. CHR. 1393.

XLII. Sententia pro abbate & cœnobio S. Michaelis Pisarum.

„ INTER Rainerium abbatem sancti Michaelis in Burgo Pisarum, & „ inter N.. abbatam sancti Pauli ad ripam Arni ordinis Vallis-umbrosæ „ lis de præcedentia gravissima agitata est coram archiepiscopo Pisano „ præsenti anno. Archiepiscopus causæ cognitionem commisit Simoni Ce- „ cinensi ordinis sancti Dominici priori sanctæ Catharinæ ejusdem urbis, „ qui visa utriusque congregationis & monasterii origine, auditisque par- „ tibus, & visis privilegiis, quibus cœnobium sancti Michaelis a Pisana „ sede insignitum est ab antiquissimo tempore, sententiam tulit & pro- „ mulgavit, quod abbati sancti Michaelis in omnibus publicis negotiis „ & processionibus competit jus præcedentiæ, locusque potior & anterior „ prope crucem & clerum majoris ecclesiæ Pisarum; in ipsa vero ma- „ jori ecclesia in omnibus actibus, quibus illum interesse contigerit, com- „ petit jus præeminentiæ prope personam archiepiscopi, sicut semper fie- „ ri solitum est. Actum in basilica Pisarum die XII. junii, " ut in historia ejus monasterii scribit Fortunius [a].

XLIII. Epistolæ antianorum Pisanorum pro novo abbate S. Michaelis.

HOC ipso tamen anno supremum diem obiit ipse Rainerius abbas die XXVII. decembris, post cujus obitum antiani urbis Pisanæ [b] sequentem dedere epistolam Romano pontifici Bonifacio IX. pro successore deligendo, quam subjicimus ex codice Provisionum Pisani senatus.

Sanctissimo in Christo patri & domino domino Bonifacio divina providentia sacrosanctæ Romanæ & universalis ecclesiæ summo pontifici, almoque pastori dignissimo.

Sanctissime pater & domine. Considerantes monasterium sancti Michaelis de Burgo Pisanæ civitatis, constitutum in loco ipsius civitatis insigni, vacans per mortem venerabilis viri domni Raynerii abbatis ipsius monasterii ista die viam universæ carnis ingressi, præsidio spiritualis patris non modicum indigere, & cupientes ipsum monasterium de patre utili providere, sanctitati vestræ cum omni reverentia & devotione humillima supplicamus; quod venerabilem virum domnum Mamilianum Jacobi abbatem sanctissimæ Trinitatis & sanctæ Mustiolæ de Turri Senensis diœcesis ordinis Vallis-umbrosæ dilectissimum civem nostrum, virum famæ honorabilis & conditionis honestæ ..... & de legitimo matrimonio procreatum, quem ipsi monasterio præfer-

a P. II. lib. II. cap. 12.

b Cod. G. pag. 270.

Ann. Chr. 1393. *præferri universus ipsius monasterii populus præcipue contentatur, nobis & Pisanis omnibus ex ejus virtute & benemeritis prædilectum, ad sedem ipsius monasterii promovere, & eligere de singulari gratia sanctitas vestra dignetur; erit etenim, ut indubie credimus, Deo gratum, & ipsius monasterii gregi munus præcipuum, & ipsi monasterio incredibiliter fructuosum, nostræque devotionis ad sanctitatis vestræ me . . . . dispositæ cedet ad gratiam singularem, potius ex fructu & commodis dicti monasterii, quam personæ &c.*

Die XXVII. *decembris* II. *indictione.*

Fideles sanctitatis vestræ devoti, scilicet antiani.

Indictio mutata fuerat mense septembri, vel a die nativitatis Dominicæ. Similem scripsere Francisco Moricotto eorum archiepiscopo, & tunc S. R. E. cardinali episcopo Prænestino & Vice-cancellario eadem die. Die vero sequenti legatum civem suum ad præfatum Romanum pontificem misere cum hujusmodi brevibus literis:

Sanctissimo in Christo patri & domino domino Bonifacio summo pontifici prælibato. Sanctissime Pater & Domine. Reformationi ecclesiæ sancti Michaelis de Burgo civitatis nostræ abbate carentis, pro qua heri sanctitati vestre supplicatorie scripsimus, desiderio præcipuo cordis affecti. Ecce mittimus ad pedes beatitudinis vestræ prudentem virum ser Andream de Castilione notarium carissimum civem & oratorem nostrum, intentionis nostræ super dictam materiam sufficienter instructum, cui credere tamquam nobis causa prædicta cum exauditionis a nobis optatæ gratia sanctitas vestra dignetur. Personam beatitudinis vestræ desiderantes semper incolumem & felicem, ad cujus merita nos semper reperiet dispositos & paratos.

Die XXVIII. *decembris.*

Fideles sanctitatis vestræ devotissimi.

Sed Mamilianum Pisanorum civium precibus commendatum ad regimen ejus monasterii translatum a Bonifacio minime credimus. Post quatuor menses abbas dicti cœnobii erat Michael, qui die XXIV. aprilis promisit pro communi servitio ducentos Florenos, item ducentos pro servitio Rainerii prædecessoris sui, similiter alios ducentos-triginta pro servitio Jacobi alterius prædecessoris sui, ut habetur in libro *Obligationum*, nullaque mentio fit Mamiliani.

Antonius abbas monasterii sancti Hilari de Galeata ordinis sancti Benedicti, quod nullius existit diœcesis, ex libro *Obligationum* promisit pro suo servitio Florenos centum.

Obeunte Alberto Estense marchione successit Nicolaus novennis, qui sub protectione reipublicæ Venetæ dominium ditionis Estensis recepit, & ad plures annos tenuit.

Ex paginis Avellanensibus post mortem Pauli abbatis, quæ contigit hoc anno, monasterium sanctæ Crucis Fontis-avellanæ in commendam abiit. Primus abbas commendatarius effertur Bartholomæus de Mediavacca Bononiensis S. R. E. cardinalis; ex aliis tamen monumentis enuntiatur primus abbas Ugo itidem cardinalis.

Ann. Chr. 1394. Exercitus ecclesiæ invasit & abstulit hoc anno castrum Valbonæ a dominio comitis Francisci de Battifolle, ut legitur in Gamurrinio tomo primo pagina 149.

XLIV. Monasterium Vallis-castri unitur ordini Camaldulensi. a §. *Unio* 4. *A.* 4. 41.

INCLINATUS Bonifacius IX. Romanus pontifex precibus Andreæ prioris generalis congregationis Camaldulensis & Angeli abbatis monasterii sancti Romualdi Vallis-castri, conjunxit die quarta septembris hujus anni [a] dictum cœnobium Valle-castrense cum eremo Camaldulensi. In suo diplomate

mate asservari in ejus cœnobii ecclesia affirmat corpus sancti Romualdi, qui fuit auctor & principium ordinis Camaldulensis, sed monasterium tunc temporis adeo deplorat in suis ædificiis esse collapsum, quod nec ipse abbas aut alius monachus amplius in eo residerent, sed domicilium evasisset brutorum animantium. Verum quia prior eremi Camaldulensis ejusque conventus compositi erant ad procurandam ipsius reparationem, ideo ipsorum curæ & sollicitudini tradendum jussit idem cœnobium, supprimens in ipso abbatialem dignitatem, & ad instar prioratuum Camaldulensium locum redigens, ita tamen, ut abbas & monachi hac illacque dispersi possent & deberent ordinem Camaldulensem quamprimum profiteri, ibidemque perpetuo remanere, neque ipsorum prælatus deinceps abbas, sed prior nominaretur, ac imposterum cum monasterium vacare contigerit, prior per electionem conventus ejusdem monasterii assumeretur. Datum Romæ pontificatus sui anno quinto. Deposuit itaque atras vestes, quæ hactenus viguerant, & albas induit Angelus Valle-castrensis abbas, & ordinem Camaldulensem fuit professus, abbatisque titulum dimisit sequenti anno, sicut in fasciculo chartarum hujusmodi unionis legitur. Is tamen paulo post procuratorem generalem pro Camaldulensibus in Urbe agens, ab eodem Romano pontifice unionem rescindi impetravit, atque correctionem, visitationem & subjectionem prioris Camaldulensis detrectavit. Denuo anno 1397. unionem imperavit idem Romanus pontifex, sed contentiose obtenta fuit abbatia usque ad annum 1406. quo tertium ab Innocentio VII. Bonifacii successore decreta fuit unio, quæ postea stabilis perseveravit.

ANN. CHR. 1394.

XLV. Sententiæ communis Florentiæ pro eremo Camaldulens.

„ PRIORES artium & vexillifer justitiæ populi & communis Florentiæ una cum officiis & cum societatibus populi & cum duodecim bonis viris sic appellatis dicti communis & regulatoribus expensarum ejusdem reipublicæ, more solito congregati ad diem XXVII. junii [a] hujus anni considerantes, quod pius locus monachorum eremi Camaldulensis situs in partibus Casentini, & recommendatus communi Florentiæ indigebat quampluribus victualibus pro substentatione monachorum & conversorum in eo commorantium & aliorum accedentium, maxime quod esset in locis alpestribus & montanis, a conversatione hominum valde distans, volentes pro loco in iis, quæ possunt, Deo grata & utilia facere, præsertim circa solutionem faciendam *passageriis* pro translatione frumenti, vini, olei aliorumque necessariorum, idcirco providerunt, statuerunt & ordinarunt in perpetuum, quod gubernatores *gabellæ* portarum, & salis & salinæ civitatis Florentinæ præsentes & futuri possent & deberent toties, quoties necessarium erit, providere, quod de dictis victualibus pro pio loco & monachis & personis accedentibus tam in extrahendo a possessionibus, quam in conducendo dicta necessaria ad victum, & alia, si ex eorum possessionibus non sufficerent, ubicumque tam in comitatu Florentino, quam in districtu Arretii collectis vel extractis, nullum *passagium*, *gabella*, seu alia quælibet solutio pro dicto communi seu aliter reciperetur, solveretur, seu exigi deberet quoquomodo a prædictis monachis; ita tamen ut provideretur per eosdem gubernatores, ne sub prætextu dictæ licentiæ & deliberationis aliqua fraus interveniret in observatione & executione prædictorum;" manu Bartholomæi Dominici Silvestri Cionis notarii, ut legitur in libro Actorum cameræ dicti communis privilegio exemplato anno M.CCCC. XXXIX. die XXIII. maji & in publicam formam redacto.

a §. *Statuta* 12. *A*. 4. 89.

Iidem priores, & Donatus Jacobi de Acciajoliis vexillifer justitiæ, [b] attenta

b §. *Mutilæ* 13. *A*. 4. 3.

Ann. Chr. 1394.

attenta querimonia Andreæ prioris generalis Camaldulenſis, quod in libro Cenſuum eccleſiarum communis Florentiæ adnotata eſſet abbatia Pratalienſis, quæ jampridem adjecta fuerat eremo Camaldulenſi, decreverunt eam delendam eſſe ab eodem libro, eodemque privilegio frui, quo fruebatur Camaldulenſis eremus.

XLVI. Abbatia S. Michaelis de Lemmo unita monaſterio S. Michaelis de Muriano.

Abbatia ſancti Michaelis de Lemmo in Hiſtriæ provincia a parente noſtro Romualdo fundata ſeculo XI. ineunte, privilegiiſque donata a comitiſſis ejuſdem loci, quæque initio præſentis ſeculi ab epiſcopis Parentinis erepta e jure Camaldulenſium ad ordinem militiæ Templi translata fuerat, hoc anno agente in primis Paulo Venerio abbate ſancti Michaelis de Muriano, reſtituta fuit congregationi Camaldulenſi, & ejus monaſterio adjecta. Impetravit ſiquidem eam unionem ab Andrea præſide generale ordinis; deinde cum territorium ejus monaſterii occuparetur ab hominibus caſtri ſancti Laurentii, obtinuit ab Antonio Venerio duce Venetorum & a concilio Rogatorum, ut ſcriberentur literæ Thomaſino Juſtiniano poteſtati ſancti Laurentii pro examine finium, & ſententiarum olim latarum pro determinando vero territorio ejuſdem monaſterii. Datum in noſtro ducali palatio die XXV. octobris indictione III. mutata menſe ſeptembri. Quare Thomaſinus poteſtas lectis donationibus Aczicæ comitiſſæ, & ſententia Marci Cornarii prolata anno 1344. judicavit homines dicti caſtri debere reſtituere præfato monaſterio plures terras ab eis detentas & occupatas, quæ nominabantur in donatione prædictæ comitiſſæ factæ anno 1040. immittens Lazarum monachum & ſindicum ſancti Michaelis de Muriano in ipſarum poſſeſſionem, ea tamen adjecta conditione, ut paſcua forent communia tam hominibus monaſterii, quam hominibus caſtri in utroque monaſterii & caſtri territorio. Lata fuit ſententia die jovis decima decembris indictione ſecunda, ordinaria hujus anni. Conſenſit ei ſententiæ Lazarus monachus in ea dumtaxat parte, quæ pro monaſterio faciebat, at circa alia in judicio contenta appellavit ad Auditores ſententiarum communis Venetiarum. Sententia proſtat in Appendice ex tabulario monaſterii ſancti Mathiæ de Muriano, ex qua, ſicut & ex aliis, de quibus dicemus ſeculo ſequenti, exemptio abbatiæ Lemmenſis ab epiſcopo Parentino, verique fines prædiorum innoteſcunt.

Eodem anno indictione ſecunda ſecundum uſum noſtrarum partium Caſentini tempore Bonifacii papæ IX. die ultima julii præfatus Andreas prior generalis interpellatus ab eodem Paulo Venerio abbate pro infeudandis & vendendis bonis, quæ abbatia ſancti Michaelis poſſidebat in partibus valde remotis, ſcilicet in caſtro Pirani, in Hiſtria, in Juſtinopolitano territorio, in civitate Tergeſtina, in caſtro Ruvinii, in civitate Tarviſina & in caſtro Opitergii, mandavit Victori priori clauſtrali ejuſdem monaſterii, ut ſi intercederet vera utilitas ejuſdem abbatiæ in hiſce venditionibus, facultatem faceret Paulo abbati infeudandi & vendendi; ex tabulario ejuſdem monaſterii ſancti Michaelis.

XLVII. Indulgentiæ eccleſiæ S. Chriſtinæ de Foro-livio.

Scarpetta de Ordelaffis epiſcopus Foro-livienſis præſenti anno indictione II. pontificatus Bonificii papæ IX. die VIII. martii indulgentias conceſſit viſitantibus eccleſiam monialium ſanctæ Chriſtinæ ejuſdem urbis Camaldulenſis ordinis; eaſdemque ipſa die dilargitus eſt Benedictus epiſcopus Sarſinas, ut moniales, domum & locum ſui monaſterii reædificare valerent, iis, qui manus adjutrices porrigerent. Scarpetta filius ſpurius erat Franciſci Foro-livii tyranni. Benedictus autem Accorſelli ordinis Prædicatorum Sarſinatem eccleſiam regebat.

E c-

ANN. CHR. 1394.

XLVIII. De congregatione Corporis-christi.

Ecclesia parœcialis sancti Florentii intra urbem Perusinam in contrata portæ Solis, olim prioratus & membrum monasterii Montis-acuti, tributa fuit circa hunc annum monachis congregationis Corporis-christi, cui unioni accessit hoc ipso anno apostolicum robur bullæ Bonifacii papæ IX. & anno 1428. alterum Martini V. in quo loco monachi ejus congregationis commodum cœnobium ædificarunt, quod postea anno 1445. ad patres Servorum beatæ Mariæ transiit ex concessione Eugenii papæ IV. Congregatio Corporis-christi instituta fuerat anno 1328. ab Andrea Pauli Assisii clerico primum seculari, inde monacho Benedictino, obtenta licentia ab Alexandro Vinciolo Perusino urbis Nucerinæ episcopo. Fundamenta hujus congregationis jacta fuere in ecclesia extra oppidum Gualdi sub parœcia monasterii sancti Benedicti ejusdem castri, prope quam ecclesiam nobile monasterium caput congregationis condidit Andreas fundator. Monachi sub regula sancti Benedicti, & sub instituto Cistercensium militabant, adjectione peculiarium aliquot constitutionum, quas confecit Andreas, & approbavit idem Alexander Nucerinus antistes. Sic vero vocati fuere ob singularem venerationem, qua colebant sacrosanctum Christi corpus; vestes autem albas deferebant. Congregatio obtinebat duodecim monasteria, nempe prædictum extra Gualdum, aliud sanctorum Gervasii & Protasii milliario distans ab eodem oppido (de hoc mentio fit in vita beati Angeli Gualdensis, ejusque tempore erat eremitorium), sancti Angeli de Marone prope Camerinum, sanctæ Catharinæ extra portam Sanctæ-anatoliæ, alterum extra urbem Tudertinam, sanctæ Mariæ in Campis extra Fulginium, sancti Johannis-evangelistæ prope Camerinum, aliud in nemore Bacci, alterum in terra Fractarum Perusini territorii, sancti Hieronymi prope mœnia Camerini, & sancti Herculani intra Perusinam urbem.

Vacante parthenone sancti Benedicti de Arretio per translationem Catharinæ priorissæ ad regimen parthenonis sancti Johannis-evangelistæ de Prato-veteri, ipsa Catharina abbatissa elegit Claram Mei de Cattanis Montis-sancti-Sabini in priorissam sancti Benedicti, quæ statim juravit obedientiam Andreæ de Mojona monacho Camaldulensi recipienti vice-abbatissæ Catharinæ, ex tabulario Prati-veteris [a]. Catharinæ nomen perseverat ad annum 1404. quo nominatur Agatha ejusdem loci abbatissa.

[a] Num. 227. 229.

XLIX. Zenobii Tantini carmina.

Florebat in monasterio sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia Zenobius Tantinus, qui hoc anno vitas beati Silvestri & beatæ Paulæ in lucem protulit. Ad ipsum Zenobium pertinent carmina Italica scripta, quæ leguntur in Magliabechiana bibliotheca in eo codice, qui varia complectitur carmina composita a Francisco Petrarcha, Francho Sacchetto, Andrea Piccolomineo, Zenobio, aliisque. Zenobius, cui referuntur, nempe de Strata, grammaticus & rethoricus Florentinus, jam obierat anno 1364. & in hoc carmine, in quo fortunæ mobilitas describitur, queritur Zenobius sexto jam & decimo anno Romanam ecclesiam duorum pontificum contentione dividi. Alludit nimirum ad schisma conflatum post mortem Gregorii XI. Romani pontificis; quare hæc carmina non Zenobio de Strata, sed Zenobio Camaldulensi monacho Angelorum sunt restituenda.

La Santa chiesa la fortuna mena
Con papi due già sedici anni non
El mal, che n'esce, in pergamena
Si scriverebbe &c.

In alio vero carmine post triennium cecinit Zenobius:

Mille trecento con novanta sette

Di

Ann. Chr. 1394.

Di Marzo già passati dieci soli
Vennon da Siena que' malvagj stuoli,
Ch' el Conte ci mandò colle sue sette &c.

Comitem intelligit Albericum de Barbiano ducis Galeatii armorum præfectum, qui copias suas eo anno Florentiam versus duxit, & agros depopulatus est. Alio in loco, quis foret Zenobius poeta, se prodit:

Qui scrissit scribat & senper chum Domino vivat
Vivat in æterna vita Zenobius Eremita.

Eremiticam enim vitam ducebant concellitæ sanctæ Mariæ Angelorum, neque unquam pedem ferebant extra claustra.

Amicitiam etiam coluit Zenobius cum Colucio Salutato, ad quem extant in eodem codice carmina hæc ejusdem Zenobii. Misit hunc Sonettum ad ser Colucium Z.

Quid tibi prodest, *se per tutto il mondo*
La fama tua già fosse volgata?
Quid tibi prodest, *aver raunata*
Per tua bontà roba senza fondo? &c.

Respondit Colucius:

Prodest fama, *a chi è di cuor sì mondo,*
Che fama sprezza, che dall' uom sia data.
Prodest *ricchezza, a chi se l' ha acquistata,*
Se a Dio la rende per non gir al profondo &c.

Pariter Zenobius a ser Colucio facit hunc Sonettum:

Video Sanctos *fuggir questo tondo*
Del mondo infetto per ogni boscata,
Urbes, vicos *& ogni brigata,*
Per tener da sensi il cor lor mondo &c.

Respondit ser Colucius:

Credi tu per dire, io mi nascondo,
Fuggo le genti e tengo ben serrata
Mentem mundi rebus, *e gastigata*
Tengo la carne, onde io non mi confondo
Petere stellas, *che nel Ciel ritondo*
Fonda la man divina &c.

Legatur V. C. Laurentius Mehus, ex cujus illustrationibus in vitam Ambrosii Camaldulensis hæc novimus.

Ciattus & Pellinus in historiis Perusinis asserunt monasterium & abbatiam sancti Salvatoris de Monte-acuto hoc anno a Cistercienfibus iterum rediisse ad Camaldulenses; verum obstant instrumenta & paginæ ejusdem loci, in quibus etiam posthac abbates, qui in ipsis nominantur, sunt ordinis Cisterciensis; quare serius, initiis nimirum seculi XVI. postquam abbatia pluribus commendatariis abbatibus paruit, referenda est hæc devolutio, ad tempora nimirum Galeatii de Gabriellibus Fanensis commendatarii abbatis.

Ann. Chr. 1395.

L. Johannes a Sancto-miniate monachus in monasterio S. Mariæ Angelorum de Florentia.

CONFUGERAT anno præterito, hortatore Colucio Salutato, Johannes a Sancto-miniate ad cœnobium sanctæ Mariæ-Angelorum de Florentia, & sacras albas vestes in eo monasterio induerat mundo vale dicens, ut fidem facit in suo Charitonis & Hippophili Hodoeporico Cl. V. Jo. Lamius [a]. Is antequam ad monasticam vitam evolaret, militaverat in exercitu Florentino contra comitem Virtutum. Factus monachus, pupugit ipsius conscientiam dubium, an restituere teneretur, quæ pro victu suo

[a] *Part. I. pag.* 190.

ſuo & ſuorum belli tempore rapuerat, eaque ſuper re conſuluit eumdem Colucium, qui ſequenti epiſtola ad ipſum reſponſum dedit. Extat ipſius epiſtolæ initium hujuſmodi apud eumdem Lamium. Ann. Chr. 1395.

Fratri Johanni de Sancto-Miniate in monaſterio ſanctæ Mariæ de Angelis.

Petis, religioſe vir, olim fili, nunc in Chriſto Jeſu frater, ſi mihi ſe facultas dederit imitandi, qui cum fueris in exercitu Florentino, quem pro defenſione publicæ libertatis inſultata bello patria tranſmiſit in Lombardiam contra comitem Virtutum, & hoſtibus pro victu tuo, nec non & tuorum multa rapueris, an nunc tota mente per religionem converſus in Deum hoc tibi debeas ad reſtitutionis neceſſitatem, & peccati maculam imputare, ſcribiſque, quod, ſicut ſolet, humanæ ſalutis hoſtis rem hanc ante mentis oculos ingerit & adducit, ut primum oporteat hanc moleſtiam ex animo, quo partæ quieti tranquillus indulgeas, extirpare &c.

LI. Ipſius epiſtola, & reſponſio Colucii Salutati.

Petebant inſuper concellitæ ſanctæ Mariæ Angelorum ab eodem Colucio opera ipſius Johannis Samminiatenſis conſilia, & ſi quando dubia aliqua occurrebant, literario commercio Johannis & Colucii ſolvebantur. Non injucundum erit ſubnectere Johannis epiſtolam & prolixiorem Colucii reſponſionem, quas beneficio & comitate ejuſdem Cl. V. Lamii ad nos miſſas edimus.

Epiſtola fratris Johannis monachi ſanctæ Mariæ de Angelis ad ſer Colucium cancellarium Florentinum.

Pater venerande, accipe librum tuum, ſed ſi vacaret, ſi palatinæ curæ te tibi dimitterent, deſiderio deſiderarem abs te doceri, cui cœnobitæ faciliorem putes fore in Dei via tranſitum, an illi, qui tenellis annis religionem rerum neſcius intravit, an illi, qui dudum hujus ſeculi ſalo jactatus, tandem ad ſanctæ converſationis portum confugit? cum alterum experiendi cupiditas ſollicitet, alterum experientia præhabita faſtidiendo conturbet. Si vides paucis poſſe perſtringere, ediſſeras rogo: Si non, omitte. Nollem tempus tuum, quod melius expendis, meis rogationibus occupare. Vale in Domino.

Huic epiſtolæ tale reſponſum dedit Colucius:

Petis a me, nec ſolum tu petis, ſed etiam venerabiles fratres tui, qui in eodem cœnobio Deo in ſinceræ religionis obſervantia per ejuſdem, cui intenditis, gratiam deſervitis, quod vobis debeam explicare, cuinam ſit facilior in religione curſus magiſque tentationibus expeditus, an illi, qui ætate grandior inter mundi blandientis verſatus illecebras Religionem intraverit, an illi, qui nondum ſeculi delectationes expertus, Dei digito Religionem ingreſſus ad ejus ſervitia ſit deductus. Major equidem quæſtio, quam tua caritas opinetur. Oportet etenim in hac quæſtione librare, quid plus moveat mentes humanas, an recordatio voluptatum exactarum, an curioſitas, qua trahimur, ut eorum, quæ neſcimus, experientiam ac notitiam habeamus. Et quis erit per humanam intelligentiam judex æquus, qui ſciat debitam ferre ſententiam ſuper iſta materia, cum tanta ſit varietas affectuum humanorum, quod alius his, alius contrariis delectentur? Hos equidem trahit avaritiæ ſtudium, illos prodigalitatis effluxus; hos gloriæ cupiditas, illos vel conſcientiæ latibula, vel ſolitudinis infrequentia trahit & mulcet; hos armorum ſtudium, illos delectat exercitium litterale. Et ſi cuncta diſcutias, ferme nullos invenies, quos uſquequaque ſimilia juvent, quamquam in rationali vel ſenſitivo, ſi cuncta diſcutias, appetitu ſint ejuſdem per omnia voluptatis. Nimiſque verum eſt poeticum illud:

Torva leena lupum ſequitur, lupus ipſe capellam,
Florentem citiſum ſequitur laſciva capella.
Te Coridon, o Alexi. Trahit ſua quemque voluptas.

Ann. Chr. 1396.

Ut vix possit generaliter hæc quæstio dirimi, cum nequeat omnium & singulorum affectio, quantum hæc res exigit, ponderari. Scio plerosque ea, quæ dixero, non secundum rationem, sed potius secundum suæ cupiditatis habitum judicaturos. Sed velim, quod quicumque hæc nostra legerit, a se parumper, suave affectione discedat, & exuat taliter singularem personam, quod communem induat. Forte quidem, si sua deposuerit, sibi magis hæc nostra placebunt, & fiet de privato judice publicus, nobiscumve in eamdem sententiam pedibus & manibus, ut dici solet, descendet & curret. Nunc autem, ut ad quæsitum accedam, unum oportet de necessitate præmittere, ut veram vel vero similem possimus ferre sententiam; nobis videlicet in hac quæstione sermonem esse de veris religiosis, quos non mundus expulerit, sed qui mundum reliquerint. Nam si quos Religioni implicitos electionis suæ forte pœniteat, & in Religione maneant ob verecundiæ metum, vel legum vinculis alligati, certus sum & curiositatis vagatione distrahi, & exactarum voluptatum memoria perturbari. De istis ergo sermo nobis non sit, qui cum non ambulent in viis Domini, in iniquitates corruant facillime, scandalum patiuntur. Veri autem, sicut diximus, Religiosi, si majores natu & mundi blanditias experti loco cesserint, & ad austeritatem Religionis se converterint, non crediderim reliquisse seculum, nisi quia ratione certissima & vehementer inceperint eis illa, quæ in mundo fuerint experti, postquam omnia viderint, displicere. Quam siquidem mentis affectionem, si fixam immotamque tenuerint, ut veræ Religionis est, non video, quid possint ex memoria voluptatum concipere, nisi pœnitentiam commissorum, & horrorem quemdam ad illa, quæ meminerint, repetenda; faciliusque rudis & indocta simplicitas in illa labi posset, quam si & voluptatem, & sequacem perceptæ voluptatis pœnitentiam aliquando fuisset experta. Declinant nautæ scopulos, in quos semel offenderint; & avis, quæ viscatis effugerit alis, cautior arborem petit; & fera, que fregerit laqueum, ubique pedicas cogitat occultari; nec vix est tutum viatoribus iter, ubi latrones consueverint insultare. Fateor tamen antiquum hostem facilius nos per nota tentare, quam per ea, in quorum nunquam experientiam venimus. Sic beati Albani patrem legimus iterum filiæ stupro fuisse permixtum. Et apud optimum vatem: Infelix manus, *inquit*, agnosco veteris vestigia flammæ. *Subjacet igitur suis uterque periculis. Illum experiendi cupido premit, istum expertæ rei, cum delectatio trahit, notus pœnitentiæ morsus deterret; sed utrobique sua manet ambos in cogitationibus suis humana fragilitas. Sola Dei gratia utrumque tuetur & liberat. A nobis equidem nihil sumus. Si reminiscitur vetera mundi, & solas voluptates in illecebras ruet facilius, quam rudis & tiro. Sed si simul subjerint pœnitentiæ morsus, & omittamus spiritualia, sed carnalia, quæ solent his conjuncta provenire pericula, difficilius erit illum in exacta reducere, quam inexpertum ad illa, quæ scire concupiverit, incitare. Quas enim voluptates, quas illecebras, quæve mala gaudia dabis inter mortales affectus, quæ non sint suis conjuncta cum stimulis. Nam, ut cetera dimittamus, satis est ad retrahendum ipsa satietas, deprehendi timor, ruboris confusio, & ceteræ, quæ sequuntur, ad ea, quæ male committimus, passiones. Quis enim adeo bestialis & cæci sensus est, qui non deprehenderit usu continuo, quas ægritudines soleant epularum & vini crapulæ generare? Quis nescit, quantum afferat detrimenti mentibus corporibusque nostris, famæ atque substantiæ frequens nimis & repetita libido, nam congregandi divitias studium quibus subjicit in acquirendo laboribus? Quanta premitur in conservando sollicitudine, quantisque immergit lacrymis, si perdantur;*

nam

nam quid de superbia loquar, quæ cum impatiens sit majoris & paris, tam pungentibus urget angoribus, quod non habeat hoc genus hominum quietos in nocte somnos, aut in die suave quidquam, nisi forte prostratum viderit quidquid conatibus suis obstabat? Hæc & varia, quæ longum est exequi, succurrunt expertis, quæ vix imaginatione concipere valent ignari. Potest tamen tantus curiositatis impetus esse, quod omnem voluptatum memoriam superaret. Posset & tanta vis recordationis esse, quod nulla posset par curiositas reperiri. Quamquam divinarum rerum natura sit, ut quanto magis in notitiam venerint, tanto vehementius diligantur. Temporalium vero ea sit conditio, quod tanto minus amentur, quanto magis fuerint cognita vel experta. Quæ ratio sine dubitatione confirmat, ut experti mundum magis illum abhorreant; inexperti possint suis fallaciis levius capi. Habes super hac re occurrentem mihi levi tamen meditatione sententiam. Altiori forsan indagine foret opus, ut hæc veritas de suis latebris educeretur. Sed ista sufficiant tibi præsertim, qui potuisti depravatam consuetudinem vincere, & quod difficillimum est, mentem a sensibus elevare. Potuisti siquidem, quia Deus in te hoc fecit, cujus solius bona sunt, quæ videmur efficere; ut non nostra, sed sua merita in nobis per solam gratiam remuneret, qui sicut incepit, sic dignetur in te perficere, ut possis ad illam, ad quam suspiras, gloriam pervenire. Vale felix, & ora pro me, & confratres tuos, patres meos, quos valere desidero, sic fac imiteris, quod & tu imitatione dignus evadas. Ann. Chr. 1395.

Florentiæ kalendis novembris.

LII. Electio Antonii in abb. S Michaelis de Pisis.

BONIFACIUS IX. anno pontificatus sui sexto die decima februarii amoto [a] justis de causis Michaele abbate sancti Michaelis in Burgo Pisarum, præfecit ei monasterio Antonium tunc priorem sancti Quirici ordinis Camaldulensis diœcesis Arretinæ. Successerat Michael Raynerio ante tredecim menses defuncto, neque verisimile est Raynerio subrogatum fuisse Mamilianum abbatem sanctæ Mustiolæ de Turri ordinis Vallis-umbrosæ, quem expetierat commune Pisarum ab eodem Romano pontifice, cum nullum extet Mamiliani monumentum in tabulario monasterii sancti Michaelis in Burgo.

a §. *Brevia* 31, *A*. 4. 45.

LIII. Angelus Condulmerius tumulatus in eccl. S. Mathiæ del Muriano.

TUMULATUS fuit hoc anno in ecclesia sancti Mathiæ de Muriano Angelus Condulmerius patritius Venetus, cujus hæc extat inscriptio. *S. domini Angeli Condulmerio & suorum hæredum, qui obiit anno Domini* M.CCC.LXXXXV. *die* XVII. *septembris*. Pater is fuit Gabrielis, inde episcopi Senensis & S.R.E. cardinalis, demum Eugenii papæ IV. ut fidem facit scribens ad Paulum II. Maurus Lapius monachus ejus monasterii. *Supplicamus*, inquit, *humiliter vestram sanctitatem, ut amore Domini nostri Jesu-christi, suæque genitricis Mariæ, nec non & patruelis vestri bonæ memoriæ domini domini papæ Eugenii, qui hic habet ossa patris sui, avi vestri, vere viri famosi & catholici* &c.

LIV. Jura abbatiæ Classensis in Ravignanam &c.

ANNO M.CCC.XCV. indictione III. tempore sanctissimi in Christo patris & domini nostri domini Bonifacii papæ IX. Johannes Dei & apostolicæ sedis gratia abbas monasterii sancti Apollinaris in Classe ordinis Camaldulensis, nec non in castris Ravignanæ diœcesis Major, ad quem & ad ejus antecessores in dicto monasterio collatio, provisio, reformatio & confirmatio plebis sancti Viti tam de jure, quam de antiqua & approbata consuetudine spectat, ipsam confert Dominico olim Alberti de Monte-floruno communitatis Arimini, qui præter obedientiam, subjectionem, visitationem & correctionem Classensis abbatis promisit singulis annis tempore Indulgentiarum se aditurum ejus monasterium.

Ann. Chr. 1385.

Orsatus abbas sanctæ Mariæ in Gloria de Vultra concedit domum cuidam Fuschino, ex tabulario Classensi. Adnotatur in margine folii hædini, de quo sumpta est hæc notitia, olim monasterium de Vultra unitum fuisse abbatiæ sancti Hilari in Galeata.

Vacante parthenone sancti Antonii de Tuderto de burgo viæ planæ per obitum Luciæ postremæ abbatissæ, Andreas prior generalis Camaldulensis die tertia martii instituit Agnetem monialem ipsius monasterii in abbatissam, mandans Orlando priori sancti Quirici, ut juramentum ab ea exigeret fidelitatis & obedientiæ, ac eam in possessionem immitteret; manu Leonardi Francisci de Socio notarii, ex tabulario Fontis boni [a].

[a] §. Electio 78. A. 4. 46.

Mariottus abbas sanctæ Crucis Fontis-avellanæ die vigesima-quarta maji promisit pro communi servitio ducentos Florenos, ut legere est in libro *Obligationum*. Licet enim in commendam abiisset Avellanense monasterium, creabantur tamen in eo regulares abbates, qui monasticam disciplinam foverent.



ANNA-



ANNALES CAMALDULENSES.

LIBER QUINQUAGESIMUS-SEPTIMUS.

Ab anno Christi M. CCC. XCVI. *ad annum* M. CCCC. I.



SEPTIMO sui pontificatus anno Romanus pontifex Bonifacius IX. vigesima-septima die junii [a] speciali bulla sua confirmavit Michaeli priori cœnobii sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia constitutionem, quam jampridem fecerat, ne illius monasterii conversi, etiamsi regulam professi essent, valerent monachi evadere, vel sacris initiari, pœnam denuntians amissionis prælaturæ superioribus, qui huic rei consenserint, & suspensionis ab exercitio ordinis iis, qui hoc attentare præsumpserint, & insuper quod ad pristinorum conversorum statum redire compellerentur, qui sacros ordines illegitimo hoc modo assumpsissent. Eamdem suam constitutionem repetiit iterum specialiterque transmisit ad Andream priorem generalem post quadriennium [b] anno M. CCCC. die XXIV. februari XI. sui pontificatus. Supradicta junii die hujus anni [c] indulsit priori & subpriori ejusdem monasterii Florentini, ut possent absolvere in forma consueta ecclesiæ monachos suos a quacumque excommunicationis, suspensionis & interdicti censura, in quam modo vel tempore quolibet incurrissent. Pariter, ut eos dispensarent super quacumque irregularitate, atque adimere valerent quamvis maculam, vel actum infamiæ, ac restituere honoribus & pristino statui, ac idoneos reddere cuicumque officio.

ANN. CHR. 1396.
I. Constitutio contra conversos ad Sacerdotium promotos.
a Num. 227.
b Num. 213.
c Num. 228.

IN eodem cœnobio senio confectus diem suum extremum clausit vigesima-secunda julii hujus anni Jacobus Florentinus monachus eximius magister & conscriptor librorum ad chori usum pertinentium, „ cujus pro„ fecto immenso labore & opere templum Angelorum notissima refer„ tum est librorum supellectile, qua omnibus aliis templis præstat. Quam „ operam navavit Jacobus multis aliis præterea in locis, multosque fecit „ alumnos, qui hujus monasterii excellentes artifices evasere. Deplora„ runt discipuli ejus jacturam multos dies, manusque centies osculatas „ simplici pietate amputantes pro sacra reliquia ad perpetuam sui me„ moriam

II. Obitus Jacobi celebris librorum scriptoris.

Ann. Chr. 1396.

„ moriam in theca lignea aperta recondidere, sicut ad hanc diem perspicuum est, " Hæc Fortunius [a] tempore suo, sed & nos ipsi vidimus eas manus, quæ advenientibus ostenduntur. Addit idem historicus floruisse eodem tempore Silvestrum monachum prædicti monasterii insignem miniatorem, cujus dexteram aliqui dudum eodem modo asservatam fuisse credunt. Silvestrum miniatorem ipsum putat ac Silvestrum Gherarduccii, qui post biennium, nuntium prioratui remittente Michaele Ghibertio, in ejus locum fuit subrogatus. Eidem Silvestro priori tribuit Fortunius repressionem temeritatis eorum conversorum, qui ad sacros ordines promoveri tentaverant, laicorum auxilio freti; sed cum superior Bonifacii bulla pertineat ad annum 1396, id contingere debuit sub Michaele Ghibertii priore, qui Silvestrum præcessit. Quoad Jacobum excellentem scriptorem & creditum beati Jacobi Gerii nepotem, hæc habet Georgius Vasarius in suo de illustribus pictoribus opere, quod opem ferentibus tam Vincentio Borghinio, quam nostro Silvano Ractio, in lucem protulit [b]: „ Silentio prætereundus non est Jacobus Florentinus, „ qui vixit ante Laurentium celebrem alium pictorem, qui præter optimos mores fuit melior scriptor literarum, qui fuerit, & postea fuerit „ in Thuscia non solum, sed in tota Europa, ut liquido constat non „ solum ex viginti libris choralibus, quos reliquit monasterio suo, sed „ etiam ex aliis, qui Romæ & Venetiis reperiuntur, sed præcipue in sancto Michaele, & in sancto Mathia Venetiarum Muriani, ob quos promeruit, ut gloriosa & perpetua de ipso fieret memoria. " Supersunt etiamnum in monasteriis sancti Michaelis & sancti Mathiæ Venetiarum libri conscripti a Jacobo. Annus 1560. supra librorum externis tabulis impressus indicat annum, quo fuerunt compacti.

a P. II. lib. II. cap. 17.

b P. II. c. 229.

III. De decimis Biblenæ debitis eremo Camald.

Franciscus prior ecclesiæ sancti Michaelis de Arretio & Jacobatius notarius olim Ghini de Arretio arbitri electi ab Andrea priore Camaldulensi ex una parte, & a Lando plebano plebis sancti Hippolyti de Biblena ex altera, interventu, præsentia & auctoritate Thomæ de Amelia vicarii generalis Angeli Ricasoli episcopi Arretini sub die XXVIII. novembris anni præteriti, in medium prolatis privilegiis & concessionibus factis ab episcopis Arretinis tam eremo Camaldulensi, quam plebanis Biblenensibus super decimis & decimationibus laudaverunt die XII. septembris hujus anni [c] jus, quod habebat eremus Camaldulensis super dictis decimis alias statutum, exceptis plebano plebis de Monte-fatucchio, rectore sancti Donati oratorii dicti loci, rectore ecclesiæ de Monte-silvestri, atque rectore ecclesiæ de Giompareta; quorum decimas declaraverunt pertinere non ad eremum Camaldulensem, sed ad plebanum Biblenensem. Item decreverunt, quod eremitæ Camaldulenses tenerentur dicto Lando plebano toto vitæ ejus tempore, sive quoad erit Biblenæ plebanus, contribuere quolibet anno mense octobris de dictis decimis viginti staria grani; eo autem defuncto vel cedente integræ decimæ pertinerent ad eremum Camaldulensem; manu Bartholomæi olim Taviani de Arretio notarii.

c §. Sententia 18. A. 4. 52.

IV. Clavellorum donationes monast. S. Catharinæ de Fabriano.

Beneficos se in ecclesiam sanctæ Catharinæ de Fabriano & in Johannem Bartholomæi primum ejus priorem ostenderunt hoc anno die III. junii ex urbe Æsina magnificus vir Gualterius domini Alberghetti de Clavellis de Fabriano, & domina Mittarella Mercenarii de Monte-viridi uxor dicti Gualterii, eidem ecclesiæ donantes molendina cum gualcheria, ut loquuntur, de qua donatione verba facit Secundus Lancellottus in sua historia Olivetana [d]. Ad Mittarellam uxorem Ludovici de Moliano in comitatu Firmi extat epistola [e] sanctæ Catharinæ Senensis, quam secun-

d Pag. 177.

e T. III. p. 644.

dis

dis nuptiis transiisse ad Gualterium de Clavellis credimus, vel fuisse consanguineam Mittarellæ benefactricis monasterii Fabrianensis.

Ann. Chr. 1396.

V. Abbatia Avellanensis in commendam data.

Bartholomæo Mediavacca S. R. E. cardinale obeunte, qui in commendam obtinebat monasterium sanctæ Crucis de Fonte-avellana, electus fuit in ejus locum Ugo alter S. R. E. cardinalis, quem existimamus Ugonem a sancto Martiale creatum cardinalem ab Innocentio VI. anno 1361. non enim alium habemus per hæc tempora cardinalem Ugonem, qui præfatum monasterium in commendam obtinuit usque ad annum 1406. diem autem XXIX. martii, qua obiit in obedientia Benedicti XIII. Perseverabat tamen, regimenque loci regularem obtinebat Mariottus abbas.

Ann. Chr. 1397.

VI. Eremus Camald. libera a gravaminibus declarata.

Guido Thomasii Nerii civis Florentinus arbiter electus ab Andrea priore generali Camaldulensi & ab universitate hominum castri Socii ex altera, declaravit die XXI. julii [a] tam juxta formam juris, quam juxta conventiones initas in scriptura locum & bona Camaldulensis eremi esse libera & absoluta a quibuscumque collectis, impositionibus & gravaminibus realibus, personalibus & mixtis tam communis Socii, quam communis Florentini; manu Lapi Mazei Amerigi Florentini.

a §. *Sententia* 19. *A.* 4. 54.

VII. Altera unio Vallis-castri eremo Camald.

Iterato diplomate kalendis decembris pontificatus sui anno IX. monasterium Vallis-castri copulavit cum eremo Camaldulensi ad petitionem Andreæ prioris generalis ordinis, & Angeli abbatis Valle-castrensis Bonifacius papa IX. ita tamen ut Angelus abbas eidem monasterio præsideret non tamquam prior, sed tamquam abbas, prout ante unionem hujusmodi præsidebat. Conqueritur monasterium ipsum, in quo corpus sancti Romualdi, qui etiam principium fuit ipsius Camaldulensis ordinis, requiescit, & per eum primo fundatum extitit, adeo in suis ædificiis esse collapsum, quod neque ipse abbas, nec aliquis monachus resìdet, sed porci & alia bruta reducuntur in eo, ipsique prior & conventus eremi parati sunt dictum monasterium facere reparari, & inibi monachos dicti Camaldulensis ordinis ponere, dum tamen monasterium ipsum Camaldulensi ordini uniatur & incorporetur; ex tabulario sancti Blasii de Fabriano edimus in Appendice.

VIII. Abbatia Pratalienfis juris eremi.

Nicolaus de Albizis monachus sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia post Petrum de Senis electus fuit abbas monasterii Pratalienfis; ipsius tamen electio statim revocata est tum ab Andrea priore generali, tum a Stephano eremi Majore, ob unionem ejus abbatiæ eremo Camaldulensi jampridem factam a Bonifacio papa IX. & quia etiam erat contra conventiones fundatorum monasterii sanctæ Mariæ Angelorum, quibus cavebatur, ne ullus dicti cœnobii monachus officium aut prælaturam posset accipere. Die itaque quinta augusti [b] ipse Nicolaus electioni suæ renuntiavit, & coram Michaele Ghibertio Angelorum priore recipi petiit in conventualem monachum dicti monasterii; manu Donati olim Antonii notarii. Nicolai de Albizis mentio fit in vita beatæ Paulæ a Zenobio Tantino monacho conscripta.

b §. *Electio* 79. *A.* 4. 55.

IX. Monumenta historica aliquot monasteriorum.

Die vigesima-nona octobris vacante monasterio sancti Georgii de Monte-ruberto diœcesis Æsinæ & Camaldulensis ordinis per translationem Nicolai postremi prioris ad ecclesiam sancti Angeli de Serra Camerinensis diœcesis Andreas prior generalis Camaldulensis, ad quem spectabat collatio dicti prioratus sancti Georgii, elegit in abbatem seu priorem ipsius Johannem olim Christophori de Gualdo, committens Angelo priori sanctæ Mariæ de Serra, ut eumdem Johannem in possessionem induceret prædicti monasterii.

Hospi-

Ann. Chr. 1397.

Hospitale sancti Honuphrii Crucis Cassiani populi sanctæ Margaritæ a Tosina vallis Sevis in comitatu Florentino pertinebat ad Camaldulenses, cujus loci rector Laurentius Quirici elegit hoc anno [a] die undecima februarii Angelum priorem sanctæ Margaritæ in suum procuratorem ad peragenda negotia sua & illa hospitalis prædicti.

[a] Num. 110.

Hieronymus de Florentia ordinis Camaldulensis, eximius Decretorum doctor appellatus, legitur arbiter fuisse præsenti anno una cum Francisco episcopo Castellano sive Venetiarum inter Castielem abbatem sanctissimæ Trinitatis de Brundulo Cistercienfis ordinis & Clodiensis diœcesis, ac inter quemdam Bononiensem civem, qui tunc Venetiis moras trahebat. De Castiele abbate mentio occurrit etiam sub anno præterito in ecclesiis Venetis Cl. Cornelii [b]. Hieronymus vero videtur is, qui abbas Adelmensis & vicarius congregationis fuerat annis antecedentibus.

[b] Dec. xv. pag. 274.

Similiter Johannes prior monasterii sancti Benedicti de Padua Decretorum doctor & vicarius in spiritualibus legitur Stephani de Carraria administratoris ecclesiæ Patavinæ in locupletissima collectione chartarum Patavinarum Johannis Brunatii [c].

[c] Pag. 1980.

Cum Benedictus de Bensonibus Cremensis clericus olim adhæsisset partibus Clementis VII. antipapæ etiam post processus sollemnes ab Urbano VI. vero & legitimo pontifice institutos contra eumdem Clementem, ac in factis armorum eidem antipapæ servisset, homicidia laicalia, incendia, rapinas, spolia, & alia mala etiam in locis sacris patrando, nunc vero conversus ingressus fuisset monasterium sancti Michaelis Venetiarum de Muriano, ac ardentissime cuperet in ecclesiæ gremium & gratiam redire, Bonifacius papa IX. Francisco episcopo Castellano commisit tertio idus julii pontificatus sui anno octavo ex Urbe, ut eumdem Benedictum schisma ejurantem in forma ecclesiæ absolveret. Subjungitur formula juramenti a Benedicto præstandi, quod continet anathema contra Robertum Gebennensem cardinalem sanctorum XII. Apostolorum, & contra ipsius fautores, exigi tunc solitum a Romano pontifice Bonifacio, quodque integrum ad Appendicem amandamus ex tabulario monasterii sancti Michaelis.

Ex libro *Obligationum* innotescit Petrus abbas sanctorum Andreæ & Gregorii de Urbe, qui die vigesima-septima decembris promisit pro suo servitio, & pro illo Dominici prædecessoris sui consuetos Florenos. Item vigesima-quarta januarii Benedictus Antonii de Manfredis abbas sanctorum Laurentii & Hippolyti de Faventia se obligavit pro consueto servitio.

Ann. Chr. 1398. X.

Honuphrius factus abbas Camalduli-Florentini.

PRIVATO Nicolao abbate Camalduli Florentini Bonifacius papa IX. anno sui pontificatus nono die prima aprilis Honuphrium monachum sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia in abbatem ipsius monasterii constituit, cui etiam cum subdiaconus esset, facultatem tribuit ordines sacros diaconatus & presbyteratus extra tempora suscipiendi, & benedictionem a quocumque episcopo recipiendi, qua accepta emitteret professionem fidei, & scriptam sigilloque munitam ad se mitteret. Promisit consuetam contributionem Florenorum die quarta aprilis idem Honufrius ex libro *Obligationum*. Extat ad Honuphrium Angelorum monachum anonymi epistola in thesauro novissimo Martene, qua scriptor ipsum deterret a prælaturis suscipiendis, & a deserendo claustro, licet excusationem hujus rei obtendisset Honuphrius. Auctor, qui epistolam scripsit, ipsi jampridem persuaserat, ut seculo derelicto in claustrum convolaret. Sed anonymus est ipse Colucius Salutatus, inter cujus epistolas extat hæc ad

Honu-

Honuphrium data ex Florentia octavo idus aprilis. Ipsam breviorem subjicimus. Ann. Chr. 1398.

Heu quid audivi! quidve plusquam, heu misero mihi, vidi? Potuitne in mentem tuam ascendere, quod decreveris sanctissimam illam societatem, qua nescio si dignus sis, vel jussionis necessitudine vel amplitudine dignitatis dimittere, & extra claustrum illud sanctissimum obversari? Tune poteris fieri custos alterius, qui te nesciveris custodire? O felix commercium, & optanda mutatio. De requie, portuque tranquillo petere tempestatem, & ab otio religioso, pio, sanctoque ad seculare negotium impie impureque converti. Impie quidem, qui proximum tuum offendas, & per ruinam illius abbatis, qui nunc præsidet, immo tuam, sis ad illam pestilentiæ cathedram ascensurus. Impure vero, quoniam non crediderim de curiæ Romanæ sentina nihil quicquam hauriri, nisi limosum & fœtidum, & illa turpitudine maculatum, qua spiritualia pecuniis venundantur. (Non audiendus in hac re Colucius.) *Consuluisti me priusquam religionis in portum intrares, cui me quidem reperisti favorabilem impulsorem. Nunc autem hoc me celas, nec prius id rescii, quam tuo nomine fuerit possessor ad seculare tribunal, in quod censura non cadat ecclesiastica, citatus. Quæ quidem vocatio, si nescis, salva conscientia fieri nequit. Sed cogitantibus prælaturas, crede mihi, Deus non adest, quos fugit omnis conscientiæ integritas & ratio honestatis. Obcæcat etenim ille splendor oculos intellectus, & pro sinceritate miscet ambitionis nubilum & venenum. Audio tamen, quod tu excusas, quod hoc de te dicis ignorasse, quodque super hoc plurimum movearis. Si sic est, lætor & gaudeo. Cave tamen; quando vera non erit excusatio, nec excusat, si quid post scientiam amplectaris, nec sufficit commoveri, nisi procures & cupias removeri. Sed quid per conjecturas eo? Si oblatum est, declinare potes; si forsan, ut arbitror, acceptasti, tui sit arbitrii resignare, ut si hoc non facias, certum omnibus esse possit, te non præscripsisse solum, sed ordinasse, nec id acceptare solummodo, sed optasse. Vale, si me, quem hortatorem ad claustrum habuisti, de cathedra dissuadentem exaudias, felix. Alias autem tamquam reversus ad vomitum, infelicissime, non infelix, quod tandem, cum mundum iterum experiere, recognosces.*

Florentiæ VIII. *idus aprilis.*

Forte alteri Angelorum monacho, qui annum quinquagesimum jam expleverat in monachatu, inscripta est epistola alia ejusdem Colucii data *Anonymo*, qua ipsum dehortatur, ne claustrum deserat. Neque facile suademur, ut credamus etiam hanc scriptam fuisse Honuphrio, qui non ita senex erat hoc anno, ut quinquaginta annos complevisset in monastica palæstra. Utraque epistola legitur in collectione epistolarum Colucianarum facta a Cl. Laurentio Mehus, parte prima epistolis 22. & 25.

XI. Donationes eremo Camald. Electio prioris Angelorum de Florentia.

Hoc anno die decima decembris [a] Petrus olim Pagnini prior sanctæ Mariæ de Lermo Fesulanæ diœcesis vice & nomine sui prioratus & successorum agnoscens se nullum habere jus in bona, quæ olim fuerunt Vegnuti Comini quondam Nicolai de castro Alpium partium Romandiolæ, sed ea bona plene pertinere ad eremum Camaldulensem, promisit se non molestaturum eremum in eorum bonorum possessione. Additur donatio bonorum facta a dicto Vegnutio eremo Camaldulensi die septima decembris anni præteriti, post quam donationem idem se obtulerat in conversum & familiarem prioratus sanctæ Mariæ de Lermo-novo in manibus Zenobii abbatis sancti Gaudentii & administratoris dicti prioratus; manu Antonii Francisci de Petrognano notarii.

a §. *Promissio* 4. *A*. 4. 61.

Laurentius abbas sancti Petri de Cerreto exhibuit Christinæ Senensi monia-

Ann. Chr. 1398. moniali Prati-veteris [a] paginam electionis factæ de ipsa in abbatissam sanctæ Christinæ de Bononia: ex tabulario ejusdem parthenonis.

Nuncium mittente Michaele Ghibertio prioratui sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia in manibus Andreæ prioris generalis electus fuit in ejus locum Silvester Gerarducii die secunda maji [b] suffragiis triginta & octo monachorum, confirmatus ab Andrea præside generali. Sub Silvestro hæc habet Fortunius [c]: Ejuravit per eos dies Michael prioratum monasterii sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia, cui suffectus est Silvester, „ Is dormitorium novum inchoavit, Septimique ædificia pro dimidio cum „ sanctæ Mariæ-novæ hospitalario emit, intercessitque apostolicum robur da„ tum Romæ tertio idus augusti M.CCCC.III. sub eodem fere tempore, quo „ empta est pars vineæ Puliciani ex hæreditate Francisci Marci Pratensis „ & Theobaldini Riccii ea lege, ut retineatur illic effigies ipsius Fran„ cisci, nec unquam alienari possit. Sacellum Albertorum novissime con„ ditur in claustro portæ monasterii in die sanctæ Reparatæ sumptibus „ Gerardi Albertii ad honorem nativitatis beatæ Mariæ virginis cum „ omni suo fornicario opere &c. " Tribuit Fortunius Silvestro, quæ spectant ad Matthæum successorem.

a K. 30.
b Num. 368.
c P. II. lib. III. cap. 15.

Ex Benvoglientio abbas sancti Salvatoris de Berardinga mense februario hujus anni erat Nicolaus quondam Tuccii Maffei.

XII. De monast. S. Petri ad Vincula Ravennatis territorii.

Cum monasterium sancti Petri ad Vincula territorii Ravennatis destitutum esset pastore, Andreas prior generalis Camaldulensis regimen loci accepit ex tabulario archiepiscopali Ravennæ [d]; quare ex archivo Classensi „ anno M.CCC.XCVIII. indictione VI. die XXVI. mensis julii Bo„ nifacii papæ IX. anno nono ex Foro-livio in ecclesia sancti Johannis„ evangelistæ idem reverendus in Christo pater dominus frater Andreas „ Dei gratia prior sanctæ eremi Camaldulensis & totius ejusdem ordinis „ generalis, viso & diligenter inspecto quodam instrumento scripto ma„ nu ser Johannis filii quondam Manfredi de Ravenna notarii publici, „ & publicato anno præsenti XXV. aprilis & effectualiter continente, „ quod reverendus domnus frater Antonius Bertolini de Ravenna ordinis „ Camaldulensis, rectorque ecclesiæ sanctæ Mariæ de Trivio Ravennatis „ civitatis, ac vicarius in spiritualibus & temporalibus generalis monasterii „ sancti Petri in Vinculis diœcesis & territorii Ravennatis constitutus a „ præfato domno Andrea priore generali in suprascripto monasterio, „ cum Benedicto filio Johannis de Ravenna monacho ejus loci, qui re„ præsentant totum capitulum, cum ad præsens nec abbas, nec monachi „ resideant, dederat jure libelli Damiano de Saffis civi Ravennati reci„ pienti nomine procuratorio nobilis viri Johannis quondam Bertolini de „ Nomaiis de Foro-livio aliquot terras &c. ipsam instrumenti paginam „ approbavit &c. præsentibus Johanne abbate sancti Apollinaris in Clas„ se, Bartholomæo priore Ferracciani, & Vitale abbate sanctæ Mariæ „ in Insula. Ego Nicolaus quondam Paulucci de Menghis de Foro-livio „ notarius. "

d Capf. H. 6803.

Ann. Chr. 1399. XIII. De prioratu S. Mariæ de Lacu Britonorii.

Johannes quondam Francisci de Avantio Venetus & monachus sancti Mathiæ de Muriano asserens tanto tempore vacasse ecclesiam seu prioratum sanctæ Mariæ de Lacu Britonoriensis diœcesis, ut ejus collatio devoluta esset ad apostolicam sedem, ipsum prioratum impetravit a Romano pontifice Bonifacio IX. Ex adverso Laurentius abbas sanctæ Mariæ de Urano, ad cujus monasterium spectabat de jure provisio dictæ ecclesiæ & prioris, appellavit ad eumdem pontificem, ostendens Ursum

Brito-

Britonoriensem episcopum, qui delegatus fuerat pro conferenda eadem ecclesia, læsisse jura sui monasterii, revocandamque esse tamquam illegitime factam hujusmodi electionem; ex archivo Classensi. ANN. CHR. 1399.

Ecclesia sancti Angeli a Duduva in valle Ambræ pertinebat ad abbatem sancti Petri de Rotis diœcesis Arretinæ; in eam tamen jura sibi arrogabant nobiles viri Arretini de familia Ubertinorum. Cum ii post edicta affixa tempore collationis ejus ecclesiæ non comparuissent ad asserenda prætensa sua jura, libera relicta fuit electio abbati Rotensi. Ex tabulario sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia[a] nobiles viri Ubertini erant tunc Christophorus & Petrus filii Jacobi, vocati Bostaccii, & Francischinus quondam Gualterii olim Jacobi de Ubertinis.

[a] Num. 45.

XIV. Monasterium de Orbisio datum Camaldulensibus.

Die sabbati decima-tertia mensis decembris indictione VII. convocato in majori ecclesia Patavina capitulo canonicorum Nicolaus de Portugruario canonicus sancti Fidentii de Meliadino Patavinæ diœcesis, decretorum doctor, & vicarius generalis quoad spiritualia Stephani de Carraria, qui ecclesiam Patavinam in spiritualibus & temporalibus tunc temporis administrabat & regebat, proposuit donationem & unionem monasterii sanctæ Mariæ de Orbisio eremo Camaldulensi, quandoquidem is locus ex toto fere destructus esset, neque ibidem tunc observaretur aliqua religio, neque abbates & monachi in eo cœnobio a multo tempore residerent; e contra Andreas prior generalis Camaldulensis receperat se in dicto loco monasticæ disciplinæ leges restituturum, presertim ob proximitatem monasterii Montis-crucum, & opera Johannis de Alemannia monachi sanctæ vitæ, qui se obtulerat ad moram ibidem residentiamque faciendam. Donationis paginam producimus in Appendice ex archivo Fontis-boni.

XV. Variæ electiones prælatorum.

Electus fuit hoc anno ab eodem Romano pontifice Bonifacio in archiepiscopum Athenarum Francischinus abbas monasterii Sanæ-vallis de Fullina. In locum autem Francischini subrogatus fuit Robertus de Collalto monachus cœnobii sanctæ Mariæ hospitalis de Plavi, qui tunc in minoribus ordinibus erat constitutus, ut VIII. idus octobris anni pontificatus sui decimo refert in suis literis datis ad abbatem Claræ-vallensem Lingoniensis diœcesis idem Bonifacius, qua die utramque electionem fecerat. Ad calcem catastici membranacei dictæ abbatiæ de Fullina legitur, anno sequenti die vigesima decembris indictione VIII. dominium Venetiarum Johanni Venerio potestati Vallis-mareni hujusmodi literas scripsisse: *Ad nostram notitiam aliquorum assertione deductum est, qualiter sanctissimus dominus noster papa promovit venerabilem fratrem Franciscum abbatem ad archiepiscopatum Athenarum, & quod dictam abbatiam contulit venerabili fratri Roberto de Collato, qui coram nobis suas bullas producens, cum nondum a nobis potuerit expediri, & expositum nobis fuerit per dictum fratrem Franciscum bona & redditus dictæ abbatiæ malo modo distributa, scribimus vobis, & mandamus fieri faciatis inventarium de omnibus rebus & bonis dicti monasterii seriatim &c.*

Mortuo Silvestro priore sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia suffectus fuit a monachis loci Raphael Guidi Boncianius, qui tamen præesse recusavit. Quocirca ad novam electionem venientes triginta-quinque monachi jus suffragii habentes die XVII. novembris subrogarunt Matthæum Guidonis Florentinum, cujus electioni invitatus interfuit etiam insignis legum doctor Antonius a Butrio[b], ut legitur in paginis ejus monasterii. Fortunius abdicationem Raphaelis tribuit ædificationi monasterii

[b] Num. 336.

ANN. CHR. 1399.

sancti Benedicti extra muros Florentiæ, de qua, ut de Raphaele, plura anno sequenti.

Vacante per translationem Petri prioris monasterio sanctæ Margaritæ de Tosina, Nicoluccius de Faventia Major eremi Camaldulensis, ad quem provisio dicti monasterii pertinebat, Gregorium abbatem Silvæ-mundanum transtulit ad idem cœnobium; sed cum dubium subortum fuisset, an provisio monasterii reservata esset sedi apostolicæ, Romanum pontificem Bonifacium precatus est Gregorius electus, ut institutionem de se factam confirmare dignaretur; quod præstitit XVII. kalendas augusti pontificatus sui anno decimo ex Urbe apud sanctum Petrum.

a §. Brevia 34. A. 4. 64.

Idem Romanus antistes decima-tertia junii [a], cum ad ipsius audientiam perductum fuisset, quod Blasius de Massaccio rector ecclesiæ sancti Christophori & Jacobi de Mandriolis adhæserat Clementi VII. anti-papæ, aliosque excessus commiserat, pro quibus indignus erat præesse ei ecclesiæ, Andream de Florentia monachum Camaldulensem rectorem dicti loci instituit.

b Ibid. 35, A. 4. 66.

Demum die octava octobris destituto pastore monasterio sancti Zenonis Pisarum per obitum Michaelis abbatis, alterum Michaelem monachum ejusdem cœnobii in abbatem præfecit. Datum Romæ anno decimo [b]; ideo ex libro *Obligationum* promisit consuetos Florenos die trigesima octobris Michael abbas sancti Zenonis de Pisis; item recognovit pro altero Michaele prædecessore suo.

c Num. 190.

Petrus quondam Moccatocci Piccolomineus prior & abbas Rosæ Senarum officio cessit in manibus Andreæ prioris eremi; ex archivo ejusdem monasterii [c].

Magiolus Vignucci de Cagnolis Perusinus, qui anno 1396. XVII. maji elegerat Martinum Guiduccii in capellanum sancti Nicolai in ecclesia sancti Severi, hoc anno die XI. decembris cessit Bartholomæo abbati sancti Sepulcri omne jus-patronatus, quod habebat in dictam capellam; quare abbas de cetero capellanos in ea elegit, cum etiam monasterium sancti Severi ad suam Burgensem abbatiam spectaret.

Ad hunc annum adnotatur in necrologio Carcerum ad diem XIII. aprilis. *Anno* M. CCC. LXXXXIX. *reconciliata fuit ecclesia sanctæ Mariæ Carcerum. Consecratum fuit dicta die altare beatæ Catharinæ virginis & martyris, in quo sunt reliquiæ infrascriptæ: De velo B. Mariæ V. de ligno Crucis Jesu-christi, de Innocentibus, de undecim mille Virginibus, de sancto Marco-evangelista, de sancto Georgio, de sancto Benedicto, & qui visitaverit dictum altare in die suæ consecrationis, habebit de indulgentia* CCC. LXXX. *dies*. In necrologio autem Vangaticiensi sub die XXVI. decembris legitur. *Anno* M. CCC. XCIX. *indictione* VII. *die* XXVII. *mensis octobris Gregorius de Billionibus de Ferraria monachus sanctæ Mariæ de Vangaditia prior sancti Salvatoris de Verona obiit Ferrariæ, & sepultus est in claustro sancti Dominici ordinis Prædicatorum, cujus anima requiescat in pace, quia bonus & utilis fuit pro monasterio*.

XVI. Epistolæ Jo: de Sancto-miniate, & Colucii super legendis Poetis.

JOHANNES a Sancto-Miniate sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia monachus scripsit ad Angelum Corbinellum civem Florentinum Colucii discipulum prolixam epistolam, qua eum a poetarum lectione revocare conabatur, & convertere ad sacræ paginæ codices unice legendos: *Hæc omnia*, inquit Johannes, *non solum vanitas, & vanitas vanitatum, sed in ore Christicolæ pene blasphemiæ sunt, idolorumque ignota cultura, quæ velut monstruosa portenta mentem inquinant, mores dissipant, & si quid boni animo possides, hujus peste veneni perimetur; nam quid non mali tibi*

bi

bi suadent hæc studia repetita ? &c. Ad calcem autem epistolæ : *Noli deinceps fabulis & procacibus versibus ingenuitatem tuæ indolis subjicere . Si fabulas legas , fabulas habebis. Laborabis incassum , immo volens, periculo te exponis. Redi itaque ad cor tuum , & illis omissis , quæ vento animum tuum distentant , si sacra auri fame postposita , & lanificio , muliercularumque garrulo commercio aliis commisso , laudabili scientiarum studio mentem exhibere delectat , ad sacri eloquii fontem adcede* &c. Id cum scivit Colucius, eidem Johanni respondit, consiliumve ipsius contempsit, atque infregit in epistola, quæ incipit : *Vidi nuper & risi , venerabilis in Christo pater, literas tuas, quas mittis ad egregium virum Angelum Corbinellum dilectissimum filium meum , quibus eum more tuo conaris a poeticis & secularibus studiis revocare , vel quo rectius dixerim , deterrere . Quod an recte facias , tu videris , teque morsibus insignis viri Johannis mei de Ravenna, multorumque, qui contrarium sentiunt, derelinquo* &c. Eadem epistola in Italicam linguam translata fuit a Nicolao Angeli Castellano: *Pistola mandata per lo egregio huomo messer Colucio de' Salutati poeta Fiorentino a lo religioso huomo frate Giovanni da Samigniato rispostа di una lettera , che dicto frate Giovanni aveva mandata a Agnolo Corbinelli , volendolo ritrarre dallo studio di poesia .* Forte idipsum aliquanto post Johannes persuadere voluit eidem Colucio, in poetis scilicet non esse quærendam veritatem, qui calamum in Johannem strinxit sequentibus literis , quæ etiam prostant [a] in amplissima collectione Martene & Durand, & in novissima editione epistolarum Colucii, quam Cl. V. Laurentius Mehus curavit [b].

ANN. CHR. 1399.

a T. III. col. 908.

b Pag. 133.

Noli, venerabilis in Christo frater, sic austere me ab honestis studiis revocare . Noli putare , quod cum vel in poetis , vel aliis Gentilium libris veritas quæritur , in vias Domini non eatur . Omnis enim veritas a Deo est , immo , quo rectius loquar , aliquid est Dei . Ipse quidem est veritas , ut de se per filium suum mediatorem Dei & hominum testatus , nec simpliciter veritas , sed omnis veritas vera & infinita , ac germana veritas , fons scilicet , germen & origo omnium veritatum. Quicquid extra eum quæritur , vanum est, & summa stultitia. Nullum autem verum extra Deum est , ut qui verum quærit , sine dubio Deum quærat , qui plenitudo sit , consumataque congregatio veritatum . Quam ob rem non arguas fratrem tuum , quod quærat inter fabulas veritatem. Nullum enim dicendi genus majus habet cum divinis eloquiis , & ipsa divinitate commercium , quam eloquium poetarum . Quod vero verum est , quod qui psalmos fecit , sive David solus , sive forsan & alii , quos referre supersedeo , componens psalmos versibus , quod proprie proprium poetarum est , illos curaverit alligare . Ad Hebræos quidem trimetro sunt & tetrametro scripti versu. Sunt & alia plura composita versibus in sacris Literis , ut Cantica quædam , & maxima ex parte Job . Quin & threni Jeremiæ scripti lege metrica referuntur , ut nimis leviter , ne dicam injuste , legentes poetica mordeamur , putemusque veritatem anxie requirentes sic Deo adverso , quod quasi non videamur posse salvari . Sed Deus centrum est infinitis circumferentiis coestens, cui , cum ubique sit , nulla propior , nullaque distantior dici potest . Non est , ut forte putas , tanta vivendi differentia , quod qui religionem elegit , non aliquando , & utinam non multociens , longior sit a Deo , quam qui videtur inter hæc secularia periclitari . Mens est , quæ Deo conjungitur , & de quocumque statu vitæ clamaverit , quam ipse nusquam abest , inveniet illuc , ad quem solum omnis creatura cogitur suspirare . Memento , karissime mi Johannes, quod

ex

Ann. Chr. 1399. *ex apostolorum choro Judas damnatus sit , & ex latronum turba Dymas in Christi passione salvatus, ut nullus ex sanctissimæ vitæ professione præsumat , nec ex pessima conversatione desperet. Tutius est, fateor, a mundi rebus quantum possumus elongari , ut tu me non impulsore , sed hortatore fecisti . Nam quamvis ubique Deus præsto sit , nos tamen , in quibus agi debeat illa conjunctio , remotiores simus in dispositione mentis , quam habeamus aliis occupatam . Nec Hieronymum velim objicias , cum nec Augustinum subcoetaneum suum , nec aliquem ante vel post ipsum legas similiter monitum vel argutum . Ille quidem, qui fuerat ad tradendas divinas Scripruras latinitati per translationis officium ordinatus , taliter admonendus fuit . Cum divus Aurelius ad confusionem gentium destinatus a secularium literarum studio numquam fuerat deterritus , quoniam ipsis carnalem civitatem erat instrumentis & Gentilium testimoniis eruturus . Quid scimus , mi Johannes , ad quid & ego dirigar & reserver ? Hoc unum mecum scias velim , dum illa fabulosa lego , dumque tectam falsitatibus invenio veritatem, dum elegantiam locutionis admiro, me semper gratias agere Divinitati , nihilque mihi , si quid bene dixisse mihi videor, imputare, sed illi solum , a quo video , & in me sentio cuncta fieri. Nec me putes unquam ad inanis famæ gloriam , ut sentire te video , laborasse , sed cupiditate sciendi communicandique , quod Deus tradidit , ut aliis & posteris, sicut alii nobis suisque temporibus profuerunt, sic aliquid & ego prodessem, quod mihi videtur scientibus non minus debitum , quam agricolis arbores serere, quæ pervenire debeant ad nepotes. Tu quod sanctæ rusticitatis est, solum tibi prodes; ego mihi prodesse conor & aliis. Confratres & socios tuos sanctitate vitæ mones exemplo ; ego proximos meos invito : juvoque , quo discant , & illis , quæ flagitiosa sunt , depravata consuetudine non intendant , ut cum militare didicerint intellectui, fugiant dulcedine corruptibilium irretiri. In quibus quidem propositis quantum profecerimus, Deus novit , quantum proficere voluerimus , tu de te, & ego de me novimus. Unum audacter affirmem, quod huc usque me propositi mei non piget , licet agnoscam institutionem vitæ meæ potuisse magis extra mundi salebras me fundasse . Sed cum Deus propinquus sit atque propositus , non despero , quod licet nimis post mundum abierim , quin imperfectum meum agnoscens me , sicut huc usque benigne tolerat , misericorditer juvet . Vale , & ora pro me . Et si quid forte de responsione displiceat mea , refellas obsecro . Sicut enim verum aliquod addiscere sum contentus, sic videbis, quod respondere rationabiliter sim paratus . Iterum vale.*

Florentiæ XI. *kalendas octobris.*

Hæc posterior epistola scripta est eodem anno, vel paulopost idem tempus. Neque tamen cessit Johannes, qui videtur aliis epistolis opinioni suæ mordicus adhæsisse. Nam in responsionibus Colucii datis VIII. *kalendas februarii anno gratiæ* M. CCCC. IV. *Credo quidem*, inquit Colucius, *jam pene lustrum unum , postquam ultimam tuam recepi literam , effuxisse* &c. Paulo vero post : *Respondi quidem tunc objectioni tuæ breviter fateor , sed solide , sed taliter , quod tuæ responsionis phylacteria nihil a me dictum , si recte ponderaveris, commoverint* &c. *Verum te video nondum quæstionis terminos intelligere , versarique in illo tuæ simplicitatis errore, qui reputas ista nostra poetica grave & inexpiabile nefas esse , & perniciosa mendacia* &c. *Nunc autem quo videre possis liquidius veritatem , ostendam primo, quid per poeticam intelligere debeamus . Consequenter clarum efficiam sacras Literas , divinamque Scripturam nedum habere cum ista com-*

mer-

mercium, sed vere & adæquatissime nihil esse dicendi ratione, nisi poeticam. Tertio vero, quantum oportet, enitar ostendere etiam fidelibus Christianis non esse prohibendam Gentilium poetarum lectionem, tandemque conabor ad illa, quæ dixeris, respondere, quo facile cogitare desinas vicisse &c. *Scio, legoque quotidie apud Hieronymum, Basilium & Augustinum egregia philosophorum & oratorum dicta, carminaque poetarum, quæ velut sidus aliquid inter tractatus illos sanctissimos eminent & resplendent, quæ quidem te non arbitror quasi crimen aliquod condemnare. Si vera, si sancta, si decora, pulchraque sunt apud istos doctores inventa, & ibi sine peccato leguntur, cur apud auctores suos dici debent nefaria vel profana? Cur nobis prohibita, si sacris doctoribus concessa sunt?* &c. ANN. CHR. 1399.

CUM Franciscus Jacobi filius nobilis Florentinus ex familia Ricciorum, præmortuis omnibus filiis suis, totam hæreditatem bonorum suorum testamentariis tabulis reliquisset Alexandro fratri suo, qui monachum agebat in cœnobio sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia, Michael Ghibertii prior ejus monasterii una cum triginta monachis eam ante triennium repudiaverat, & Romanus pontifex Bonifacius IX. die XXVIII. novembris pontificatus sui anno duodecimo, hoc est anno præsenti [a], recusationem hujusce hæreditatis olim per Michaelem priorem factam apostolico diplomate ratam habuerat. Cœnobitæ enim hujus loci, qui pro lege servabant perpetuam reclusionem, neque unquam e claustris egrediebantur, anxie verebantur, ne observatis conditionibus testamenti Francisci, clausuræ lex infringeretur, & paulatim in desuetudinem abiret laudabilis eorum cœnobii disciplina. Ea enim erat postremæ voluntatis testatoris conditio, ut ex bonis suis monasterium conderetur vel in urbe, vel extra urbem Florentiæ, ad quod cum aliis ascetis transiret Alexander monachus frater suus. Verum licet Bonifacius apostolico robore confirmasset piam monachorum repudiandæ hæreditatis deliberationem, nihilo tamen secius consilio mutato die XXVIII. decembris ejusdem hujus anni [b] alia ex Urbe bulla sua dedit in mandatis priori sancti Laurentii de Florentia & plebano sancti Johannis a Signa, ut Alexandrum de Ricciis Angelorum monachum, etiam non petita licentia prioris sui, transmitterent ad declarandam arti Cambii Florentiæ, cujus consules deputati fuerant a Francisco testamenti sui tutores, intentionem defuncti fratris sibi secreto communicatam, quod nimirum ex iis bonis monasterium construeretur, darentque ipsi delegati operam, ut dicta ars vel Alexander cœnobium ædificarent, in quo vigeret ordo Camaldulensis, ipsumque fundarent eo loci, ubi ipsis libuerit, cum turri & ecclesia, sine præjudicio parœciæ, in qua excitaretur, quodque privilegiis omnibus frueretur, quibus gaudebant cetera Camaldulensia monasteria, ac a quolibet monacho ejusdem ordinis inhabitari posset, quamvis egrediendi facultatem non obtineret a suo prælato. Die itaque XXIV. januarii [c] anni M.CCCC. sed more Florentino, hoc est initiis anni sequentis, consules ejusdem artis in procuratores suos instituerunt Manettum Johannis Davanzati, & Nicolaum Jacobi Guasconi, qui venderent res Francisci de Ricciis, ac monasterii ædificationi incumberent. Hæc est origo cœnobii Camaldulensis sancti Benedicti extra mœnia urbis Florentinæ, & extra portam appellatam *Pinti* in populo sancti Gervasii; ad quod statim Alexander testatoris frater cum pluribus ascetis monasterii Angelorum accessit. Sed [d] mense februario ipsius anni M.CCCC. I. idem Romanus pontifex mandavit abbati sancti Pancratii, ut monachos Angelorum in jura pristina remitteret quoad

ANN. CHR. 1400. XVII.

Ædificatio monast. S. Benedicti extra muros Florentiæ.

a *Num.* 225.

b *Num.* 238.

c *Num.* 324.

d *Num.* 2?.

ANN. CHR. 1400.

quoad eam hæreditatem, & præterea Alexandrum monachum ad cœnobium Angelorum iterum reduceret, neque monachus aliquis ad novum cœnobium transire præsumeret, nisi prius petita & obtenta licentia prioris, licet aliter ipse statuisset anteriori sua bulla, quam proinde irritavit. Demum die prima maji ejusdem anni [a] advocans ad se lites omnes & controversias, quæ hactenus occasione hujus hæreditatis insurrexerant tum inter monachos Angelorum, & inter Alexandrum ac ejus collegas, tum inter cœnobium & inter artem Cambii sive mercatorum, & eorum consulum, declaravit, quod ad dictam hæreditatem licet primo repudiatam jus habebat monasterium Angelorum, & tamen quod Alexander cum aliis monachis & conversis, qui locum novum adierant, ibidem de cetero tuta conscientia habitarent, sed regulam & constitutiones monasterii Angelorum observarent, & subjicerentur priori generali Camaldulensi, qui eos visitaret, corrigeretque ut alios monachos, ipsisque privilegia ceterorum monasteriorum communia faceret, ac demum absolutionis beneficium impenderet iis, qui ratione hujusmodi controversiarum in censuras incurrissent. Hæc quoad fundationem monasterii sancti Benedicti, & quoad seriem exortarum rerum ex chartis tabularii sanctæ Mariæ Angelorum excerpsimus, quæ lumen quoque accipiunt ab iis, quæ de eadem origine narrat Fortunius [b], qui tamen ædificationem cœnobii prævenit ad annum 1395. eo facile anno, quo conditum fuit Francisci Jacobi de Ricciis testamentum. Sic itaque scribit: „ Anno natalis Christi 1395. ædificatur „ cœnobium nobile sancti Benedicti extra Florentiam in suburbiis portæ „ a Pintis nuncupatæ, monasterii Angelorum propago. Alexander enim „ Jacobi Riccius civis Florentinus monasticum ad Angelos induerat ha„ bitum. Ei erat frater Jacobus nomine (Franciscus filius Jacobi ex di„ ctis) qui anno pestis condito testamento, tutores suorum filiorum con„ stituerat consules artis Cambii, & si decederent in pupillari ætate, „ disponeretur, quommodo ipse cum Alexandro suo fratre & monacho „ Angelorum communicaverat. Mortuis itaque filiis in pupillari ætate, „ apertis per consules tabulis testamenti, Alexander per syngrapham vo„ luntatem fratris testatoris illis insinuat, scilicet, ut ex ejus hæreditate „ ædificetur cœnobium pro dilatandis terminis Angelorum. Deinde ex „ Angelis invitis fratribus migrans, impetrat apostolica auctoritate, ut „ sibi voluntatem testatoris implere liceat. Proinde constitutis ab arte pro„ curatoribus, qui ei auxilio essent, emuntur agri a Hieronymo Spinio „ equite & consortibus, qui fuerant Hieronymi Rinuccini equitis, pro „ æstimatione Florenorum M. C. XX. prope mœnia. Ubi loci Alexander „ ipse sacellum in honorem sancti Matthæi apostoli & evangelistæ prin„ cipio posuit. Post hæc annuente generale ordinis, novem alios mona„ chos ex Angelis abducit, & cœnobium instituit, quod domui Angelo„ rum aggregatur, verso sancti Matthæi titulo in titulum sancti Bene„ dicti. Proditum est tantam sancti Benedicti cum cœnobio Angelorum „ fuisse similitudinem in dispositione templi, mansionum & officinarum, „ ut nullus elegantior parallelus inter duo alia cœnobia fieri posse vide„ retur. “ Hæc Fortunius. Inter eos, qui monasterium novum incoluerunt suis primordiis, præter cœnobitas Angelorum, fuit Nicolaus a Juvenatio eremita Camaldulensis, pro quo Bonifacius papa die VI. octobris anni sequentis XII. sui pontificatus scripsit Francisco Bartholini, Petro Riccio, & Antonio Senensi canonicis Florentinis, ut darent operam, quatenus cum libris rebusque suis reciperetur in eo monasterio tamquam

a *Num.* 24.

b *P. II. lib. III. cap.* 16.

cœnobita. De ceteris claris viris, qui ex hoc cœnobio prodierunt, quosque enumerat ibidem Fortunius, nos suis locis. ANN. CHR. 1400. XVIII.

SED omittere nolumus, quæ ex Colucii Salutati cancellarii Florentini epistolis novimus, quoad monasterium sancti Benedicti ejusque ascetas, quas ex Riccardiano codice exscripsit doctissimus humanissimusque vir Lamius, quarumque duas publici jam juris fecit in catalogo MSS. codicum bibliothecæ marchionum Riccardiorum. Diximus cum Alexandro Riccio ex cœnobio sanctæ Mariæ Angelorum egressos ad locum novum incolendum plures cœnobitas primi loci; inter eos numerabatur Raphael ex nobili Boncianiorum Florentina gente, de quo plura seculo sequenti proferemus. Hic objurgatus ea super re a Colucio, literas ad eum dedit excusatorias facti; hoc se nimirum egisse paupertatis & solitudinis majoris amore, licentiam intervenisse prioris generalis, novum autem domicilium subjectionis legem non excussisse, sed tamquam membrum adhærere monasterio sanctæ Mariæ Angelorum, quod ipse & socii sui agnoscunt & fatentur ut caput; majori quidem pace potuisse rem perfici, sed quorumdam indignationem fuisse in causa, ut id pacifice non ageretur; qua in re laudat testimonium fratris Johannis famosissimi prædicatoris, Johannis scilicet Dominici ex Prædicatorum ordine eloquentissimi & celeberrimi viri, ut credimus. Cum autem a centum annis retroactis plurimorum monasteriorum irreparabilem jacturam fecisset ordo Camaldulensis, & duo vel tria dumtaxat interea suscitata essent nova cœnobia, e re congregationis dictitat Raphael fuisse compensasse hujusmodi damna erectione recentis cœnobii sancti Benedicti. Respondit autem Colucius, & pluribus ac ferventissime exaggerat ipsius & collegarum recessum a monasterio sanctæ Mariæ Angelorum, quem non ex caritate, sed ex discordia, non ex amore solitudinis & paupertatis, sed ex dissensione animorum provenisse scribit, & Alexandrum promotorem in primis ejus migrationis, tamquam apostatam & excommunicatum traducit, quem etiam redarguit, sine voluntate sui prælati, immo eo recusante, acceptasse hæreditatem fraternam, cum monasterium Angelorum ad eos usque dies consuevisset hæreditates monachis suis delatas optimo consilio rejicere & recusare. Emicat in hac Colucii responsione ipsius zelus pro tuenda stabilitate loci, paupertate, & caritate, animorumque conjunctione, qui eousque processerat, ut auctor vel hortator ipse fuerit Matthæo Angelorum priori, ne libros bibliothecæ Angelicæ commodaret novis ascetis; aliqua etiam nimia libertate & duriuscule more suo profert contra impetrationem gratiarum a Romana curia, & adversus venalitatem privilegiorum, alludens ad repetitas sibique contrarias apostolicas Bonifacii IX. bullas obtentas ab Alexandro contra voluntatem Matthæi prioris. Utramque epistolam prolixiorem ex ipso Lamio ad Appendicem remittere erat animus, sed edita jam Appendice, ne extra locum suum morarentur, hic subjungimus.

Epistola Raphaelis mon. Camald. ad Colucium.

„ Epistola fratris Raphaelis ad ser Colucium cancellarium Florentinum, „ quando exivit de monasterio sanctæ Mariæ de Angelis pro ædificando „ monasterium novum contra voluntatem sui prioris & totius conventus.

Reverende pater & singularis vir. Bartholomæus lator præsentis a vobis missus petiit me librum vestrum, quem ego vobis cum gratiarum actione remitto, nondum tamen adimpleto desiderio meo in lectione ejusdem. Præterea allocutus est me ex parte vestra dicens, quod ego procurarem bona agere, & quod essem memor vestri in orationibus meis, simulque scire volebatis, quomodo contentarer. Et primo quidem de pia ammonitione vestra, quan-

ANN. CHR. 1400.

quantum possum, regratior vobis; religiosam vero petitionem vestram, quia me fateor debitorem, semper adimplere studuerim. At super paterna ac tenerrima curiositate vestra, fateor, interiora mea commota sunt, quia ex intimis benevolentiæ vestræ visceribus hanc prodire non dubito. Sed eadem benevolentia patiatur inconcinnis rusticisque scriptis piæ curiositati tam eloquentissimi viri satisfieri. Nostis, mi pater, quod omnis homo cujuscumque professionis extiterit, tantum posit de suo profectu gaudere, quantum effectus disciplinæ suæ professionis assequatur. Et cum constet disciplinam monasticæ professionis obedientia, castimonia, pauperieque subsistere, quanto magis per Jesu gratiam hujusmodi professionis homo effectus talium subsistentium participatur, tanto magis interioris hominis gaudium non in se, sed in Domino augetur. Sed cum in illo venerabili monasterio de Angelis a juventute mea, quantum Christi gratia concessit, obedientiæ castimoniæque effectus expertus fuerim; tamen cum omnia ibi communia sint, nec quisquam proprium dicere audeat, ut alia taceam, numquam effectus paupertatis, in quibus Apostolus gloriabatur, videlicet in necessitate, in fame & siti, frigore & nuditate illo in loco expertus sum. Et quia, ut ait quidam: Pauper non est, cui rerum suppetit usus, me vero assecutum per gratiam Salvatoris prætensum membrum meæ professionis, aliasque observantias regulares cognoscens in necessitatibus, penuriaque rerum hujus loci gaudendi, contentandi materia mihi adest. Solum, ut verum vobis ad plenum aperiam, paulisper defraudant hujusmodi materiam gaudii quietisque animi duo. Videlicet penuria librorum, in quibus solitus sum magna cum aviditate pabulum mentis exquirere. Alterum vero, novit Jesus, quod absque absentatione loquor, quia videbatur mihi indignationem vestram incurrisse, quod ex eo maxime deprehendi, quia multoties requisitus prior de Angelis ab amicis nostris de quibusdam nobis necessariis ad divinum cultum, quibus locus ille abundat, volens ea nobis denegare, ne videatur legem caritatis infringere, auctoritatem vestræ personæ allegans, asserit vos eis consuluisse, ne nobiscum in aliquo communicent. Nec reprehendo, si ita est, tale consilium vestrum, quia non novi, qua intentione id persuaseritis, cum tamen mihi contra dicta factaque Sanctorum videatur expressum, & maxime Salvatoris nostri, quem qui non sequitur, in tenebris ambulat, qui ab Judaica nequitia in multis offensus semper idem sua beneficia cumulavit. Hoc, mi pater, signum mihi vestræ indignationis fuit; sed si indignationem vestram, ut opinatus sum, mea persona promeruit, obsecro, ne fratres mei hic in magna paupertate, simplicitate, unitateque degentes tale aliquid patiantur. Quid enim reprehensibile in loci mutatione perpetrarint, non video, cum sua conscientia asserant, non levitate animi, vel ambitione, vel largioris victus causa id egisse, sed sola unitate, ac in servitio Christi majori pace perseverandi, quod experientia claret. Nonne hic sunt, qui si voluissent ad ecclesiasticas dignitates ascendere, & ex pecunia & amicitia parentum suorum absque difficultate potuissent? Sed magis elegerunt pauperem vitam sub jugo obedientiæ ducere pro amore Christi, quam divitias, ambitionemque prælationis. Sed quid in hac familia. Nonne ut minus sapiens loquar, districtiorem reclusionem observat, quia in majori solitudine consistit, utpote quæ raro ab adventantibus visitatur, quod reclusis magna relevatio esse solet. Ceterum præter pomerium, quid in hoc loco curiositatis pascit oculos? Cum ibi absque detractione dictum sit, sumptuosa ædificia, picturæ parietum, libri cum literis initialibus auro diversisque coloribus adornatis, quæ omnia maximam jucunditatem spectantibus præbent, faciuntque reclusionem minus molestam. Quid de jejunio atque psalmodia regu-

regulari detractum est? Utinam sustineatis modicum quid insipientiæ meæ; imo ne trangressores inveniantur apud internum judicem, hæc apud se duxerunt. Rogo, mi pater; cum vetus lex maledicto addicat sterilem, quæ non parit, magnum est, si centenaria illa mater hoc tempore filiam genuit? cum in nostro pene lapso Camaldulensi ordine a centum annis citra quamplurima monasteria destructa, nec fere tria surrexerint. Nonne ibi canonice habitant? videlicet cum licentia prioris ordinis. Si quid vero reprehensibile in fratribus minimis videtur, illud forte solum est, qui hoc cum majori pace agere debuissent. Sed novit scrutator cordium, qui quantum in eis fuit, semper procurarunt cum omni pace id actitare. Sed indignatio quorumdam hoc sufficere non potuit, & de hoc certissimum argumentum est frater Johannes famosissimus prædicator, cui non credere est abnegare pietatem. Voluit ille, ut hæc filia suæ matri subjecta esset; ut omnis indignatio fieret de medio, consensimus, tractavit cum matre, invenit eam non consentientem, quo respectu nescio. Sed videretis ex hoc fratres meos non odisse pacem. Sufficiant hæc pro excusatione fratrum meorum; ut si quid purgandum in eis apud vos fuerit, his fiat, vel potius Altissimus faciat, qui vos sua gratia conservare dignetur. Si habetis librum sancti Augustini de Verbis Domini, *rogo, mittite, & hoc erit argumentum vestræ benevolentiæ erga nos.*

Ann. Chr. 1400.

XIX. Responsio Colucii ad Raphaelem.

„ Epistola responsiva ser Colucii prædicti ad prædictum fratrem Ra-
„ phaelem super eamdem epistolam & super prædictum inordinatum exitum.

Vir religiose, pater karissime. Cum prima duo verbula scriberem, veritatis epistolam auspicaturus, paulominus fuit, quin verbum illum religiose delerem. Nescio quidem, an vere tibi congruat religiosum appellari. Magnum enim est & plurima laude dignissimum, esse religiosum, & quod difficillimum sit de te quoque posse simpliciter affirmari. Tandem tamen decrevi verbum illud dimittere, non quod religiosus sis, sed quoniam a religione penitus dici non possis, vel debeas alienus. Religionis quidem funiculus dissolvi non potuit, rescindi vero potuit. Væ tamen omnibus, qui gladium eduxerint, ut rescindant. Nec sit, quod istud plane verissimum admireris aut damnes. Dissolutio quidem conservat fila funiculi, retrogradoque processu redit in simplicitatis statum, ut jam non sit nexus, sed aptum nexibus instrumentum. Religionis etenim vinculum habet triplex illud votum, veluti materiam, hominis vero divinique numinis consensum veluti formam. Ut licet ab invicem, quod materiale diximus, separetur, unio tamen illa, cui Deus consensit, non possit, nec valeat retractari; cum homo tamen possit ab illius unitatis glutino sua malignitate recidi. Manente tamen unionis nexu, quo Deus & conscientia recisum semper revocant, semper clamant, & velut judex semper damnant. Sed ut ad id, quod intendo, veniam, cum cogites me non probare, quod tu & alii novum erexeritis monasterium, in excusationem scribis, cum vetus lex maledicto, quo tuis utar verbis, addicat sterilem, quæ non parit, magnum est, si centenaria illa mater hoc tempore filiam genuit. Hoc inquis Raphael? Sed per immortalis Dei majestatem, dic, precor, quocum ipsa concumbente prægnans facta est? An caritate Dei & proximi, an potius contentione & discordia? Scio quod, non caritate, de qua scriptum est: Caritas patiens est, benigna est, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non irritatur, & cetera, quæ Spiritus-sanctus per vas electionis, cum ad Corinthios scriberet, revelavit. Non caritate prægnans facta est, sed prægnans facta est discordia, quæ impatiens est, maligna est, æmulatrix, inflata, agens perverse, plena ambitionis, irrequieta,

Ann. Chr. 1400.

ta, nihil cogitans nisi malum, & gaudens super iniquitate. Deum obtestor & cælicolas omnes, scio, vidi, tetigique turpitudinem illam, quæ vos seduxit. Quid enim tu & illi prætendistis aliud, nisi quod quietem quærebatis animi, quam in illo veteri vestro conciliabulo non haberetis? Non erat vobis cum sumptuosis ædificiis, picturis parietum, aut cum libris, quibus, ut scribitis, initiales literæ auro, diversisque coloribus adornatæ sunt, ulla contentio, sed cum illis quondam fratribus vestris, qui jam mentis dispositione vobis desierant pro fratribus reputari. Illa cohabitatio, ille convictus, cum displicerent vobis proximi vestri, illa, illa cohabitatio gravis adeo fuit, quod intumescente matris utero, discessu vestro non peperit aliam, ut scribitis, sed vos potius sit aborsa: Si boni erant illi, cur displicuere? Cur etiam reliquistis? Sin autem mali, cur fraternæ correptionis monita vel correctionis officium, cum disceditis, deseruistis? Si quilibet jubetur proximum diligere sicut seipsum ad salutem ultimam & vitam æternam, cum hoc neglexeritis, crede mihi Raphael, credant, ut loquar cum omnibus, etiam illi tui, quod requiret Dominus sanguinem eorum de manibus vestris. Et si fecit prælatus vester monendo, increpando, cogendoque etiam quantum potuit, nec eum audistis, rescindendo funiculum obedientiæ, requiret a vobis Dominus sanguinem vestrum de manibus vestris. Et quæ tanta vobis esse potuit displicentia fratrum & prælati, ut obedientiam relinquere deberetis? sive obedientiæ relinquendæ facultatem & excusationem literis venialibus, ne dixerim venalibus, ac apostolicis, ne dicam apostaticis, procurare? Veniales quidem sunt & licentiosæ sunt, & indubitanter apostolicæ? Sed si minimum pro obtinendis eis pecuniæ vobis etiam ignorantibus intercessit, venales sunt, & quoniam per ipsas exire monasterium cogitastis, apostaticæ dici possunt. Sed, inquis, fratres mei hic in magna paupertate, simplicitate, unitateque degentes, quid reprehensibile in loci mutatione perpetrarint non video, cum sua conscientia asserant, non levitate animi vel ambitione, vel largioris victus causa id egisse, sed sola unitate ac in servitio Christi majori pace perseverandi, quod experientia claret. Hæc omnia verba tua sunt, quæ discessionis causam declarant apertissime, quam prædixi. Unitatem quæsierunt extra, quam intus scilicet non habebant. Sed dic obsecro, tum cum illis eratis in claustro, num insimul ab invicem, an ab aliis diffidebatis? Ab aliis arbitror, inter discessuros enim erat summa, saltem de discedendo, concordia, nec de discedendo solum, sed de obstinationis perseverantia post discessum. Nescio quid vobis erit in posterum summis artificibus diffidendi. Unum audeo sine dubitatione prædicere, quod quidquid in caritate proximi factum non est, ex Deo non est, & omne, quod ex Deo non est, evanescet. Diffidebatis in matris vestræ gremio, quid vobis extra gremium futurum esse speratis? An firmiorem custodem unitatis, puritatis filiam fore quam matrem? An quod fecistis in viridi, non facietis in arido? Quod invenire vel efficere potuistis in dogmate, imo contra dogma centenariæ unitatis, nonne continget vobis in congregatione, quam ab aliis dissensio separavit? Non est pura & immaculata conjunctio, quæ de separationis scandalo sit exorta. Exolet fæcem primæ corruptionis, nec solum exolet, sed sapit. Scio, quod sicut unitas virtus est, sic divisio vitium. Sicut commendabilis illa, sic reprehensibilis est & ista. Sicut habet illa meritum, sic & ista damnationis horribile fundamentum. Unitas autem nec jubetur, nec commendabilis est cum paucis, sicuti gloriaris, non etiam cum multis, sed solum & plane cum omnibus, qui sunt ejusdem vocationis, quia sumus omnes fratres in Christo. Nec scio videre rationibus vestris modum, eratis in unitate & pace

pace

pace cum multis, quos vobiscum idem professionis chirographum, idem & sub eisdem prælatis servitium, longa conversatio & in Deo familiaritas conciliaverant. Ab hac multorum unitate quis te divisit? Quis illos tuos alios separavit? Non expulsi quidem estis, sed recessistis, sed aufugistis. Non valuit prælati monentis auctoritas, vel prohibentis imperium. Non valuere confratrum vestrorum lacrymæ, non hortatus: fecit omnino, fecit illud ambitionis vestræ propositum cursum suum. Deliberatio vestra non in quietæ mentis, sed in commotione turbationis, quæ solet infatuare consilium, Sathana suadente concepta, adeo tenaciter inhæsit, adeoque profunditus egit radices, quod numquam ab illa discedere voluistis. Numquam destitit male cepta dissensio, donec volentes expulit; de vobisque, sicut de gravantibus navem mercibus, fecit tandem veluti naufragio nimis urgente jacturam, qua ratione pereunt in mari, quæ projecta sunt, reliqua vero salvantur. Ergo tantum potuit contentionis vestræ dissidium, quod ab unitate discedentes, quam intus habebatis, unitatem extra vetus verumque vestrum monasterium quæsivistis. Nec adeo vos obcæcaverat nescio quæ per vos mota vel recepta contentio, migrationem illam intelligere voluistis, cogitareque, quantum ob illam vobis, relinquendisque cum fratribus infamiæ vel scandali pararetis. Audivistis in tam ponderosi consilii, planeque si nescis apostatici propositi collatione diabolum, audivistis laudantes vel novitatum avidos, vel paratos semper interrogantibus assentari. Illi vobis verum dicere visi sunt, qui juxta cor vestrum improvisi & incauti, informatique per vos, non alios audientes, respondebant. Ceteros insanire, decipere velle vos & subornatos ab aliis loqui, putabatis, futilisque prorsus esse consilii. Tuus ille præcursor & præparator Alexander jam paternis, utinam non in perditionem, oneratus divitiis insaniens, cum sibi non concederetur abitio, planeque detrectans imperium, oblitus obedientiæ atque voti nonne nocturnus aufugit? claustrumque professionis adeo turpiter dereliquit? Tune potuisti ducem apostaticum, & sicut nosti Deo infidum & indubitanter excommunicatum sequi? Pudet me, carissime Raphael, ita me Deus amet, vicis tuæ, qui sciens commissos errores, potueris in animum inducere, quod illum sequereris, vel ut firmiter credo, talem tam detestabili modo præmiseris, ut cum mox excommunicationis nexum pro gravissimo inexcusabilique peccato, nescio quidem quod majus esse possit apostasi, postquam pedem extulisset e claustro, damnabiliter incursurum cum ejusdem factionis complicibus sequereris. Examinemus parumper causam? Reliquit germanus hujus Alexandri tui omnia bona sua, sicut idemmet persuaserat Alexander, arbitrio fraternæ declarationis in pietatis opera convertenda. Debuit ne, vel de jure poterat Alexander monachus & eremita talem commissionem contra prælati voluntatem acceptare, declarare vel exequi, cum Deo dicatus se non possit, etiamsi pietatis sint negotia, sine scelere transgressionis de talibus impedire? Nec debuit, nec potuit profecto, Raphael, præsertim cum prælatus eum specialiter prohiberet. Contra jus erat inconsulto superiore simpliciter illud facere, quanto magis injustum & nefarium est, cum prælatus, cui votiva debetur obedientia, negaverit id egisse? Ergo religiosum est alienas vel suas pecunias monasterio dispensare, cum teste magistro religiosæ observantiæ Cassiano famosissimum illud Thebaidæ monasterium nihil prorsus de substantia profitentium attingebat, sed vestes etiam ingredientium pauperibus dispensabat? Nam & illa vetus ac sanctissima vestra mater consuevit optimo co silio delatas hæreditates monachis recusare, ne, sicut idem peritissimus auctor ait, confidentia talis oblationis inflatus monachus nequaquam se pauperibus fratribus coæquare dignetur. Et

quid

Ann. Chr. 1400.

quid magis insidiatur paupertatem professis, quam superbia, quæ pro relictis dispensatisque divitiis sit concepta? Prævaricatus est igitur præcursor tuus occupationem illam testamentariam, sive procurata fuerit, ut satis verisimiliter credi potest, sive fraterna potius affectione delata, suscipiendo, prohibente prælato, quod monacho non licet, quod grave quidem fuit. Gravius autem deliquit, exequendi concepto proposito. Gravissime vero cum hujus rei perficiendæ gratia claustrum consumata tandem apostatatione dimisit. Quibus saltem duabus ex causis ultimis extra communionem fidelium positus est. Adde, quod diu discurrendo cum laicis est versatus, nullum enim claustrum claustralis & professus monachus, &, quod plus est eremita petiit, sed velut ipse sibi monasterium, claustrum esset & eremus, secum mansit, imo cum secularibus seculariter est permixtus, quærensque cœptus honestare suos, miseram dispensationem pecuniæ jam adortus, laicorum suffragiis ac pecuniarum effluvio literas apostolicas procuravit & meruit obtinere, quo possent ipse & socii in arctioris observantiæ claustrum de professionis ergastulo demigrare. Nolo quid post gratiam illam fecerint, quidve ceperint consilii, quidque secuti fuerint, nimis enim pudet exprimere, sed te volo, qui cuncta novisti, memoriter recensere. Et si potes, eos obtentu puritatis simplicitatis excusa. Nescio quidem, an vaferius aliquid, vel carnalius fieri potuerit vel excogitari. In quo quidem te & ipsos reminisci velim; quod non liceat Deum ludere; quodque damnabile sit illud facere, quod faciunt, qui solent in oculis hominum excusationem quærere, corticitusque servare præcepta, quæ medullitus non intendant. Regula juris est, quod ille committit in legem, qui verba legis amplectens contra legis nititur voluntatem. Sed omittamus hæc: Scio quidem, quod in fori judicio tot se rerum adminiculis armaverunt, ut hanc causam obtinerent. Caveant tamen judicium poli, quoniam ibi non privilegiis, non testibus vel instrumentis agitur, sed pura mentis intentio ponderatur. Adducentur in judicium etenim concedentis animus, & an gratia clare processerit non errante. Considerabitur ibi mens petentis, & an quidquam fuerit mendacii dictum, vel veritatis aliquid occultatum; numquidve remissionem postulans cor habuerit pœnitens & contritum, & an commeatum impetrans vel recedens habuerit in caritate suum vel proximi scandalum exploratum? Væ quidem ei, per quem scandala veniunt. Nam & qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, inquit Veritas, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris. Crede mihi dilectissime Raphael, districtius est illud judicium, quam putemus, in quo te non poteris mendacio tegere, vel veritatis aliquid denegare. Tunc videbimus, an excommunicatus juste cujusvis transgresionis crimine restitui posit ad gregem fidelium, nisi pœniteat, & pro culpa satisfecerit cor contritum, & an mereri posimus veniam, si nutriverimus semper culpam? Videbimusque, numquid generalis Dei vicarius posit gratiose dimittere, quod specialiter Deo memineris, & sollemniter te vovisse? Valde quidem dubitandum est, ne clavis erret, quæ servit gratiæ, non rigori; quæve dum remittit audiens culpam, non examinat petentis conscientiam. Et posito, quod clavis non erret, an indulgentiam recipiens satisfaciat sicut decet? Promittitis primo verbo profesionis vestræ constantiam, quam nescio si dici potuit, cum claustrum relinquitis, cum prælati jussibus & ordinis institutionibus non paretis, immo contrafacitis vos servare. Qui promittit enim obedientiam, quid potest incorrupte velle vel sancte, nisi quod & jure promittitur & religionis instituto, vel prælati recte sentientis imperio comprobetur? Magnum est hic rerum involucrum, dubitationum-

ANN. CHR. 1400.

sionumque conflictus. Ut sine cunctatione tutius sit, postquam aliquid in legem commiseris, suscepta venia redire devote ad dimissæ legis observantiam, a qua cecideris, cum peccares, quam uti licentia post peccatum. Sed hæc omittamus. Volo quidem, quod omnia tecum decoquas, & moneas illos tuos, ut de simplicitate & intentione sua sibi non blandiantur, nec credant cœnobii novi constructionem tale bonum esse, quod excuset vel dissensionis scandalum, vel discessionis erratum. O quanto melius erat ab æmulatione discedere, corrigere proximum, & unitatem non relinquere, sed ipsam etiam invitis discordantibus observare. O quam delicata conservatio est, quam dirimit, & justa contentio! Injustam quidem movere discordiam fragilitatis est & pervicaciæ, motam fovere diabolicum. Ut bonum facias, malum aliquod agere, cum stultum atque peccatum, tum damnabile, tum vitandum. Dic mihi Raphael, dicant & alii tui, cum a veteri cœnobio discessistis, non videbatis, in quam infamiam relictos fratres vestros illos, aut vos, imo prorsus utrosque in intuentium oculis trudebatis? Creditis forsan omnes vestrum laudare discessum, in cujus spei falso lumine proximorum vestrorum infamiam non curastis? Imo quia nimis desideratus vobis erat ille discessus, nulla vobis de remanentibus cura fuit, nihil etiam, quod vos deceret, & an famam læderetis propriam providistis. Sunt qui, quod & ipsi fatemini, dicant vos propter discordiam discessisse, putantque vos non potuisse aliorum superbiam tolerare. Nonne melius cohabitationem semper habere contentiosam, quam illis occasionem talis infamiæ præbuisse? Dicunt hæc & alia, qui de secularis vitæ licentia religionis observantiam metiuntur. Sed alia claustri & religionis est regula, alia vero mundi, diversumque finem sequentium est doctrina. Multa quidem extra claustrum vivendi libertas, consuetudoque permittit, quæ religiosum illud penetral abominatur & horret. Licet enim aliquando foris dissentire contendere, intus autem omnino non licet; ubi scilicet parendum est prælatis & regulæ, confratribus vero cedendum in humilitate. Numquid enim, si cesseris, erit tibi cum proximo tuo contentio, quem cum ceperit protervire, non franges resistentia, sed accendes? Cedendo vero sic humilem reddes, sicque victum, quod longe minorem habebit ex victoria gloriam, quam ex contentione pudorem. Et exinde taliter eum affectum videbis ad cetera, quod vel facile cedet, vel saltem pertinaciter non contendet. Quod si consecutus fueris, correxeris & lucrifeceris fratrem tuum. Sin autem in malignitate perstiterit, documentum ei dederis, quale debes, & temet conservaveris innocentem. Si clamydem eripienti juberis non contendere tunicam, quid nobis in aliarum rerum contentione faciendum est? Insistendum ne contentioni, an potius in pace, concordiaque cedendum? Si restiteris contentioso, quid aliud te manet, nisi quod contentiosus æqualiter appelleris? Nec appelleris solum, sed ut talis crimineris & puniaris? Numquam in hac re consequi poteris, karissime Raphael, vel vos vel illos plurimum non errasse. Nunc autem expediensne vobis fuit, hac discessionis vestræ migratione vos vel illos efficere reos culpæ? Quanto melius carebatis omnes tam suspicione, quam crimine, quantoque satius erat ignem illum discordiæ sanctificæ humanitatis opibus, velut undarum aspergine vel extinguere, vel sedare? Numquam inter humiles potuit esse discordia; nec inter contentiosos & humiles æmulatio. Inter duos aut plures ista cadant oportet, qui controversim sentiant. Humilis vero talis est, qui numquam possit in contentionem adduci. Plane quidem opus est, extra virtutis hujus ambitum adversarium quærere, qui voluerit cum alio litigare. Potes ab humili dissentire, & illi te non exhibere concordem. Cum illo vero contendere

Ann. Chr. 1400.

dere vel habere discordiam, omnino non potes. Licet enim non idem sentiat, quod tu sentis, licet in corde non habeat, quod corde tenueris, non tamen dissensionem, aut discordiam tecum habebit. Tenebit suam in corde sententiam, non dimicaturus cum proximo, si perstiterit, sed potius si fieri præter offensionem Dei & proximi poterit, consensurus. In illis autem, quibus æternæ salutis ratio læditur, nec consentiet, nec contendet, sed monebit humiliter & quiescet. Hanc humilitatem si vos aut illi, ut jam etiam cum remanentibus loquar vel mediocriter habuissent, crede mihi nulla fuisset inter vos dissensio, nullusque discessus. Potuissetque concorditer parere vestra mater novum istud monasterium, quæ vos in discordia fuit aborsa, quæve sicut de Rachel scribitur, flet filios suos, nec potest consolari, cum non sint. Ego vero, frater carissime, te & tuos deprecor & exoro, quatenus in veræ caritatis lumine, quæ moneo, ponderetis, excoquatis & ventiletis, nec patiamini super hæc mentis vulnera consolidari vel durescere cicatricem. Contrectetis novas istas plagas, ut potius emittant sanguinem, quam putrescant. Ut semper dolor maneat, neve quod in antiquis solet contingere vulneribus, corruptio superveniens doloris sensum auferat, vel oblivionem obductio cicatricum inducat. Ceterum si patienter ista tam illi, quam vos capietis, sique fidele consilium cum benignitate recipere decreveritis, vos in veræ caritatis affectu obtestor & moneo, quatenus in hac causa nolitis arma contentionis assumere, nolitis etiam si peccaverint illi, vel forsan ipse, culpæ facinus aliis imputare. Sed fateamini, si sentitis errorem leviter potuisse vos ex puritate & inscitia sicut homines erravisse, verum abfuisse malitiam, sicut credo. Hæc respondendi forma nulli contra conscientiam crimen imponet, nulli generabit infamiam, nullique scandalum præparabit. Tolerabilius enim fuit in claustro contendere, quam nunc claustris, quasi castris, oppositis diffidere. Velitisque didicisse in unitate religionis nihil detestabilius, nihilque venenosius æmulatione contentionis. Ut hoc saltem exemplo veram, sanctam & immaculatam observare didiceritis unitatem; pudeatque semper & pigeat movisse vel suscepisse discordiam, nutrisseque taliter, quod vos impulerit ad discessum. Unum maximum bonum, quod vobis in illa discordia parabatur, per ignaviam amisistis, cujusque meritum numquam poteritis adæquare. Quod bonum, inquies? Patientiam plane, quam nisi molestemur, offendamur & tribulemur, nec præstare possumus, nec habere. Et credis unitatem conversationis, si procul absit omnis æmulatio, discordiaque, & contentio, tanti talisque meriti vel remunerationis esse, quanti qualisque fuerit, ubi turba controversiarum accesserit, si patientia tolerabis injurias & humilitate cesseris, ne contendas? Non est sine turbationis molestia conversatio nostra meritum, sed potius Dei donum. Nam si benigno proximo benignitate respondeas, quid est aliud, quam benefactoribus tuis benefacere, quod faciunt etiam Ethnici & Publicani? Non sufficit a contentione, si contendentem non habeas, abstinere. Meretur, fateor, qui pacifice cum proximo conversatur, non quia non contendit, sed quia opus perficit caritatis; non quia non discordet vel dissentiat a confratre: potuit enim hoc recte fieri, imo rectissime fit, si male sentiat proximus, vel damnabiliter. Sed quoniam bonum volens & recte sentiens non contendit, non dissentit, vel discordat cum proximo, sed a proximo. Scio quantum hoc mihi credo, quidem & aliis carnaliter mecum sentientibus durum & difficile videatur. Quis enim continere semetipsum potest, si proximus id velit atque contendat, quod non expediat, maxime si velle videatur in hoc per superbiam resistere, vel factiose, sicut contingit in religiosis & secularibus congregationibus obtinere? Difficile fateor est, & ut

talis

talis contingat necessitas, non optandum. Summus enim hic labor est, summaque bonitas male persuasos in rectam viam deducere, vel obstinatos humilitate consummataque patientia tolerare. Summus hic profecto labor, sed summum meritum, quo quilibet non justitiæ debito, sed gratia remuneratur & beneplacito nos salvantis. Ut hoc respectu, quo plus mereri possimus, optandum sit, dummodo citra crimen & scandalum proximi fieri possit, quod in contentionis barathrum incidamus, quod habeamus exercentes & ventilantes nos, ut non probati solum, sed etiam approbati, pacem, quæ superat omnem sensum, gloriose pertingere valeamus. O felix commutatio, desiderabileque commercium, sic in temporali contentione versari, quod æternæ pacis gratiam largiente Domino consequamur. Non potest ex contentione parare meritum, qui contendit; neque qui tædio contentionis affectus pugnam deserit, contendentem fugit, & pacem animi sibi quærit. Non est hoc virtute cedere, sed turpiter terga dare. Standum est in acie conserendæ manus, luctandumque pro justitia, pro veritate, pro honestate, sic tamen hæc omnia facienda, quod non objurgeris, non contendas, nec erranti similis fias. Patienter tolera proximum, prudenter admone delirantem, cedeque humiliter, si non se corrigit insanienti. Ista pia dimicatio est, hic insistendum, numquam hæc repugnantia deserenda. Sed hæc satis. Plane quidem constat alicujus contentionis tædium vel periculum non esse tanti, quod viri spirituales debuerint claustrum relinquere vel mutare. In omni quidem recte vivendi ratione pulcherrimum est servare constantiam. Minuit enim etiam sanctissimæ vitæ decus animi levitas, & difficile fieri potest, quod illibata conscientia, vel sine scandalo cœnobia commutetis. Vide precor super hoc Claræ-vallensis Bernardi consilium atque sententiam libello de dispensatione atque præcepto super articulo: Quatenus tenenda sit, quæ in professione firmari solet loci stabilitas? Si recte quidem intelliges, sique profunditus imbiberis id, quod jubet, te & illos tuos veritatis, quam prædico, & erroris, quem arguo, nimis poterit admonere. Sique leges circa finem undevigesimi capituli de Verbis Domini de duobus cæcis sententiam Augustini, crede mihi, tibi, nec de te, nec de tuis aliis, auctoritate tanti viri, veritateque se nobis insinuante, placebis. Hæc hactenus. Quod autem accusas contra caritatem Dei & proximi tam ipsos facere, quam me consuluisse, quod libros non accommodent, quibus abundent, ut de me prius loquar, id fateor me dixisse, nimisque carnaliter tribuisse responsum; cum enim de caritatem relinquentibus sermo foret, fugit me, quod secundum caritatem debui respondere, quam quidem reminisci potueram, non ad amicos habendam solum, sed ad ipsos extendendam etiam inimicos. Verum omnis inordinata caritas gradus habet, ut primus gradus sit cogitare de se, secundus de filiis atque parentibus, tertius de conjunctis, post autem secundum necessitudinis propinquitatem ad extraneos pervenire, inter quos etiam est habenda discretio, ut quanto quis fuerit humana communione conjunctior, tanto debeat ceteris anteferri. Debueram ego discutere, quonam gradu deberetis eis societatis & necessitudinis numerari, & tunc demum quibus postponi, quibusque præferri mereamini, respondere. Verum cum libri non sint de necessitate salutis, ad quam sumus affectu cunctis obnoxii, sed instrumenta quædam exhibendi cultus, vel curiositatis atque doctrinæ, non fuit periculum, si vobis illos persuaserim denegandos, quibus ad salutem ultimam nullatenus indigetis. Illi vero, si constitutiones observant claustri, nec vobis sunt, nec aliis reprehendendi. Vale, sicut optari debet in Domino.

Florentiæ VI. *idus januarii.*

ANN. CHR. 1400.

XX. Adventus Ambrosii in monasterium Angelorum de Florentia.

VENIT hoc ipso anno ad præfatum sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia monasterium quatuordecim ætatis annos attingens sub Matthæo Guidonis priore Ambrosius, a Portico Æmiliæ provinciæ oppido, Civennis filius ex Traversariorum seu Fabrorum gente, oblatus die octava octobris, qui professionem emisit die sexta novembris anni sequentis, ut legitur in libro *Professionum* ejusdem cœnobii. Ipsius tempore tum studium Latinæ & Græcæ linguæ, tum ars conscribendorum nitidorum codicum, tum perquisitio & correctio veterum librorum apprime in eo monasterio floruere, quibus rebus multum contulit Cosmi Medicei senioris, & Nicolai Nicolii amicitia, & omnium virorum ea tempestate clarorum literaria frequentia. Sed de his amplissima seges nobis paratur in Annalibus ineuntis proximi seculi. De Ambrosii familia hæc habet Rubeus [a]. „ Ambrosius in Portico oppido, quod est supra Foro-livium in Apennini jugis ortus ex vetere & nobilissima Traversariorum Ravennate familia originem duxerat; scripsimus enim Traversarios a Polentanis Ravenna pulsos tum Venetias migrasse, quod ibi ex eadem familia Ravennati aliqui extarent ducentis jam ferme annis patritii facti & in Senatum cooptati, qui Legii appellarentur. Tum ad Apenninum, ubi ab ea arte, quam inopia ducti exercuerant, cognomento Fabri dicebantur. Ex iis itaque Ambrosius ortus &c. “ Attamen, licet certum sit Ambrosium in Portico natum, frequentius Florentinus appellatur, ex domicilio nimirum triginta & amplius annorum in monasterio sanctæ Mariæ de Angelis. Quid, quod in bibliotheca Riccardiana [b] ad calcem codicis Johannis Scholastici legitur: *Explicit Climax Johannis Scholastici ab Ambrosio monacho venerabili* Florentiæ oriundo, *e Græco in Latinum traductus?* Eadem fortasse ratione, ex domicilio nempe eremi Camaldulensis & monasterii Fontis-boni diœcesis Arretinæ, ubi ad novem annos commoratus fuit, Attilius Alessi [c] in historia Antiquitatum Arretii inter celebres Arretinos recensuerit *Ambrosium abbatem Camalduli, qui habitus fuit doctissimus in concilio Florentino, & excellens in Græca & Latina lingua, quique diligenter ex Græco in Latinum convertit Diogenem Laertium de Philosophorum vitis dicatum Cosmo Medicaeo.*

a Lib. VIII. pag. 621.

b Biblioth. Lamii pag. 250.

c Ibid. pag. 17.

XXI. De ejus magistris.

HIC etiam loci ad examen revocandum, quibus solidis monumentis innitantur omnes fere scriptores, qui Ambrosium Johannis Ravennatis in Latinis, Emmanuelis vero Chrysoloræ in Græcis literis auditorem faciunt. Si Ambrosius ipse consulatur, nihil in suo Hodœporico, nihil in epistolis tradit de hisce suis magistris. Loquens in Hodœporico [d] de Galiatæ oppido hæc habet: „ Postridie ex Galiata, ubi pueri quondam educati eramus, adierunt nos plurimi &c. “ Chrysoloram quidem sæpius laudat Ambrosius in epistolis, sed ab ipso Græcas hausisse literas diserte non scribit. Vespasianus tamen Florentinus librarius domesticus cardinalis Castellionæi Mediolanensis, communiter dicti Placentini, & qui frequens erat in domo Franchi Sacchetti junioris, in vitis virorum illustrium, qui florebant temporibus Eugenii IV. & Nicolai V. Romanorum pontificum, quæque extant in codice Vaticano sub numero 3224. Ambrosii vitam texens hæc profert. „ Frater Ambrosius fuit ordinis Camaldulensis ex Portico Romandiolæ, filius inopis viri, ingressus est monasterium Angelorum puer valde, & perdiu vixit in reclusione ejus loci; cœpit operam dare Latinis literis prima ætate, & cum præstaret ingenio, brevi tempore didicit Latinam linguam, præterea operam dedit Græcis literis sub disciplina Emmanuelis Chrysoloræ viri doctissimi, qui ex Græcia venerat opera Pallantis Honuphrii Strozii, Antonii Cor-

d Pag. 46.

„ binellii

„ binellii & aliorum illuſtrium virorum, qui ea tempeſtate florebant." Pariter in alia vita ejuſdem Pallantis Stroctii. „ Pallanti, inquit, referendum, quod cum adveniſſet in Italiam Emmanuel, Leonardus Aretinus, Guarinus Veronenſis, frater Ambroſius monaſterii Angelorum &c. literas Græcas didicerint." Sed præ ceteris Bartholomæus de Monte-politiano [a], qui fuit a ſecretis & referendarius Martini papæ V. Ambroſio ſcribens ex oppido ſancti Galli decimo-tertio Kalendas februarii anni 1418. recenſens Emmanuelis Chryſoloræ auditores, ipſum Ambroſium includit his verbis. „ Ego nempe omnes ejus maximi Philoſophi condiſcipulos (lege diſcipulos) magna quidem caritate & eximia devotione complexus ſum, quorum aliquos, quamquam numquam viderim, eorum tamen epiſtolis ad me directis cum notos, tum caros habeo. Longum eſſet retexere, quanta me Guarinus Veronenſis, Franciſcus Barbarus, Andreas Julianus benevolentia atque urbanitate proſequantur. Tu ſolus deeras, qui nuper officium, quod erga te exercere decuit, anticipare maluiſti, nam ſicut vita, ingenio, ſtudio, urbanitate longe me præcellis, ita nunc tuæ in me benevolentiæ teſtibus ſive nuntiis duabus epiſtolis præveniſti." Veri itaque ſpeciem habet Ambroſium Chryſoloram audiviſſe tum tribus annis, antequam monaſticum ſchema indueret, tum etiam poſtquam monachus factus eſt. Cum enim certo certius ſit Chryſoloram Florentiam advocatum fuiſſe ad juventutem erudiendam anno 1397. potuit Ambroſius ex Portico & ex Galiata, ubi prima Latinæ linguæ rudimenta ſuſceperat, Florentiam concedere, & decennis Chryſoloræ docentis lectiones haurire. Quid, quod Chryſoloras poſt primum incolatum Florentinæ urbis, poſt Græcas linguas traditas Mediolani, Ticini, Venetiis vocatus ad Romanam curiam, & Romanos pontifices ſequens, & præſertim Johannem XXIII. Florentina in urbe iterum moras traxit, ex qua cum ipſo Johanne & cum Leonardo Arretino ad concilium Conſtantiæ profectus eſt, ubi etiam ſepulcri honorem obtinuit anno 1415. Faciliori autem negotio intelligimus, quommodo Johannis Malpaghini Ravennatis magiſterium in Latinis literis exceperit Ambroſius. Ipſius quoque Johannis Florentiam vocati ad juventutem docendam monumenta explorata ſuperſunt ad annum 1397. in qua urbe moratum quoque fuiſſe anno 1404. immo etiam 1412. oſtendit Cl. epiſtolarum & vitæ Ambroſii nuperrimus editor Laurentius Mehus. Quare mirari ſubit, cur idem clariſſimus auctor „ Græcis literis inſtitui non potuiſſe Ambroſium ab Emmanuele Chryſolora tradat [b], non in Veneto, ſubdit, ipſius ludo, in quo Jacobus Angeli & Robertus Roſſus, neque in Florentino, in quo Nicolaus Nicoli, Leonardus Arretinus, aliique imbuti fuere, ſi ætatem compares." Cum enim, teſte Veſpaſiano, præſtantiſſimi ingenii foret Ambroſius, decem, duodecim & quatuordecim annos natus poterat Græcam linguam addiſcere, quam eoſdem annos natus vel ab ipſo Chryſolora, vel a Guarino Veronenſi didicit Venetiis Franciſcus Barbarus. Ceterum ſuperiorem Bartholomæi narrationem ſic excipimus, ut nominati ab ipſo non eodem in ludo Chryſoloram magiſtrum habuerint; compertum eſt enim Guarinum non Florentiæ, ſed in urbe regia Conſtantinopolitana Chryſoloram audiiſſe, Barbarum, Juſtinianum & Julianum Venetiis, ceteros in urbe Florentina. Illud tamen fatendum Ambroſium ſtudia omnia ſua, profectuſque referre accepta partim Nicolao Nicoli, partim Matthæo Guidonis priori monaſterii ſanctæ Mariæ Angelorum. De Nicolao hæc fatetur [c]: „ An vero ego ullum poſt memorabilis ſuavitatis ſeniorem patrem expertus ſum amantiorem mei quam „ te?

ANN. CHR. 1400.

[a] *Lib. XXIV. ep. IX. inter Ambroſianas.*

[b] *Pag.* cclxv.

[c] *Lib. VIII. Ep.* 1.

Ann. Chr. 1400. „ te ? Tu studiorum meorum ab ipsis fere incunabulis fautor, incentor „ adjutorque fuisti. Si quid in nostra, si quid in peregrina lingua pro„ feci, tibi in primis debeo, ut non velim esse (quod avertat Deus) „ ingratissimus tuæ benevolentiæ, eximiæque in me pietati, cui, si quid „ profectibus nostris adcessit, acceptum referre debeam. “ De Matthæo autem priore hæc habet in epistola ad ipsum nuncupatoria librorum sancti Johannis Chrysostomi adversus vituperatores vitæ monasticæ [a]: „ Esset „ profecto parum grati & minime officiosi animi hujusmodi abs te injun„ ctum munus recusare, cum Græcas ipsas, Latinasque literas tuo po„ tissimum beneficio & auxilio sim consequutus. “ Non itaque ad posteriores annos retrahenda est exercitatio Ambrosii in Græca lingua, quod facit superius laudator vitæ editor, dum ait, constare inter omnes multum præsidii ad Græcæ linguæ notitiam duxisse Ambrosium a Demetrio Scarano Theodori filio homine Constantinopolitano, qui anno dumtaxat 1416. in eodem Angelorum cœnobio ad Camaldulensem se dedit societatem. Liquet enim Ambrosium in notitia Græcæ linguæ profecisse ante eum annum; extatque ad hodiernam diem autographum ipsius Ambrosii manuscriptum opus in bibliotheca abbatiæ Florentinæ & codice membranaceo, cujus in calce legitur: „ Firmiani Lactantii institutionum adversus „ Gentiles liber septimus & ultimus explicit feliciter: Scripsit Ambrosius „ monachus, complevitque XVII. kalendas februarias anno a nativitate „ Domini millesimo-quadrigentesimo-quartodecimo, cui operi rogatu Fran„ cisci Barbari Græcam literaturam restituit, manumque medicam appo„ suit talem, ut de imperito, barbaro & rustico, eruditum Latinum & „ urbanum fecerit. “ Eidem tamen præstantissimo editori subscribimus referenti ad Theologicas potius disciplinas verba Hieronymi Aleotti monachi Arretini in libello *de Monachis erudiendis*, quæ hujusmodi sunt: „ Quod vero is (Ambrosius) in religione egregiam adsecutus est disci„ plinam, divinitus factum existimo. Nam quid aliud sentiendum, quam „ Deum habuisse doctorem, qui præceptorem habuit neminem, quales „ fuisse plures legimus, qui Scripturarum eruditionem cœlitus hausere? “

a *Lib. XXIII. ep. VI.*

XXII. De Epistolarum ipsius collectionibus.

Alterum pariter hic in antecessum præmonemus quoad Ambrosii epistolas, quarum verbis vitam ipsius singulis annis contexemus. Certum est ipsas eo vivente a pluribus expetitas. Locum tenet inter primos Christophorus de sancto Marcello Vicetinus, auditor Eugenii papæ IV. episcopus inde Cerviensis, tum Ariminensis, postremo Senensis, cui obsecundans Ambrosius hæc scribit [b]: „ Ecce enim epistolas nostras omnes non „ modo graviores, & de rebus ad Christianam pietatem pertinentibus „ agentes, verum familiares quoque, & nihil ferme serium continentes „ expetis tanto studio, ut nisi accipias, versuram pene fecisse te putes. “ Et in alia ad eumdem [c]. „ Libet ineptire apud te pater, quandoqui„ dem ineptiarum nostrarum amore correptus omnia nostra tam solerter „ exquiris, ut licere apud te existimem, quamvis indigesta minusque „ expolita ingerere auribus tuis. Scripsi epistolas quasdam de seriis re„ bus, quas quoniam transcribere minus otium fuit, ad te nondum ob„ signatas mitto, ut si placet, mature, priusquam mittantur, ad quos „ destinatæ sunt, transcribendas cures, ac remittas ad me, sive restituas „ profecturo ad te, quamprimum licebit. “ Ambrosii epistolas expetiit etiam Placidus Pavanellus Eugenii IV. cubicularius, inde abbas generalis Vallumbrosanus, postremo episcopus Torcellanus, cui scribens Ambrosius [d] hæc habet. „ Ex quo abs te redii, quid essem pollicitus, hæsit „ animo jugiter, & quod lacessente animo lente prosequi institueram, ut

b *Lib. III. ep. XX.*

c *Ibid. ep. XXI.*

d *Lib. IV. ep. XXVI.*

„ tibi

ANN. CHR. 1400.

„ tibi votisque tuis non deessem, ardentius aggredi institui. Et quoniam „ jam quatuor epistolarum mearum libros absolveram, atque in ordinem „ redegeram, duos scilicet ad pontificem summum, atque ad Ariminensem „ episcopum & ad Hieronymum fratrem, atque ad alios itidem duos, „ placuit eas, quæ ad curam ordinis mihi crediti magis pertinere viden- „ tur, colligere, & ad te mittere. “ Malatestam quoque Novellum Cæsenæ & Britonorii dominum efflagitasse epistolas Ambrosii, ut ipsarum collectionem aliquam faceret, liquet ex hujus responsis ad eumdem: „ Scripsi, „ inquit [a], celsitudini tuæ, literas quasdam ex nostris epistolis una mit- „ tens, quas tuam humanitatem appetere ex Ariminense episcopo factus „ fueram certior. “ Legantur & epistolæ XXIX. XXX. XXXII. & XLIX. libri III. ad supralaudatum Christophorum. Quare maximorum horum virorum adhortationibus impulsus Ambrosius ad suas epistolas undecumque congerendas animum admovit, ut indicat ipse in superiori epistola ad Pavanellum. „ Paucas ex his in præsentiarum ad te mitto, uti eas „ pro voto transcribendas cures, plures paulopost missurus, quas scilicet „ in eam rem colligere licuit. Quas vel ad fratrem, vel ad alios misi, „ si jusseris, postea mittemus. Scripsi & ad tuam dignationem nonnul- „ las, quas libentissime insererem ob perpetuam dilectionis nostræ signi- „ ficationem. Si eas miseris, inseruntur suo ordini. “ Et alibi [b] ad eumdem: „ Sexternos alios duos epistolarum nostrarum mitto, ne vacuus „ iste tabellarius veniat. Quos oro sollicite cures trascribendos, ut pos- „ sint reliquo volumini inseri, quod venustius in membranis Ariminensi „ episcopo curavimus transcribendos. “ Demum ad Hieronymum fratrem [c] scribens, „ Quaternionem, ait, quoque epistolarum mearum Pa- „ rentis nostris manu, & alium manu nostra breviorem quæso ut mit- „ tas. “ Hæc vivente Ambrosio. Primus qui post ejus obitum collectionem epistolarum ipsius adornavit, fuit [d] Michael monachus sanctæ Mariæ Angelorum, qui opus suum in decem & octo libros partitum inscripsit Cosmo Medicæo. Seculo præterito ex schedis Mabillonii, qui eas acceperat a Magliabecchio, epistolas Ambrosii edidere doctissimi congregationis sancti Mauri duumviri Edmundus Martene, & Ursinus Durand viginti libris. Seculo demum præsenti Petrus Cannetius abbas Camaldulensis, ejusdemque ordinis postea supremus præses manum admovit novæ Ambrosianarum epistolarum collectioni, sed operi intermortuus, mortuo etiam Guidone Grandio altero insignis nominis abbate Camaldulense, qui postremam manum operi dare contendebat, res in Antonium-franciscum Gorium est devoluta, variique docti viri suas symbolas eruditis adnotationibus addidere; demum editione jam ad umbilicum perducta, impositum fuit onus Laurentio Mehus locupletandi opus tum nonnullis superadditis epistolis, tum vita ipsius Ambrosii. Prodiit totum opus anno 1759. duobus voluminibus in folio, quorum secundum epistolas cum notis, primum vero vitam exhibet, vel potius specimen Florentinæ literaturæ. Nos operæ pretium facturos arbitramur, si annis singulis, quantum licebit in iis, quæ nota chronica fere carent, epistolas assignemus eo, quo scriptæ fuerunt, ordine, quarum aliquas, cum sint parvi momenti, indicabimus brevi synopsi dumtaxat superius laudati Cannetii, reliquas vero, quæ continent historiam literariam, vel ecclesiasticam, vel Camaldulensem ejus seculi, fusius illustrabimus.

XXIII. Epistolæ prioris Angelorum pro supplenda vita S. Catharinæ Senensis.

OBIERAT ante viginti annos sanctitate, & doctrina clarissima virgo Catharina Senensis, cujus vitam scripserat Raymundus a Capua magister generalis ordinis Prædicatorum, quique exceperat in sacramentali confes-

sione

a Lib. V. ep. VI.

b Lib. IV. ep. XXVII.

c Lib. XI. ep. XIII.

d Lib. XXV. ep. XVII.

Ann. Chr. 1400.

ſione ejus geſta. Poſt Raymundi mortem, quæ anno elapſo in urbe Norimbergenſi contigerat, Thomas Nacii Caffarini ſanctæ hujus virginis diſcipulus, iſque ſtudioſiſſimus ejus gloriæ dilatandæ, aſceta dicti ordinis Prædicatorum, ad hæc tempora undequaque conquirebat monumenta, pro edendo ſupplemento, quod contineret memorabiliora facta & dicta ſanctæ virginis in ſuperiori vita prætermiſſa. Hortatores ad id operis habuit potiſſimum congregationem eremitarum ſeu monachorum ſanctæ Mariæ Angelorum de Florentia, & Matthæum eorum priorem, ac Cartuſianos aliquot. Scripſit itaque ei prior Angelorum Matthæus epiſtolam die XXVI. auguſti hujus anni, excitans ipſum, ut nulla difficultate retentus, omnia etiam minutiſſima, quæ ad Catharinæ laudem facerent, colligeret, ſupplendo vitam a Raymundo conſcriptam, ut vitæ ſancti Martini ſupplementum adjunxerat Severus Sulpitius, & recentioribus temporibus additiones factæ fuerant vitis ſanctorum Benedicti, Franciſci, ac Dominici. Rurſus alteram epiſtolam dedit idem prior die quarta aprilis ſequentis anni, ipſum Thomam, qui tunc Venetiis moras habebat, inducens, ut ſe conferret ad Paulum Venerium abbatem ſancti Michaelis de Muriano, cui ipſe ſcripſerat, quemque precatus fuerat, ut Thomæ præſto eſſet requirenti opuſcula, vel minia, & ſcriptionem operum Catharinæ curaret fieri per ſuos monachos, qui eo exercitii genere quam maxime eo tempore delectabantur. Addit extare penes ſe mirabilem dialogum ſanctæ Catharinæ de *Divina Providentia*. Leguntur hæ epiſtolæ in præfatione Thomæ ad ſupplementum vitæ ſanctæ Catharinæ editum Lucæ anno 1754. quas vulgari idiomate conſcriptas libenter ſubjicimus:

Venerabile in Criſto Padre Tommaſo.

Ne' paſſati giorni m' imbattei per mia buona ſorte, a tutt' altro penſando, nella leggenda della beata Caterina da Siena, traſcorſi leggendola sì la prima, che la ſeconda parte, e conobbi la opera di grande edificazione per la nobiltà delle materie in eſſa contenute, e pell' eccellenza dell' eroiche virtù ivi deſcritte. Ma l' eſemplare e copia venuta nelle mie mani diedemi chiaro indizio, che opera ella foſſe non ridotta dall' Autore alla dovuta perfezione; non di ciò preſi maraviglia, riflettendo, che maeſtro Raimondo da graviſſime delegazioni, e dal peſo del governo diſtratto ed impedito non potè indagare e minutamente deſcrivere tutto il mirabile delle virtù, miracoli, ed operazioni di queſta Vergine. Or aſſai diſpiacerebbe non ſolamente a noi poveri e ſemplici romiti, ma a chiunque in udirle ſenteſi accendere nel Divino amore, ſe con biaſimevole traſcuraggine ſi laſciaſſe perdere la memoria di quel di più certamente da crederſi eroico e ſtupendo, che non giunſe alla notizia e diligenza di maeſtro Raimondo. Per tanto con quel riſpetto da me a voi profeſſato, e da voi meritato, pigliamo la confidenza di rendervi conſapevole del noſtro e del commune deſiderio, bramando tutti, che nell' ordine voſtro de' Predicatori così ferace di elevati ingegni, e di uomini ſtudioſi del proprio e dell' altrui profitto ſi riſveglj lo ſpirito di chi prenda a ſupplire a quanto compariſce mancare nella volgata leggenda, diſteſa, come è noto, nei tempi, che diconſi rubati, da chi doveva attendere inſieme inſieme ad altri affari di notabiliſſime conſeguenze. Se mai ad alcuno, per iſcuſarſi dall' imprendere cotale applicazione, metteſſe fuori il preteſto di fuggire le novità ſempre odioſe, potrebbeſi a coſtui riſpondere, che l'eſperienza fe conoſcere negl'iſteſſi antichi ſecoli la neceſſità di condurre a perfezione con nuove giunte le prime divulgate leggende d' ordinario difettoſe. Chi non sà, che Sulpizio non iſdegnò nell' eruditi ſuoi dialoghi di dare fuori il ſupplemento alla vita

del

del santo vescovo Martino, ripetendo con bell' arte ciò, che gli era sfuggito dalla memoria e dalla cognizione nel primo divolgamento? Parimente per le scoperte in varj successivi tempi accadute vi bisognò supplimento alle vite de due gran patriarchi san Benedetto e san Francesco. Ma per addurre esempj di fresca ricordanza, sapete voi pure di quante giunte e supplimenti si conobbe la necessità per ridurre alla compita perfezione la vita del vostro gran padre san Domenico. Non deve ciò parer caso strano, essendo che un' uomo solo, per quanto si voglia accurato, non può facilmente ripescare notizie distinte del molto e del grande, e di tutto quanto i Santi fecero in circostanze de' luoghi, di tempi anco disparatissimi. Nè pure vi rattenga dall' acconsentire alle ragionevoli nostre richieste qualunque umano rispetto, quasi che si venisse con tali appendici o supplimenti ad accusare di negligenza maestro Raimondo, quando costa, ch' egli medesimo nel render pubblica la sua leggenda, dichiarasi, che in essa non altro comprenderà, che le operazioni e maraviglie principali della vergine Caterina, quelle (vuol egli dire) da lui giudicate le più singolari, e dalla fama universale sopra dell' altre decantate. Or per commune nostra e più fruttuosa edificazione e profitto si desidera da noi di rimanere informati di tutte le quotidiane, manuali, e minute di lei operazioni, trattenimenti, esercizj, e per certo modo di parlare, di qualunque movimento e passo de' piedi suoi, e di qualunque gesto, ed alzata delle sue mani, posciachè di certe anime da Dio con modi insoliti guidate ed addottrinate qualunque parola e qualunque azione, movimento e gesto debbono apprendersi quasi celesti e divine istruzioni, che ai buoni e agli uomini di buona volontà servono di stimolo a meglio rasodarsi nelle virtù; onde conoscendosi molto ad esse difformi ne ricavino motivi assai forti di umiliazione e di compunzione; al contrario poi gli stomacosi le ricevono ed ascoltano con nausea e sdegno, e le credono materie di scandolo, perchè nel sentirle commendare, sentonsi costoro opprimere dalla confusione e dalla vergogna. Sapete già voi, che simili anime da Dio con singolarità favorite compariscano assai di rado ne' tempi nostri, perciò appunto con sollecitudine attenta e vegliante dobbiamo fare gran conto di tutto ciò, che può servire di guida e di regola a' costumi nostri. Pregovi dunque con le più vive e calde istanze ad impiegare le migliori vostre occupazioni, acciò nè pure un detto, nè un minimo fatto di questa vergine si lasci indietro, quasi cosa non appieno degna di considerazione e di stima, onde restino consegnate in pubblica scrittura alla cognizione universale delle genti, non solamente le azioni e l'imprese riputate per la loro eccellenza le principali, ma le più minute ed usuali ancora, quali forse a confronto delle più strepitose e stupende pareranno a taluni dispregevoli e vili. Pregovi finalmente di renderci consapevoli delle vostre determinazioni e risoluzioni intorno a questo affare. ANN. CHR. 1400.

Di Firenze a 26. *agosto del* 1400.

Il vostro Priore degli eremiti degli Angeli dell' ordine Camaldolense.

Altera vero epistola hujusmodi est.

Si è da noi ricevuta la seconda lettera responsiva all' altra mia, già da qualche tempo mandatavi, nella quale trattavasi di cercare modi e maniere di render pubblico quel più, che non è scritto de' detti e de' fatti della beata Caterina da Siena. Non dipartendo dunque dal consiglio datovi, scrivo in quest' oggi all' abate di san Michele di Murano, pregandolo, che per la mano de' suoi monaci, o di altri d' ingenua e sincera fede procuri, che si eseguisca e mettasi in opera quel tanto, che da voi sarà a lui con particolare istruzione dimostrato necessario a porsi in opera; ma sopra ogni al-

tro

Ann. Chr. 1400.

tro affare colla fiducia fondata nella carità vostra, vi prego a non perdonare nè a fatiche, nè a diligenze, a fine di ritrovare e d' indagare qualunque detto e fatto di questa vergine, comunque scritti o notati eglino sieno o nella latina, o nella volgare lingua nostra. Pregovi ancora ad invigilare con attenzione, acciò i vostri copiatori o perchè vinti dal tedio, o per disprezzo di minute cosarelle, nulla tralascino di notare e rapportare con sincera fedeltà. Se voi altrimenti vi contenessi, tirando avanti l' opera con qualche negligenza, sareste astretto a renderne rigoroso conto al tremendo tribunale di Dio. Appresso noi trovasi un libro disteso in volgare favella, il quale si è da noi di capo a piedi intieramente trascorso, con farvi sopra qualche spiegazione. Il detto libro fuori di dubbio sarà stato una copia del mirabile dialogo della divina Providenza da santa Caterina dettato in più volte, mentre levata in astrazione trattenevasi in familiari colloquj coll' eterno Padre. Tenghiamo ancora un volume di vita di Caterina, mancanvi però i versi finali del Cap. XII. *della seconda parte con il restante insino al principio della terza parte, perciò vi preghiamo, che se altro di lei presso voi conservasi, detti eglino sieno o fatti, procurate con prestezza di farne copie in carta pecorina, ma queste copie puntualmente corrispondino nella forma e grandezza colle carte, quali vi mando legate e congiunte alla presente lettera. Non intendo contuttociò, che in carta pecorina facciate trascrivere il fine del citato capitolo* XII. *con quello, che siegue fino alla terza parte; il nostro desiderio è, che questo si scriva e trascriva in lettera corsiva, acciò non comparisca difformità fra questa giunta, e gli altri foglj del libro I. già a metà legato, ma a cagione di questa aspettativa non compito. In lettera parimente corsiva e in carta bombagina farete trascrivere qualunque altra opera, che sia da voi giudicata bisognosa di correzione, o che stimassi voi miglior convenienza il trasportarle in altri idiomi, ma sopra ogni altra cosa vi raccomando la sollecitudine e la prestezza; in somma per tutto dire in poche parole, desidero ricevere dalla carità vostra, e quanto di presente tenete appresso voi, e quanto in avvenire vi farà la buona sorte ritrovare, che possa appartenere a questa Vergine. Rimetto alla vostra discrezione sì il prezzo delle carte, come la mercede congrua a' copiatori. Quando il sopracitato padre Abate non voglia incaricare i suoi monaci di questa onorata spezie di manifatture e lavori, provedetevi di altri a piacer vostro, purchè il tutto riesca secondo la forma, quantità e qualità prescrittevi. Il Signore vi assista. Di nuovo vi raccomando la sollecitudine, e la spedizione; sapete come egli è incerto il punto prefisso al nostro vivere; se a caso la morte quietamente vi assalisse avanti il tempo, e se l' opera da voi disegnata rimanesse imperfetta, difficilmente potrebbesi trovare, chi si offerisse a darle l' ultima mano.*

Di Firenze nel giorno 4. *di Aprile dell' anno* 1401.

Il vostro Priore degli eremiti dell' ordine Camaldolese.

XXIV. Monachi Murianenses insignes scriptores codicum.

Quoad exercitia monachoruum Murianensium in conscribendis, & auro ac minio ornandis sacris codicibus, extat alia epistola Johannis Dominici Florentini ejusdem Prædicatorum ordinis scripta hoc eodem anno die quinta-decima februarii ex Florentia venerabilibus sororibus Corporis-christi Venetiarum, quam hausimus ex collectione epistolarum Sanctorum ac Beatorum Florentinorum procurata a Biscionio, in qua Johannes meminit librorum Gradualium, in quibus sunt minia magna monasterii, & Pauli Venerii abbatis sancti Michaelis de Muriano, hortaturque sanctimoniales suas, ut eos a dicto abbate petant, & ad eorum imitationem

ei exercitio vacent. „ Ne forte, inquit, peteretis ab abbate sancti Mi- Ann. Chr. 1400.
„ chaelis de Muriano Gradualia sua, in quibus sunt aliqua minia magna
„ facta cum penna, & maxime infra octavas Resurrectionis & Penteco-
„ stes, & secundum illa exemplaria possetis & vos operari. " De miniatricibus parthenonis Corporis-Christi mentionem facit idem Johannes Dominici ad annum 1402. in aliis epistolis, quas publici juris fecit in ecclesiis Venetis Cl. V. Flaminius Cornelius [a].

a Dec. I. pag. 137.

XXV. Monachi S. Mathiæ prohibentur ad alia monasteria transferri a Bonifacio IX.

Ne a Venetiis discedamus, florebant eodem tempore magna solitudinis & sanctimoniæ opinione alii Camaldulenses monachi, qui degebant in cœnobio proximo sancti Mathiæ de Muriano. Ii conquesti fuerant apud Romanum pontificem Bonifacium IX. se visitationis munus suscipere sæpius cogi a monachis, qui carnes comedebant, contra consuetudinem sui monasterii, in quo vetitus erat carnium esus; frequenter etiam se transferri ex suo domicilio ad alia monasteria, in quibus ea observantiæ regularis disciplina non vigebat; ad regimen quoque advocari aliorum cœnobiorum; atque ex his multum detrimenti tum quoad disciplinam, tum quoad imminutionem numeri monachorum pati eorum cœnobium. Quare ipsorum petitionibus benigne annuere volens idem Romanus pontifex, mandavit Philippo Balardo episcopo Torcellano, ut tranquillitati ejus monasterii prospiceret, & Urbani V. gratiosas bullas observandas iis super rebus præciperet, quas attulimus ad annum 1370. & tam monasterium sancti Mathiæ, quam alia ei subjecta a visitationibus advenarum eximeret, ac monachorum remotionem impediret. Datum Romæ apud sanctum Petrum septimo idus martii pontificatus nostri anno undecimo. Ipsum privilegium edimus ex veteri exemplo subscripto a quatuor notariis anno M. CCCC. XXXIII. indictione XI. die XIX. januarii coram Andrea Bono abbate sancti Georgii Venetiarum, & vicario Francisci Maripetri episcopi Castellani.

XXVI. Indulgentiæ eccl. S. Marci extra Fabrianum.

Prædictus Bonifacius kalendis septembris hujus anni, & pontificatus sui anno undecimo ecclesiæ sancti Marci extra muros Fabriani Camerinensis diœcesis reparatione indigenti indulgentiam impartitus est, ut quicumque ipsam visitaverint annuatim die festivo sancti Marci, eamdem obtinerent, ac si visitarent ecclesiam sanctæ Mariæ de Portiuncula extra muros Assisinatis urbis, concedens rectori ipsius ecclesiæ & sex aliis presbyteris, qui idonei forent, tam secularibus, quam regularibus ab eodem rectore deligendis facultatem absolvendi & dilargiendi supradictam indulgentiam.

XXVII. Burgensi abbatiæ jura restituta.

Collector jurium abbatiæ sancti Johannis-evangelistæ de Burgo-sancti-Sepulcri hæc potissimum habet sub præsenti anno. „ Anno ab incarnatione
„ M. CCCC. pontificatus Bonifacii IX. anno undecimo, & imperii Vincislai
„ anno vigesimo-secundo Carolus Calvus Malatesta Ariminensis princeps &
„ Burgi dominus annis juventæ suæ, in quibus vitalis non modo vigor
„ viget naturæ, verum etiam animi, impatiens ejus superioris ignominiæ,
„ quam episcopus Castellanus in Burgenses indefensos & coactos intulerat
„ per viam transactionis violentæ (alludit scriptor ad transactionem Bucii
„ Bandelli episcopi Tiphernatis, quam edidimus ad annum 1363.) im-
„ petrato apostolico indulto, per quod Bonifacius ipse nonus præhabita
„ fide de multorum privilegiorum nostrorum perditione, de continuata ju-
„ rium per antistites nostros & abbates jurisdictionis ordinariæ possessione,
„ exercitationisque eorumdem jurium subministratione amplum privile-
„ gium abbati Burgi indulsit cum episcopalium & diœcesanorum jurium &
„ casuum concessione. Eo indulto illico præfatus princeps episcopum
„ & vicarium suum, quem virtute ejus supramemoratæ transactionis in
„ Burgo constituerat, non sine recompendio ignominiæ episcopalis ejecit;

ANN. CHR. 1400.

„ ita ut ab inde citra episcopus per se vel per vicarium suum amplius „ ordinariæ jurisdictionis quidquam exercitationis nullo modo penitus at„ tentavit. " De hoc indulto nos anno sequenti, ad quem pertinet, Venceslaus imperator vel potius rex Romanorum, cujus annos imperii enumerat scriptor, hoc ipso anno imperio spoliatus locum fecit Roberto regi Romanorum. Carolus Calvus Malatesta postulatus fuerat eodem hoc tempore a Bonifacio papa Senator Romanæ urbis; abbas Burgensis erat Bartholomæus, episcopus autem Tiphernas seu Castellanus Bandellus de Bandellis patria Lucensis, qui Bucio successerat.

XXVIII. Historia plurium monasteriorum.

CUM Camaldulenses monachi rerum penuria & egestate compulsi, neque ulterius commorari valentes deseruissent ecclesiam sancti Benedicti subjectam olim hospitali sancti Leonardi in burgo Ferrariæ, quam ex donatione anni 1376. & ex testamentariis tabulis anni 1379. ipsis tribuerat pro monasterio ibidem erigendo Riccobonus de Mazzonis notarius Mutinensis & cancellarius Nicolai marchionis Estensis, eam hoc anno M. CCCC. pontificatus sui XII. die decima-septima decembris Bonifacius papa IX. tradidit incolendam patribus ordinis Prædicatorum, ut legitur in ipsorum amplissimo Bullario [a].

Anglicus sive Angelicus ex dominorum Polentanorum familia Guidonis filius & protonotarius apostolicus in ædis Ursianæ sacrario testamentum suum condidit, ut scribit Rubeus [b], „ in quo post multa cœnobio sancti „ Petri ad Vincula pie legata, hæredem ex asse reliquit Opizonem fra„ trem. " Erat Anglicus ex tabulario Classensi administrator ad annum 1399. monasterii sancti Severi extra muros urbis Ravennæ.

Franciscus Vendramenus de Lancenigo civis Tarvisinus, abbreviator literarum apostolicarum & Urbani papæ VI. scriptor, a secretis autem Bonifacii IX. qui electus fuerat plebanus sanctæ Mariæ de Muriano anno 1387. hoc anno M. CCCC. indictione VIII. die XXVI. februarii, pontificatus Bonifacii papæ IX. undecimo, renovavit monasterio sancti Michaelis de Muriano & Paulo Venerio abbati censum solvendum quotannis præfatæ ecclesiæ sanctæ Mariæ, qui a sexdecim annis intermissus fuerat. Instrumentum in ecclesiis Torcellanis [c] Cl. V. Flaminii Cornelii prostat ex tabulario ecclesiæ sanctæ Mariæ & sancti Donati de Muriano.

Michael Antonii Vaggi Bernardini de Cattanis Montecchii, acceptis literis commendatitiis ab Andrea priore generale Camaldulensi se contulit hoc anno ad Dominicum priorem cœnobii Rosæ Senarum, ut monachum ibidem profiteretur; nondum exacto tirocinii anno suppliciter expetiit ad professionem admitti, sed antea condidit testamentum, quo eremo Camaldulensi legavit medietatem hæreditatis suæ, quam habuerat ex tabulis postremis Antonii patris sui anno 1383. medietatem scilicet castri & ecclesiarum Montecchii. Castrum hocce ab immemorabili tempore spectabat ad dynastas familiæ, quæ ex eo castro nomen acceperat; sed anno 1321. cesserat potentiæ Guidonis episcopi Arretini, qui armis & bellico furore Casentini loca omnia invaserat. Defuncto Guidone episcopo Petrus & Tarlatus filii Angeli de Petramala, nomine & titulo defensorum & protectorum rerum & locorum episcopatus Arretini, ipsum retinuerant sub sua ditione usque ad annum 1360. excluso Angelo legitimo domino. Cernitur super liminari ecclesiæ de Montecchio opus & memoria Johannæ comitissæ uxoris ejusdem Tarlati. Sed Marcus, Petrus & Ludovicus fratres & filii olim Petri Tarlati capti anno 1360. in Biblenæ obsidione ab exercitu Florentino coacti fuere restituere suis veris dominis Biblenam, aliaque Casentini loca. Eo igitur tempore Angelus junior olim Bernardi-

ni

a T. II. pag. 405.

b Lib. VI. pag. 598.

c P. II. pag. 138.

ni de Montecchio castrum villasque suas defensioni & protectioni capitaneorum partis Guelfæ Florentinorum sub censu librarum decem ceræ anno 1383. constituit, tum litem prosecutus est suo, & fratrum suorum Petri, Donati & Matthæi nomine adversus Marcum & Guidonem hæredes Petri & Tarlati de Petramala, sententiamque obtinuit anno 1389. a Bartholomæo judice collaterali Pauli Cini de Nobilibus potestatis Arretini pro dominio Florentino. Post hunc annum 1400. plures lites pro hujusmodi bonis sustinuere Camaldulenses, sed semper pro ipsis fuit pronuntiatum, atque pacificam possessionem tandem tenuere anno 1412. ut dicemus.

Ann. Chr. 1400.

Obeunte Albano abbate sancti Petri ad Vincula territorii Ravennatis, cui fuerat commendatus a summo pontifice Bonifacio IX. prioratus etiam manualis eremi sancti Petri de Mucchio diœcesis Volaterranæ, Andreas prior generalis dictum prioratum contulit Antonio Bartholi de Cæsena monacho, committens Laurentio, & Bartholomæo abbatibus sancti Petri de Cerreto, & sanctæ Mariæ de Adelmo, ut electum in possessionem loci inducerent die decima tertia junii, manu Jacopatii Ghini de Arretio ex tabulario Fontis-boni [a]. Albano autem in regimine monasterii sancti Petri ad Vincula suffectus Benvenutus.

Ex libro *Obligationum* die vigesima-septima septembris Nicolaus Dominici Turini abbas sancti Vigilii Senarum & commendatarius sancti Salvatoris Berardingorum promisit consuetum Florenorum servitium.

Ex Benvoglientio tamen abbas de Berardinga & sancti Vigilii hoc anno erat Bernardus Brancadorius nobilis Senensis, qui facile Nicolaum in regimine eorum monasteriorum præcessit.

Ex eodem *Obligationum* libro Guido abbas spopondit hoc anno pro abbatia sancti Angeli de Vergareta.


Prior eremi ad Vivum contulit abbatiam sanctæ Mariæ ad Ulmum in territorio sanctæ Floræ, quæ erat membrum dictæ eremi, Antonio Bononiensi monacho, ut legitur in libro A. archivi Rosæ Senarum pagina 76.

Trigesima-prima januarii [b] vacante monasterio sancti Frigdiani Pisarum ob renuntiationem Stephani Bonifacius IX. in abbatem præfecit Mamilianum tunc priorem sancti Concordii ejusdem urbis. Datum Romæ pontificatus anno undecimo. Secunda autem januarii [c], eodem anno undecimo obeunti Vitali abbati sanctæ Mariæ de Insula successorem dederat Dominicum Lucæ monachum sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia.

[a] §. *Electio* 80. *A.* 5. 8.

[b] §. *Brevia* 38. *A.* 4. 19.

[c] *Ibid.* 36. *A.* 4. 1.



ANNALES CAMALDULENSES.

LIBER QUINQUAGESIMUS-OCTAVUS.

Ab anno Christi M. CCCC. I. *ad annum* M. CCCC. XI.

ANN. CHR. 1401.

I
Bonifacii IX. literæ & brevia pro Camaldulensibus.
a §. *Unio* 6. *A.* 5. 26.



ONIFACIUS papa IX. ex Urbe anno duodecimo sui pontificatus die decima-sexta novembris [a], & proinde sub finem anni præteriti, benigne annuens supplicationibus Andreæ prioris generalis Camaldulensis & conventus eremi, prioratum sancti Quirici de Rosis Arretinæ dioecesis & ordinis Camaldulensis, qui erat beneficium manuale dictæ eremi, & per monachos ad beneplacitum conventus ejusdem eremi consueverat gubernari, sine ulla adnexa animarum cura, extincto ibidem titulo priorali, perpetuo copulaverat cum eadem eremo, itaut redditus & proventus prioratus converterentur in usus eremitarum, & tamquam proprii libere apprehenderentur, sublata necessitate requirendi dioecesani loci vel cujuslibet alterius licentiam. Decreverat tamen, ut cultus divinus nullatenus in ecclesia sancti Quirici minueretur, neque ea in profanos usus redigeretur. Quare die IX. februarii hujus anni idem Andreas prior generalis creavit Blasium Fini de Florentia monachum suum in procuratorem ad recipiendam possessionem dicti loci. Actum Bononiæ; qui eam recepit die XXI. februarii; manu Gilii quondam Francischini Lapi de Griffonibus de Pagliaricio notarii [b].

b §. *Tenuta* 23. *A.* 5. 3.

Commisit præfatus pontifex idibus januarii Antonio Ferro abbati Vangaticiensis monasterii, ut auctoritate apostolica reservaret presbytero Petro Bononii de Lignano aliquod Beneficium cum cura vel sine cura vacans in civitate & dioecesi Ferrariensi, absque contradictione episcopi ejusdem urbis, dummodo bene legere, scribere & cantare sciret, vel si canere nesciret, dummodo promitteret se a tempore examinis operam daturum, ut cantum addisceret; Beneficii autem redditus essent quinquaginta Floreni auri.

c §. *Brevia* 37. *A.* 4. 19.

Die nona februarii [c], vacante monasterio sanctorum Hippolyti & Laurentii de Faventia ob mortem Girardini seu Girardi, præfecit anno sui pontificatus XII. Ugolinum Eustachii abbatem sancti Johannis-baptistæ de Faven-

Faventia, nempe monasterii Aceretæ in Faventino territorio. Ex libro *Obligationum* Ugolinus consuetum servitium spopondit die XXI. ejusdem mensis. Ann. Chr. 1401.

Die decima-sexta martii resignante abbatiam sancti Salvatoris de Cantignano Lucanæ dioecesis Johanne præsule, in abbatem dicti monasterii constituit Bartholomæum, qui tunc erat canonicus sancti Frigdiani ordinis sancti Augustini ejusdem Lucanæ dioecesis. Additur bulla, qua præfatus Romanus pontifex monasterio Cantignani adjunxit die XXV. martii monasterium sancti Pantaleonis, quod in eadem dioecesi exsurgebat, cujusque origines dedimus ad annum 1044. & tunc erat congregationis Cisterciensis: ex hoc tempore Cantignani monasterium paulatim ereptum est e manibus Camaldulensium, vel saltem contentiosum fuit, ut fusius dicemus sub Ambrosio abbate generali. In libro Obligationum ad annum 1419. diem autem XII. aprilis legitur Johannes Benucci abbas sancti Pantaleonis Pisanæ dioecesis; multa enim & eadem loca, ac monasteria in publicis paginis efferuntur modo in Lucensi, modo in Pisana dioecesi.

II. Ipsius rescriptum gratiosum pro abbatia Burgensi.

IDEM Romanus antistes kalendis aprilis pontificatus sui anno XII. in gratiam Caroli Malatestæ Burgi-sancti-Sepulcri domini indultum concessit Bartholomæo abbati monasterii ejusdem loci, quod collector jurium dictæ abbatiæ refert sub anno antecedenti. In eo igitur diplomate ipsi abbati & conventui scribens hæc potissimum habet, quod monasterium Burgense, & universitas ac districtus Burgi fuerunt ab immemorabili tempore libera & exempta ab omni dominio, jurisdictione & potestate episcopi Civitatis-castelli, quod abbates causas omnes usurarum, matrimoniorum, aliasque ad forum ecclesiasticum pertinentes semper cognoverunt & definierunt, omnemque ecclesiasticam jurisdictionem exercuerunt in Burgo ejusque districtu, sed episcopus Civitatis-castelli ante quadraginta annos in cognitionem veniens hujusmodi privilegia casualiter alienata & deperdita, litibus involvit præfatum monasterium, eo vel maxime tempore, quo Castellani per vim occupaverant Burgum, & sine aliqua legitima licentia ad quamdam transactionis paginam devenit cum abbate Burgensi ejusdem temporis, ut de cetero indifferenter tam ab episcopo, quam ab abbate cognoscerentur causæ etiam matrimoniales, ceteræ vero causæ ad forum ecclesiasticum pertinentes reservarentur soli episcopo; quæ transactio in pluribus damnum attulit, & læsionem jurisdictioni liberæ dicti abbatis Burgensis. De terræmotibus, quibus quassatum fuit oppidum Burgi-sancti-Sepulcri & corruit campanaria turris, in qua asservabantur privilegia abbatiæ, diximus ad annum 1357. ut etiam ad annum 1363. transactionis integræ paginam attulimus. Quare auctoritate apostolica Bonifacius Romanus pontifex restituit, reposuit & redintegravit monasterium Burgense & abbatem in pristina jura, nulla & irrita declaravit omnes tractatus & acta olim habita inter episcopum & abbatem, ac ea revocavit, concedens iterum plenam jurisdictionem abbati, ac si privilegia non fuissent alienata vel amissa, eximens apostolico robore perpetuis temporibus monasterium præfatum ab omni jurisdictione, visitatione, dominio & potestate episcopi Civitatis-castelli, & ipsum in jus recipiens beati Petri, ita quod abbas & ejus successores possent & deberent in monasterio, in Burgo ac in universitate ejusque districtu veluti veri ordinarii omnia jurisdictionis acta exercere, sicut verus episcopus, vel ordinarius & dioecesanus in suis locis. „ Quare Bartholomæus abbas Burgensis & an„ tistes judex ordinarius & episcopi vicem gerens in monasterio sancti Se„ pulcri, & districtu & pertinentiis ejus, expulso ex Burgo vicario Ban-

„ delli

ANN. CHR. 1401.

„ delli episcopi Castellani, qui sub umbra prætensæ transactionis violen„ ter jurisdictionis exercitio fungebatur, auctoritate hujus novi apostolici „ indulti, & virtute imperialium & pontificiorum veterum indultorum, „ per plateas vicosque publicos terræ Burgi & extra per districtum in „ pontificalibus insigniis publice, notorie & manifeste se ordinarium fore, „ & episcopi vices gerere demonstravit. “ Hæc collector jurium Burgensium, qui sequentia de principibus Malatestis dominium tunc in Burgum exercentibus, quorumque ope prædictum indultum obtentum fuerat, adjecit: „ Carolus, inquit, Pandulfus, Malatesta, & Galeottus Belfiore qua„ tuor filii progeniti prioris & veteris Galeotti de Malatestis ejus, qui „ Burgum nostrum emptionis titulo acquisivit. Eorum Carolus natu ma„ jor & quemadmodum natura, ita & sapientiæ gravitate ceteros fratres „ excelluit. Pandulfus vero animi liberalitate fratres devicit. Malatesta „ quidem alios animi magnitudine superavit. Galeottus & ipse a morte „ in sua pubertate præventus ejus indolis erat, ut ceteros fratres virili„ tate simul & curiositate proceritatis excederet. “ De ipsis principibus alia ad suos annos dicemus ex eodem collectore, sicut etiam de renovatis litibus adulto hoc seculo inter episcopos Castellanos & abbates Burgenses.

III. Provisio prioratus S. Mariæ de Serra.

QUINTO-DECIMO kalendas januarii XIII. sui pontificatus anno, & proinde sub finem hujus anni, quo decimum-tertium a mense novembri pontificatus annum auspicabatur, idem Bonifacius IX. contulit prioratum sanctæ Mariæ de Serra ordinis Camaldulensis Æsinæ diœcesis, qui vacaverat per obitum Angeli de Nuceria, Clementi episcopo Thelesino ordinis sancti Augustini, quo utebatur confessario, mandans episcopis Concordiensi, Æsino & Florentino, ut ipsum Clementem, qui juxta status sui decentiam congrue sustentari non valebat, electum in possessionem dicti prioratus inducerent. Omittit Ughellius in episcopis Thelesinis Clementis nomen, qui propterea locandus erit inter Jacobum translatum anno 1398. ad ecclesiam Neocastrensem & inter Marcutium Angeli suffectum anno 1413. De Angelo Nucerino priore de Serra conjecturas nostras non spernendas proferemus ad annum 1458.

IV. Plurium monasteriorum monumenta.

CUM monachi sancti Johannis-baptistæ de Judaica Venetiarum gravibus molestiis afficerentur a ministris Francisci Carrariensis Paduæ domini, Michael Steno Venetiarum dux, ex tabulario dicti monasterii, literas ad ipsum dedit, orans, ut hujusmodi gravamina de medio tolli præciperet, libertatemque monasterio assereret.

Antonius capellanus domini papæ, & prior plebis & conventus sanctæ Mariæ in Balneo Camaldulensis ordinis, & spiritualis dominus totius diœcesis dictæ plebis concessit Smiraldo Roberini de Lucignano rectori ecclesiæ sancti Petri in Corzano, alias dictæ sancti Petri in Balneo, facultatem ædificandi capellam sub titulo sancti Antonii in dicta ecclesia sancti Petri, ea conditione, ut capellanus nullatenus subesset rectori; si vero capellanus evaderet rector, alius statim eligeretur capellanus. Porro post triennium idem Smiraldus nominavit in patronos ejus capellæ priorem & eremum Camaldulensem, cum censu annuo duarum librarum ceræ solvendo die festo sancti Romualdi [a]; ex tabulario Fontis-boni.

„ Die decima decembris hujus anni, inquit Fortunius [b], irrogatur fa„ cultas ab excelso magistratu civitatis Pisanæ, ut liceat monachis sancti „ Michaelis de Burgo Pisarum intromittere in urbem vinum suum, oleum „ & omnem annonam sine ullo portorio seu vectigali in perpetuum. “ Homines de Vergareto agnoscunt suum castrum esse emphyteuticum abba-

a §. *Concessio.*
b *Part. II. lib. II. c.* 12.

abbatiæ sancti Angeli ; quare convenientes in ecclesiam dicti monasterii constituerunt aliquot ex suis in procuratores ad recipiendas innovationes de viginti-novem in viginti-novem annos a Guidone de Arretio Vergaretano abbate; manu Jacobi Baldi de Pizzighellis de Eugubio notarii, ex archivo Fontis-boni [a]. ANN. CHR. 1401.

a §. *Mandatum*. 63. *A*. 5. 23.

Sexta junii obeunte Cæcilia abbatissa parthenonis sanctæ Annæ de Bononia, Andreas prior generalis Camaldulensis commisit vicem suam confirmandi novam abbatissam Petro sanctæ Mariæ de Camaldulo-Bononiensi, & Christophoro sanctæ Mariæ de Angelis prioribus, qui postremus factam a monialibus postulationem Thomasiæ de Ubaldinis in earum abbatissam ratam habuit; manu Fabriani ser Damiani Pacis notarii in ecclesia sanctæ Annæ in contrata Bagni-marini parœciæ sancti Mamæ [b]; ex eodem archivo Fontis-boni.

b §. *Electio* 81. *A*. 1. 24.

Ex libro *Obligationum* die decima-octava martii ducentos & quadraginta-sex Florenos spopondit Mamilianus abbas sancti Frigdiani Pisarum. De Mamiliano diximus anno præterito. Simile servitium promisit XVIII. septembris Jacobus Nelli de Monte-catino abbas sanctissimæ Trinitatis de Sacraria ordinis Camaldulensis.

In libro *Mixtorum* 35. pag. 31. qui servatur in cancellaria Venetiarum, memoria fit sub hoc anno Jacobi Sulmontis abbatis sancti Thomæ de Torcello ex ordine Camaldulensi ; quod tamen errore factum putamus, ut cum ante adeptam abbatiam Torcellanam fuerit prior canonicorum monasterii sancti Clementis Venetiarum, creditus sit Camaldulensis ordinis, qui ordo in monasterio & insula sancti Clementis posteriori dumtaxat tempore incœpit. In memoriis editis monasterii sancti Thomæ legitur nobiles de familia Trivisana elegisse Jacobum sancti Clementis priorem in abbatem, qui postea functus legatione ad Richaredum regem Angliæ defunctus est. Apud Cl. V. senatorem Cornelium [c] prostat bulla Bonifacii IX. data hoc anno, qua instituit Jacobellum Leonardi monachum prioratus sancti Clementis de Venetiis ordinis sancti Augustini in priorem dicti loci vacantis ob translationem Jacobi prioris ad monasterium sancti Thomæ de Burgundionibus de Torcello. Legitur etiam Senatus-consultum sub die VIII. julii hujus anni in [d] parte I. ecclesiarum Torcellanarum ejusdem præstantissimi scriptoris, ad provisionem ejusdem abbatiæ vacantis ob mortem Petri Spirito ultimi abbatis sancti Thomæ. Completa legatione ad suos reversus Jacobus meritorum suorum terrena præmia morte præventus amisit. De ipsius successore Petro Bellegno monacho extra dubitationem Camaldulensi ad annum 1405.

c *Dec. XII. p.* 241.

d *Pag.* 203.

REFERENDA sunt ad hunc annum initia Hieronymi Pragensis, qui post sexennium anachoreticam vitam eligens in eremo Camaldulensi Etruriæ, scriptis & prædicationibus apprime clarus, varia tamen fortuna jactatus, variam etiam de se opinionem apud homines relinquens multa nobis exhibebit dicenda in sequentibus annis. Is filius Alberti oriundus fuit ex urbe Pragæ in Bohemia, ut se frequenter ad calcem sermonum, & operum suorum indigitat : *En ego, quem genuit pia olim urbs Pragensis*. Subnascentem in patria Johannis Hus, & alterius Hieronymi Pragensis hæreticorum perfidiam & artes declinare satagens, & in partes regni Poloniæ circa hæc tempora transiens, ibique brevi cognitus & acceptus Uladislao regi & regni primoribus, ad aliquot annos commoratus est, & commendatitiis epistolis ab ipso rege acceptis ad Witoldum ducem Lithuaniæ, facta potestate evangelium prædicandi illis gentibus, non

ANN. CHR. 1402.

V. Hieronymi Pragensis apostolatus in Lithuania.

Ann. Chr. 1402. non modicum in vinea Domini profecit, multaque mirabilia patravit, ob quæ & Lithuaniæ Apostoli & Sancti nomen promeruit. Porro, quæ in Lithuania Hieronymus egit, ipsemet retulit Æneæ Sylvio Piccolhomineo, qui postea fuit Romanus pontifex sub nomine Pii II. viro clarissimo, nec facilis credulitatis, aliisque sapientissimis viris Æneæ comitibus post triginta annos tempore Basileensis concilii. Quæ ab ipso Ænea de Hieronymo scribuntur, habentur etiam apud Marcum-antonium Sabellicum in sua Æneade, apud Bergomensem, apud auctorem chronici Norimbergensis & apud Fortunium nostrum. Sed ea exponere lubet ex Ænea, qui primus ipsa scriptis tradidit in suo Europæ statu sub Friderico III. imperatore. Hæc porro habet capite XX. „ Novi ego Hieronymum Pragensem sacris literis apprime eruditum, vitæ munditia & facundia singulari clarum, qui annos supra viginti in eremo Camaldulensi in Apennino Etrusco pœnitentiam egit. Hic oriente apud Bohemos Hussitarum hæresi, fugiens pestiferum virus, in Poloniam transivit. Ubi acceptis literis ab Uladislao rege commendatitiis, prædicaturus evangelium Christi ad Witoldum principem in Lithuaniam penetravit, multosque populos Witoldi favore fretus ad salutiferam Dei nostri fidem convertit. Venit tandem ad synodum Basiliensem, vocatus a Juliano sancti Angeli cardinali, cum de rebus Bohemicis ageretur; narrabat hic multa de Lithuanis, quæ pene incredibilia videbantur. Audiebam ego ex aliis ejus dicta, nec movebar, ut crederem, libuit audire hominem, atque ab ejus ore lata cognoscere. Comites mei fuerunt Nicolaus Castellanus, qui tum cardinalis Juliani domum regebat, Bartholomæus Lutimanus archiepiscopi Mediolanensis scriba, & Petrus Noxetanus cardinalis Firmani secretarius, viri graves & docti. Hominem in cella sua trans Rhenum apud Cartusienses convenimus, cujus hæc narratio fuit. Primi, quos adiit ex Lithuanis, serpentes colebant; patresfamilias suum quisque in angulo domus serpentem habuit, cui cibum dedit, ac sacrificium fecit in fœno jacenti; hos Hieronymus jussit omnes interfici, & in foro adductos publice cremari. Inter quos unus inventus est major ceteris, quem sæpe admotum ignis consumere nullo pacto valuit. Post hos gentem reperit, quæ sacrum colebat ignem, eumque perpetuum appellabat. Sacerdotes templi materiam, ne deficeret, ministrabant; hos super vita ægrotantium amici consulebant. Illi noctu ad ignem accedebant; mane vero consulentibus responsa dantes, umbram ægroti apud ignem sacrum se vidisse ajebant, quæ cum se calefaceret, signa vel mortis, vel vitæ ostendisset, victurum ægrotum facies ostensa igni; contra si dorsum ostentasset, moriturum portendit; testari igitur & rebus suis consulere suadebant. Delusionem hanc esse Hieronymus ostendit, & persuaso populo, deleto templo, ignem dissipavit, christianosque mores induxit. Profectus introrsus aliam gentem reperit, quæ Solem colebat, & malleum ferreum raræ magnitudinis singulari cultu venerabatur. Interrogati sacerdotes, quid ea sibi veneratio vellet, responderunt olim pluribus mensibus non fuisse visum Solem, quem rex quidam potentissimus captum reclusisset in carcere munitissimæ turris. Gigantem deinde opem tulisse Soli, ingentique malleo perfregisse turrim, Solemque liberatum hominibus restituisse. Dignum itaque veneratu instrumentum esse, quo mortales lucem recepissent. Risit eorum simplicitatem Hieronymus, inanemque fabulam esse monstravit. Solem vero & Lunam, & Stellas creaturas esse ostendit, quibus maximus Deus ornavit cœlos, & ad

„ uti-

„ utilitatem hominum perpetuo jussit igne lucere. Postremo alios popu- Ann. Chr.
„ los adiit, qui silvas dæmonibus consecratas venerabantur, & inter alias 1402.
„ unam cultu digniorem patuere. Prædicavit huic genti pluribus diebus, „ fidei nostræ aperiens Sacramenta; denique ut silvam succenderet, imperavit. Ubi populus cum securibus affuit, nemo erat, qui sacrum „ lignum ferro contingere auderet. Prior itaque Hieronymus assumpta bipenni, excellentem quamdam arborem detruncavit. Tum secura multitudo alacri certamine alii ferris, alii dolabris, alii securibus silvam „ dejiciebant. Ventum erat ad medium nemoris, ubi quercum vetustissimam, & ante omnes arbores religione sacram, & quam potissime „ Dei sedem esse putabant, percutere aliquandiu nullus præsumpsit. Postremo, ut est alter altero audacior, increpans quidam socios, qui lignum rem insensatam percutere formidarent, elevata bipenni magno „ ictu cum arborem cædere arbitraretur, tibiam suam percussit, atque in „ terram semianimis cecidit. Attonita circum turba flere, conqueri, Hieronymum accusare, qui sacram Dei domum violari suasisset, neque „ jam quisquam erat, qui ferrum exercere auderet. Tum Hieronymus „ illusiones dæmonum esse affirmans, qui deceptæ plebis oculos fascinarent, surgere, quem cecidisse vulneratum diximus, imperavit, & nulla in parte læsum ostendit; & mox ad arborem adacto ferro, adjuvante multitudine, ingens onus cum magno fragore prostravit, totumque „ nemus succidit. Erant in ea regione plures silvæ pari religione sacræ, „ ad quas dum Hieronymus amputandas pergit, mulierum ingens numerus plorans, atque ejulans Witoldum adit, sacrum lucum succisum queritur, & domum Dei ademptam, in qua divinam opem petere consuessent, inde pluvias, inde soles obtinuisse. Nescire jam quo in loco „ Deum quærant, cum domicilium abstulerint. Esse aliquos minores lucos, in quibus dii respondere soleant, eos quoque delere Hieronymum „ velle, qui nova quædam sacra introducens, patrium morem extirpet. „ Rogare igitur atque obtestari, ne majorum religionem & cæremonias „ auferri sinat. Sequuntur & viri, & mulieres, nec se ferre posse novum cultum afferunt; relinquere potius terram & patrios lares, quam „ religionem a majoribus acceptam dicunt. Motus ea re Witoldus, veritusque populorum tumultum, Christo potius, quam sibi deesse plebem voluit. Revocatisque literis, quas præsidibus provinciarum dederat, jubens parere Hieronymo, hominem ex provincia decedere jussit. „ Hæc nobis Hieronymus constanti vultu nihil hæsitans, ac per juramentum affirmavit; dignum fide & gravitas sermonis, & doctrina ostendit „ & viri religio. Nos, quæ accepimus, immutata retulimus, veri periculum non assumimus; persuasi tamen & nos, & comites ab eo recessimus. “ Hæc Æneas.

VI. Idem Hieronymus redux in Poloniam

Lithuaniæ itaque fines excedens Hieronymus iterum concessit in Poloniam, ubi erat anno 1405. quo tempore Polonis evangelicas paginas explanavit. Extat in bibliotheca eremi Camaldulensis ms. liber sive „ Prologus libri Sermonum Dominicalium per totum annum, quem edidit & compilavit dompnus Hieronymus de Praga, dum prædicaret coram rege Poloniæ & militia ejus, anno ab incarnatione Domini M. „ CCCC. V. titulus istius libri vocatur: *Linea salutis æternæ*. Causa editionis istius libri fuit, ut legentes orarent pro eo. “ Erat in Polonia Hieronymus etiam anno 1406. quo tempore confecit Sermones Quadragesimales. „ Incipit Prologus libri Sermonum per totam Quadragesimam „ quotidie, qui vocatur: *Quadragena salutis æternæ*, quem edidit & de

Ann. Chr. 1402.

„ novo compilavit domnus Hieronymus de Praga anno M. CCCC. XXXVI' „ amantissimo & merito acceptabili in Christo fratri G., frater Hiero- „ nymus de Praga sacræ eremi Camalduli eremita reclusus, & omnium „ servorum Christi ultimus optat salutem. Exegisti a me frater optime „ atque suavissime, ut exercitii causa sermones Quadragesimales calami „ officio tibi exprimerem, & in unum redigerem libellum, ut qui ante „ annos triginta, dum essem prædicator & confessor serenissimi Uladislai „ regis Poloniæ, rogatu amicorum &c." Erat similiter anno M.CCCC. VIII. ex Prologo in Sermones de Sanctis. „ Incipit Prologus libri Ser- „ monum de Sanctis per totum annum, qui vocatur: *Exempla Salutis* „ *æternæ*, quem edidit & de novo composuit domnus Hieronymus de „ Praga, qui prædicavit coram rege Poloniæ & militia ejus anno Do- „ mini M. CCCC. VIII." Sed eodem anno relictis prædicationibus, & regno Poloniæ vale faciens, ac in Italiam descendens sacram Camaldulensem eremum adiit, ubi solitudine loci captus monasticum seu eremiticum schema induit, ut eo anno dicemus. Aliquo etiam tempore peregrinationem instituit ad sacra Orientis loca & præsertim Palæstinæ; nam anno 1430. scriptis tradidit miraculum quoddam, quod vidisse se testatur in civitate Nazareth, aliudque in civitate Nicosiæ insulæ regni Cypri, ubi etiam Græcos disputationibus redarguit, confutavitque eorum errores.

VII. Mors ducis Mediolani prædicta ab eremita Camaldulensi.

Obiit hoc anno die III. septembris Johannes Galeatius de Vicecomitibus dux Mediolani in Marignano deliciarum loco, ubi se contulerat ad declinandum pestiferum influxum, qui furebat in urbe Papiensi. Adnotator ad historiam Florentiæ Gori Dati scribit [a], sparsum in vulgus, Johannis Galeatii obitum prænuntiatum fuisse a sancto quodam eremita solitudinis Camaldulensis, prout revelatum ei fuerat a Divino spiritu.

VIII. Bonifacii IX. alia brevia.

Bonifacius anno pontificatus sui decimo-tertio die prima augusti literis suis confirmavit Thomæ Michaeli de Vicetia hospitale prope sanctum Frigdianum Pisarum, cujus loci administratio collata illi fuerat ab Andrea priore Camaldulensi die septima februarii; ex tabulario Fontisboni [b]. Eodem tertio-decimo anno undecima augusti commisit episcopo Fesulano, & abbatibus sancti Pancratii de Florentia, & sancti Michaelis de Passiniano, ut facultatem facerent Felici Agnolello Perusino abbati Septimiano prope Florentiam vendendi domus, oratorium & hortum, quæ fines habebant cum monasterio sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia. Ea ab ipsis Angelorum monachis, executore bullæ pontificiæ Antonio abbate Passiniani, empta fuere die XXI. decembris. Verum quia facilis erat ex domo, & oratorio ac horto emptis aditus & transitus ad hospitale sanctæ Mariæ-novæ, & ita haud ægre infringi poterat lex reclusionis, visum est Matthæo priori ejusque monachis anno 1405. more Florentino die nona januarii satius esse dividere hanc emptionem cum Petro Mini hospitalario; quare obtenta facultate ab Honuphrio abbate sancti Salvatoris de Florentia vicario Andreæ prioris generalis, compromisit Matthæus prior in Lucam Manzi Florentinum Theologiæ magistrum & præpositum monasterii Omnium Sanctorum ordinis Humiliatorum, qui bona empta a Cisterciensibus divisit inter monasterium Angelorum, & inter hospitale sanctæ Mariæ-novæ. Hæc ex tabulis ejusdem cœnobii Angelorum [c]. De Felice Septimiano abbate, cui etiam Colucius librum *de Fortuna & Fato* inscripsit, videatur Nicolai Baccettii abbatis historia Septimiana [d].

a *Pag.* 69.

b §. *Electio* 83. *A.* 5. 30.

c *Numm.* 216. 267. 274.

d *Pag.* 121.

ROMANUS pontifex Bonifacius papa IX. ex Urbe [a] die quinta novembris pontificatus sui anno XIV. & proinde anno præsenti, si a coronatione auspicentur dies ejus pontificatus, ceteroquin anno antecedenti, interpellatus multis precibus abbatis & conventus monasterii sanctæ Mariæ de Agnano Arretinæ diœcesis annuit eorum petitionibus, & transtulit dictam abbatiam ex ordine sancti Benedicti ad Camaldulensem congregationem. Duodecimo seculo ineunte receperat hocce monasterium disciplinam Camaldulensem, sed abbates potentia & opibus, quibus abundabant, inflati defecerant aliquoties & redierant, jugumque excussum obedientiæ & subjectionis priori generali Camaldulensi denuo receperant. Verum postremis temporibus, hoc est post initium præteriti seculi, intercedentibus discordiis priores Camaldulenses inter & abbates Agnanienses, ut narrat idem Bonifacius, res eo deducta fuerat, ut Romani pontifices Innocentius VI. & Urbanus V. abbatum ejus monasterii petitiones audierint, & ipsum exemerint ab omni jurisdictione congregationis Camaldulensis, ac deduxerint ad ordinem sancti Benedicti, permiserintque, ut rejecto habitu albo, quem ad eam diem gestaverant, nigrum, quem adhuc deferebant, receperint. Sed cum Agnani monasterium propter militum excursiones bellorumque insultus, qui Florentinos inter & Arretinos elapso seculo efferbuerant, plura passum fuisset in bonis suis stabilibus, oppidis castrisque, & etiam in mobilibus detrimenta, itaut bullæ antiquæ subjectionis, & novissimæ translationis nullibi reperirentur, & tam abbas ipse, quam monachi, qui tunc vivebant, in optatis haberent reduci sub priori ordine, & recipere instituta Camaldulensium, auctoritate apostolica iterum eos cum monasterio, juribus & redditibus restituit hoc anno ex ordine sancti Benedicti ad Camaldulensem Romanus pontifex Bonifacius, cum obligatione recipiendi denuo habitum album, & totaliter se subjiciendi cum eorum membris & personis jurisdictioni prioris generalis Camaldulensis, in quo ordine etiam de cetero professionem emittere deberent, & gauderent privilegiis omnibus ceterorum Camaldulensium monasteriorum. Agnaniensis abbas erat Johannes, qui, vix obtento pontificio diplomate, una cum monachis suis alterum supplicem libellum porrexit eidem Romano antistiti, ut licet Camaldulensium societatem libenter essent admissuri, liceret tamen sibi, familiæque suæ, quandiu viverent, atras adhibere vestes, minimeque adstringerentur ad gestationem habitus albi; exauditique fuere refragantibus Camaldulensibus, qui non patiebantur varietatem vestium usurpari ab alumnis suis. Repetiit preces anno sequenti Johannes abbas Innocentio VII. Bonifacii successori, qui ex Urbe [b] die XI. novembris pontificatus sui anno primo, hoc est anno 1404. scripsit Andreæ priori generali, & narrata bulla translationis, permissioneque habitus nigri obtenta ab apostolica sede sub suo prædecessore Bonifacio ab Agnaniensibus, mandavit iterum, ut concederet eis hujusmodi vestes, quas de speciali ejusdem sedis gratia etiam ipse concedebat.

ANN. CHR. 1403.

IX. Unio Agnaniensium cum Camaldulensibus

[a] §. Unio 7. A. 5. 41.

[b] §. Brevia 42. A. 5. 19.

CUM plures ecclesiarum atque monasteriorum uniones fecisset, perplura etiam privilegia & exemptiones concessisset monachis & ecclesiis Bonifacius annis antecedentibus, hoc anno die vigesima-secunda decembris uniones & exemptiones omnes cassavit & annullavit, volens, ut ad pristina jura ecclesiæ & monasteria per apostolicam sedem invicem copulata redirent; hinc multæ lites ortæ, multorumque locorum denuo petitæ & obtentæ sub successoribus Romanis pontificibus uniones, ut annis sequentibus dicemus.

X. Bonifacius IX. revocat omnes suas unionum literas.

VACANTE ob translationem Blasii de Florentia ad abbatiam Montis-

XI. Provisio monasteriorum de prælatis.

Ann. Chr. 1403.

tis-muri hospitale sanctæ Mariæ de Castro-caro in diœcesi Foro-liviensi, Andreas prior generalis elegit ad ejus curam, administrationemque commisit Bartholomæo de Vicetia, mandans Bartholomæo monacho sancti Johannis-evangelistæ de Foro-livio, ut hospitalis possessionem traderet electo. Actum Socii die xv. maji ex tabulario Fontis-boni [a].

Ex eodem [b] novimus Benvenutum abbatem sancti Petri in Vinculis territorii Ravennatis fuisse commendatarium monasterii sive cellæ sancti Johannis-baptistæ inter Ambas-paras.

Ex libro *Obligationum* Angelus abbas sancti Salvatoris de Berardinga & sancti Vigilii Senarum consuetum servitium spopondit xii. decembris. Quare minime effectum sortita est bulla altera Romani pontificis Bonifacii IX. qui [c] die vigesima-octava novembris ex Urbe pontificatus sui anno xv. vacante monasterio sancti Vigilii, & alio sancti Salvatoris de Berardinga invicem unitis, remoto Nicolao Dominici abbate, præfecerat Gerardum Matthæi priorem sancti Martini Senarum ordinis sancti Augustini, ita tamen ut habitum Camaldulensem assumeret, & institutorum Camaldulensium regulam amplecteretur.

a §. *Electio* 84. *A.* 5. 37.
b §. *Emphyteusis*.
c §. *Brevia* 40. *A.* 4. 47.

Ann. Chr 1404.
XII.
De Marco rectore ecclesiæ S. Michaelis de Patavio.

Vivebat in urbe Patavina his temporibus Marcus presbyter rector ecclesiæ sancti Michaelis, quæ subjiciebatur monasterio sanctæ Mariæ de Carceribus. De ipsa ecclesia sita in urbe diximus anno 1225. occasione donationis factæ ejus ecclesiæ monasterio sanctæ Mariæ Carcerum, & Savarisio priori a Jordano episcopo Patavino. Marcus primus incentor fuit & promotor Ludovico Barbo Veneto patritio & priori sancti Georgii in Alga insulæ prope Venetias, ut congregationem monachorum Nigrorum, qui dicti postea fuere sanctæ Justinæ de Padua, in ea urbe institueret, quod intelligimus ex historia initii & progressus ejus congregationis, quam post aliquot annos scriptis tradidit idem ipse fundator Ludovicus, licet seipsum sæpius tamquam alteram a scribente personam nominet in operis decursu. Historia hujusmodi extat apud Pezium in thesauro Anecdotorum [d]. „ Erat, inquit Ludovicus, tunc currentibus annis Domini nostri Jesu Christi M. CCCC. IV. vel circa reverendissimus „ sacerdos rector ecclesiæ sancti Michaelis prope castrum Paduanum, „ Marcus nomine, vir utique antiquissimus & canitie quadam decorus, „ sed sanctitate præclarior, ad quem & cum curribus ducebantur infirmi, „ quos in fervore fidei sanabat omnes. Hunc miro affectu reverebatur „ & timebat totus populus Paduanus. Fratres & cognatam simili devotione præditos secum habebat, qui continue pauperum, peregrinorum „ & servorum Dei hospitalitati vacabant. Hic Dei singularis servus quotidie non obstantibus pluviis, nivibus, frigoribus, aut Solis ardoribus „ sepulcra Sanctorum in præfata ecclesia sanctæ Justinæ continue visitabat. Hic venerabilis vir miræ simplicitatis & fidei sæpe, ut postea infrascripto patri nostræ congregationis narravit, a præfatis Sanctis inennarrabili quadam narratione intellexit, jam appropinquasse dies & tempus, quo Deus per orationes & merita eorumdem Sanctorum, præsertim sancti Prosdocimi & sanctæ Justinæ, volebat ipsum monasterium „ reformare, & sicut abominationum extiterat barathrum, sic e contra „ fieret sanctitatis decus, & splendor virtutum. Et sic annis pluribus vir „ sanctus incertus de modo, certus de reformatione gaudebat promissa. „ Dum semel more solito ecclesiam visitasset, vidit insolitum opus fabricatum moribus habitantium non convenire, videlicet portas ad claudendum chorum cum multa diligentia præparari. Tunc coacte in ma-

d T. II. p. III. p. 270.

„ ximum

„ ximum gaudium versus dixit ad abbatem, qui tunc erat: Vere, vere „ magnæ rei indicium est hæc insolita clausura. Sentiebat vir sanctus in „ confuso mentis sacræ observantiæ claustra promissa, quam observantiam „ postea vidit in actu. Tandem divina clementia servi sui volens clarius „ reficere mentem, dum semel ad sepulcrum sancti Leolini in capella An„ gelorum consitum staret, & cui nunc novum hospitale cohæret, in „ mentis arcano clara revelatione audivit præfatum, quem in principio „ hujus opusculi hujus religionis patrem a Deo electum diximus, tunc „ priorem sancti Georgii in Alega de Venetiis, futurum ibi abbatem, „ quem ad hoc opus suum Deus decreverat ordinare, & sicut eidem prio„ ri postea retulit, magno cum gaudio hujus rei dietim absque ulla hæ„ sitatione expectabat eventum. “ Cetera ad annum 1408.

Ann. Chr. 1404.

Juxta Clementinium [a] in historia Ariminensi cum obtinuisset princeps Carolus Malatesta ob præclara merita sua a Bonifacio papa IX. facultatem transferendi intra urbem Ariminum hospitale sancti Spiritus, quod ob bella variasque temporum vices penitus fere demolitum fuerat a fundamentis, ipsum disjecit, erigens ad perpetuam loci memoriam cellulam, quæ ad hodiernam diem visitur, licet sæpius refectam; ædificavit vero alterum hospitale in regione sancti Bartholomæi ad majorem pauperum commoditatem, majusque urbis decus, & ne ulterius pateret militum incursibus, cujus constructioni initium dedit præsenti anno, ubi hodie hospitium monachorum Montis-oliveti prope sanctum Marinum, ipsique adnexuit ecclesiam sive oratorium sanctæ Mariæ Angelorum e regione hospitalis, jampridem ad usum monachorum Camaldulensium, & sedem tunc eremitarum Paulinorum, qui etiam inserviebant ecclesiæ sancti Laurentii in Monte, quæ ecclesia in emphyteusim tradita fuit canonicis Lateranensibus sancti Lazari [b], & postea ab ipsis concessa fratribus congregationis sancti Hieronymi Fesularum. Post decennium idem Carolus dictis fratribus Paulinis assignavit ecclesiam & monasterium a se ædificata in villa Scholchæ, quibus etiam tradidit abbatiam sancti Gregorii olim erectam, gubernatamque a sancto Petro Damiani.

a T. II. lib. VIII. p. 257.

b Ibid. p. 283.

XIII. Historica aliquot monasteriorum.

Die quinta julii interfuit Marcus prior monasterii sancti Eustachii de Imola electioni & præsentationi præpositi ecclesiæ Imolensis factis a canonicis, ad quos electio & præsentatio spectabat, ob hujusce dignitatis resignationem, quam Hermannus de Castro-durantis ex prænobili gente de Brancaleonibus, tunc a duobus annis Imolæ episcopus, ac antea præpositus fecerat; ex Manzonio [c] in episcopis Imolensibus, qui id affert ex documentis archivi capitularis.

c Pag. 262.

Nutius episcopus Camerinensis die XIX. decembris ecclesiam sanctæ Mariæ Vallis-pauperis districtus Camerini & membrum monasterii sanctæ Catharinæ de Fabriano univit cum præbenda archidiaconi Camerinensis; ex archivo ejusdem monasterii.

Vacante cœnobio sancti Andreæ de Candiculis per mortem Benedicti postremi abbatis Bonifacius IX. die XVIII. januarii [d] pontificatus sui anno XV. ex urbe constituit in abbatem Antonium priorem sancti Andreæ de Buscione ordinis Camaldulensis Lucanæ diœcesis. Ex libro *Obligationum* Antonius Bartholi abbas sancti Andreæ de Candiculis VIII. februarii consuetum servitium spopondit. Cum destitutum esset priore monasterium sancti Andreæ de Buscione, sive in Silva Lucensis diœcesis per translationem Antonii de Florentia ad abbatiam Candiculanam Andreas prior Camaldulensis mense augusto instituit in priorem dicti loci Jacobum de Castellione-Arretino, ex tabulario Fontis-boni [e].

d §. Brevia 39. A. 4. 42.

e §. Mutilæ 17. A. 5. 4.

Ex

Ann. Chr. 1404.

Ex eodem *Obligationum* libro die IV. martii Johannes de Speronibus abbas sanctæ Mariæ de Urano CXXX. Florenos spopondit pro consueto servitio, & itidem recognovit pro Laurentio prædecessore suo.

Die sexta junii Bartholomæus Martini Florentinus abbas Adelmensis appellavit ad Bonifacium pontificem a molestiis, quæ ipsi inferebantur ab alio, qui dictam abbatiam impetraverat, ex tabulario sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia.

Ex illo sancti Blasii de Fabriano excerpimus chartam professionis Johannini Benencasæ Puccioli de Fabriano, quæ est hujusmodi.

Anno Domini M.CCCC.IV. *indictione* XII. *tempore domini Bonifacii papæ* IX. *die* XV. *septembris actum in ecclesia monasterii sancti Romualdi Vallis-castri, præsentibus fratre Gentile de Fulgineo monasterii Saxivivi* &c. *Johanninus* &c. *de quarterio sancti Blasii volens & intendens pro Christi amore* &c. *sub jugo religionis & obedientiæ & in dicto monasterio se arctare, & residuum vitæ suæ regulari subjicere disciplinæ, tenensque manus suas clausas infra manus reverendi viri domni fratris Angeli abbatis & sindici & procuratoris dicti monasterii, dedit & obtulit & dedicavit personam suam, & omnia & singula bona, jura & actiones Deo & beato Romualdo, & prædicto domno Angelo tamquam abbati* &c. *& renuntiavit anno probationis & professionis regulæ* &c. *& prædictus abbas eum recepit & acceptavit* &c. *Ego Lucas Antonii Marini de Piro imperiali auctoritate notarius* &c. De ipso Johannino iterum ad annum 1408.

Monachi abbatiæ Burgi-sancti-Sepulcri suppliciter exposcunt ab Innocentio VII. Romano pontifice, ut eorum monasterio restituantur jura & privilegia vetera apostolica juxta novissimam concessionem Bonifacii noni ejus prædecessoris, cui nil officere possit bulla revocationis omnium exemptionum & privilegiorum ab eodem pontifice emanata undecimo kalendas januarii pontificatus sui anno XIV. Similiter monachi Valle-castrenses instant apud eumdem Innocentium, ut renoventur bullæ Bonifacianæ unionis ipsorum abbatiæ eremo Camaldulensi.

Die XIV. septembris Andreas prior generalis Camaldulensis & eremitæ constituerunt procuratores manu Guidonis olim Jacobi de Prato-veteri notarii, præsertim ad renovationem petendam, libellumque emphyteusis recipiendum ab abbate monasterii sancti Hilari de Galeata de pascuis Ridiracoli positis ultra jugum dividens Romandiolam a Thuscia [a].

Ægre ferentes ecclesiastici viri, qui componebant Ravennatis ecclesiæ capitulum, abbates monasteriorum ejus urbis præcedere potioremque locum obtinere, appellarunt hoc anno ad Romanum pontificem; ex tabulario archiepiscopali [b]. De ea inter capitulum & abbates contentione verba facit & Paulus Scordilli tunc præpositus Ravennatis ecclesiæ in vita [c], quam scribit Johannis Sulmonensis archiepiscopi Ravennatis, sed dumtaxat adversus cantorum capitulum motum asserit ab abbatibus, *ut ii processionibus prosequi deberent abbates*.

a §. *Mandatum* 64. *A*. 5. 46.

b *Caps. Q.* 8849.

c *Pag.* 132.

Ann. Chr. 1405.

XIV. Unio prioratus S. Quirici cum eremo Camaldulensi.

Obierat die prima octobris anni elapsi Bonifacius papa IX. communique purpuratorum patrum consensu suffectus fuerat die decima-septima ejusdem mensis in Romanum pontificem Cosmus de Melioratis cardinalis & episcopus Bononiensis, qui nomine Innocentii VII. assumpto thiaram pontificiam susceperat die secunda novembris. Is precibus Andreæ prioris & conventus eremi Camaldulensis inclinatus prioratum seu monasterium sancti Quirici de Rosis, quod dudum, hoc est anno 1400. unitum jam fuerat cum eremo Camaldulensi per Bonifacium IX.

prædecessorem suum, sed cujus unio reciderat per generalem cassationem & omnium unionum irritationem factam ab eodem Romano pontifice die XXII. decembris anni 1403. & ante quam cassationem Orlandus rector hospitalis sancti Frigdiani Pisarum literas obtinuerat pontificias ad ineundam possessionem ejusdem cœnobii, iterum de benignitate & auctoritate apostolica copulavit cum eremo Camaldulensi, ita tamen quod ad usus profanos nullatenus converteretur, non obstantibus supradicta cassatione & provisionibus apostolicis. Datum [a] Viterbii die VI. novembris pontificatus Innocentii papæ VII. anno primo; sed legendum anno secundo, qui inceperat post diem secundam novembris hujus anni; neque referendum est pontificium diploma ad annum præteritum, nam ea die erat in Urbe Innocentius; Viterbium enim secessit die dumtaxat VI. augusti hujus anni.

ANN. CHR. 1405.

a §. Unio 9. A. 5. 57.

Idem dicendum est de alio diplomate, quod similiter effertur datum [b] ex Viterbio eadem die VI. novembris anno primo, quo diplomate annuens precibus ejusdem Andreæ prioris firmavit, & de novo adjecit eremo Camaldulensi monasterium sanctæ Mariæ de Pratalia jampridem, hoc est annis 1391. & 1400. unitum per Bonifacium IX. quod quidem monasterium propter bella combustum & funditus demolitum memoratur.

b §. Ibid. 10. A. 5. 58.

XV. Collatio monasterii S. Benedicti de Mojano.

SUPRADICTUS Romanus pontifex Innocentius die vigesima-sexta octobris [c] monasterium sancti Benedicti de Mojano de Canta-gallina ordinis Camaldulensis Clusinæ diœcesis, quod Bonifacius IX. ejus prædecessor Aloysio episcopo Æsino prius contulerat, deinde justis de causis privans episcopum eo Beneficio concesserat Leonardo abbati Camaldulensi, & post ejusdem Romani pontificis decessum amoto Leonardo, iterum in commendam eidem episcopo, episcopo obeunte denuo concessit Leonardo abbati. Datum Viterbii anno primo. Aloysius ex abbate sancti Pauli ad ripam Arni Pisarum ad infulas Æsinas evectus fuerat anno 1400. obiit autem hoc ipso anno juxta Ughellium.

c §. Brevia 41. A. 5. 56.

Bartholomæus de Antella canonicus Florentinus domini papæ protonotarius & commendatarius abbatiæ sancti Hilari de Galeata nullius diœcesis, vigore quarumdam literarum domini Balthassaris Cossæ cardinalis sancti Eustachii in provincia Romandiolæ sedis apostolicæ legati, sibi concessarum ad unienda beneficia & ecclesias, quæ erant infra limites dictæ abbatiæ, adjunxit ecclesiam de Cella Saxetti curiæ castri Pondi prioratui seu ecclesiæ Eremi-novæ de Strabatenzole jurisdictionis dictæ abbatiæ, itaut in futurum forent unum corpus, & per presbyterum quemlibet rectorem seu priorem dictæ eremi, & deinceps sub vocabulo Eremi-novæ gubernarentur & regerentur; manu Johannis Jentini Giannis de Portico notarii [d], ex tabulario Fontis-boni.

d §. Ibid. 8. A. 5. 51.

XVI. Petrus Bellegnus eligitur abbas S. Thomæ de Torcello.

ELECTUS fuit hoc eodem anno a familia patritia Veneta Trivisana in abbatem monasterii sancti Thomæ de Torcello Petrus Bellegnus patritius itidem Venetus & monachus sancti Mathiæ de Muriano, qui ex ordine Camaldulensi, in quo professionem emiserat, transiit ad ordinem Cisterciensem, sive professionem ejusdem ordinis fecit, habitumque recepit, ita mandante Romano pontifice Innocentio tam ipsi, ut regimen assumeret, quam monachis, ut obedientiam electo abbati jurarent. De Petro hæc habet Cornelius in ecclesiis Torcellanis [e]. ,, Petrus ex gente ,, Belligna Camaldulense institutum in monasterio sancti Mathiæ de Muriano professus, post Jacobi mortem a Trivisanis abbas Torcellensis declaratur anno M. CCCC. V. cujus gratia ex Senatus-consulto sancitum ,, est Innocentio papæ VII. literas in forma necessaria dirigere, ut eum

e T. I. pag. 203.

,, in

Ann. Chr. 1405.

„ in abbatem confirmare dignaretur : *Anno* M. CCCC. V. *die* XIX. *maji* „ in Rogatis: *Quia bonum eſt anticipare tempus in ſcribendo domino papæ* „ *ſuper facto abbatiæ ſancti Thomæ de Burgundionibus* , *&* *conſiderato* , „ *quod illi nobiles*, *qui habent jus patronatus in dicta abbatia*, *elegerunt* „ *in abbatem dominum Petrum Bellegno*, *perſonam catholicam* *&* *virtuo-* „ *ſam* , *quæ ſervivit ordini de eremitis de Muriano circa annos* XXII. „ *Vadit pars* , *quod ſcribi debeant ſanctiſſimo domino papæ* *&* *cardinali-* „ *bus* , *&* *aliis* , *qui videbuntur* , *literæ noſtræ in forma neceſſaria* , *ut* „ *ſanctitas apoſtolica dignetur promovere* *&* *confirmare ipſum in abbatem* „ *prædictum*. Apoſtolico diplomate Romæ dato die XXIX. junii anno M. „ CCCC. V. Innocentius VII. Petrum Bellegni Camaldulenſem monachum, „ nullam ingerens de ejus electione mentionem, in abbatem ſancti Tho- „ mæ Torcellanenſis inſtituit, datiſque eodem die ad abbatem monaſte- „ rii de Columba Ciſtercienſis ordinis Placentinæ diœceſis pontificiis epi- „ ſtolis, eidem diſtricte mandavit, ut electum Petrum ſui favoris præſi- „ dio proſequeretur ; monachis vero ſancti Thomæ Torcellanenſis aliis „ datis literis præcepit, ut præpoſito ſibi abbati obedientiam & reveren- „ tiam debitas exhiberent. “ Innocentii bullæ extant ex archivo ſanctæ Mariæ ab Horto in eodem Cornelii opere.

XVII. Paginæ aliquorum monaſteriorum.

Hieronymus Tajapietra prior ſancti Benedicti de Fileto ordinis Camaldulenſis ſcribi ſe fecit *ad probam*, ut dicunt, abbatiæ ſanctæ Juſtinæ de Padua ; ex codicibus mſs. Petri Gradonici patritii Veneti . Poſt biennium idem Hieronymus erat prior ſanctæ Mariæ de Orbiſio ; nam requiſitus anno 1407. ab Andrea priore Camaldulenſi, ut intereſſet capitulo generali ordinis, accedere impeditus vices ſuas commiſit Jacobo de Parentio monacho ſancti Michaelis de Muriano [a]; manu Jacobi Marci de Allieriis Veneti notarii ex tabulario Fontis-boni . Abbas autem ſanctæ Juſtinæ paulopoſt evaſit Ludovicus Barbo, ut fuſius videbimus.

a §. *Mandatum* 66. *A*. 5. 76.

In necrologio monaſterii Carcerum ad diem XXI. junii legitur ſub hoc anno: *Obiit rev. pater domnus Petrus prior Carcerum* *&* *vicarius generalis epiſcopi Patavini* . Ipſe eſt Petrus de Montagnana lector licentiatus in gymnaſio Patavino, de quo aliqua diximus ad annum 1382. qui pluribus annis monaſterium ſanctæ Mariæ ad Carceres rexerat . In eodem necrologio ad diem XVIII. novembris adnotatur : *Veneti intraverunt in civitatem Paduæ* , *&* *eam poſſederunt cum omnibus pertinentiis ſuis* , *&* *Veronam atque Vincentiam uſque ad annum* 1426.

Petrus de Caſacorbulæ abbas ſanctorum Andreæ & Gregorii de Urbe innoteſcit ex libro *Obligationum* ad diem XX. maji hujus anni , qui itidem non tantum pro ſe , ſed etiam pro utroque Dominico prædeceſſoribus ſuis ſpopondit. Ad eamdem diem ſervitium promiſit Martinus abbas ſanctæ Mariæ de Morona, diœceſis Volateranæ ordinis Camaldulenſis.

b *Num*. 299.

Die duodecima februarii anno primo ſui pontificatus [b] ex Urbe Innocentius VII. dilargitus eſt monaſterio ſancti Benedicti extra muros Florentinæ urbis privilegia omnia , indulgentias & gratias , quæ obtinuerat monaſterium Florentinum ſanctæ Mariæ Angelorum eatenus a ſede apoſtolica, & a prioribus generalibus ordinis Camaldulenſis ; ex tabulario ſanctæ Mariæ Angelorum.

Ann. Chr. 1406.

XVIII. Petrus Bellegnus dimittit regimen S. Thomæ de Torcello.

Petrus Bellegnus electus anno præterito a familia Triviſana abbas ſancti Thomæ de Torcello, Innocentio VII. Romano pontifice annuente , cum „ intentus cœleſtibus , recrearetur ſæpius viſitationibus „ cœleſtium ſpirituum, ſolitudinis majoris, qua prius liberius & copioſius

„ frue-

„ fruebatur in monasterio sancti Mathiæ de Muriano , impatiens , vel „ etiam existimans se non rite electum vel vocatum ad regimen ejusdem „ monasterii, eo quod monachorum suffragia non accessissent , regimine „ se abdicavit in manibus Petri Philargii S. R. E. cardinalis tituli XII. „ apostolorum . " Quare die XXVI. februarii in consilio Rogatorum decretum fuit sequens Senatus-consultum : *Cum ad requisitionem nobilium nostrorum de cha Trivisano de sancto Johanne-novo tamquam patronorum jure patronatus monasterii sancti Thomæ* &c. *quibus spectat electio abbatis, quando vacat , quod cum alias elegerint in abbatem ven. patrem domnum Petrum Bellegno , qui aliam vitam strictiorem sibi elegit , nec aspirat ad talia , & modo prædicti de cha Trivisano visa & comprehensa intentione dicti domni Petri Bellegno, elegerunt quemdam nomine Johannem-baptistam de Senis ordinis Prædicatorum in abbatem monasterii antedicti . Vadit pars, quod pro confirmatione dictæ electionis porrigantur preces nostræ apud reverendissimum cardinalem* XII. *apostolorum legatum apostolicum , & scribatur summo pontifici, si opus extiterit , ut dictam electionem confirmare dignetur. Angelus Cornelio notarius ducalis.*

ANN. CHR. 1406.

„ Quare die sequenti constitutus coram reverendissimo domino Petro „ cardinale XII. apostolorum sanctæ sedis legato ven. pater domnus Pe- „ trus Bellegno abbas *&c.* humiliter exposuit *&c.* quatenus dignaretur „ pie ab officio & onere dictæ abbatiæ, quam reputat sibi catenam cri- „ minis, reddere absolutum *&c.* Qui dominus legatus cardinalis *&c.* omni „ modo, jure & forma, quibus melius scivit & potuit, auctoritate apo- „ stolica *&c.* absolvit libere ab officio abbatiæ *&c.* Acta Venetiis in mo- „ nasterio sanctæ Mariæ Cruciferorum. Marcus de Raffanellis notarius." Hæc de ipso Petro clarius exponit in suis ecclesiis Torcellanis Cornelius [a]. „ Vir piissimus, qui in Murianensis eremi solitudine angelicam vitam ab „ omni hominum consortio semotus agere consueverat , cum abbatiali „ officio distentus, in pias de more exercitationes incumbere difficilius se „ posse cognosceret, muneris pertæsus, cupiensque reliquum vitæ suæ in „ arctiori statu finire, de officii sui renuntiatione cogitavit . Quapropter „ Petrum sanctæ Romanæ ecclesiæ titulo sanctorum duodecim apostolo- „ rum presbyterum cardinalem sanctæ sedis apud Venetos legatum , qui „ postea Alexander V. fuit, adiit , atque coram ipso genuflexus expetiit „ absolvi ab officio & onere abbatiæ , ut valeret deinceps toto corde & „ animo divino insistere officio, & vitam æternam adipisci. Audita sup- „ plicatione , inspectaque abbatis constantia , cardinalis legatus Petrum „ devote petentem & humiliter supplicantem absolvit ab abbatiæ officio. „ Acta fuere prædicta omnia Venetiis in monasterio sanctæ Mariæ Cru- „ ciferorum anno M. CCCC. VI. die XXVI. februarii indictione IV. præ- „ sentibus Paulo episcopo Clugiense , aliisque Venetiarum plebanis , ex „ tabulario sanctæ Mariæ ab Horto Venetiarum. Interea dum Petrus re- „ nunciationem oneris disponit, familia Trivisana, quæ ejus præcognove- „ rat propositum, abbatiam brevi vacaturam fratri Baptistæ de Senis or- „ dinis Prædicatorum alumno contulerunt . Sed die VIII. martii mona- „ chi Torcellenses vacante ipsorum abbatia, Johannes scilicet de Alman „ prior monasterii, frater Benigno de Venetia , frater Baruntus de Pi- „ sis, & frater Petrus de Venetiis dicti loci monachi professi , fratrem „ Baruntum Pisanum ex eorum gremio unanimiter sibi elegerunt in ipso- „ rum abbatem . " Quæ excerpsit idem eruditissimus senator ex monumentis ejusdem cœnobii sancti Thomæ, & ex summariis confectis in causa prædictorum monachorum cum nobilibus patriciis Trivisanis. Amandamus ad

a *P. I. pag.* 204.

ANN. CHR. 1406.

Appendicem paginam resignationis abbatiæ factæ a Petro. Ceterum ipse paulo post abbatiæ Torcellanæ dimissionem rediit ad suum sancti Mathiæ monasterium, & concupitæ solitudini vacavit diutius, licet electus sui cœnobii prior, ut ex monumentis liquet, quæ de ipso afferemus annis sequentibus. Ughellius tomo V. Italiæ in episcopis Torcellanis, ubi disserit de abbatia sancti Thomæ, Petrum Bellegnum monachum facit cœnobii sancti Michaelis de Muriano; quod ita intelligendum est, ut fuerit monachus Camaldulensis, qui monachi partim commorabantur in sancti Michaelis, partim in sancti Mathiæ de Muriano monasteriis.

XIX. Electio illegitima Antonii prioris S. Mathiæ de Muriano.

HOC ipso anno ob mortem Jacobi a Faventia prioris ejusdem monasterii sancti Mathiæ de Muriano, quæ contigit die XVII. januarii ex necrologio Vangaticiensi, electus fuit & confirmatus ab Innocentio VII. & ab Andrea priore generali in priorem ejus loci Antonius Blancus a Venetiis die XXVI. januarii. Sed cum ambitiose intrusus ad regimen dicti loci ferretur idem Antonius, prædictus pontifex commisit plebano sancti Angeli de Venetiis Castellanæ diœcesis, ut ad examen revocaret acta ejus electionis; iterum die XXIX. aprilis mandavit eidem Andreæ præsidi generali, ut officium visitationis exequeretur in monasterio sancti Mathiæ, ac diligenter inquireret super Antonii electione, præsertim cum conquesti fuissent se neglectos, nec vocatos fuisse suffraganei priores sancti Johannis-baptistæ de Bagnacavallo, sanctæ Mariæ de Angelis Bononiæ, sancti Johannis-baptistæ de Faventia, & sanctæ Mariæ de Pisauro, qui alias consueverant vocari. Vertebatur quoque culpæ Antonio, quod ipse ex priore sancti Johannis-baptistæ de Judaica corrupisset quosdam sancti Mathiæ monachos, & curasset se ab illis eligi in priorem, ac impetrasset subreptitias literas apostolicas ad sui confirmationem. Postremæ Innocentii literæ signantur [a] anno secundo sui pontificatus ex Urbe. Licet hujusmodi causæ cognitio ad multum temporis protracta fuerit, & iterato demandaverit Romanus pontifex XIII. kalendas augusti eidem Andreæ priori examen ipsius electionis, præfuit tamen Antonius pacifice pluribus annis, ac de ipso alibi dicemus. Integram Innocentii bullam datam mense aprili edimus in Appendice; ex ipsa enim tota series rerum addiscitur. Sed loco sanctæ Mariæ de Pisauro, quod monasterium ab anno 1360. suffraganeum erat potioris cœnobii sancti Mathiæ de Muriano, constanter in bulla legitur *sancti Nicolai*, quod exscriptoris vitio factum putamus.

a §. *Brevia* 43. *A.* 5. 64.

XX. Altera unio monasterii Vallis-castri cum eremo Camaldulensi.

IDEM Innocentius ex Viterbio anno pontificatus sui secundo [b] die IV. februarii Andreæ prioris Camaldulensis flagitationibus motus, ratam habuit unionem monasterii sancti Romualdi Vallis-castri cum eremo Camaldulensi, quam dudum fecerat ejus prædecessor Bonifacius IX. quæque etiam executioni mandata fuerat tam per Angelum abbatem Valle-castrensem, quam per monachos, qui constitutiones & habitum album Camaldulensem jam receperat. Quia tamen Angelus abbas, qui vigore literarum Bonifacii non amplius abbas, sed prior vocari debebat, dum Romæ procuratorem generalem ordinis agebat, impetraverat ab eodem Romano pontifice irritationem dictæ unionis, & obtinuerat retentionem tituli abbatis, adeoque superbiæ spiritu inflatus visitationem, correctionem & subjectionem prioris generalis Camaldulensis detrectabat, idcirco auctoritate apostolica Innocentius de novo Valle castrense cœnobium adjunxit congregationi Camaldulensi, ita tamen ut prælatus loci etiam deinceps & futuris temporibus abbatiali titulo & dignitate decoraretur, & eligeretur a monachis ejus conventus, confirmandus a priore Camaldulensi, ut usuveniebat in ceteris monasteriis, ac subjiceretur visitationi, reformationi,

b §. *Unio* 11. *A.* 5. 62.

corre-

correctioni & obedientiæ præsidis generalis Camaldulensis. Ante duos dies, quarto scilicet nonas februarii idem Romanus pontifex mandaverat abbati monasterii sanctæ Crucis Comitum de Triputio, ut bona omnia alienata & illicite distracta ejusdem Valle-castrensis monasterii recuperare satageret ad jus & proprietatem dicti loci. — Ann. Chr. 1406.

XXI. Et sancti Victoris de Clusis cum S. Catharina de Fabriano.

Anno pontificatus sui secundo idem Romanus antistes inductus precibus abbatum congregationis Montis-oliveti, & Jacobi abbatis sancti Victoris de Clusis Camerinensis diœcesis, copulavit hoc sancti Victoris monasterium cum ecclesia seu cœnobio noviter erecto sanctæ Catharinæ de Fabriano, quandoquidem cum in vasta nemorum solitudine illud situm esset, vix aliquis reperiebatur, qui in monachum ibidem recipi mallet, & e contra in monasterio sanctæ Catharinæ sacerdotes aliique monachi numero abundabant, ex quorum profectibus spes indubia erat, quod monasterium sancti Victoris una cum membris & possessionibus suis ad statum prosperum reduci valeret & reparari, immo etiam adaugeri. Quare extincto in sancti Victoris monasterio nomine sancti Benedicti & titulo abbatiali, ipsum monasterium in prioratum erexit, abbati generali congregationis Montis-oliveti subjiciens locum, ipsius vero bona præfato sanctæ Catharinæ monasterio. Rem sic narrat Secundus Lancellottus [a]: „ Clavelli de Clavellis opera Jacobus abbas sancti Victoris de Plebe-rosaria „ in Camerinensi abbatiam tradidit post decessum suum; idque Clavellus „ ab Innocentio VII. diplomate anno Christi M. CCCC. VI. decimo-quar„to kalendas martias ære suo impetrat. Dominabantur olim in Fabria„nenses Clavelli. Clavellus igitur cum sodales nostros Mont-olivetanos „ præcipuo amore complecteretur, & ad eos cuperet abbatiam traduci, „ cum abbate Jacobo ita locutus est, ut satius ducens gratum facere, „ voti compotem fecerit, assensus, ut cum pontifice ageretur, obtentumque „ sit, ut extincto nomine monasterii cum omnibus agris, quos in castro „ Plebe-rosario habebat, sanctæ Catharinæ cœnobio adjungeretur. " De litibus, quas monachi sancti Blasii de Fabriano suscitarunt contra Mont-olivenses, & adversus unionem hujusmodi, quam subreptam judicarunt, & etiam de compositione secuta dicemus alio anno ad mortem Jacobi ultimi abbatis sancti Victoris.

a Pag. 177.

Cum idem Innocentius monachis sanctæ Mariæ de Agnano Arretinæ diœcesis permisisset gestationem habitus nigri, licet congregationi Camaldulensi fuissent recens, ut antiquitus erant, adjuncti, adeoque lites & controversias plures excitarent Agnanienses monachi contra Andream præsidem generalem Camaldulensem refragantem, is die secunda februarii hujus anni constituit in suum procuratorem Gregorium de Arretio abbatem sancti Salvatoris de Silva-munda ad præstandas literas apostolicas abbati & monachis abbatiæ de Agnano, & ad recipiendam ab ipsis obedientiam; ex tabulario Fontis-boni [b], manu Guidonis olim Jacobi de Prato-veteri notarii.

b §. Mandatum 65. A. 5. 6.

Ob mortem Johannis abbatis Bernardus de Ricciis ex monacho sancti Benedicti prope Florentiam eligitur abbas sanctorum Justi & Clementis de Volaterris [c] ab Innocentio VII. die XXXI. januarii pontificatus anno secundo.

c §. Brevia 44. A. 5. 75.

Dominicus Lucæ de Florentia abbas sanctæ Mariæ de Insula Natalem Johannis de Venetiis in priorem constituit sancti Paterniani de Ferraciano [d].

d §. Tenuta 26. A. 5. 72.

XXII. Obitus Colucii & Zenobii Tantini.

Obiit hoc anno die sexta maji Colucius Pierii de Stignano, „ qui „ fuerat cancellarius communitatis Florentinæ per triginta annos, vir ju„stus,

ANN. CHR. 1406.

„ stus, inquit sanctus Antoninus, & rectus, magnæ scientiæ & eloquentiæ, præcipue in dictando epistolas, & maxime pro communitate magnæ efficaciæ ad flectendum. Libros aliquot addidit poeticos, & in deliberatione magistratus fuit coronatus laurea mortuus, ut poeta, sepultus honorifice in ecclesia majori. "

Præcessit eum morte Zenobius Tantinus monachus sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia, alter poeta & scriptor ac amicus Colucii, qui supremum diem obiit secunda februarii anno 1405. more Florentino. Is ad monasterium præfatum venerat & die prima junii anni 1376. professionem emiserat in manibus Johannis Nerii prioris; ex libro *Professionum* ejusdem cœnobii. Filius fuit Andreæ Johannis Tantini Florentini populi sancti Laurentii.

Bartholomæus ser Viventii abbas sancti Johannis-evangelistæ de Burgo-sancti-Sepulcri cum Rainerio Stephani de Clusio priore sancti Nicolai, Ptolomæo Simonis priore sancti Angeli de Casa-prati districtus Burgi, Paulo Masii de Arretio priore sancti Patrignani & cum aliis monachis suis ob electionem Martini Guiducci olim prioris sancti Severi de Perusio in abbatem Morronensem, elegit Thomam Matthæi de Perusio in priorem sancti Severi, *in qua ecclesia recoluntur ejus merita gloriosa*; ex tabulario monasterii sancti Severi de Perusio. Benvenutam de Viguntia abbatissam sanctæ Mariæ de Porcilia hoc anno produnt chartæ Patavinæ in ditissima collectione Johannis Brunatii [a].

[a] *Num.* 1919.

XXIII. Decretum Andreæ prioris generalis, ne monachi cursitent per urbes.

ATTENDENS Andreas prior generalis Camaldulensis, quantus honor quantave devotio erga ordinem proveniret ex laudabili vita monachorum sancti Michaelis Venetiarum, sancti Mathiæ de Muriano, sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia, & sanctæ Mariæ de Rosa Senarum, mandavit hoc anno suo speciali decreto, ut quotiescumque contingeret monachos horum locorum dimoveri a monasteriis suis, & ad alia loca transferri, minime præsumerent redire, & cursare per easdem civitates & oppida; & hoc sub pœna excommunicationis, & insuper prælati dictorum monasteriorum tenerentur eos compescere, & si opus foret, etiam carceribus tradere, invocato quoque auxilio brachii secularis, ne præfatus honor minueretur. Datum in monasterio Fontis-boni anno M. CCCC. VI. die quarta decembris indictione VI.

Obeunte Ugone cardinale & commendatario abbate monasterii Fontis-avellanæ substituitur in ejus locum Mariottus, qui eatenus abbatem regularem egerat in eodem cœnobio.

In memoriis [b] Ferdinandi Leopoldi Melioris monasterium sancti Hilari de Galeata appellatur sub hoc anno die vigesima-quarta januarii monachorum ordinis sancti Benedicti *Discalciatorum*, nempe Pulsanensium. Ipsius commendatarium abbatem vidimus anno antecedenti Bartholomæum ab Antella canonicum Florentinum.

[b] *Num.* 56.

ANN. CHR. 1407.

XXIV. Capitulum in Fonte-bono.

CONGREGATO capitulo generali congregationis Camaldulensis in monasterio Fontis-boni Andreas præses generalis ordinis, Antonius abbas Vangaticiensis, Honuphrius abbas Camalduli-Florentini, Antonius de Arretio abbas sancti Michaelis in Burgo Pisarum, Jacobus abbas sancti Benedicti de Saviniano, ceterique capituli definitores inter alia hoc anno M. CCCC. VII. indictione V. die prima junii tempore pontificatus Gregorii XII. approbaverunt ratamque habuerunt erectionem nuperrime factam monasterii sancti Benedicti extra portam urbis Florentinæ, ad quam præcessisse affirmarunt permissionem Romani pontificis Bonifacii IX. confirmationem Innocentii papæ VII. & voluntatem prioris generalis Andreæ, asse-

asserentes monasterium fundatum fuisse de bonis Francisci Jacobi *del Riccio* & plurium aliorum civium Florentinorum, ac nonnulla statuta ipsis oblata pro recto loci regimine calculo suo probavere eo fere modo, quo olim in erectione monasterii sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia pacta intercesserant & conventiones inter Guittonem Arretinum loci fundatorem, & inter Frigdianum tunc temporis priorem Camaldulensem. Ea fuere, ut in monasterio sancti Benedicti eremitica semper perageretur vita, nec monachi ibidem habitantes septa cœnobii egredi valerent, nisi magna immineret necessitas, & de consensu suorum prælatorum; fratres dicti loci non cogerentur suscipere regimen aliorum monasteriorum congregationis; locus subjiceretur eremo Camaldulensi & priori generali, a quo visitari & corrigi possent cœnobitæ, & confirmari in nova electione ipsorum prælati; præfectus eligendus foret de capitulo monasterii, vel saltem de ordine Camaldulensi; priores hujus monasterii compelli non possent accedere ad capitula generalia ordinis, fas tamen ipsis esset vices suas & vota alicui contradere; nulli mulieri ingressus unquam pateret intra septa dicti monasterii; quæ omnia statuta cum pluribus aliis communi definitorum consensu approbata, & in scriptis redacta fuere, præsentibus inter ceteros Bartholomæo abbate Burgi-sancti-Sepulcri, & Bernardo de Ricciis abbate sancti Justi Volaterranæ urbis. Ultima novembris anni elapsi ob mortem Innocentii VII. electus fuerat in Romanum pontificem Angelus Corrarius Venetus, dictus etiam cardinalis Florentinus, qui nomen assumpsit Gregorii XII. coronatus die XIX. decembris; ex qua die numerati fuere anni ejus pontificatus, ut legitur in libro *Obligationum*.

ANN. CHR. 1407.

XXV. Monachis S. Michaelis concessa electio proprii abbatis.

IDEM Gregorius facultatem hoc anno concessit monachis sancti Michaelis de Muriano, ut eligere sibi possent, quando vacaret monasterium, ipsorum abbatem. Scribens enim Paulo Venerio, qui tunc regimen loci habebat, asserit monasterium sancti Michaelis olim eremo Camaldulensi subjectum recipere consuevisse hactenus pastorem a priore eremi Camaldulensi, qui ad nutum amovebat, & sufficiebat prælatum eo tempore, quo abbates cum paucis monachis Domino famulabantur, sed cum nunc monachorum & ministrorum numerositate adeo augmentatum cœnobium existat, ut in eo regularis observantia juxta instituta Camaldulensia vigeat, & divina officia rite persolvantur, concedit, ut ipso Paulo cedente vel decedente cœnobitæ alium sui monasterii professum in prælatum queant assumere, cujus electionem teneatur prior generalis confirmationis robore munire, haud petita prius sedis apostolicæ vel alterius licentia. Datum Romæ apud sanctum Petrum v. idus maji pontificatus nostri anno primo.

XXVI. Prioratus de Mandria unitur S. Michaeli de Muriano.

PARITER cum vacaret prioratus sanctæ Mariæ de la Mandria ordinis sancti Augustini Patavinæ diœcesis, qui locus subjiciebatur alteri monasterio sanctæ Mariæ de Carceribus, per resignationem Antonii de Montaniana canonici olim prioris dicti loci, idem Romanus pontifex Gregorius XII. attentis studiis laborum præfati Pauli Venerii abbatis sancti Michaelis de Muriano & monachorum ejus cœnobii, de sua mera liberalitate copulavit dictum sanctæ Mariæ prioratum cum eodem sancti Michaelis monasterio, mandans Albano Michaelio episcopo Patavino, ut ipsum separaret a monasterio sanctæ Mariæ de Carceribus, & adjungeret monasterio sancti Michaelis, ita tamen ut in eodem prioratu laudabiliter in divinis officiis deserviretur, nec aliquod præjudicium generaretur episcopalibus juribus, aliaque consueta onera portarentur. Bulla data est ex Viterbio

xv. ka-

Ann. Chr. 1407.

xv. kalendas septembris pontificatus anno primo. Quare Paulus Venerius abbas xxiv. septembris indictione xv. die sabbati ad Albani præsentiam accedens, præsentibus Petro Mauroceno quondam nobilis viri Marini de Venetiis canonico Tarvisino actualiter legente in studio Patavino, presbytero Beltramo præposito ecclesiæ sanctæ Mariæ de Arena Patavii, & Marco de Clesio rectore ecclesiæ sancti Michaelis de Padua aliisque exhibuit ipsi præfatam Gregorii bullam, petens induci in possessionem ejusdem prioratus. Die autem sequenti, præsentibus iisdem, & Fantino insuper Dandulo de Venetiis juris utriusque doctore, idem episcopus Patavinus Paulo Venerio investituram concessit ejusdem prioratus. Die vero mercurii xxvii. septembris Clemens Rainerius de Venetiis prior monasterii sanctæ Crucis de Padua, qui prioratum Mandriensem occupabat, ipsum dimisit, relaxavitque liberam ejus loci susceptionem abbati sancti Michaelis, quam hic accepit die penultima decembris manu presbyteri Beltrami, qui mandato episcopi eidem possessionem tradidit. Hæc omnia acta descripta leguntur in pagina Prosdocimi quondam Dominici de Padua notarii in tabulario sancti Michaelis de Muriano, eaque ex parte edita a clarissimo Cornelio in suis ecclesiis Torcellanis [a] rursus & integra ad Appendicem remittimus.

a T. III. p. 60.

XXVII. Monachi Mont-olivetenses ad S. Helenam Venetiarum.

Prædicti Pauli Venerii opera potissimum, & auctoritate, qua gaudebat non solum apud eumdem Romanum pontificem, sed apud Venetorum inclytum principem Michaelem Stenum monachi congregationis Montis-oliveti hoc anno obtinuerunt monasterium sanctæ Helenæ in insula prope Venetias. Eatenus cœnobium hocce rectum fuerat a canonicis cum priore commorantibus, sed ad eum disciplinæ & ædificiorum defectum devenerat, ut vix prior unus, ceteris canonicis vel alio delapsis, vel morte sublatis, ex monasterii redditibus aleretur, unde & divini honoris officium, & sacri corporis sanctæ Helenæ ibidem quiescentis cultus majora in dies patiebantur detrimenta. Hæc cum Gregorio XII. recens ad Petri sedem evecto innotuissent, ut Dei obsequium in fere deserto loco restitueretur, congregationi Montis-oliveti severiori disciplina tum maxime florenti vetustum monasterium motu proprio concessit, cujus pontificiæ liberalitatis diploma datum fuit die xxi. septembris anni præsentis. Libet rei seriem ex antiqua scheda in tabulario monasterii sanctæ Helenæ adservata vulgari idiomate conscripta depromere ex versione ejusdem præstantissimi viri Flaminii Cornelii [b], cujus etiam superiora sunt verba; ex ipsa enim innotescit, quantam in ea monachorum Olivetanorum insulæ accessione partem habuerit Paulus Venerius abbas sancti Michaelis.
„ Tempore sanctissimi in Christo patris & domini domini Gregorii XII.
„ ordini nostro addictissimi, cum eo tempore Romana curia esset Senis,
„ sine precibus & postulationibus, sine cujusquam intercessione, vacante
„ hic monasterio sanctæ Helenæ apud Venetias ordinis canonicorum re-
„ gularium sancti Augustini, ad se vocavit venerabilem religiosum fra-
„ trem Laurentium de Perusio priorem monasterii Montis-oliveti, &
„ vicarium venerabilis religiosi fratris Hieronymi de Perusio abbatis ge-
„ neralis dicti monasterii totiusque ordinis prædicti, qui cum pervenisset
„ coram ipso, de consensu capituli Montis-oliveti, supradictum cœnobium
„ acceperunt. Hoc pacto facta est translatio illius ad ordinem nostrum,
„ ut constat ex publica bulla & mandato gratuito, quemadmodum et-
„ iam ex voluntate & consensu serenissimi principis domini Michaelis
„ Steni ducis Venetiarum, totiusque sui consilii, ope consilii & favoris
„ & adjutorii venerabilis religiosi fratris Pauli de familia Veneria abba-

b T. XII. pag. 18.

„ tis sancti Michaelis de Muriano ordinis Camaldulensium. Facta est „ acceptatio possessionum & redditum dicti monasterii cum illis publicis actis, & ritu & instrumentis, prout opus & necesse est, manu prædicti religiosi fratris Laurentii vicarii prædicti, & hoc anno Domini „ M. CCCC. VII. die XI. octobris anno primo sui pontificatus. "

ANN. CHR. 1407.

XXVIII. Variorum monumentorum collectio.

BALTHASSAR Cossa sancti Eustachii diaconus cardinalis & apostolicæ sedis legatus Juliano de Numaiis clerico Foro-liviensi contulerat vacantem prioratum sanctæ Mariæ Camalduli Foro-liviensis. Cum vero agnovisset Andream priorem generalem Camaldulensem eumdem prioratum concessisse Bartholomæo monacho Foro-liviensi & Camaldulensi, & ad ipsum priorem generalem pertinere collationem de jure & de antiqua consuetudine, resignante Juliano regimen in manibus Ugolini de Faventia abbatis sanctorum Hippolyti & Laurentii Faventiæ, contra quem etiam lata fuerat sententia per Johannem de Monte-politiano cardinalis auditorem, mandavit Ludovico rectori ecclesiæ sancti Christophori in villa Casafighare Foro-liviensis diœcesis, ut Bartholomæum rite electum in possessionem ejusdem prioratus immitteret. Datum Bononiæ sub anno Domini M. CCCC. VII. indictione XV. die VIII. augusti, pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri domini Gregorii papæ XII. anno primo, ex tabulario sanctorum Laurentii & Hippolyti de Faventia.

Florebat interea in monasterio sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia Ambrosius. In libro *Visitationum* anni 1406. more Florentino ad diem XXIV. februarii, qui liber asservatur in bibliotheca eremi Camaldulensis, „ Sebastianus prior sancti Michaelis de Arretio, & Lazarus prior sanctæ „ Mariæ de Balneo ordinis Camaldulensis deputati visitatores ab Andrea „ priore generali in visitatione ejusdem monasterii interrogaverunt fra„ trem Ambrosium de Porticu diaconum & monachum dicti cœnobii. " Præter Latinas Græcasque linguas etiam Hebraicæ operam dedit, teste Vespasiano librario Florentino in ipsius vita, cujus inquit aliquam notitiam habuit, cum doctus esset. Gajum Hebræum inter amicos suos salutat Ambrosius in epistolis ad Bartolomæum de Viarana [a].

In villa de Peretola curiæ Primalcorii Lisa filia Aloysii comitis de Mutiliana donavit Andreæ priori generali Camaldulensi latifundia cum domibus juribusque sibi competentibus ex successione & hæreditate dicti Aloysii; manu Francisci Ruffoli notarii de Ronco, ex tabulario Fontisboni [b].

Hieronymus Gilius Florentinus decretorum doctor, apostolicæ sedis capellanus & prior sanctæ Mariæ Montis-crucum & Porciliæ diœcesis Patavinæ, erat etiam vicarius generalis Alamanni Adimarii Florentini archiepiscopi Pisani, ut scribit Fabruccius in historia universitatis Pisanæ inter scientifica opuscula Calogeriana [c], ubi demonstrat hoc anno ipsum Hieronymum nomine archiepiscopi, & tamquam ejus commissarium promovisse ad literarias infulas Urbanum de Ceulis, ex ephemeridibus in generali archiepiscopali archivo Pisano existentibus, quas laudat. Guido Pancirolus libro III. capite 28. de claris Interpretibus Hieronymum Gilium interpretatum fuisse Decretum scribit anno Domini circiter 1480. Sed plane fallitur, cum, ut diximus de Petro a Montaniana, Hieronymi nomen scribatur in matricula ab anno 1300. ad annum 1444. ipseque obierit anno 1424. quod videbimus, deficiatque ipsius nomen in matricula sequenti ab anno 1444. Ejusdem Hieronymi in tabulario Urbis Patavinæ in libro IV. Instrumentorum ser Zilii de Calvis extat consilium in quæstione Bartholomæi de Baroctio & Johannis Zucchen.

a *Lib. X. epp. I. II. III.*

b §. *Donatio 52. A. 5. 79.*

c *T. XXIX. pag.* 281.

Confirma-

Ann. Chr. 1407.

Confirmavit hoc anno Gregorius XII. quarto-decimo kalendas januarii pontificatus sui anno secundo cœnobio sanctæ Mariæ de Balneo ecclesiam sancti Uberti & sancti Ægidii teste Fortunio [a]. Ipsa die Gregorius auspicabatur annum secundum sui pontificatus. Decima-quarta januarii anno primo commiserat Petro Riccio episcopo Arretino, ut per obitum Nicolai abbatis Johannem monachum sancti Salvatoris de Monte-amiato in abbatem introduceret Montis-fellonici. Extat bulla in tabulario conventus sancti Martini urbis Senarum ordinis sancti Augustini, cui unitum postea fuit a Pio papa II. monasterium Montis-fellonici.

a P. II. lib. III. cap. 23.

Robertus de comitibus Collaltis abbas Sanæ-vallis de Fullina causam habet cum Dominico de Refrontolo cognitam ab Ordelaso de Faletro pro serenissimo ducali dominio Veneto Vallis-mareni, & gastaldiæ Solighetti potestate; ex archivo ejusdem monasterii [b].

b Num. 299.

Ann. Chr. 1408.

XXIX.

Obitus ejusdem Andreæ & electio Honuphrii in priorem generalem.

Obiit, postquam congregationi præfuit decem & octo annis, Andreas prior generalis Camaldulensis XII. kalendas majas apud Fontem-bonum, sepultus in capitulo eremi; ad diem antecedentem refertur ejus mors in necrologio Vangaticiensi. Convocati fuere prælati pro novo priore sufficiendo; & reperimus „ die quinta maji Augustinum de „ Moriconibus Lucensem abbatem sancti Petri de Puteolis, non valen„ tem propter curiam Romanam, quæ tunc temporis erat in civitate „ Lucana, abesse a suo monasterio, nec intervenire capitulo generali in „ monasterio eremi pro electione successoris Andreæ prioris generalis, „ commisisse vicem suam Orlando abbati Morronæ ad omnia peragen„ da [c], manu Antonii Jacobi Nicolai de Luca notarii. " Similiter die XXIV. aprilis commiserat vocem suam Raphael de Boncianis prior sancti Benedicti extra muros Florentiæ Angelo de Biblena priori sanctæ Margaritæ de Tosina [d]; manu Christophori Andreæ de Laterino notarii. „ Humato Andreæ generalis corpore, inquit Fortunius [e], altercatio „ inter patres de novo successore eligendo suborta est. Cujus gratia ema„ narunt literæ apostolicæ ad patres, quatenus ad nullam electionem deve„ nirent, quod pontifex eam pro illa vice sibi apostolica auctoritate re„ servasset. Ab eo autem supradictus Raphael Boncianius Florentinus „ monachus Angelorum prior generalis designatur. Datum Lucæ VI. idus „ maji anno pontificatus Gregorii papæ XII. secundo. " Raphael Boncianius unus ex his monachis fuerat, qui, ut vidimus, ex Angelorum cœnobio transierat ad incolendum novum sancti Benedicti monasterium extra portam Florentiæ. „ Subveriti sunt patres, subdit historicus no„ ster, Raphaelem contra libertatem ordinis principatum ambivisse. Ra„ phael accito tabellione publico sponte insignia deposuit, exemplum sui „ præbens, quod sicut nihil est ex omnibus rebus humanis præclarius „ aut præstantius, quam ut unusquisque de republica bene mereri stu„ deat, ita nil turpius, quam ut ubi dominari debeat, unus tyrannidem „ sibi usurpare festinet. Ea res pontifici quoque grata extitit, patresque „ per novas suas literas ad novam electionem paternis hortatibus sum„ moque cordis affectu excitare dignatus est. Datum Senis IV. idus au„ gusti anno secundo. Cujus literis in conventu lectis patres Honuphrium „ abbatem sancti Salvatoris Florentiæ in Andreæ præmortui locum suf„ fecere, Sebastianum Dardanum abbatem sancti Michaelis Arretii ipsi „ cœnobio sancti Salvatoris præficientes. Confirmata est Honuphrii ele„ ctio. Datum Senis XVI. kal. novembris. " In tabulario Fontis-boni [f] extant tum Breve electionis Raphaelis factæ a Romano pontifice

c §. Electio 86. A. 3. 83.

d Ibid. A. 5. 90.

e P. I. Lib. II. cap. 62. 63.

f §. Brevia 45. A. 1. 85.

Grego-

Gregorio die x. maji, qua præcipit Camaldulensibus congregatis, ne sub poena excommunicationis audeant alium sibi sufficere in priorem generalem; tum [a] Breve die x. augusti, quo ipsos cohortatur, ut procedant ad novam electionem, attenta spontanea renuntiatione Raphaelis, tum demum extant Brevia, quibus die XVII. octobris approbat [b] electionem Honuphrii plenis suffragiis factam in priorem generalem, & creat [c] Sebastianum abbatem seu priorem sancti Michaelis de Arretio in abbatem sancti Salvatoris Camalduli-Florentini. Denique in eodem loco asservatur pagina renuntiationis [d] factæ a Raphaele de Boncianis priore sancti Benedicti, qui nuper a papa Gregorio XII. provisus de prioratu generali ordinis Camaldulensis, illectus studio vitæ eremiticæ, quæ in eodem coenobio agebatur, in deliberationem venit se abdicandi ab onere supremi præsidatus; mox literis ejusdem pontificis datis die IV. julii velut compulsus infra sex dierum terminum ad dictum prioratum vel suscipiendum, vel dimittendum, omni meliori modo & via, quibus potuit, expresse & constanter ipsum dimisit, perinde ac numquam fuisset electus; manu Christophori quondam Andreæ de Laterino notarii.

ANN. CHR. 1408.

a *Ibid.* 46. *A.* 1. 88.

b *Ibid.* 47. *A.* 1. 91.

c *Ibid.* 48. *A.* 1. 92.

d §. *Refutatio* 12. *A.* 5. 87.

XXX. Cessio aliquot bonorum monasterio S. Catharinæ de Fabriano.

ANGELUS abbas Valle-castrensis præsenti anno M. CCCC. VIII. indictione prima tempore domini Gregorii papæ XII. die mercurii XI. julii tamquam sindicus sui monasterii, intuitu pietatis, & propter reverentiam monasterii sanctæ Catharinæ de Fabriano rata habuit instrumenta donationum aliquot molendinorum factarum annis 1396. & 1397. a Gualterio domini Alberghetti de Clavellis domino Fabriani, & a Mittarellia Mercenarii de Monte-viridi ejus uxore Johanni Bartholomæi de Fabriano priori dictæ ecclesiæ sanctæ Catharinæ, jura a se omnia dimittens, quæ monasterium Valle-castrense quomodolibet habebat, atque habere poterat in dicta molendina, aliave latifundia, ex persona fratris Johannini Benencasæ Puccioli de Fabriano fratris Nicolosæ, quæ nurus erat dicti Gualterii de Clavellis, & cedens ea omnia Johanni Colæ de Perusio priori tunc ipsius sanctæ Catharinæ ecclesiæ & ordinis fratrum congregationis Montis-oliveti, sub obligatione bonorum omnium Valle-castrensis coenobii. De Johannino Benencasæ vide ad annum 1404.

XXXI. Unio aliquot abbatiarum mensæ capitulari Lucensi.

LAURENTIUS archipresbyter ecclesiæ Lucanæ majoris exposuerat Gregorio XII. Romano pontifici tunc in urbe Lucensi commoranti, quod propter bellorum excursus & turbines, ac mortalitatum pestes, quæ partes Lucani territorii acriter afflixerant, fructus, redditus & proventus capitularis mensæ ejusdem ecclesiæ adeo extenuati erant, quod ex illis canonici nequirent commode sustentari. Subjunxerat autem, quod prope terras & possessiones capituli canonicorum erant etiam terræ monasteriorum sancti Michaelis de Quosa vel de Quiesa, & sancti Petri de Puteolis Pisanæ & Lucanæ dioecesum, ordinis sancti Benedicti & Camaldulensis; & quod in coenobio de Quosa nullus tunc conventus monachorum existebat, in monasterio vero sancti Petri de Puteolis pene demolito & destructo non residebat tunc temporis abbas, qui extra claustrum vagabatur; quare efflagitaverat ab eodem Romano pontifice, ut dignaretur prædicta monasteria una cum bonis suis mensæ capitulari Lucensi adnectere. Idcirco Gregorius XII. quinto nonas julii hujus anni pontificatus sui anno II. mandavit extingui in præfatis monasteriis titulum abbatialem, atque decrevit, ut decedentibus abbatibus ipsorum vel abbatiam dimittentibus, ea monasteria perpetuo adjicerentur mensæ capitulari prædictorum canonicorum. Post triduum episcopo Lucensi scripsit idem Ro-

ANN. CHR. 1408.

manus pontifex, ut vigilaret super bona ejusdem Puteolensis abbatiæ, quæ dissipabantur & alienabantur ab abbate [a].

[a] Arch. Luc. T. p. 3.

XXXII. Gregorii XII. bulla pro monasterio S. Benedicti de Arretio.

MONASTERIUM sancti Benedicti de Arretio ad hæc fere tempora fuerat tamquam suffraganeum & subjectum parthenoni sancti Johannis-evangelistæ de Prato-veteri, cujus loci abbatissa priorissam in illo sancti Benedicti constituebat, sanctimoniales visitabat, corrigebat, & de loco ad locum transferebat. Verum quia dicta distabat inter se utrumque monasterium, & moniales cogebantur aliquando in hospitiis & extra claustri septa commorari, sumpta harum translationum occasione, remedium super hac re apponi expostulaverat priorissa sancti Benedicti a Bonifacio papa IX. anno 1400. qui proinde x. kalendas junii pontificatus sui anno XI. mandaverat literis suis archiepiscopo Nazareno moras tunc trahenti in urbe Arretina, ut suppresso titulo prioratus in parthenone sancti Benedicti, ipsum erigeret in abbatiam, & loco priorissæ abbatissam ibidem constitueret benedicendam a se vel ab alio catholico episcopo, quæque juramentum præstaret apostolicæ sedi; ea propter etiam omnino exemerat monasterium sancti Benedicti a quacumque visitatione, correctione & subjectione abbatissæ Prati-veteris, immediateque ipsum obnoxium declaraverat regimini & obedientiæ prioris generalis Camaldulensis. Verum post aliquot annos revocaverat idem Bonifacius omnia sua unionum, exemptionum, & privilegiorum decreta; hinc est quod in capitulo generali habito in Fonte-bono anno præterito Andreas prior generalis cum ceteris definitoribus ad petitionem Agathæ abbatissæ Prati-veteris statuerat revocatum hujusmodi privilegium monasterii sancti Benedicti, atque a ceteris definitoribus petierat reductionem ipsius ad pristinum subjectionis statum, & ut sibi daretur facultas declarandi, quod post mortem abbatissæ tunc viventis redigi deberet ad antiquam obedientiam abbatissæ Prati-veteris, ut legimus in pagina [b] hujus postremi parthenonis. Iis itaque negotiis occurrere volentes sanctimoniales Arretinæ sancti Benedicti, simul etiam quia in Bonifaciana bulla omissum fuerat nomen proprium archiepiscopi Nazareni, & loco Nazareni scriptum in ipsa fuerat de Nazareth, novas ea super re Gregorio XII. preces obtulerunt ad roborandam præfatam exemptionem. Is ergo ex Luca IV. idus aprilis pontificatus sui anno II. integram Bonifacii bullam suæ inserens, erroresque emendans, in omnibus suis partibus approbatam confirmavit ex tabulario sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia.

[b] Num. 246.

XXXIII. Primordia congregationis S. Justinæ de Pavavio.

PERTINENT ad hunc annum primordia novæ congregationis monachorum Nigrorum dictæ sanctæ Justinæ de Paravio, quam instituit Ludovicus Barbo patricius Venetus, & prior sancti Georgii de Alga Venetiarum. Ipsam institutionem iisdem verbis referimus, quæ affert in suo opusculo idem venerabilis fundator. „ Contigit ergo anno Domini M. „ CCCC. VIII. de mense octobris priorem præfatum (ipsum nempe Ludovicum) cum aliquibus servis Dei canonicis secularibus præfatæ ecclesiæ monasterii sancti Georgii in Alga (quod monasterium de ipsis canonicis, qui religiosissime vivunt, & plura per diversas mundi partes monasteria sive ecclesias reformaverant, & in præsenti reformant, sub ipso priore mirabili Dei ordinatione extitit, sicut hodie claret, devotissime reformatum) visitandi causa loca tam ipsorum canonicorum, quam aliorum servorum Dei attingere Paduam, & apud præfatum virum Dei presbyterum Marcum descendere, a quo solita ejus caritate magno cum gaudio fuit cum comitiva susceptus. Qui vir san-

„ ctus

„ ctus ultra solitum morem priorem sæpedictum tunc ætatis annorum „ viginti-sex paterno affectu pluries amplexatus est dicens: Fili, fili, tu „ venies huc ad commorandum Paduæ. Cui ille ignorans verborum my- „ steria ait: Ad quid pater mi venturus sum ad commorandum huc? „ ego enim corde vobiscum sum semper, corpore vero habeo sanctum „ habitaculum cum servis Dei in sancto Georgio in Alga animæ meæ „ condignum & congruum, quod nullo modo dimittere intendo. At ille „ aliquo intervallo facto subridens ipsi priori alloquens ait: Vere fili tu „ venies huc. Et prior inquit: & ubi pater? Et ille seorsum advocans „ priorem dixit: Ad sanctam Justinam; nam vult Deus omnino refor- „ mare monasterium illud, & mirabilia videbis ibidem. Tunc idem prior „ agnoscens insufficientiam suam, conditionem loci inepti ad servitium „ Dei, qui locus & propter propinquas guerras in totalem desolationem „ devenerat, & propter plures varietates in regimine succedentes ab omni- „ bus dilaceratus, & ut verius dicam, in prædam datus ad nihilum quasi „ perductus erat, subrisit, & ait: Pater mi, nolite talia cogitare; affe- „ ctio immoderata, quam habetis ad me, existimare vos facit in me „ esse virtutes & opera, quæ non sunt. Non intendo locum sancti Geor- „ gii dimittere, ex quo Deus sua misericordia mihi concessit lumen ve- „ ritatis, & agnoscere me fecit viam suam, non curo de dignitatibus „ aut exaltationibus hujus mundi. Tunc ille: Des pacem tibi, in veri- „ tate sic erit. Prior vero hæc puritati & affectioni sancti viri potius „ quam divinæ dispositioni adscribens recessit, & cum sociis ad alia lo- „ ca servorum Dei Vicentiam & usque Veronam visitationis, ut dixi, „ causa pervenit. Dumque Veronæ in monasterio sancti Leonardi cano- „ nicorum regularium & devotissimorum servorum Dei persisteret, su- „ pervenit nuntius cum literis nonnullorum cardinalium significantibus „ priorem ipsum sancti Georgii ad abbatiam sancti Cypriani de Muria- „ no per mortem abbatis vacantem fore promotum. Datæ etiam fue- „ runt literæ, qualiter reverendissimus pater dominus cardinalis Bononien- „ sis, cui per felicis recordationis dominum Gregorium papam XII. di- „ vina dispensatione ipsum monasterium fuerat commendatum, miseriæ „ & desolationi ipsius monasterii compatiens, perpetuitate tituli abba- „ tialis & ordine monachorum Nigrorum in eodem exstinctis, sub an- „ nuali abbate & albi coloris habitu ordinis devotissimorum monacho- „ rum Montis-oliveti per eumdem ordinem perpetuo gubernandum cum „ literis apostolicis sæpe dictum monasterium sanctæ Justinæ tradidit & „ donavit. “ De monachis Olivetanis ibidem ab apostolica sede designa- tis & inductis videatur etiam Secundus Lancellottus abbas in sua histo- ria ejus congregationis. Sed narrationem Ludovici prosequamur. ANN. CHR. 1408.

„ Et jam primus abbas cum multis monachis ejusdem ordinis posses- „ siones dicti monasterii adeptus erat. Prior autem hæc animadvertens „ diligenter, ait astantibus. Vere pater noster dominus presbyter Mar- „ cus hac vice inaniter prophetavit. Completis autem visitationibus ser- „ vorum Dei rediens, iterum descendit cum sociis apud præfatum vi- „ rum Dei presbyterum Marcum, & dum in limine portæ hortuli sui „ ipse prior cum eodem sancto viro confabulando adsisteret, ait ad il- „ lum. Oh pater mi! vere hac vice affectio decepit vos. Nam etsi de „ reformatione monasterii sanctæ Justinæ notitiam per revelationem San- „ ctorum habuistis, modus nihilominus vobis non extitit revelatus, sed „ ex affectione potius, quam ex veritate non bene cognita Dei ministe- „ rium mihi attribuere voluistis. Dissolvite nunc hæc duo vincula, ut

Ann. Chr. 1408.

„ sitis verax. Ego enim promotus sum ad abbatiam sancti Cypriani, & ecce „ litera. Monasterium vero sanctæ Justinæ, quod fortius est, translatum „ est ad sacrum ordinem Montis-oliveti, qui ordo nunquam amittere po- „ test loca, quæ sibi canonice vendicarunt, ita quod impossibile est id, „ quod mihi dixistis, scilicet, quod Deus elegerat me ad reformationem „ illius loci. O mira res, o fidei constantia servi Dei! His a priore di- „ ctis vir sanctus nullum responsum dedit, sed fremens spiritu in seipso, „ relicto priore in porta, hortum cœpit velocissimo circuire progressu, „ & suspirans sæpe ter ipsum circuivit hortum. Tandem firmans se ver- „ sus priorem, ejus manus in suas perstringens, fervens in se alta voce „ dixit: In veritate, in veritate, fili, erit omnino, sicut dixi. Prior au- „ tem admirans constantiam sancti viri, fidem ejus sua infidelitate nihi- „ lominus modicum existimavit, & licentia a sancto viro cum benedi- „ ctione accepta, Venetias est reversus. Ceterum cum prior ipse status „ mutationem non appeteret, nonnullis etiam de causis justis abbatiam „ sancti Cypriani, ad quam promotus erat, illico refutavit. Ecce vin- „ culum unum disruptum.

„ Postquam monachi Montis-oliveti possessionem, ut dixi, monasterii „ sanctæ Justinæ fuere adepti, tres antiqui monachi ipsius monasterii „ ægre ferentes nimirum, quod eorum monasterium talem ac tantam „ mutationem fecisset, practicam cum civibus Patavinis assidue inierunt, „ itaut catervatim quamplures de civibus Venetiarum dominium, quod „ de recenti ipsam civitatem Paduæ, dejectis captis dominis de Carra- „ ria, adquisivit, adierunt, conquerentes, quod tam sollemne mona- „ sterium contra intentionem eorum, qui illud in statu monachorum „ Nigrorum fundaverant, ad album sub annuali abbati deductum esset. „ Dominium autem volens suis civibus complacere, suis rectoribus Pa- „ duæ mandavit, ut dictis fratribus Montis-oliveti amotis per antiquos „ & de cetero per Nigros monachos juxta ipsius monasterii antiquissi- „ mam intentionem gubernandum defenderent, & sic per omnia secu- „ tum est.

„ Quod cum ad notitiam summi pontificis, & ipsius domini cardina- „ lis Bononiensis commendatarii pervenisset, cogitare cœperunt de præ- „ ficiendo ibi abbate. Et præmissis pluribus tractatibus, tamdem median- „ te reverendissimo domino cardinale Senense, nunc divina clementia pa- „ pa, in vigilia beati Thomæ de mense decembri anno Domini M. CCCC. „ VIII. dominus papa Gregorius cum omnium cardinalium assensu, re- „ vocatis omnibus concessionibus ordini Montis-oliveti factis, præfatum „ priorem sancti Georgii in abbatem sanctæ Justinæ promovit. Et ante- „ quam hujusmodi promotio ad ejus notitiam pervenisset, vocatus est a „ venerando abbate sancti Michaelis de Muriano, qui extiterat præsens „ in aula, & huic faverat promotioni. Quam cum priori intimasset, „ tum quia, ut dixi, in suo loco sancti Georgii persistendi firmaverat „ propositum, tum propter certa gravamina, quæ illi monasterio incum- „ bere cernebat, huic promotioni præbere nullatenus volebat assensum. „ Et cum pluribus diebus præfatus abbas insisteret, ut acceptaret, illius „ mentem flectere nequibat. Mira res! sicut servi Dei unanimiter con- „ suluerunt renuntiationem abbatiæ sancti Cypriani, sic omnes, uno ex- „ cepto, instabant pro acceptatione monasterii sanctæ Justinæ. Nec sic „ adhuc ad acceptandum prior præfatus flecti poterat illius unici servi „ Dei, qui dominus Marinus Quirino dicebatur, prudenti secundum hu- „ manum judicium fretus consilio. Ajebat ille: Tu prior juvenis es, no-

„ vus

„ vus in via Dei (currebant enim tunc anni quinque a sua professio- „ ne) tu non tanta refulges sanctitate, qua possis exemplo singulari homines ad conversionem trahere. Ordo monachorum Nigrorum in tota „ Italia pene collapsus est; monachi non sunt; monasterium est infame „ propter malam præteritorum, ut dixi, vitam. Quis ergo unquam sequetur te? Et si monachos tuæ bonæ voluntati conformes non habueris, „ solos autem seculares sacerdotes & clericos, quid ages? qualis efficieris? Dubito, quod hæc promotio magnus sit laqueus tuis paratus pedibus, quo ad primum fastum prælationis, quem sic exemplariter abnegasti, tædio victus pervenias. Sed pius & misericors Deus &c. " Narrat auctor subinde adventum ad seipsum (Ludovicum) duorum juvenum, qui sub ejus ductibus proficere cupiebant; iter suum ad Romanam curiam tunc Arimini degentem, acceptationem factam abbatiæ in curia, reversionem in urbem Venetam, & prædictionem cujusdam sanctimonialis inclusæ monasterii Corporis-Christi Venetiarum, quod erat tunc recens constructum, & in quo refulgebant vitæ exemplaritate, & cœlestium donorum contemplatione & fruitione insignes sanctimoniales. Possessionem autem monasterii sanctæ Justinæ acceptam a Ludovico sub anno sequenti referemus.

Ann. Chr. 1408.

XXXIV. Unio prioratus S. Johannis de Cella cum eremo Camaldulensi.

Ex urbe Lucensi kalendis martii pontificatus sui anno secundo idem Romanus pontifex Gregorius XII. petitione Andreæ prioris generalis Camaldulensis & Benvenuti abbatis sancti Petri ad Vincula territorii Ravennatis adjunxit eremo Camaldulensi prioratum sancti Johannis-baptistæ Cellæ, sive inter Ambas-paras, qui erat immediate apostolicæ sedi subjectus, & in quo, licet foret ordinis Camaldulensis, per viginti annos non residebant monachi, nec prior, qui ipsos regeret, permittens, ut Camaldulensis eremus possessionem ipsius iniret, & perpetuo retineret. De monasterio sancti Petri ad Vincula hæc refert ad hunc annum Rubeus [a]. „ Frequens Ravennæ per id temporis erat, fueratque, ut quibus olim in templis multis sacerdotes sacrificia Deo facerent, ad unum „ res devenisset, hincque, & divi Petri ad Vincula abbatem, quem sub „ id tempus Opizonis Polentani studio Desiderius Spretus senior Johannis „ filius ædis Ursianæ canonicus deinde gessit, & divi Zachariæ archipresbyterum & canonicum sanctæ Agnetis, quem postea abbatem appellatum in vetustis legi Ursianæ bibliothecæ monumentis, & pleraque „ hujusmodi postea fuisse non ignoramus. "

[a] Lib. VII. pag. 601.

XXXV. Monasterium Carcerum datum Camaldulensibus.

Alterius insignis monasterii accessione gavisus est Andreas prior generalis Camaldulensis, antequam supremum hoc anno obiret diem. Ipsum fuit cœnobium sanctæ Mariæ ad Carceres territorii Patavini, quod duodecimo kalendas martii dimisit Angelus Summaripa tituli sanctæ Pudentianæ presbyter cardinalis, & cum cœnobium ex dispensatione apostolicæ sedis obtineret, illud resignavit in manibus Romani pontificis Gregorii XII. Eatenus monasterium Carcerum rectum fuerat a canonicis regularibus Portuensibus profitentibus regulam sancti Augustini, sed valde imminuta canonica disciplina, reformatione in primis indigebat. In memoriis mss. Venturæ Veneti monachi sancti Michaelis de Muriano legitur „ hoc anno M. CCCC. VII. (intelligit scriptor de anno ab Incarnatione more Veneto, hoc est anno M. CCCC. VIII.) die octava martii, hoc die venit abbas monasterii sancti Michaelis de Muriano de „ Venetiis in hoc monasterio sanctæ Mariæ de Carceribus ad possidendum pro parte papæ Gregorii XII. qui transtulit prædictum monasterium de ordine sancti Augustini ad ordinem Camaldulensem ju-

„ ste

Ann. Chr. 1408.

„ ste & sancte, quia non erat in eo, qui officia divina perageret. Erant „ enim tres fratres, unus sacerdos, & alter diaconus, qui quotidie cum „ canibus & nisibus sive nisis & sparbetis cum equis discurrebant per „ campos & villas, tertius vero laborabat cum aratro, sicut secularis, „ quod minus erat peccatum. " Quare Gregorius XII. petitionibus etiam ipsius cardinalis ipsum prioratum transtulit ex ordine sancti Augustini ad præfatum ordinem Camaldulensem, perpetuo eximens ab omni jurisdictione superiorum dicti ordinis sancti Augustini, decernens, ut de cetero per monachum Camaldulensem, qui prioris officio fungeretur, regi deberet. Si canonici ibidem existentes cuperent habitum Camaldulensem recipere, facultatem fecit priori Camaldulensi hujus monasterii eos ad habitum recipiendi, & regularem ipsorum professionem acceptandi; sin vero in canonicali habitu permanere constituerent, voluit, ut providerentur ex redditibus ejusdem monasterii. Insuper permisit conventui Camaldulensis ejusdem loci, ut ad triginta annos fas monachis foret novum sibi priorem sufficere, cum monasterium priore vacaret; elapsis autem triginta annis confirmatio ipsorum priorum devolveretur ad priorem generalem, regereturque monasterium juxta sanctiora instituta ordinis Camaldulensis. Datum Lucæ pontificatus sui anno secundo XII. kalendas martii. Ipsa die mandavit Gabrieli nepoti suo, electo tunc Senensi episcopo, sed adhuc priori monasterii sancti Georgii in Alga Castellanæ diœcesis & Petro Mauroceno canonico Tarvisino, ut in prioratus dicti possessionem immitteret Jacobum Thomæ Rizo de Venetiis (alibi dicitur de Parentio) Camaldulensem monachum a se electum in primum præfati monasterii priorem, quem etiam in hocce officium postulaverat supra nominatus cardinalis Angelus, cui pariter Jacobo tertia bulla electionis suæ syngrapham misit. Die tertia aprilis ipse cardinalis confessus est se habuisse a Jacobo Thomæ Rizo priore ejusdem monasterii, & a Paulo Venerio abbate sancti Michaelis de Muriano Florenos quingentos auri pro completa solutione anni præsentis incepti anno præterito in festo Nativitatis domini nostri Jesu-christi, & finituri in festo ejusdem Nativitatis anni præsentis. Actum Lucæ. Demum idem Romanus pontifex Gregorius octavo idus aprilis mandavit Nicolao Dandulo de Venetiis canonico Mothonensi, ut revocare curaret omnia bona alienata ejusdem monasterii temporibus anteactis, juxta petitionem Jacobi Rizo prioris & conventus cœnobii sanctæ Mariæ ad Carceres Camaldulensis ordinis ab eremo Camaldulensi dependentis, & per monachos ipsius eremi gubernari consueti. Paginas omnes ex tabulario dicti loci, asservatas nunc in altero sancti Michaelis de Muriano, ad Appendicem amandamus. Superius laudatus Ventura Venetus in suis mss. memoriis subdit: „ Nota, dictum papam Gregorium „ XII. ad instantiam reverendi patris domni Pauli Venerii abbatis sancti „ Michaelis dedisse eam abbatiam ordini Camaldulensi pro subventione „ sancti Michaelis, quæ deberet omni anno sancto Michaeli ducatos au„ ri quingentos, qui solebant dari cardinali. Et hoc factum est median„ te bulla pecudinea; & dixisse domnum Petrum Boldù abbatem Carce„ rum domno Petro Delphino generali, monasterium sancti Michaelis „ creditum habere ab abbatia Carcerum ducatorum quindecim millium „ ob triginta annos, quibus excurrerat dicta pensio, ut apparet ex libro „ quodam dicti abbatis. " Angelus a Summaripa dictus etiam de Anna, monachus Camaldulensis, ut communiter tradunt scriptores omnes vitarum S. R. E. cardinalium, Neapolitanus, vel etiam Laudensis, ut vult Defendens Lodius, ab Urbano VI. diaconus cardinalis sanctæ Luciæ in Se-

pti

ptisolio creatus, deinde presbyter tituli sanctæ Pudentianæ a Bonifacio IX. electus, cardinalatu spoliatus a Gregorio XII. anno sequenti 1409., inde restitutus a Johanne XXIII. qui etiam ad episcopatum Prænestinum ipsum promovit, longævus & sacri collegii decanus supremum diem obiit anno 1428. ex sepulcrali inscriptione in ecclesia sanctæ Mariæ de Portanova Neapolis. De ipso habet præfatus Ventura: „ Ob suam temeritatem privatus fuit pileo, & beneficiis a papa Gregorio XII. " Revocatum est in dubium, [a] ait Fortunius, „ post Gregorii XII. depositionem, utrum pensio cardinali solvi deberet, simul utrum unio Carcerum esset valida, suspensaque interim pensione, nova pensio monasterio Corporis-Christi Venetiarum decreta. Sed consultis jurisconsultis eximiis responsum & judicatum est pontificis gesta esse validissima, causamque Carcerum & cardinalis decretis synodi Constantiæ foveri, quibus pontificum gesta usque ad renuntiationem confirmantur omnia. Porro cum sic judicatum esset, pensio rursus illi ad rationem Florenorum 225. annua constituta est, extincta illa, quæ monasterio Corporis-Christi fuerat destinata. " Reliqua Fortunii de Angelo cardinale, quæ exscripsit ex Panvinio, corrigenda. Defendens Lodius cardinalem Angelum in duos partitur, quorum alterum de Anna dictum, alterum vero de Summaripa scribit; constat tamen unum eumdemque cardinalem fuisse, Neapolitanum ortu, Laudensem origine, de Anna, & de Summaripa appellatum.

Ann. Chr. 1408.

a *P. II. lib. IV. cap. IV.*

XXXVI. Res aliquot monasteriorum.

Ex statutis Fabriani pagina 81. Johannes episcopus Camerinensis univit ecclesias & monasteria sancti Marci & sanctæ Agnetis parthenoni sancti Sebastiani de Fabriano, quod seculo sequenti suscepit instituta Camaldulensia.

Pariter ex chartis [b] monasterii sanctæ Mariæ in Gradibus, sive abbatiæ sanctæ Mariæ de Agnano diœcesis Arretinæ moniales Montis-calbi prope civitatem Arretii vendiderunt eremo Camaldulensi domum quamdam de mandato Franciscæ Bindi de Catenaria earum abbatissæ.

b *Num. 635.*

Ad hunc circiter annum Baroncinius in suo chronico refert appulsum Hieronymi Pragensis ad eremum Camaldulensem. Narrato enim, quod dux Lithuaniæ Witoldus gentis suæ, præsertim feminarum, excitatos tumultus pro patria religione pertimescens jusserit Hieronymum solum vertere, subdit ipsum Hieronymum sociato secum Nicolao Michaelis homine Polono, & peragratis locis quamplurimis, tandem ad sacram eremum Camaldulensem in Apennino Thusciæ monte constitisse, vitam eremiticam sectaturum cum socio. Certe id contigit ante annum 1413. quo Hieronymus assumptus est Major eremi, & frater Nicolaus ejus socius Polonus conversus deputatus est procurator & sindicus ad lites; charta rogata manu Johannis Tedeschi notarii.

Ann. Chr. 1409.

XXXVII. Ludovicus Barbus possessionem init abbatiæ S. Justinæ de Patavio.

LUDOVICUS Barbus abbatia sanctæ Justinæ post plura hinc inde consilia tamdem recepta „ ad capiendam possessionem monasterii in die sanctæ Julianæ virginis & martyris decimo-sexto mensis februarii a nativitate Domini anno M. CCCC. IX. cum servis Dei & viro sancto presbytero Marco processit. Et Missa sollemniter celebrata cum ipsis servis Dei, & Christi pauperibus refectione corporis sumpta, prædictus vir sanctus (presbyter Marcus) incredibili alacritate perfusus, manum abbatis eo per omnia modo, quo in ostio horti sui fecerat inter suas complectens dixit. In veritate, fili, & in veritate tu es hic. Quibus gestu & verbis abbas recolens verba prophetiæ viri sancti, quasi expergefactus, præ admiratione accensus, quam nutu Dei obli-

ANN. CHR. 1409.

„ vioni tradiderat, cum lacrymis illius sancti patris pedibus provolutus, „ nihil aliud dicere potuit, quam: Pater ora pro me. Et ex illa hora „ magna spe expectabat hujus sanctæ religionis initium a Deo miro & „ sibi incognito modo parari, cum neque ex sufficientia sua, neque ex „ loci dispositione sperare poterat bonum aliquod in illo monasterio fie- „ ri posse. " Describitur deinde deformitas situs monasterii, recessus aliquot eorum, qui ei stimulos addiderant ad abbatiam suscipiendam, & demum initium disciplinæ monasticæ ibidem introductæ his verbis: „ Re- „ manserat abbas cum tribus monachis monasterii, qui benigne præmo- „ niti ab eo, expropriati rebus omnibus regulari observantiæ se sponte „ submiserant, cum duobus monachis albis prædicti abbatis sancti Michae- „ lis de Muriano, & duobus clericis de sancto Georgio in Alga, & „ sicut poterat observantiam regularem in omnibus ordinavit. Quam „ conservare tanto ei difficilius erat, quanto contra moralia Scripturæ „ monita cum hominibus diversarum professionum, quin immo & cum „ secularibus sacerdotibus & clericis ad satisfaciendum populo associatus, „ ipsam observantiam magno cum studio tenere cogebatur, & continua „ vigilantia conservare. Et sic quoscumque ad se venientes eremitas & „ monachos recolligebat, ut vel saltem decor futuræ veræ religionis ad „ alliciendas animas exterius appareret. " Cetera pertinent ad ipsam institutionem novæ congregationis, quæ non sunt nostri instituti, & fuse describuntur ab ipso piissimo fundatore & scriptore apud Pezium in Thesauro Anecdotorum Tomo II. parte III. columna 280. Sed superiora exscripsimus, quæ declarant, quantam partem pro reformando sanctæ Justinæ monasterio, & ad instituendam novam monachorum societatem habuerint tum Marcus presbyter & rector ecclesiæ sancti Michaelis de Patavio, tum Paulus Venerius abbas sancti Michaelis de Muriano, tum demum monachi ejusdem monasterii sancti Michaelis assumpti in partem initæ reformationis, & quam uterque tam Marcus, quam Venerius solliciti fuerint, ut persuaderent Ludovico Barbo susceptionem ejusdem sanctæ Justinæ abbatiæ. De Marco illud addimus, egregie admodum cum ipso a Deo factum, ut eodem anno viderit reformationem & monasticam disciplinam introductam in duo celebria Patavina monasteria sanctæ Justinæ, & sanctæ Mariæ ad Carceres, erga unum quorum maxima afficiebatur devotione, alterius vero membrum erat ecclesia, quam regebat. Marci nomen habent Scardeonius & Cavaccius. Hic postremus civem Patavinum fuisse scribit, & beati aliquando titulo donat. In nostra pagina unionis sanctæ Mariæ de Mandria cum monasterio sancti Michaelis de Muriano appellatur Marcus de Clesio.

XXXVIII. Paulus Venerius reformator monasteriorum dominii Veneti.

HOC eodem anno majus consilium Rogatorum urbis Venetiarum Paulo Venerio abbati sancti Michaelis, & duobus nobilibus patriciis ad hoc eligendis commendavit restaurationem & reformationem monasteriorum ducatus Venetiarum sequenti decreto, quod semel impressum in ecclesiis Torcellanis [a] iterum edimus in his Annalibus nostris. M. CCCC. VIII. XXIV. februarii in majori consilio, more scilicet Veneto, hoc est anno M. CCCC. IX. „ Cum alias, ut provideretur reparationi & reformationi „ monasteriorum ducatus Venetiarum obtentæ fuerint literæ a sanctissimo „ patre domino papa, per quas committebat domino abbati sancti Mi- „ chaelis de Muriano, ut ipse cum duobus electis nobilibus per nostra „ consilia haberet providere de reparationibus & reformationibus dicto- „ rum monasteriorum cum plena potestate & arbitrio, ut in dictis lite- „ ris continetur. Et alias per consilium Rogatorum fuerint electi nobiles

a T. III. pag. 57.

„ les viri ser Antonius Bollani & ser Johannes Delphino, qui super hoc „ fecerunt aliquas provisiones. Et opportunum sit, quod tales reforma- „ tiones & reparationes fiant cum effectu, ideo vadit pars, quod in isto „ concilio per duas manus electionum & per aliam inter dominos consi- „ liarios & capita de XL. eligantur duo nobiles, qui habeant pro quo- „ libet libras duodecim grossorum in anno de bonis dictorum monaste- „ riorum pro suo salario, & unum notarium, qui sibi per Dominium „ deputabitur, cum salario condecenti similiter de bonis dictorum mona- „ steriorum, & habeant unum locum deputatum, in quo stare debeant „ secundum morem aliorum officiorum, nisi aliis occupationibus sui offi- „ cii fuerint alibi impediti. Et habeant prædicti nobiles simul cum præ- „ dicto domino abbate sancti Michaelis, seu altero, qui deputaretur loco „ dicti domini abbatis, primo dimissis administrationibus bonorum dicto- „ rum monasteriorum in manibus suorum prælatorum, providere circa re- „ parationes & reformationes monasteriorum prædictorum, non intelli- „ gendo de monasteriis monialium, nec de ordinibus sancti Johannis de „ Templo Jerosolymitani, & fratrum Alemannorum sanctæ Trinitatis de „ Venetiis, præcipiendo prælatis vel aliis administratoribus, quod secun- „ dum suas provisiones debeant mandare executioni; quod si non fece- „ rint infra tempus per præfatos officiales assignatum, neque causam le- „ gitimam ad eorum excusationem allegaverint, & probaverint, tunc di- „ cti officiales possint in prædicto domino abbate vel deputando loco ejus „ intromittere tantum de bonis vel redditibus illius monasterii, cujus „ prælatus non fuerit obediens, quantum ex ipsis bonis vel redditibus „ possint dictæ provisiones executioni mandari. Faciendo semper & exe- „ quendo secundum arbitrium & potestatem eis concessam per sanctissi- „ mum dominum papam, ut in dictis suis literis continetur. Et duret „ officium prædictorum per duos annos continuos a die suæ acceptatio- „ nis seu ingressus officii. Et finitis duobus annis, si opus fuerit, fient „ novæ electiones, in quibus possint eligi, qui hoc tempore fuerunt. „ Pars suprascripta posita fuit per dominum ducem & per quatuor con- „ siliarios, videlicet ser Antonius Bembo miles, ser Vitus de Canalis, „ ser Johannes Mauroceno, ser Fantinus Dandulo. | Ann. Chr. 1409.

„ Aliam vero partem posuit ser Petrus Venerio consiliarius. Vult pro „ honore Dei, & ut possit melius provideri ad reparationem ecclesia- „ rum & monasteriorum, & ad cultum divinum & ad alia necessaria, „ quod omnes denarii, res & bona intromissa per dominum abbatem „ sancti Michaelis & supradictos duos nostros nobiles, & quæ reperiun- „ tur in manibus eorum, & omnes rationes & alia facta & ordinata per „ eos pro dictis monasteriis & ecclesiis consignentur supradicto domino ab- „ bati, & istis duobus nostris nobilibus eligendis pro faciendo fieri & exe- „ quendo, quæ fuerint opportuna & necessaria pro monasteriis & eccle- „ siis, ut dictum est; in omnibus autem aliis contentis in parte supra- „ scripta fiat, & observetur secundum formam & continentiam ejus. “

XXXIX. Expensæ ejusdem Venerii pro monasterio Carcerum.

IDEM Paulus Venerius, ut vidimus anno præcedenti, auctor præcipuus fuerat, ut ordini Camaldulensi adjungeretur monasterium sanctæ Mariæ ad Carceres. Ducentos ducatos auri expenderat pro impetratione literarum apostolicarum, quingentos numeraverat pro solutione primæ pensionis Angelo cardinali, alios ducentos pro servitio communi domini papæ, tercentos in sustentatione monachorum ejusdem cœnobii, quod insuper providerat de Missalibus, calicibus, vestibus sacris & aliis, quæ ad ecclesiæ & monasterii necessitatem faciebant, quæ omnia summam conficiebant ducatorum

ANN. CHR. 1409. mille nongentorum & quinque auri. Tamquam sindicus itaque monasterii sancti Michaelis expetiit cautionem & fidem sibi fieri publicam a Jacobo priore & a conventu monasterii Carcerum, & insuper exhibuit eidem Jacobo processum confectum eo super negotio a Ludovico Barbo abbate sanctæ Justinæ, qui executor fuerat literarum apostolicarum, & mandaverat eidem Jacobo ad tres annos pensionem quadringentorum ducatorum auri, & post tres annos summam quingentorum de fructibus dicti monasterii solvendam præfato sancti Michaelis abbati. Ludovicus Barbo executor literarum se signat sigillo, quo utebatur, quando præerat monasterio sancti Georgii in Alga.

XL. Electio Benedicti de Rosellis in abbatem Classensem.

AMOTO per Honuphrium priorem generalem ordinis Johanne Foroliviense abbate sancti Apollinaris in Classe, locum ipsius implevit hoc anno Benedictus de Roizellis sive de Rosellis Arretinus. Historiam electionis hujus habemus in continuatione vitarum archiepiscoporum Ravennatum post Agnelli pontificale, quam scripsit Paulus Scordilli decretorum doctor, & præpositus almæ ecclesiæ Ravennatis dictæ Anastasis [a]. Cum enim missus esset Ariminum ad Gregorium XII. Romanum pontificem Johannes de Resellis vel Rosellis doctor decretorum & Benedicti pater tamquam procurator pro confirmatione ejusdem Pauli Scordilli in archiepiscopum Ravennatem, quam rogatu Opizonis de Polenta fecerat clerus & populus ejus urbis primo post archiepiscopum Cosmatum, secunda autem vice post Johannem Sulmonensem commendatarium Ravennatis ecclesiæ, electum autem cardinalem, Johannes rem principalem negligens, & memor illius: *Agris propriis sitientibus alieni irrigandi non sunt*, abbatiam monasterii Classensis pro Benedicto filio a Romano pontifice postulavit & impetravit. Plures ex familia patricia Arretina Rosellia inclaruere legum peritia insignes viri, cujus non semel fecimus, faciemusque mentionem in his Annalibus.

a T. II, pag. 135.

XLI. Abbates Camaldulenses, qui interfuerunt concilio Pisano.

CELEBRATUM fuit hoc anno contra duos Romanos pontifices Benedictum XIII. & Gregorium XII. de pontificia tiara contendentes concilium in urbe Pisana inchoatum die XXV. martii. Depositus fuit in ipso uterque, & substitutus ipsorum loco Petrus Philargius Græcus, qui nomen assumpsit Alexandri V. Convenerunt ad eam urbem præter S. R. E. cardinales & episcopos plurimi abbates, inter quos plerique ex ordine Camaldulensi. Referuntur ipsorum nomina in Ughellii Italia sacra in archiepiscopis Pisanis [b] ex codice Felicis Contelorii, in Dacherii [c] Spicilegio ex tribus Gemeticensis bibliothecæ codicibus, in Labbæi conciliis [d], sed ita vitiata & deturpata, ut operæ pretium sit eorum & monasteriorum ipsorum genuina nomina restituere. Fuerunt igitur Honuphrius abbas generalis Camaldulensis pro se, & XLI. abbatibus & LXX. prioribus dicti ordinis, Johannes abbas sanctæ Mariæ de Agnano, Antonius abbas sancti Michaelis de Burgo Pisarum, Sebastianus abbas sancti Salvatoris de Florentia, Laurentius abbas sancti Petri de Cerreto, Gregorius abbas sancti Salvatoris de Silva-munda, Jacobus abbas sancti Stephani de Cintorio, Mamilianus abbas sancti Frigdiani de Pisis, Andreas abbas sancti Bartholomæi de Anglario, Bartholomæus abbas sancti Bartholomæi de sancta Jucunda, Franciscus prior monasterii de Poplena, Johannes prior sanctæ Mariæ de Serra, Bernardus abbas sancti Justi de Volaterris per procuratorem, Johannes abbas sancti Ægidii de Campriano. Ex San-dionysiani monachi historia affert Dacherius, „ adveniente die vigesima-„ quinta martii, ad quam diem erat dictum concilium convocatum apud „ Pisas, fuisse factam processionem per cardinales & prælatos revestitos,

b T. III. col. 465.
c T. I. col. 855.
d T. XV. col. 1236.

„ ac

„ ac alios, qui ad dictum concilium convenerant, de sancto Michaele, „ ubi est quædam abbatia monachorum, Camaldulensis nimirum], usque „ ad ecclesiam cathedralem. " Similiter in actis præcedentibus ejusdem concilii apud eumdem Dacherium, „ octava die maji in ecclesia sancti „ Michaelis, quia tunc celebrabatur festum apparitionis ejusdem archan- „ geli, præsentes fuerunt in concilio cardinales, Missamque celebravit do- „ minus patriarcha Alexandrinus &c. " ANN. CHR. 1409.

XLII. Alexandri V. confirmatio privilegiorum Camaldulensium.

ELECTO Romano pontifici Alexandro V. obtulit Honuphrius abbas & prior generalis Camaldulensis privilegia congregationis, & illud potissimum Alexandri IV. anni 1258. ut ea confirmationis robore munire dignaretur. Confirmavit omnia privilegia Alexander V. die vigesima-tertia augusti pontificatus anno primo ex Pisis, cujus bullam ex tabulario Fontis-boni in Appendicem rejicimus.

Pertinet ad hunc annum epistola Ambrosii [a] ad Sebastianum Dardanum abbatem sancti Salvatoris Camalduli-Florentini, suique amicissimum, cum in ipsa nominet Honuphrium, olim abbatem ejusdem monasterii, tunc vero abbatem generalem, qui obiit anno sequenti. Porro in ea Ambrosius vult, ut Sebastianus provideat tum conscientiæ, tum famæ suæ, solvendo quamdam pecuniæ summam, quam debebat pro prædiis emptis ab eremo Camaldulensi in utilitatem sui monasterii.

a *Lib. XVII. ep. 1.*

Johannes abbas Agnani elegit rectorem in ecclesia sanctorum Fabiani & Sebastiani de Castillione-Alberti Vallis-ambræ ex tabulario dicti loci [b].

b *Num. 636.*

Monasteria sancti Mamiliani Senarum & sancti Georgii de Apibus simul unita die XVIII. februarii hujus anni elegerunt procuratores ad expetendam & confirmandam dictam unionem, consentientibus Vangelista sancti Mamiliani, & Lisa sancti Georgii abbatissis. Utrumque monasterium exinde nomen retinuit sancti Mamiliani.

Obiit hoc anno Antonius de Butrio legum cognitione doctissimus, qui aliquando interfuit comitiis monasterii sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia. Sepulcralem ipsius inscriptionem affert Lancellottus [c] in historia congregationis Montis-oliveti.

c *Pag. 35.*

ANN. CHR. 1410.

XLIII. Petrus Sardus monachum induit in monasterio S. Michaelis de Muriano.

VENIT ad hunc annum in monasterium sancti Michaelis de Muriano Venetiarum Petrus de Massalenis ex Sardinia insula, schema monasticum in eo loco recepturus, in quo post quadraginta & tres annos vitæ sanctissime juxta instituta Camaldulensia exactæ virtutibus & miraculis plenus obdormivit in Domino die vigesima decembris anni 1453. Ipsius vitam simplici admodum stilo conscripsit Maurus Lapi ex Carmelita Camaldulensis item eremita & monachus, qui duobus annis cum Petro convixit in monasterio sancti Michaelis, reliquos vero monastici instituti duxit in proximo sancti Mathiæ Murianensi cœnobio. Ortus est Petrus circa annum 1375. in antiqua urbe Othoca vel Othana insulæ Sardiniæ, quæ urbs ex scriptoribus Sardis olim episcopatus sub archiepiscopatu Turritano, modo prorsus est excisa, manente dumtaxat sacra æde campestri ab Ampuriensi urbe quindecim mille passibus distante, juxta Baudrandium in Lexico Geographico. Annus ortus Petri præterpropter colligitur fuisse 1375. ex anno, quo promotus fuit ad sacerdotium, qui fuit Domini millesimus quadringentesimus ex sequenti chartula presbyteratus, quem suscepit, quæ asservatur autographa in archivo nostri monasterii.

Noverint universi, quod nos Nicolaus Dei & apostolicæ sedis gratia episcopus Othanensis die & anno infrascriptis in ecclesia cathedrali sancti Nicolai Othanensi generales ordines celebrantes infra Missarum sollemnia secundum

Ann. Chr. 1410.

dum morem & consuetudinem sanctæ Romanæ ecclesiæ Petrum Massal.. nostrum familiarem diaconum sufficientem & idoneum ad sacrum presbyteratus ordinem rite & canonice duximus promovendum, in cujus rei testimonium præsentes literas nostro pontificali sigillo impendenti munitas sibi duximus concedendas. Data Othanæ nostræ diœcesis die sabbati quatuor temporum anno Domini M. CCCC.

Ipsius Petri pater erat Nicolaus ex nobili familia urbis, matris nomen ignoratur, qui cum omni sollicitudine filium educantes, instituendum tradidere Nicolao episcopo Petri patrueli, qui ordines minores & majores ipsi contulit, & sacerdotium eo anno 1400. Sollemnis etenim tunc mos vigebat juxta sancita concilii œcumenici Viennensis, presbyteratum non recipiendi, nisi anno vigesimo-quinto ætatis, ut legitur in Clementina lib. I. titulo VI. cap. 3. *Generalem ecclesiæ observantiam volentes antiquis juribus in hac parte præferri, decernimus, ut alio non obstante impedimento canonico, possit quis libere in decimo-octavo ad subdiaconatus, in vigesimo ad diaconatus, & in vigesimo-quinto ætatis suæ anno ad presbyteratus ordines promoveri*. Ex qua consuetudine conficitur saltem post annum 1375. nativitatem Petri non posse illigari. Sacerdos factus Petrus aliquo tempore turpibus cogitationibus inquinatam mentem, sine tamen actuali peccato, habuit. Verum perpendens laqueos & seculi pericula, pœnitentiæ amore ductus decrevit patriam deserere, ac ad loca sancta peregrinationem instituere. Navim itaque conscendens Venetias appulit, in qua urbe inter cetera loca visitavit monasterium sancti Michaelis de Muriano, quod tunc sub ductibus Pauli Venerii abbatis, monachorum numero, exacta disciplina, virtutibusque florebat. Raptus ille fuit sanctitate loci, raptique fuere monachi visu Petri, qui eis valedicens aperuit pium suum desiderium, quod nutriebat, morandi apud ipsos, post locorum sanctorum visitationem. Accepta benedictione discessit, atque navigatione reassumpta sacra Palestinæ loca invisit, insumptis quinque annis in religiosis peregrinationibus. Quibus elapsis en Petrus denuo Venetias, qui se sistens coram Venerio supplex expetiit indui habitu monastico, quem hoc anno de ejus manibus suscepit, & post probationis curriculum sequenti anno professionem emisit. Cur autem ad hunc annum monasticæ ipsius palestræ initia consignemus, facit auctoritas Mauri Lapi scribentis ipsum defunctum vigesima decembris anni 1453. & capite VII. dicentis Petrum cum aliquo numquam locutum fuisse per illos quadraginta-tres annos, quibus ibi fuit; ab anno 1410. ad annum 1453. conficiuntur quadraginta-tres anni; quare explicandus est ipse Maurus, qui pluribus locis ait, Petrum vixisse *per annos quadraginta & ultra*, neque ad annum 1413. retrahendus est adventus Petri ad monasterium sancti Michaelis, ut facit Fortunius [a].

a *P. II. lib. III. cap.* III.

XLIV. Obeunte Honuphrio Antonius Parmensis fit prior generalis.

Biennalis regiminis nondum expleto tempore immaturo fato decessit hoc anno pridie nonas octobris Honuphrius prior generalis Camaldulensis sepulturæ in eremo traditus. Post ejus obitum indictum fuit generale congregationis capitulum, cujus integra acta producimus in Appendice, & prævalente suffragiorum numero electus est in ejus successorem Antonius a Ferro Parmensis abbas Vangaticiensis, vir præclara eruditione atque dicendi facundia ornatus, qui simul retinuit usque ad annum 1419. abbatiam Vangaticiæ, & gubernium universi ordinis. Sub Antonio „ anno M. CCCC. X. die prima januarii more Florentino, hoc „ est ineunte anno M. CCCC. XI. Bernardus Vieri de Guadagnis vexilli„ fer justitiæ, & priores populi ac communis Florentiæ intelligentes, quod

„ prio-

„ prioratus sancti Johannis-baptistæ de Cella partium Romandiolæ, qui an-
„ te triennium unitus fuerat mensæ eremi Camaldulensis, fuisset per of-
„ ficium magistratus *Impositorum* taxatus in Florenis auri viginti-quinque
„ quolibet anno, pro impositione centum mille Florenorum, ita ut in
„ totum teneretur ad summam Florenorum centum viginti-septem, &
„ solidorum decem & septem, cumque ipse prioratus ad extremam de-
„ venisset pauperiem, ac haberet bona sua in territorio dominorum de
„ Malatestis, qui domino papæ Johanni XXIII. minime obediebant, &
„ fructus dicti prioratus rectori ipsius percipere impediebant, misso inter
„ se *partito* & obtento, deliberaverunt, quod præfatus prioratus hinc ad
„ quatuor dumtaxat annos teneretur, ejusque rector solveret de prædictis
„ impositis Florenos auri decem singulis annis, seu in totum Florenos
„ quadraginta, eximentes ipsum rectorem ab omni residuo; " ut manu Alberti quondam Thomasii Francisci Masii de Florentia notarii & scribæ vexilliferi & priorum exaratur in pagina tabularii Fontis-boni [a].

Ann. Chr. 1410.

a §. *Privilegia* 6. *A.* 5. 1.

Nobilis vir Azzo quondam Francischini de dominis Vallis-bonæ, relictis aliquot latifundiis uxori suæ Cichinæ quondam Nicolai de Magonibus de Foro-livio, cetera omnia bona sua hæreditate legavit eremo Camaldulensi die XXIV. septembris. Actum Foro-livii manu Juliani quondam Petrini de Julianis Foro-popiliensis notarii, ex eodem archivo [b]. Consulatur testamentum, quod ejusdem Azzonis & Lasiæ ipsius matris attulimus ad annum 1363.

b §. *Testamentum* 45. *A.* 5. 2.

XLV. Gregorii XII. & Johannis XXIII. Brevia.

Ex Cajeta tertio kalendas octobris pontificatus sui anno IV. Gregorius papa XII. instituit Anselmum cœnobii sancti Benedicti de Fabriano monachum congregationis sancti Silvestri de Monte-fano in abbatem sancti Blasii ejusdem loci, quod monasterium vacabat post obitum Jacobi abbatis sancti Victoris de Clusis, simulque sancti Blasii. Gregorius exauctoratus in concilio Pisano, peragrata Foro-juliensi provincia, indeque expulsus, in Neapolitanum regnum concesserat. Balthassar autem Cossa cardinalis sancti Eustachii post mortem Alexandri V. quæ contigerat die tertia maji hujus anni, electus fuerat decima-septima ejusdem mensis Romanus pontifex, nomenque assumpserat Johannis XXIII.

Ex hujus postremi pontificis permissione die XXVII. novembris pontificatus anno primo ex castro sancti Petri Bononiensis, Hieronymus Gilius de Florentia monachus sancti Salvatoris ordinis Camaldulensis ac plebanus sanctæ Mariæ de Sobiliana Lucensis diœcesis, & Antonius Jacobi rector sancti Sebastiani Pisarum invicem permutarunt plebanatus, commissionem pontificis exequente abbate sanctæ Trinitatis de Florentia. Breve extat in tabulario Fontis-boni [c].


c §. *Brevia* 49. *A.* 5. 4.

Michael Steno dux Venetiarum die septima aprilis tertia indictione commendavit universis Antonium Blanco priorem sancti Mathiæ de Muriano ad curiam Romanam se conferentem; ex archivo ejusdem monasterii diploma edidit tomo III. suarum ecclesiarum Torcellanarum Cl. senator Flaminius Cornelius [d].

d *Pag.* 144.

Jacobus de Nicolis Florentinus legum doctor subjecit hoc anno vigesima-sexta junii quoddam opus suum *de Emphyteosi* correctioni Johannis de sancto Miniato monachi sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia; ex tabulario ejusdem cœnobii.

ANNA-



ANNALES CAMALDULENSES.

LIBER QUINQUAGESIMUS-NONUS.

Ab anno Christi M. CCCC. XI. *ad annum* M. CCCC. XXIV.

ANN. CHR. 1408. I. Martyrium beati Danielis de Ungrispach, plura de ipsius cultu.



VOLAVIT ad Deum hoc anno in cœnobio sancti Mathiæ de Muriano Daniel de Ungrispach oblatus sive devotus ejusdem loci post fere viginti annos, a quibus ibidem mansionem suam elegerat. Violentam ipsius mortem describit his verbis historicus noster; „ Condito testamento ultima martii anni 1392. quingentisque aureis „ cœnobio sancti Mathiæ legatis, suppellectilem illis defert, & in inferiori parte claustri cubiculum sibi instituit, sed cum rediisset quadam „ die, ut fertur, a negotiatione sua, arbitrati sunt quidam latrones, „ quod secum pecunias multas ad sancti Mathiæ portasset, quibus se ditari posse existimantes, noctis tempore latenter in ejus cubiculum ingrediuntur, Danielem capiunt, gulamque laqueo illi frangunt, & onusti præda discedunt. Mane Danielis interitu comperto, Mathiani fratres corpus exanime exequiarum honoribus præmissis in lapideo sepulcro in facie claustri capituli non sine lacrymis condidere anno 1411. „ Accidit autem longo post tempore defuncto Paulo Donato nobilissimo patritio Veneto, sepulcrum aperiri, ut ipsius Pauli cadaver ibi „ sepeliretur. Ecce autem Danielis corpus intus adest integrum, tamquam vernans rosa suaviter olens, & in nulla sui parte corruptum. „ Quod cum & a congregatione, & a tota Venetia (plurimus enim populus spectaculo interfuit, & subinde numerosior magis multitudo per „ multos dies confluxit) pro miraculo habitum esset, ad insinuandum „ Danielis vitæ sanctitatem, & quommodo a latronibus quasi martyrium „ excepisset, venerabile corpus ad templum multo cum honore delatum „ est, erectaque est beato Danieli ara, ubi coruscantibus miraculis sacrum corpus multa religione populorum usque ad novissimam templi „ amplificationem veneratum fuit, sed tunc destructa ara, nunc asservatur venerabile corpus in capsa lignea. Et nos quoque illud sic incorruptum & vidimus, & pie coluimus, gratias agentes Deo, qui est

„ mi-

„ mirabilis in Sanctis suis, nihilque ambigimus pro magno munere a no- „ stris Camaldulensibus possideri ibi thesaurum adeo pretiosum. " Laurentius Trejus in libro, cui titulus: Sacra monumenta provinciæ Forojulii folio 114. „ Divitiis, ait, in pauperes erogatis, reliquum vitæ suæ „ monachorum acta imitando peregit, & anno Domini 1411. a naucle- „ ris latronibus in cellula suffocatus insontem spiritum Deo reddidit, „ ejusdem cœnobii in ecclesia tumulatus, & annis 49. elapsis, integer „ inventus Beatorum Camaldulensium numero inscriptus est. " Hæc Fortunius & Trejus, ceterique de Daniele agentes; sed ex paginis tabularii ejusdem monasterii sancti Mathiæ certiora depromimus. Testamentum, quod conditum vult Fortunius anno 1392. confectum fuit a Daniele præsenti anno M. CCCC. XI. indictione IV. die XV. mensis septembris, quod etiam in Appendice edimus. Pariter conditum ipsum est in Portu-naonis in domo ejusdem Danielis testatoris; ex quo deducitur, quod ita pro mansione sibi elegerat Daniel monasterium sancti Mathiæ, ut pro voluntatis suæ arbitrio accederet & recederet; præsertim cum hoc ipso anno adhuc uxoratus esset, & in conjugem haberet nobilem & honestam dominam Ursinam filiam circumspecti viri Johannis Marini de Richeriis de Portu-naonis, ex qua susceperat Luciam filiam, uxorem autem Jacobi de Spellatis de Tarvisio. Porro elegit Daniel sepulturam suam in ecclesia sancti Mathiæ, cui præter ceram & codices legavit centum ducatos auri, distinguendos a quingentis *de Imprestitis*, quos donaverat eidem monasterio pro habenda ibidem hospitalitate anno 1392., cetera vero sua omnia legavit uxori & filiæ. Arbitramur itaque Danielem jam ab anno 1392. separationem tori expetiisse, mutuoque consensu obtinuisse ab uxore, nam eo anno „ asseruit velle vivere & mori in dicto sancti Mathiæ monaste- „ rio, in habitu tamen seculari & honesto, & sequi aliqua ex vestigiis „ dictorum monachorum; " superstitem autem fuisse usque ad præsentem annum ipsius uxorem. Ad calcem autographi instrumenti, quod ad annum 1392. protulimus, & continet pacta inter Danielem, & inter monachos sancti Mathiæ, aliena, sed antiqua manu adnotatur, quod sequitur: „ In- „ ventum est corpus ejus in hoc monasterio anno Domini M. CCCC. „ XXXV. de mense januarii integrum, illæsumque, ut omnibus intuenti- „ bus patet, in illa sepultura, ubi nunc est corpus domini Pauli Dona- „ to quondam domini Christophori de contrata sancti Pauli apostoli de „ Venetiis. Obiit autem sub anno Domini M. CCCC. XI. qui feliciter „ claruit de hoc mundo. " Quare non elapsis 49. annis, ut vult Trejus, sed post viginti-quatuor annos inventum est incorruptum beati Danielis corpus. In aliis veteribus monumentis ejusdem monasterii Donatorum sepulcrum effertur conditum anno 1409. eam autem familiam domicilium habuisse in parœcia sanctæ Mariæ Formosæ. Quod postremum concordat cum sepulcrali epigraphe, quæ ad hodiernam diem perseverat ad Donatorum tumulum in ingressu ecclesiæ ad januam minoris claustri: *Sepulcrum nobilis & generosi domini Leonardi Donato honorabilis procuratoris ecclesiæ sancti Marci de confinio sanctæ Mariæ Formosæ & suorum hæredum, qui obiit anno Domini* M. CCCC. XVIII. *die vero* XXX. *mensis julii, cujus anima in pace requiescat.* Res itaque sic contigit. Daniel in Donatorum tumulo humatus fuit anno 1411. Leonardus Donatus sepulturæ traditur primus ex ea familia anno 1418. Paulus Donatus Leonardi hæres tumulatur anno 1435. Hoc anno repertum fuit corpus beati Danielis omnino incorruptum, consumpto ex adverso & a vermibus vorato cadavere Leonardi; quo viso corpus Danielis repositum fuit in capsa, & col-

ANN. CHR. 1411.

Ann. Chr. 1411. & collocatum super altare, in quo requievit usque ad annum 1560. hoc enim anno ex altare deducta fuit capsa in sacrarium, ut commodius perfici posset ecclesiæ novæ ædificatio. Perfecta ecclesiæ constructione capsa denuo ad capellam beatæ Virginis reposita est ab anno 1565. & publicæ venerationi ibidem patuit usque ad annum 1657. quo postremo elaborata cypressina & egregie fabrefacta altera capsa delatum fuit corpus beati viri ex capella sanctæ Virginis ad altare laterale, ubi modo visitur. Hæc nobis constant ex monumentis certis ejusdem monasterii. Sed libet de Daniele subnectere, quæ ex iisdem monasterii monumentis congessit Cl. senator Flaminius Cornelius [a].

[a] P. III. pag. 111.

„ Anno, inquit, M.D.LX. cum ecclesia novo molimine reædificaretur, „ venerabile corpus ab ara, in qua quiescebat, ad sacrarium deductum „ est, ex quo deinde ad novæ ecclesiæ sacellum Deiparæ virgini sacrum „ novimus anno M.D.LXV. fuisse translatum, in quo biennio jacuit (nonaginta-duos annos habent monumenta ejus cœnobii) donec monachorum studio novum ei construeretur altare. Anno itaque M.D.LXVII. „ (M.DC.LVII. die tertia aprilis) cum jam ad lateralem ecclesiæ parietem, qui meridiem respicit, erecta fuisset marmorea ara, ad eam „ sollemni pompa sacrum corpus deportatur, inque nuceo ornatissimo loculo collocatur, cui diligenter elaborando insudaverat beati defuncti „ homonymus Daniel quidam Germanus ejusdem instituti & monasterii „ frater conversus. In eo depositum fuit venerabile beati Danielis cadaver omnis prorsus corruptionis adhuc expers, quo permanente Deus „ omnipotens famuli sui sanctitatem voluit esse testatam. Ad eum colendum visendumque (chrystallis enim a parte anteriori loculus instruitur) frequens est hominum concursus, in festo præsertim sancti „ Mathiæ die, in quo accensis cereis venerabiles exuviæ populi devotioni exponuntur. Nec Muriani tantummodo, sed & in oppido Ungrispach, atque in tota ferme Carinthiæ provincia celebre est Danielis „ nomen, cujus merita apud Deum votivis tabellis ad ejus sepulcrum „ appositis comprobantur. Nec illud silentio prætereundum nonnullos „ olim ex nobili de Ungrispach familia viros consuevisse ad beati viri „ sepulcri quotannis accedere in divi Mathiæ templo, ubi sacramentali „ confessione expiati, sacraque mensa refecti, eadem, qua advecti fuerant, navicula revertebantur ad propria, postquam cordis sui vota Deo „ & beato Danieli obtulissent. Pia hujusce gentis consuetudo cum absque „ masculis omnes obiissent, desiit circa initia seculi XVIII. cujus quidem „ gentis nobilitatem comprobat, quod anno 1488. Thaddæus Gradonico quondam Johannis-baptistæ Magni nuncupati filius filiam Nicolai „ Ungrispach Reginam nomine matrimonio sibi copulavit, ex quo originem duxit Gradonica familia de confinio sanctæ Justinæ. “ Postrema translatio non anno M.D.LXVII. sed M.DC.LVII. die tertia aprilis contigit sub Antonio Martinengo episcopo Torcellano, & Baretio de Baretiis vicario generali episcopi ad altare marmoreum, in quod deposita fuit capsa, supra quam extat inscriptio postremæ consecrationis ecclesiæ sancti Mathiæ peractæ die XX. junii anni M.D.LVI. sub Johanne Delphino Torcellano episcopo.

II. Renovatur arca S. Theobaldi in Vangaticiæ monasterio.

Hoc ipso anno in ecclesia sanctæ Mariæ de Vangaticia aperta fuit arca, in qua requiescebat corpus sancti Theobaldi. In libro tabulis ligneis compacto membranaceo ejusdem monasterii legitur: *Anno a nativitate Domini* M.CCCC.XI. *indictione* IV. *die* XXII. *mensis junii aperta fuit archa altaris, in qua requiescit corpus sancti Theobaldi, & renovata*

ta fuit capsa lignea dictarum reliquiarum , quia per nimiam vetustatem destructa erat , & archa ipsa ruinam proximam minabatur , & die XXV. *dicti mensis iterum reconditæ sunt dictæ reliquiæ in dicta archa in capsa nova , facta etiam sollemni processione cum maxima devotione & frequentatione totius populi terræ hujus , tempore reverendissimi in Christo patris domini domini Antonii de Parma Dei & apostolicæ sedis gratia Camaldulensis ordinis generalis & tunc commendatarii hujus monasterii sanctæ Mariæ de Vangadicia , existentibus monachis & fratribus domno Nicolao de Venetiis priore claustrali dicti monasterii, domno Antonio de Santiliana priore sancti Johannis-baptistæ de Faventia , domno Michaele de Florentia , domno Nicolao de Parma, domno Johanne de Parma, fratre Petro de Senis & aliis. Deo gratias, amen.*

Ann. Chr. 1411.

III. Lites monast. S. Michaelis de Lemmo cum episcopo Parentino.

Ante biennium statuta fuerant confinia jurisdictionis episcopum Parentinum inter, & monasterium sancti Michaelis de Lemmo in Histria a Guidone de Canali jussu dominii Veneti. Cum præsenti anno denuo litem intentasset commune Parentii monasterio sancti Michaelis de Muriano , quod in commendationem habebat illud sancti Michaelis in Histria, incertique essent confines, Paulus Venerio abbas sancti Michaelis de Muriano in mandatis dedit Benedicto a Ragusio priori sancti Michaelis de Lemmo , ut comprommitteret lites in quemdam civem Justinopolitanum appellatum Rogerium de Tarsia; hic die XXIX. augusti sententiam tulit pro communitate Parentina contra abbatiam , eamque magna ex parte nimio arbitrio jurisdictione expoliavit usque ad annum 1418. quo infirmatum fuit hocce compromissum a Consilio Veneto XL. & ad annum 1456. quo reassumpta causa , & rescissis pluribus veteribus sententiis judicatum est ad favorem monasterii sancti Michaelis.

IV. Michael abb. S. Zenonis vicarius generalis congregationis.

Tertio nonas martii apostolatus sui anno quinto Gregorius XII. ex Cajeta Michaelem abbatem sancti Zenonis Pisarum , vicarium generalem ordinis Camaldulensis constituit auctoritate sedis apostolicæ . Ipse die ultima junii feria tertia amoto Ugolino de Ronco abbate sanctorum Hippolyti & Laurentii de Faventia, Masium quondam Peruccii de Magloriis Faventinum monachum dicti monasterii in abbatem & gubernatorem ejusdem abbatiæ elegit , tribuens administrationem in temporalibus & spiritualibus.

V. De abbatibus Pisaurensibus.

Die quinta februarii Hieronymus Abbatis] abbas sanctorum Decentii & Germani de Pisauro testis est renovationis factæ a capitulo canonicorum priori sancti Heracliani; ex sacculo XLV. chartarum archivi capitularis. Hæc familia Pisaurensis nobilissima hoc XV. seculo cognomen Abbatis usurpavit, labente seculo reassumpsit cognomen de Abbatibus, quod usurpaverat seculo XIV. ut se vocabat Johannes pater hujus Hieronymi. Hieronymi successor fuit Ugolinus de Bagnacavallo abbas sive prior monasterii sanctorum Decentii & Germani de Pisauro, qui interfuit synodo Johannis Benedicti episcopi Pisaurensis editæ cum alia anni 1414. Bartholomæi episcopi itidem Pisaurensis . Gregorius prior sanctæ Victoriæ de Sarthiano licentiam obtinet a Blasio episcopo Clusino ædificandi ecclesiam sanctorum apostolorum Simonis & Judæ in parœcia propria; ex archivo Rosæ Senarum.

Ann. Chr. 1412.

VI. De Hieronymo fratre Ambrosii Traversarii.

Convolaverat ante duos annos, Ractii testimonio, ad monasterium sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia Hieronymus Traversarius Ambrosii frater , quatuordecim annos natus , professionemque emiserat anno præterito, proficiebat vero sub Ambrosio fratre non tantum

ANN. CHR. 1412.

tum in humanioribus literis, quantum etiam in picturæ, operis phrygii & musices artificio, & liberalibus artibus. Tempore ejusdem Ractii, quod etiam ante ipsum asseruit Fortunius, cernebantur in sacrario ecclesiæ aliquot ipsius opificia, & inter cetera in pretio erant duo quadrata, quibus exprimebatur Dominica resurrectio, & Deiparæ assumptio. Fratri suo Hieronymo aliquando, & facile paulopost initia suæ conversionis, literas dedit Ambrosius [a], quibus ejus indolem & ingenium laudat, eumque proposito exemplo veterum adhortatur, ut sacrarum literarum studiis profanæ quoque doctrinæ eloquentiæque cultum adjungat, allicitque ad Græcitatis amorem. Suadet, ut conscribendis eleganter libris assuescat, priscam imitando puritatem & suavitatem, totamque epistolam respergit amoris & pietatis in fratrem significationibus. De Hieronymo frequentissima est mentio in epistolis Ambrosii, dignusque fuit, quem plures literati viri laudaverint, vel ipse Philelphus. Trigesimo-sexto ætatis suæ anno immaturus obiit anno 1433. natus proinde anno 1397. vel 1398.

a *Lib. XI. ep. XIX.*

VII. Abbatia S. Felicis in Piatea unita congregationi.

IN archivo sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia [b] empta dicitur ab Antonio priore generali Camaldulensi abbatia sancti Felicis in Platea ejusdem urbis. Apud Fortunium legimus Johannem XXIII. hoc anno aggregasse congregationi Camaldulensi dictum cœnobium, suffragante Cosmo Mediceo, quod ab abbatia sancti Silvestri de Nonantula abalienavit, & Camaldulensibus concessit cum decreto, ut abbas ibidem præficiendus in cœnobio Angelorum eligeretur. Electus fuit Simon Matthæi, idem, qui antea titulo prioris idem monasterium regebat. Ex archivo Lucensi [c] idem Romanus pontifex confirmavit pridie nonas novembris pontificatus sui anno tertio mensæ capitulari Lucensi abbatiam sancti Petri de Puteolis ordinis Camaldulensis.

b *Filza* 12. *n.* 39.

c CC. 38.

VIII. Miraculum in ecclesia S Mariæ in Balneo.

HOC anno „ Lazaro Veneto abbate (melius priore) sanctæ Mariæ „ in Balneo rem divinam Missæ faciente, subdubitanteque, ne post conse„ crationem vinum vere in sanguinem Christi translatum fuisset, repen„ te super corporale guttæ rorantis sanguinis cecidere, quales adhuc in „ ipso corporali cernuntur, quod asservatur inter sanctas reliquias, quæ „ plurimæ ibi consistunt. Ipse vero calicem vacuum reperiens, tanta „ mentis confusione affectus est, ut coactus sit incredulitatem suam po„ pulo detegere, & infra paucos dies e vita demigravit. “ Hæc ex monumentis cœnobii Balneensis deprompsit Fortunius parte tertia libro tertio capite vigesimo-tertio, qui putat dignitatem abbatialem longe ante tempora Benedicti abbatis sub Sixto IV. introductam in monasterium Balneense, sed Lazarum, quem abbatem facit, reperimus hoc eodem anno die decima augusti appellatum priorem; ipsa enim die [d] tamquam prior major & ordinarius ecclesiæ sanctæ Mariæ in Balneo consensum præbuit cuidam permutationi factæ a Smiraldo rectore ecclesiæ sancti Petri de burgo sancti Petri in Corzano; ex tabulario Fontis-boni. Appellatur etiam prior ad annum 1406. quo visitatoris munere functus est in monasterio sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia.

d §. *Mandatum.*

Mortuo Hieronymo ædificatori ecclesiæ & monasterii sanctorum Antonii & Hieronymi de Scandalone Florentinæ diœcesis substituitur die octava junii hujus anni Bartholomæus Johannis de Florentia ab Antonio priore generale.

IX. Castrum Montecchii declaratur devolutum eremo Camald.

VAGIUS & Donatus quondam Bernardini Angeli de Montecchio renuntiavere die quinta octobris omnibus juribus, quæ sibi vindicabant in bonis Montecchii, quæ pervenerant ad Michaelem monachum filium & hæredem Antonii Vagii, & consequenter ad eremum Camaldulensem, cum

qua

qua contentiosum litium funem traxerant ab anno 1400. Compromiserunt itaque in Hieronymum Gilii decretorum doctorem, & vicarium prioris generalis Antonii, ac in Angelum Majorem eremi, qui eodem die supradictis Vagio & Donato concesserunt in emphyteusim omnia Montecchii bona, eorumque filiis masculis tantum sub annuo canone. Actum in Fonte-bono [a] manu Mercadantis notarii & cancellarii prioris Camaldulensis. Bona autem Montecchii ita describuntur: „ Castrum Montecchii „ pene destructum, cum omnibus terris, & ædificiis in plano Montecchii; „ turris cum domo; villa Vignolis cum domibus & casolaribus; villa „ Fontis-claræ; villa Casalecchii; villa Docii; villa Cursolonis cum molendinis, terris & hortis; pratum juxta Arnum; omnia hæc bona fines habebant cum castro Biblenæ, cum castro Seniæ, cum castro Rassinæ, & cum burgo de Campi, & villa de Cina & Ruosina. " Sub Ambrosio præside generali libere recidit tota jurisdictio Montecchii in eremum Camaldulensem.

Ann. Chr. 1412.

a §. Renuntiatio 13. A. 5.27.

X. Monumenta aliquot monasteriorum insulæ Corsicæ.

MORTUO Thoma Clavello domino Fabriani abbas sancti Urbani ad flumen Æsinantem, missus cum aliis ab Apirano communi, processit Fabrianum ad officia humanitatis & amicitiæ præstanda super ejus obitu cum filiis defuncti; ex archivo Apiri.

Johannes abbas sancti Mamiliani de Monte-christo vacantem abbatiam sancti Pauli de Juncheto insulæ Corsicæ, & ecclesiam sancti Petri de Bisceno diœcesis Adjacensis, quæ erant supposita & censuaria abbatiæ Montis-christi, per mortem Joudatutti ultimi abbatis, presbyterum Orsellum abbatem de Ortu ejusdem insulæ Corsicæ constituit in abbatem præfatæ abbatiæ & ecclesiæ. Actum Plumbini in ecclesia sancti Anthimi, in qua habitabat dictus abbas, anno M. CCCC. XII. indictione V. secundum cursum & consuetudinem terræ Plumbini die XXII. aprilis. De monasteriis, ecclesiisque subjectis abbatiæ Montis-christi fuse dicemus sub Alexandro VI. Romano pontifice.

XI. Monast. S. Benedicti de Arretio iterum subjicitur Prato-veterensi.

VIDIMUS monasterium sancti Benedicti de Arretio sub initium hujus seculi gratiosa bulla Bonifacii IX. inde altera Gregorii XII. anno 1408. excussisse jugum monasterii sancti Johannis-evangelistæ de Prato-veteri, & abbatissam loco priorissæ a monialibus fuisse electam. Andream vero generalem cum definitoribus capituli definiisse anno 1407. ut monasterium sancti Benedicti decedente abbatissa Clara rediret ad jus monasterii Prati-veteris, & denuo in ipso eligeretur priorissa, quæ dependeret cum monialibus ab abbatissa Prato-veterensi. Obiit Clara, electa autem fuit Elisabeth in priorissam, sed tres sancti Benedicti moniales decreto inobedientes renuebant se subjicere abbatissæ Prati-veteris, ac Magdalenam adversus legitime electam in abbatissam suffecerant. Venit ergo Agatha abbatissa Prati-veteris hoc anno die XXX. julii Arretium magno stipata numero & apparatu prælatorum & monachorum ordinis Camaldulensis, & coram Hieronymo Ægidii de Florentia decretorum doctore abbate monasterii sanctæ Mariæ de Deciano, & vicario generali ordinis, ostendit privilegia sua, & jura visitandi, corrigendi & puniendi moniales sancti Benedicti a ducentis & ultra annis, monasterium Prati-veteris ædificasse & dotasse, ac per priorissas rexisse semper monasterium sancti Benedicti usque ad tempora Bonifacii IX. & Gregorii XII. quibus extorta fuere superiora privilegia ab aliquibus monialibus sancti Benedicti, revocata tamen a capitulo generali ordinis. Quare pro abbatissa Prati-veteris latum fuit judicium contra rebelles moniales sancti Benedicti; hæ tamen resipiscentes Agatham Prato-veterensem abbatissam agnoverunt in suam legi-

Ann. Chr. 1412.

legitimam prælatam, seque denuo subjecerunt correctioni, visitationi & reformationi parthenonis Prati-veteris. Ex autographo hujus postremi monasterii [a] paginam afferimus in Appendice. Extant insuper in eodem tabulario pagina [b] electionis Elisabeth olim Angeli Albertini de Monte-bono de Arretio monialis Prati-veteris in priorissam sancti Benedicti factæ ab Agatha abbatissa, & possessionis acceptæ ab Elisabeth aperiendo & claudendo ostia monasterii, cooperiendo caput suum cum paliotto altaris, & dictum altare osculando, & præcipiendo monialibus sancti Benedicti, ut sibi obedientiam impenderent; literæ [c] Stephani de Francia vicarii generalis Antonii prioris Camaldulensis jubentis sororibus sancti Benedicti, ut Elisabetham, quam a suo monasterio arcuerant, panem, vinum, ignem, ecclesiæ ingressum, & pene omne humanum consortium & communionem denegantes, recipere, & omnia necessaria ei tribuere deberent; electio [d] facta ab Agatha abbatissa Prati-veteris Carrocii Jacobi in suum procuratorem super lite vertente inter se & inter Johannem abbatem Agnani occasione injuriarum illatarum a dicto abbate sorori Elisabeth electæ priorissæ, quam idem Johannes abbas præceperat monialibus, ne tamquam excommunicatam & intrusam priorissam reciperent, immo a sui consortio separarent.

a Num. 269.
b Num. 265.
c Num. 266.
d Num. 268.

XII. De abbatia S. Petri de Rota.

Abbas sancti Petri de Rota, qui triginta-quatuor circiter annis, ut ipse ajebat, monasterium illud rexerat, anno 1407. Aloysium Pittum prætorem Buccinis, de quo optime meritus erat, quique vicissim æque promerebatur de abbate, precatus fuerat, ut cum sæpius molestaretur in bonis monasterii a potentibus viris, dignaretur recipere sui procurationem pro dimittenda abbatia ad favorem unius ex suis filiis, vel nepotibus. Spopondit Aloysius omnem operam suam abbati, procurationemque ipsius recepit. Paulopost Albertaccius de Ricasolis abbatem accusavit apud Decemviros Florentiæ, ipsum moliri tradere Vallem-ambræ Andreino aliisque de Ubertinis, qui erant hostes Florentinorum. Abbas Florentiam deductus est, sed cognita ejus innocentia liber fuit dimissus. Alteram itaque viam tentantes, Pandulphus, Bindaccius, Galeottus & Carolus de Ricasolis domestici Johannis XXIII. eumdem abbatem apud ipsum Romanum pontificem insimularunt, quod hostis esset ecclesiæ, & ipsius pontificis. Quare commissa causæ cognitione cardinali Ursino, licet Pittorum familia multa ageret pro defensione innocentis abbatis, abbas beneficio sui monasterii fuit privatus, ipsaque abbatia commendata Arnoldo de Peruccciis, cujus familia una cum Castellanis & Jamfiliatiis, consanguinitate & amicitia vinciebatur cum Ricasolanis. Historiam fusissime narrat Bonaccursius Pittus Aloysii frater in suo chronico [e]; ex qua dignoscimus, quomodo potentium molimine abbatiæ diriperentur, mereturque ipsa legi, quia plura continet non injucunda. Ex tabulario Fontis-boni habemus Angelum electum fuisse Rotensem abbatem anno 1371. Augustinum autem anno 1383. Si ad Augustinum pertinet hæc narratio, ab anno 1383. ad 1407. non triginta-quatuor, sed viginti-quatuor tantum annis abbatiam Rotensem administravit.

e Pag. 87. & seqq.

XIII. Miracula beati Angeli Gualdensis.

Ad hæc tempora spectant quædam miracula beati Angeli de Gualdo, cujus ad Deum transitum retulimus ad annum 1325. Libet verbis scriptoris ejus vitæ ipsa publici juris facere, ut integram narrationem ejusdem vitæ habeamus. *Retulit etiam*, inquit, *compilatori præsentis historiæ quidam habitator Gualdi Angelus nomine ætatis sexaginta annorum se plane recordari, quod cum ipse ætatis decem annorum fuit, de peste epidemica invasus & deductus est ad extremum, sic quod parentes sui non expecta-*

pectabant, niſi ultimum flatum ejus; iſte vero reſpirans agone mortis vidit ante ſe hunc beatum Angelum aſtare in habitu monachi converſi, in capite ſuo diadema fulgidum habentem, in ſuis manibus teſtam capitis unius mortui deferentem, cui Sancto dictum puerum agonizantem parentes ejus devote commendaverant; ſubito evigilans puer a ſomno mortis, clara voce dixit patri ſuo & matri: Cedatis beato Angelo, qui hic aſtat, eum video; & abinde reconvaleſcens ab illa infirmitate meritis & interceſſione hujus beati Angeli ſe profeſſus eſt tot annis ſupervixiſſe. Ann. Chr. 1412.

Quædam mulier comitatus Gualdenſis habitans in quadam villa non murata, habens filium in cunis parvulum circa annum Domini 1412. quadam nocte ſomniavit, quod quoddam animal piloſum auferebat filium ſuum, & beatus Angelus Gualdenſis, ad quem ipſa habebat devotionem, ſibi dicebat, ne timeas, recommitte te mihi, & liberaberis ab hac pœna, & adjuvabo te; hanc viſionem pluribus noctibus habuit hæc mulier ſucceſſive. Poſtea ſupervenit caſus quadam die, intus domum, aperta janua domus in cuna dimiſit puerum ſuum hæc mulier negotia ſua faciendo per alias partes illius domus, ſubito ſubintravit lupus quidam, puerum de cuna per medium corporis cepit ore ſuo, & retrocedens fugiebat, mater vero aſpiciebat, & hoc videns clamare non valebat præ dolore, & crine ſoluto dicalciataque quaſi amens cucurrit poſt lupum, & ad ſe reverſa, ſubito recordata eſt de viſione, quam præviderat, puerum ſuum ſic vivendo recommendavit devote, ut potuit, beato Angelo Gualdenſi, & votum fecit corde ſuo, quo facto ibidem ſubito lupus dimiſit puerum, & aufugit, quem mater ſuperveniens recepit ſub brachio ſuo, concitoque domum redivit æſtimans illum non vivere, ſed fuiſſe jugulatum a lupo, & quia ejus genæ & oculi lacrymis replebantur, eum ſi viveret, reſpicere non poterat, & cum paululum ulterius proceſſiſſet, filium, quem ſub brachio tamquam mortuum deferebat, levavit, & illum reſpiciens viventem & palpitantem aſpexit, & magis confortata domi ſuæ detulit illum, qui poſt aliquos dies meritis & precibus hujus beati Angeli plene curatus, incolumis effectus. Accidit poſtmodum alia vice in eadem villa caſus ſimilis de quodam puero, in cujus ingreſſu domus dimiſſo janua domus aperta quieſcenti filio Stephani Compagnutii habitatoris dictæ villæ, quem lupus rapax furtim rapuit, & per vepres ſaltando atque morſibus plurimis acriter vulneravit, mater clamitans lupum inſequendo, devote, ut potuit, puerum ſuum beato Angelo Gualdenſi recommittens votum fecit, & lupus quaſi juſſus a beato Angelo dimiſit puerum ibidem, & fugit, mater ſuperveniens puerum cruentatum ac ſemimortuum ad domum reportavit, & per divinam gratiam meritis & precibus hujus beati Angeli ſucceſſive a plagis & morſibus lupi curatus eſt, & reſtitutus integræ ſanitati.

Quidam Gualdenſis Johannes Baldi nomine tubicinator, fuit præſens in plano Peruſii in conflictu, in quo Cicolinum capitaneum per ſuos conſortes Brachius magnus capitaneus ſuperavit. Hic Johannes cum eſſet de parte Cicolini, caſu videns marſupium ſuum cum pecuniis & uno anulo aureo ibidem in quodam caſaleno, vepribus & vorticibus pleno ſub quodam lapide dimiſit & abſcondit, poſt aliquot dies recordatus de dicto marſupio vovit Deo & beato Angelo Gualdenſi ſe certam oblationem facturum ad ſepulcrum ejuſdem Sancti, ſi pecuniam cum anulo & marſupio non amitteret & rehabere poſſet, facto voto ad locum, ubi illas res dimiſerat, venit, & totum caſalenum ſubſupra verſus per gentes armorum, quæ cum equitibus ſteterunt, & totum ſubverterant, invenit ſic, quod nec lapidem, ſub quo ſuas res repoſuerat, recognoſcere potuit, totumque caſalenum diligenter perſcrutans nihil invenit; ad ſe reverſus de voto emiſſo recordatus

ſt

ANN. CHR. 1412.

est, & beatum Angelum ad sui directionem tacitus invocavit, quo facto retro se respiciens quidam frutex prope ipsum quærentem apparuit, ad cujus cacumen aspiciens marsupium appensum vidit, recepit illum, & in eo pecunias suas & anulum invenit, lætus gratias Deo & huic Sancto reddidit, & postea tempore congruo ad sepulcrum hujus beati Angeli votum emissum implevit. Tempore Nicolai Stellæ capitanei cum gentibus suis comitatum Gualdi percurrentis quidam habitator Gualdi quodam die cum colendum agrum suum exiverat cum gentibus armorum dicti capitanei, sic subito circumdatus fuerat, quod omnis via evadendi manus illorum fuit ei præclusa. In tanto discrimine positus devote in sui præsidium tacitus invocavit beatum Angelum Gualdiginam, ut ipsum præservaret, & cum prædicti armigeri ad eum appropinquarent, ut ipsum caperent, fecit, ut melius potuit, in straminibus palearum & fœni ibi existentium foveam, personamque suam in illa fovea posuit, & taliter qualiter de prædictis straminibus semetipsum cooperuit. Supervenerunt ad eumdem locum quidam armigeri, qui illum esse ibi a longe respexerant cum lanceis & partisanis, atque cum spatis totum illum locum, ubi idem homo erat absconditus, hinc inde pupugerunt fortiter, ut personam illius tangerent & caperent, quam Deo permittente & beato Angelo intercedente non viderunt, nec invenerunt, & nullatenus damnificaverunt, & ita delusi recesserunt, dictusque homo post paulum de loco surrexit, & ad oppidum Gualdi liber & sanus est reversus, ad sepulcrum beati Angeli cucurrit, & gratias egit de tanto beneficio & miraculo sibi facto. Hæc postrema miracula pertinent ad annos proxime sequentes; certum est enim Brachium a Montone circa hæc tempora Perusinæ patriæ suæ bellum, cædesque intulisse; Nicolaum vero Stellam paulo serius floruisse.

XIV. Ambrosius scribit de originibus Florentinorum. a P. I. lib. III. cap. 8.

PRIMA Ambrosii Camaldulensis elucubratio creditur fuisse opus Originum Florentinorum civium. De eo opere hæc habet Fortunius in ejus vita [a]. „ Erat Ambrosius morum gestorumque majorum immodice avidus perscrutator, summusque antiquitatis amator. Ejusmodi vero incubandi rei multorum nobilium Florentinorum sibi opportune oblata occasione flagravit animo, ut omnem reipublicæ Florentinæ morem administrationemque ad amussim explorare contenderit. Jamjamque omnem legem, pacem, bellum & rem illustrem singulari volumine, Actici ad æmulationem complexus, familiarum sic origines subtexuit, sic dignitates & honores, & quo quisque tempore florere cepisset, egregio compendio expressit, ut ex eo clarorum virorum propagines omnes liquido cognosci licuerit. Hæc cum luculento admodum stilo ornasset, elimassetque, volumen ipsum magistratui munere dilargitus est, a quo gratissime exceptum, veluti publicam memoriam consignatam habens, publicis monumentis adjectum est ad solatium eorum, qui aliquam haberent cupiditatem clarorum suæ reipublicæ cognoscendi virorum.

ANN. CHR. 1413.

XV. Ejus amicitia & epistolæ ad Franciscum Barbarum.

PRIMA Ambrosii Traversarii cum Francisco Barbaro insigni Veneto patritio literarum commercia ad hunc circiter annum veniunt illustranda. Licet enim Barbarus natus, ut communiter creditur, anno 1398. quintum-decimum dumtaxat attingeret ætatis suæ annum, eo tamen ingenio vel in ipsa adolescentia præstabat, ut partim sub Johanne Ravennate Latinam, partim sub Guarino Veronense, & fortasse etiam sub Emmanuele Chrysolora Græcam linguam hoc jam anno didicisset. Inter Ambrosii editas epistolas, quæ extant ad Barbarum, prima tempore ea est haben-

habenda, quæ [a] sub numero III. legitur. In ea data Florentiæ ex monasterio Angelorum III. idus julii commendat Ambrosius Barbaro Angelum Acciajolum, Jacobi filium, Donati nepotem equestris ordinis adolescentem, quem ex omnibus familiaribus suis maxime diligebat, ob ejus egregiam indolem & comitatem cum singulari gravitate prudentiaque conjunctam, quique cupiebat in Atticam trajicere cum triremibus Venetis. Barbarum proinde rogat, ut Angelum perhumaniter excipiat, ac ad humanitatis studia, si ei rei animum applicare possit, incendat. Distinguendum est hoc Angeli iter ad curandas res domesticas ab alio itinere, seu mavis exilio a patria, quod post vicennium anno 1433. cum aliis civibus sustinuit. Bernardi civis nostri, quem in alia epistola *vestrum*, hoc est Venetum, nominat, calamitatibus vehementer indolet in eadem epistola. Hic erat Barbaro familiaris & carissimus, ejusque casum indignissimum miseratus fuerat Ambrosius, eique non defuerat, quibus potuerat locis; sed ad illius favorem minus valuerat auctoritas Matthæi prioris Angelorum Florentiæ apud eum civem, de quo multa tum ipse, tum Matthæus sibi pollicebantur; se tamen promittit enixurum omni officio, pietate & fide, ut absolveretur. Tum Barbarum de Johanne Chrysolora Emmanuelis filio percontatur, quem fama ferebat, legatum imperatoris sui Græci venire ad Romanum pontificem, cuique occurrere avebat Demetrius Scaranus Theodori filius Græcus in Florentina urbe degens. De Demetrio Scarano alibi. Demum salutat Ambrosius Zachariam Barbarum Francisci fratrem, & Guarinum; salutem autem dicunt Barbaro Matthæus prior, Demetrius senex, & Hieronymus frater. Angelum Acciajolum recenset cardinalis Quirinus [b] inter adolescentes, quorum studiis Francisci Barbari patrocinium consuluit. Idipsum dicamus & nos de Ambrosio.

Ann. Chr. 1413.

a Lib. VI. epist. III.

b Diatrib. prælim. c. 1. §. xv.

Vigesima octobris ejusdem anni [c] mittit Ambrosius eidem Barbaro manu sua olim scriptas epistolas duas longiores Emmanuelis Chrysoloræ, alteram ab hoc ad se transmissam *de Amicitia*, alteram *de Mensibus* ad Pallantem Stroctium, tertiam vero non mittit ad Guarinum ab eodem Chrysolora scriptam, quam jam penes se habere Barbarum ipse existimat. Indicem præterea postulat librorum Barbari; alterum indiculum codicum Leonardi Justiniani patritii itidem Veneti ab eodem Barbaro ad Nicolaum Nicolium transmissum carpit, quia non satis diligenter scriptum. Iterum requirit de adventu cum triremibus Venetis Johannis Chrysoloræ, cui obvius esse ad certum diem cupiebat suprarelatus Demetrius, ut parceret nimiis sumptibus otiosæ moræ in urbe Veneta. Reliquas ad Barbarum, ut etiam ad ceteros claros hujus ævi viros Ambrosii epistolas enuntiabimus annis, quibus sunt datæ. Ceterum ex superiori epistola liquet Ambrosium vel ante hunc annum in amicitiam venisse Francisci Barbari; commendans enim ipsi Acciajolum scribit: „ Nihil vero mihi „ minus convenire existimavi, ut qui neminem ex familiaribus nostris „ ad te sine meis literis pergere hactenus sim passus, hunc, quem ex „ omnibus maxime diligo, a me sine literis ad me alterum dimitterem."

c Lib. VI epist. IV.

XVI. Uniones plurium ecclesiarum & monaster. factæ a Johanne papa XXIII.

JOHANNES papa XXIII. precibus Simonis Matthæi abbatis sancti Felicis in Platea de Florentia die XIX. julii eidem, ac successoribus abbatibus in dicto monasterio concessit, ut mitra, annulo, aliisque pontificalibus insignibus uti possent tam in ecclesia cœnobii, quam in parœcialibus & aliis ecclesiis ad dictam abbatiam pertinentibus, & benedictiones effundere in populum, dummodo non adessent episcopi, aut sedis apostolicæ legati. Datum apud sanctum Antonium extra muros Florentinæ urbis an-

no

Ann. Chr. 1413.

no pontificatus sui quarto [a]; ex tabulario Fontis-boni. Ipse Simon tamquam prior sancti Felicis fuerat anno 1410. compater Petri Victorii filii Bonacursi Pitti, ut hic narrat [b] in chronico suo.

Die nona junii [c] hujus anni idem summus pontifex copulavit abbatiam sanctæ Mariæ de Agnano monasterio sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia post mortem Johannis abbatis viventis vel post ejus cessionem, cum onere alendi ibidem quatuor monachos idoneos mutabiles ad nutum, qui inservirent ecclesiæ, curamque gererent animarum ejus parœciæ. Ipsa die [d] indulgentiam plenariam in mortis articulo dilargitus est Matthæo priori ejusdem monasterii Angelorum, monachis, conversis, commissis, servientibus, præsentibus & futuris, facta facultate sibi eligendi confessarium, reservatis tamen peccatis in bullæ confidentiam patratis. Vigesima-septima ejusdem mensis [e] adjunxit eidem monasterio abbatiam sancti Johannis-decollati de Saxo cum omnibus membris suis, adjecta obligatione alendi presbyterum secularem vel regularem, qui oneribus satisfaceret ejus ecclesiæ. Die vigesima-sexta [f] junii vel julii copulavit eidem cœnobio monasterium sancti Petri de Cerreto ad sublevandam inopiam ejusdem monasterii cœnobitarum numero gravati. Mense martio [g] pontificatus sui anno III. hoc est anno sequenti, exemit idem monasterium ab impositionibus & gravaminibus. Hæc omnia novimus ex archivo Florentini hujus cœnobii.

Cum idem Johannes XXIII. elegisset in priorem sancti Johannis-baptistæ de Judaica Hieronymum Tajapietra monachum ordinis Camaldulensis, ignorans jura patronatus, quæ senatus Venetus habebat in idem monasterium, & idem senatus hæc jura pontifici exposuisset, respondit is ex sancto Antonio extra muros Florentiæ quarto nonas augusti pontificatus sui anno IV. Michaeli Steno duci Venetiarum, & post digna laudum præconia, quibus Veneti senatus religionem ornavit, reposuit, quod si ad sui notitiam pervenisset institutionem prioris sancti Johannis-baptistæ ad senatum pertinere, provisionem aliquam minime fecisset pro observatione juris & honoris hujusmodi. Literæ extant in supplemento [h] ad ecclesias Venetas clariss. senatoris Flaminii Cornelii.

Literis ejusdem Romani pontificis datis VIII. idus maji pontificatus sui anno III. Gregorius prior sancti Gregorii prope Bononiam die [i] vigesima septembris univit parthenoni sanctæ Christinæ de Fundatia urbis Bononiensis monasterium sanctorum Mariæ & Andreæ de Ponte-majori, instante Petro de Puppio rectore ecclesiæ sanctorum Simonis & Judæ de Urbicciano ordinis Camaldulensis, cassans unionem jampridem factam ejusdem monasterii parthenoni sanctorum Gervasii & Protasii de Bononia, quam de mandato ejusdem pontificis curaverat Philippus cardinalis sancti Martini in Montibus. Eisdem monialibus sanctæ Christinæ Ludovicus cardinalis sancti Adriani legatus Bononiensis pro apostolica sede facultatem fecit accipiendi ad censum quadringentos ducatos aureos, „ pro eo, sub- „ dit, quod pridem domus & dormitorium ejusdem ex gravi ignis in- „ cendio, quod inibi casualiter invaluit, simul cum pannis, lectis & „ omnibus aliis bonis vestris mobilibus pretiosis, quæ ibidem erant, & „ mille librarum valorem excedebant, combusta & cremata fuerant. Da- „ tum Bononiæ indictione VI. die IX. novembris anno IV. pontificatus „ Johannis XXIII. “ ex tabulario ejusdem monasterii.

Hoc ipso anno asceterium monialium nostrarum sancti Nicolai de Domo-Dei situm intra parœciam sanctæ Mariæ-Majoris in via lata urbis Bononiæ unitum fuit parœciali ecclesiæ sanctæ Mariæ Leprosorum.

Pari-

a §. Privilegia 7. A. 5. 33.
b Pag. 12.
c Num. 181.
d Num. 189.
e Num. 128.
f Num. 143.
g Num. 33.
h Pag. 33.
i F. 2.

Pariter resignata ecclesia sanctæ Mariæ Camalduli-Bononiensis a Gregorio Donati in manibus Antonii prioris generalis Camaldulensis, idem Johannes XXIII. apud sanctum Petrum [a] VIII. idus maji pontificatus sui anno III. elegit Petrum Bartholomæi de Bononia monachum ejusdem monasterii in priorem.

ANN. CHR. 1413. a C. 25.

Philippa olim Biligardi de Bagnensibus de Florentia uxor olim Johannis Simonis Bonaccursii populi sancti Laurentii de Florentia reliquit monasterio sanctæ Mariæ de Querceto, & Bartholomææ filiæ suæ abbatissæ ejusdem parthenonis aliquot latifundia [b], ex tabulario Fontis-boni.

b §. *Testamentum* 47. *A.* 5. 30.

Ex quo etiam die trigesima maji officiales & gubernatores gabellæ portarum communis Florentiæ audita petitione coram ipsis facta ab Antonio priore generale, & eremitis, visisque privilegiis & donationibus episcoporum Arretinorum, ac commendationibus ipsius eremi factis tum communi Arretino, tum Florentino, definierunt, quod homines Partinæ, qui lignorum incisione, animaliumque pastura bona eremi consumebant, de cetero idem non auderent, sub pœna Florenorum centum; manu Ricardi Bernardi Ricardini de Florentia notarii.

c §. *Sententiæ* n. 1. *A.* 5. 32.

ANN. CHR. 1414. XVII.

Aliæ Ambrosii ad Barbarum epistolæ.

d *Lib. VI. epist.* v.

BARBARI literas Nicolaus Nicolius attulerat ad Ambrosium, quibus hic [d] pridie kalendas martii respondet, scribitque se ex iis novisse, recepisse ipsum jam epistolas Emmanuelis Chrysoloræ, quas ad eum direxerat anno antecedenti, continuoque in Emmanuelis laudes excurrit. Ex hujus epistolæ verbis elici potest testimonium aliquod tam Barbarum, quam Ambrosium coluisse Chrysoloram, ab eoque literas Græcas fuisse edoctos. Ait enim Ambrosius: „ Quod epistolas clarissimi viri Manuelis „ acceperis, nunc primum per tuas literas novi, teque in illius humanita„ te, doctrina atque sapientia adquiescere maximum in modum gratulor. „ Est enim revera ea ingenii facilitate atque copia, ut solus propemo„ dum post veteres illos, quos ingenti admiratione admiramur, quorum„ que libris exercemur ad studia humanitatis, palmam doctrinæ facile „ meo judicio referat. Eum ipse tecum maxime admiror, atque in de„ liciis habeo. Idque me sibi debere cum pleraque reliqua, tum amor „ ejus viri, atque observatio quædam mei singularis ac mirifica facit, „ quam ex aliis literis, quas ad te misi, ex his, quas ad te mitto, „ quoniam id tibi gratum fore puto, facile conjicies. “ Tum nuntiat Barbaro se accepisse catalogum codicum ipsius, & insuper Lactantii Firmiani institutiones divinas, quas pollicetur se emendaturum, Græcasque in ipsis literas suppleturum. Alibi vidimus Lactantii opus ab Ambrosio absolutum XVII. kalendas februarii anni M. CCCC. XIV. stilo facile Florentino, hoc est 1415. Insuper requirit tertia vice de adventu Johannis Chrysoloræ in Italiam, quem filii loco tenebat, omniaque, quæ ad illius ornamentum & commodum concederent, curabat Demetrius Scaranus, qui in ejus occursum venire gestiens querebatur, quod cum plures in Italiam literas scripsisset Johannes, nullas sibi, licet suis frequenter expetitus, dederat. Præterea notum facit Barbaro Ambrosius Cosmum Mediceum die sequenti, hoc est kalendis martii, insigni & clarissimo bimestri magistratu civitatis pro firmo haberi perfuncturum. Agesilaum Xenophontis a Barbaro in literis ad Nicolaum postulatum vel se, vel Demetrium jucundissimum senem exaraturum spondet. Demum promittit se & Matthæum priorem optimum & sanctissimum virum preces ad Deum fusuros pro requie animæ Zachariæ vita functi. Ipse est Zacharias Trivisanus præstantissimus & doctissimus patricius Venetus, clarus ob varias insi-

Ann. Chr. 1414. insignes legationes susceptas, quarum crebram in suis epistolis mentionem facit Leonardus Arretinus, qui Patavii obierat anno antecedenti. Postremo eloquentissimis atque ornatissimis hominibus Andreæ Juliano & Leonardo Justiniano patritiis Venetis, & Guarino salutem mittit. Liquet ex his omnibus hanc epistolam pertinere ad annum præsentem, quo adhuc vivebat Emmanuel Chrysoloras, qui ut vivens describitur, & quo jam obierat Zacharias Trivisanus, quo demum Lactantium emendavit; atque propterea recte nos anno antecedenti consignasse primum Ambrosii cum Barbaro epistolicum commercium literis iis, in quibus memoratur idem adventus Johannis Chrysoloræ in Italiam.

a Lib. VI. ep. VI. & VII.

Addidit Ambrosius VI. nonas martii, & XI. die ejus mensis [a] alteras literas ad Barbarum; primam mittit per insignem virum Galeottum Januensem Venetias proficiscentem, hominem sibi conjunctum fidelissima gratia; affirmat in ea se legisse indicem Græcorum voluminum ipsius Barbari. Grammaticum quemdam adnotatum in indice petit, quem prius tamen indicet sibi, quis sit; tum ad se deferendum tradat eidem Galeotto. Itidem postulat Plutarchi epistolas, si apud eum sint, sed postea suasu advenientis ad se Nicolai loco Plutarchi epistolarum, efflagitat Nicandrum. Certiorem facit eumdem Barbarum Nicolaum transmissurum ad eum Ciceronis ad Atticum epistolas, quibus Emmanuel Chrysoloras restituerat Græcas literas; eumdem Nicolaum Barbari amantissimum missurum ad ipsum etiam Æschynem, si plane sciret, quem mallet, utrum orationem Latinam contra Ctesiphontem ac Demosthenem, an magis Græcum illius orationis codicem. Deplorat in altera Ambrosius Lactantium ad se missum a Barbaro, aureum quidem auctorem ab exscriptore imperitissimo fœdissime inquinatum, pro cujus emendatione omnem suam recipit operam; „ quippe qui, subdit, & si minus eruditi, studiosi ta„ men satis atque diligentes sumus. Curabo ergo, ut quem mendosissi„ mum misisti, quam emendatissimus ad te proficiscatur. " Curaturum se insuper, ut Agesilaus Xenophontis quamprimum ad illum mittatur. Cupit instrui, qua magnitudine, quave literarum facie scriptus sit codex Alexandri Aphrodisei, quosve libros Aristotelis exponat. Postulat præterea opus Johannis Scholastici dicti Climaci, si apud eum, vel apud ejus familiares sit, quod Chrysoloras in Græco nitore eloquii splendere affirmabat, sed ita imperite traductum, ut quid sibi vellet auctor, non intelligeretur; se in optatis habere ipsum iterum in Latinam e Greca lingua traducere. Pariter petit indicem librorum ex Cypro advectorum ad Leonardum Justinianum, cupitque nosse, si quid reliqui Veneti cives voluminum Græcorum habeant. Demum scribit optasse quidem Nicolaum Nicolium Græcas Pandectarum literas transcribere, & ad Barbarum mittere, sed rei difficultate victum destitisse, quia veluti e sacrario Minervæ proferendi erant hi libri, neque fas erat absque magistratus permissu illos inspicere, quod imperitum vulgus nescio quid illos esse arbitraretur; eumdem Nicolaum transmisisse ad ipsum (Barbarum) Ciceronis epistolas ad Atticum.

XVIII. Sententia pro eremo Camaldulensi.

Alteram hoc anno die decima-septima septembris sententiam obtinuit eremus Camaldulensis ab officialibus salis communis Florentiæ, qui visa commendatione prioris, eremitarum, & hominum de Moggiona ipsis subditorum, quam anno 1382. populus & commune Florentiæ spoponderat, decrevere tantam salis quantitatem posse ipsos extrahere ex castro Biblenæ, quantam soliti fuerant accipere; manu Pieri Serguidi Michaelis notarii & scribæ dictorum officialium; ex tabulario Fontis-boni [b].

b §. Sententia 13. A. 5. 46.

Ex

Ex monasterio sancti Gregorii de Urbe deductus fuit hoc anno ad regendam abbatiam sancti Vitalis de Ravenna Petrus Silbarius, „ ne im„ posterum divi Vitalis bona distraherentur, pessumque darentur, quæ „ ad eam diem administrata fuerant a cardinalibus reliquisque hujusmodi „ præsulibus, qui monachi non erant, & tunc administrabantur ab An„ tonio Calvo divi Marci cardinale, qui illi cœnobio & monachis ordi„ nis sancti Benedicti præfuerat, " ut ait Rubeus in historia Ravennate [a]. — Ann. Chr. 1414. — [a] Pag. 604.

Monachi sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia die septima septembris sindicum creant ad ineundam possessionem monasterii Saxi, uniti anno præterito ipsorum cœnobio a Johanne XXIII., ex Ferdinandi Melioris memoriis [b]. — [b] Zibald. LXI. pag. 42.

XIX. De eremo Suavicinia.

Facile monasterium sancti Dominici Loricati, sive eremus Suavicinia copulata fuerat ante hæc tempora congregationi Camaldulensi; nam hoc anno Gregorius XII. univit monasterio sancti Nicolai de Auximo plures ecclesias & monasteria, ac inter ceteras ecclesiam sancti Petri de Aqua-viva, membrum eremi Suaviciniæ, *cujus rectoris præsentatio*, subdit Gregorius, *ad dilectos filios priorem & conventum eremi Suaviciniæ ordinis Camaldulensis Camerinensis diœcesis de antiqua & approbata, ac hactenus pacifice observata consuetudine pertinet. Datum Arimini pontificatus anno* VIII. *duodecimo kalendas octobris*; ut legitur apud Martorellum [c] in historia Auximana. Bullam Gregorii laudat etiam Turcius [d] ad vitam sancti Dominici Loricati, qui tamen conjicit eremum Suaviciniam appellatam fuisse ordinis Camaldulensium errore Auximanorum in supplici ipsorum libello ad dictum Romanum pontificem. — [c] Pag. 223. — [d] Pag. 161.

Ann. Chr. 1415. XX. Ambrosius Lactantium corrigit, aliqua Chrysostomi vertit.

Opera Friderici Ferrariensis Ambrosius [e] pridie kalendas februarii hujus anni remittit ad Franciscum Barbarum Lactantii Firmiani septem libros adversus Gentiles, quos dumtaxat emendare potuerat, asserens reliquos duos *de Ira Dei & de Opificio hominis* semitruncos, deficientibus correctis exemplaribus, attingere se non fuisse ausum. Opus autem illud Chrysostomi, quod se traducturum ex Græco per literas eidem pollicitus fuerat, jam inchoasse, atque quantum licuit occupationibus vacare, partem ejus non minimam confecisse; esse autem id opus non breve tres in libros distinctum. Habere se in optatis legere Catonis & Aristidis vitas patrio sermoni ab ipso Barbaro donatas (eas hic dicaverat Zachariæ majori fratri) ita etiam Luculli & Cimonis ex Plutarcho vitas in Latinum conversas a Leonardo Justiniano. Basilii epistolas diutissime desideratas petit. Denique postulat, ut profectus ad optimum senem Franciscum Gherardum Venetum civem semina peponum petat ex Syria advecta. — [e] Lib. VI. ep. XVI.

Eumdem Barbarum [f] v. kalendas aprilis certiorem facit se tandem optatum Basilii epistolarum volumen accepisse, quod ob antiquitatem laudat, sed truncum dolet, deficientibus viginti-quatuor epistolis in principio, nullumque Florentiæ reperiri exemplar, quo defectus possit suppleri. Agit in eadem epistola de Bartholomæi Sarzanensis levitate, qui religionis habitum dimiserat. Nondum sibi allatas scribit orationes ejus (Barbari) quas hic receperat se missurum. Chrysostomi opus totum se emendasse. Iterum desiderium suum aperit videndi par illud vitarum tum ipsius, tum Justiniani ex Plutarcho. Nicolaum Nicolium ex lateris dolore, quo acerbissime vexatus est, penitus convaluisse; semina demum peponum se recepisse. Quoad Chrysostomi opus tres in libros partitum, illud est adversus vituperatores vitæ monasticæ, quod ex Græco conver- — [f] Lib. VI. ep. XVII.

Ann. Chr. 1415. sum dicavit circa hunc annum Ambrosius Matthæo priori Angelorum tamquam primitias studiorum suorum sacrorum ex Græca lingua, quos utiles futuros judicat adversus eos, qui in monachos invehunt, eo quod hi eorum liberos & propinquos ad Christi militiam in monasteriis trahant. Addit se alia Chrysostomi opera imposterum traducturum, si hoc exercitationis genus gratum probatumque fuerit. Fatetur vero in nuncupatoria epistola [a] Græcas Latinasque literas Matthæi potissimum beneficio & auxilio se fuisse consecutum, hortatu nimirum & sumptibus monasterii Angelorum & Matthæi prioris.

a Lib. XXIII. epist. VI.

XXI. Res aliquot monasteriorum.

Vertente differentia inter Antonium priorem generalem Camaldulensem, & inter eremitas circa expensas factas a dicto priore ex bonis Vangaticiensis monasterii ipsi commendati, fit relatio hujusmodi prioribus Artium & confalonerio justitiæ populi Florentini a Matthæo priore Angelorum Florentiæ, a Bartholomæo Valorio, Nicolao de Uzano & Laurentio Antonii Nicolai Rodulphio, scribente fratre Ambrosio Angelorum monacho. Extat in tabulario Fontis-boni [b] hujusmodi relatio.

b §. Invalidæ 4. A. 5. 54.

Ex Benvoglientio die octava februarii hujus anni Jacobus Antonii Bononiensis abbas sanctæ Mariæ de Toma, cum consensu Bartholomæi Ugolini Massani abbatis sancti Vigilii Senarum & sancti Salvatoris Berardingorum locationis libellum confecit.

Benedictus Foro-liviensis abbas sanctæ Mariæ ad Ulmum, (monasterium hocce erat in territorio sanctæ Floræ diœcesis Senarum) commissarius prioris generalis Antonii Parmensis concessit jus eligendi parochum sancti Mamiliani prope Senas sindicis ipsius communitatis, ad instantiam priorum & capitanei populi Senensis, dum sibi parochus juramentum præstaret, nihil priori generali offerret, monachis licentiam in ea ecclesia celebrandi permitteret, confirmatio ad priorem generalem pertineret, ad quam antea spectabat electio. Actum Senis manu Castellani quondam Utrilli Castellani notarii Senensis ex archivo Rosæ Senarum [c].

c Numm. 24. 34.

Renuntiante Antonio Blanco, electus fuit prior sancti Mathiæ de Muriano Petrus Bellegnus confirmatus a Martino V. anno 1419. die XXIII. augusti, vir sanctissimæ vitæ, qui ante novennium Torcellanam abbatiam sancti Thomæ dimiserat.

XXII. De Gaspare abbate Perusino.

Inter eos, qui concilio Constantiensi assederunt, duos præ ceteris ex Camaldulensi familia insignes abbates novimus, qui plurimam sibi laudem in eo peperere; Antonium Vangaticiensem abbatem & congregationis generalem præsidem, & Gasparem abbatem sancti Johannis in eremo Perusinæ diœcesis. De Antonio habet Fortunius. „ Ad eam synodum Antonius quoque generalis profectus multum ex se divinarum, „ humanarumque scientiarum peritiæ ostendit, nec non eruditissimo ingenio, ornatissimoque dicendi genere magnam sui in conventu opinionem „ excitavit. " Gaspar vero unus fuit ex tribus advocatis concilii, qui & adlectus est ad acceptandam ratificationem articulorum de renuntiatione pontificatus Balthassaris Cossæ Johannis XXIII. Italicæ nationis designatus est etiam commissarius inter Ladislaum regem, regnumque Poloniæ, ac pluries oravit in synodo tum adversus Hieronymum Pragensem hæresiarcham, tum contra translationem episcopi Vapincensis ad ecclesiam Placentinam factam a Johanne papa XXIII. tum pro Urbini comite excommunicato a Gregorio XII. tum tamquam commissarius pro natione Italica contra Wicleffitarum errores, ac ambasciator & procurator extitit pro provincia Burdigalense, ut fuse legitur apud Conciliorum collectores. Is a Martino papa V. Fulginas in Umbria episcopus electus

est anno 1421. die IV. decembris. At nondum inauguratus eidem dignitati cessit anno 1423. ut quem mallet, pontifex illi præficeret ecclesiæ. Postmodum Frequentinus episcopus in Hirpinis ab eodem Martino anno 1424. XVII. kalendas septembris dictus est. Frequentinus episcopatus unitus fuit Abellinensi a Paulo II. dictus etiam Frigentinus. Episcopus factus sedit etiam inter patres Concilii Basileensis, & non infimas in eo partes egit. Ut aliqua dicamus de abbatia sancti Johannis in eremo, de qua pauca ante hæc tempora monumenta supersunt, ea sita erat in agro Perusino prope castrum, cui nomen Piegarv, de quo Ambrosius noster in Hodœporico ad diem 21. januarii anni 1432. „ Ea nocte ad locum, „ cui Plegao vocabulum est, requievimus; " spectat ad diœcesim modo Civitatis-Plebis. Abbatia hæc anno 1471. a Sixto IV. cardinali de Ruvere fuit commendata, quum eam antea Camaldulenses monachi possiderent atque incolerent. In quodam parœciali libro Civitatis-Plebis, ubi mortes & nuptiæ incolarum descriptæ sunt, hæc initio leguntur: „ L'anno 1471. papa Sisto IV. levò da san Giovanni e santo Donato li Camandoli, e il primo commendatore fu il signor Cardinale della Rovere, poi di Trana, Cupis vescovo di Osimo, Giustiniani, Ludovisio, Mattei Alessandro e Paulo, l'ultimo il signor cardinale Barberino. " Per dimidium milliare distant altera ab altera hæ ecclesiæ, e quibus sancti Johannis de eremo visitur in monte sterili, & hujusmodi appellatione in Bullis insignita est, monasterii ædificiis penitus deletis. Sancti Donati vero ecclesia quadam in valle inter duos montes jacet, interque totidem torrentes Jernam & Aquaialim, ubi supersunt cœnobii aliquot vestigia. In processu Perusii habito, quum marchio Laurentius de Rubeis militiæ sancti Stephani insignia suscepit, testes inducuntur asserentes inter præstantiores Perusinæ Rubeorum familiæ viros effulsisse Gasparem abbatem sancti Johannis in eremo monachum Camaldulensem. Ughellius monachum facit Gasparem in episcopis Frequentinis, abbatem vero e seculo in episcopis Fulginatibus. De Gaspare alibi; interim consulatur præsulis nostri Cannetii oratio dicta ad consules collegii Mercaturæ Perusinæ urbis anno 1695. [a] in qua cum laude mentionem ipsius facit.

Ann. Chr. 1415.

a *Pag.* XXXI.

Ann. Chr. 1416.

XXIII. Privilegia communis Florentini concessa eremo Camaldulensi

ANNO M.CCCC.XV. vigesima-secunda februarii more Florentino congregati priores artium populi & communis Florentini, vexillifero justitiæ cum duodecim bonis viris dicti communis, pro parte Majoris eremi Camaldulensis, & capituli eremitarum de licentia Antonii prioris generalis receperunt quamdam petitionem, qua exponebatur, quod in grave damnum ipsius eremi plures lites suscitabantur, ex quibus diversis in locis & tribunalibus fatigari timebant; propterea flagitabant, ut de omnibus causis, & litibus motis & movendis contra ipsos, locaque ipsorum quacumque ex causa, officiales *Diminutionum debitorum* communis Florentini præsentes & futuri possent, & tenerentur ad petitionem ipsorum eremitarum summarie & de plano, sine strepitu & figura judicii cognoscere, decidere, terminare, componere, & executioni mandare inter dictos eremitas, & aliam quamcumque partem, locum, universitatem judicata, decisa quæque & composita per quoscumque rectores, officiales, nuntios & executores dicti communis, omni appellatione cessante. Cui petitioni per omnia supradicti priores &c. annuerunt; manu Dominici Matthæi Dominici notarii & scribæ reformationum consiliorum populi & communis Florentini; ex tabulario Fontis-boni [b].

b §. *Sententia* 14. *A.* 5. 49.

Die XXIX. maji Agnes abbatissa & moniales sancti Petri de Luco elegerunt

Ann. Chr. 1416. gerunt rectorem ecclesiæ sancti Georgii, ut se exhiberet pro confirmatione coram plebano sancti Johannis-majoris de Mucello.

XXIV. Literæ Bellegni prioris S. Mathiæ ad antianos Bononiæ.

INSTITERANT vexillifer, antiani & consules communis Bononiæ apud Petrum Bellegno priorem sancti Mathiæ de Muriano, ut contingente casu mortis Bartholomæi de Prindipartibus prioris sanctæ Mariæ de Angelis Bononiæ sufficeret Jacobum de Poetis in priorem. Quibus respondet in hæc verba.

Illustribus ac excelsis dominis dominis antianis, consulibus & vexillifero justitiæ populi & communis Bononiæ dominis meis præcipuis. Magnifici & excelsi domini, domini mei singularissimi omni debita recommendatione præmissa. Noverit illustris dominatio vestra, qualiter his diebus proximis recepi literas, quarum tenore magnificentia vestra requirebat me, ut si contingeret domnum Bartholomæum de Prindipartibus civem vestrum ac priorem monasterii sanctæ Mariæ de Angelis prope Bononiam ordinis Camaldulensium nunc ægrotantem causa mortis occumbere, deberem contemplatione magnificæ dominationis vestræ monasterium illud sanctæ Mariæ conferre domno Jacobo Antonii monacho professo ejusdem ordinis, & ipsum domnum Jacobum illi monasterio in priorem præficere, ad quæ respondeo, quod dum sim & semper fuerim devotus & peramator vestræ eminentissimæ dominationis, & totius vestræ bonæ & optimæ civitatis, quam, ut novit Deus, semper in orationibus meis specialiter & nominatim omnipotenti Deo cordialiter recommitto & recommendo, ideo quantum in me est, & ad me pertinet, me paratum & promptum semper habebitis ad omnia vobis grata & beneplacita. Verum, quia testator ille, qui ordinavit & disposuit de regimine & gubernatione præfati monasterii sanctæ Mariæ, non solum dereliquit prioratum & collationem prioratus dicti monasterii sanctæ Mariæ in manibus solius prioris sancti Mathiæ de Muriano, sed in manibus prioris prædicti & totius ejus capituli, & idcirco præsentialiter, antequam sim cum capitulo meo, simplicem & absolutam responsionem dare non possum, obstantibus etiam his sanctis diebus quadragesimalibus, quibus assidue circa divinum cultum sumus taliter occupati, quod nec facile, nec commode transitum ad alia facere possimus, sed Deo dante, & largiori tempore veniente spero, quod venerabiles fratres & monachi, qui sunt in hoc consortio sancti Mathiæ, & ego una cum eis, adveniente causa mortis, quod absit, domni Bartholomæi, talem provisionem faciemus de prioratu prædicto, quod vestra excelsa dominatio merito contentabitur.

Datum in Muriano die XXVIII. *mensis martii* M. CCCC. XVI. *Vestræ magnificentiæ devotus & humilis orator frater Petrus Bellegno prior monasterii sancti Mathiæ de Muriano.*

XXV. Demetrius Scaranus commissus in monast. Angelorum Florentiæ.

DEMETRIUS Scaranus Theodoro patre Constantinopoli genitus, Turcico impetu e patria abactus tempore, quo Emmanuel Chrysoloras aliique inter Græcos doctissimi patrium solum vertentes in Italiam se recepere, Florentiam venit, circa annum 1406. hoc anno in commissorum numerum fuit cooptatus, & sequenti professionem emisit in monasterio sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia. Pagina professionis rogata est manu Bartholomæi del Bantociai, in quo monasterio ad decennium vixit scribendis atque transcribendis, & in Latinum vertendis libris sub Ambrosio unice sollicitus. A vero non abludit Demetrium ab anno 1406. Ambrosii frequenti conversatione usum, stimulos & calcaria ei subdidisse ad perfectam Græcæ linguæ cognitionem, quam tenerioribus annis didicerat. Anno 1413. & 1414. adhuc sui juris erat, ut vidimus, cum in occursum ire cuperet Johannis Chrysoloræ. Hoc tantum anno reclusionis legibus se subjecit in eodem Angelorum monasterio, sed sub Commisso-

missorum habitu. Distinguendus est Demetrius Scaranus ab alio Demetrio Philomathi, qui circa hæc eadem tempora Venetiis vivebat. Ann. Chr. 1416.

Cum Poggius ad Constantiensem synodum profectus reperiisset hoc anno in arce monasterii sancti Galli plures Latinæ linguæ auctores, qui deperditi existimabantur, Franciscus Barbarus epistola data ad Ambrosium laudes contexuit ejusdem Poggii; huic autem animos addidit, liberalissimam insuper suam operam pollicitus ad eripiendos e tenebris alios codices epistola data Venetiis pridie nonas julii; Ambrosius vero epistola ad Barbarum scripta [a] quinto nonas octobris ipsum remittit ad aliam a se transmissam ad Guarinum de diligentia Poggii, qui tamen Nicolao scripserat nihil se operæ ultra in hac re perdere ulla ratione velle, sive id fortunæ suæ parum amplæ, atque ad has peregrinationes minus idoneæ gratia dixerit, sive tœdio quodam atque fatigatione animi, quod illi ipse facile credit. In eadem epistola narrat Ambrosius pestem Florentiæ sævire, quæ quinque monachos e cœnobio Angelorum sustulerat. Se tamen & reliquos bene valere, ut jam scripserat in longioribus epistolis tum ad ipsum Barbarum, tum ad Guarinum. Addit Nicolaum contra sui assensum Pisas jampridem petiisse, ex qua urbe se tamen extricavit pestis causa, quæ illic quoque furere ceperat, ac se recepisse ad Alpium juga. Concordat cum epistola XII. libri IV. Leonardi Arretini ad ipsum Nicolaum data Arretii VI. kalendas octobris, in qua habet. „ Salvum te advenisse gaudeo, ac ex Pisana cœli gravitate „ ad salubres Arretinorum colles incolumem evasisse incredibilem de eo „ suscepi voluptatem. “ Cum Pisis immoraretur Nicolaus, a Johanne Aurispa Thucididem emerat antiquissimis literis scriptum; caute tamen, sed parum utiliter; Xenophontis autem sui ne ullum quidem verbum fecerat.

Ann. Chr. 1417. XXVI. De libris a Poggio inventis.

a *Lib. VI. ep. VIII.*

Jacobus Andreæ Marinarii de Bononia, qui ecclesiam sanctæ Mariæ de Bethleem in commendam retinebat, eam resignavit hoc anno in manibus Antonii prioris generalis Camaldulensis, qui eam copulavit cum monasterio sanctæ Mariæ de Camaldulo-Bononiensi. Ante septennium Johannes XXIII. pontificatus sui anno primo XVI. kalendas decembris ex castro sancti Petri Bononiensis diœcesis eidem Jacobo rectori ecclesiæ sanctæ Mariæ de Bethleem familiari suo contulerat aliquot aliarum ecclesiarum beneficia; ex tabulario sanctæ Christinæ de Bononia [b].

XXVII. De ecclesia S. Mariæ in Bethleem Bononiæ &c.

b *B. 15.*

Thomas Naccius Caffarini, qui hoc anno ultimas ducebat lineas supplementi sui ad vitam sanctæ Catharinæ Senensis [c], numerat inter mortuos priorem sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia, dolens propterea, quod hic præter omnium expectationem morte raptus non posset amplius pabulum dare suo affectui & devotioni in legendo hoc opus propediem ad finem redactum. Quis sit hic prior Angelorum defunctus, quem indicat Thomas, nescimus; nam Matthæus Guidonis Angelorum prior, qui anno 1400. maximus excitator & promotor ipsi fuerat edendi hocce supplementum dictorum & factorum Catharinæ, vivebat, supervixitque ad annum 1421. ex testimonio Ambrosii, qui eo anno in epistola ad Barbarum ipsius obitum deplorat.

c *Pag. 276.*

Juxta Jacobillium [d] in chronico Saxi-vivi ecclesia sanctorum quatuor Coronatorum de Urbe data fuit Camaldulensibus monachis, ut ei ejusque cultui inservirent.

d *Pag. 166.*

Ex autographo Classensi „ spectabilis & strenuus miles Martinus quon„ dam Magnani de Bernabutiis de civitate Faventiæ reliquit de bonis „ suis

Ann. Chr. 1418.

„ suis ecclesiæ sancti Marci de Venetiis ducatos centum auri; item reliquit, ut mittatur vir bonus expensis hæreditatis suæ, qui secum portet infrascriptas quantitates ad eas offerendas ecclesiis & indulgentiis infrascriptis pro anima sua; videlicet omnibus indulgentiis Ravennæ, & in eis det & offerat ducatos sex, item ecclesiæ sanctæ Mariæ de Arzilla apud civitatem Fani, & ibi offerat ducatos viginti-quinque. Item ecclesiæ sanctæ Mariæ de Metauro. Actum in civitate Fani &c. "

Ann. Chr. 1419.

XXVIII. Aliæ epistolæ Ambrosii ad Barbarum.

INSUDAVERAT eodem tempore Ambrosius versioni plurium operum sancti Johannis Chrysostomi, quorum exemplar a se traductum mittit Barbaro [a] IV. idus januarias hujus anni, ipsius judicium exquirens, & postulans, ut ad oras marginales adjiciat, quæ sibi bene visa fuerint. Narrat in eadem epistola Nicolaum Florentiam reversum fuisse; curasse se, ut ad ipsum (Barbarum) deferrentur Basilii epistolæ. Nominat in ipsis literis comitem Johannem Bonafidem jucundissimum virum, & alterum humanissimum Fridericum Ferrariensem. Fridericus ex familia de Petiis negotia gerebat Nicolai marchionis Estensis apud Florentinos ex epistola LV. Aurispæ ad Ambrosium.

a *Lib. VI. ep. IX.*

Decimo-octavo kalendas junias [b] probatam ipsi Barbaro & Petro Æmiliano Vicetino episcopo summo & doctissimo viro suam Chrysostomi versionem gaudet. Meditatus insuper fuerat Barbarus proficisci in Palæstinam, sociosque hujus peregrinationis habere Cosmum Mediceum, & Nicolaum Nicolium. Verum, licet hi id summopere peroptarent, difficile ait futurum hujusmodi iter, quia Cosmus metuebat patri displicere posse sui absentiam, Nicolaus autem negotiorum familiarium inextricabilem labyrinthum objiciebat. Laudat in hac epistola Ambrosius Nicolaum alterum disertissimum physicum civem Venetum. Is est Nicolaus de Leonardis. Se Apollonium & Philostratum Barbari bona fide servare, donec nactus fuerit, qui perferat. Amori Barbari deputat, quod hic totum mundum, si fieri posset, conciliare, & sibi Ambrosio familiariter conjungere cuperet.

b *Lib. VI. ep. X.*

Literis datis [c] VI. kalendas octobris, & kalendis novembris ad eumdem Barbarum memorat Ludovicum civem Florentinum olim a se ipsi Barbaro commendatum per epistolam significasse patri suo, quanto sibi commodo, quantove emolumento fuisset hujusmodi commendatio pro assequendis liberalibus disciplinis, attenta summa præceptorum in urbe Venetiarum peritia, quantaque egregia benevolentiæ signa a Barbaro perceperit, itaut pater statuerit reliquos duos liberos suos Venetias mittere. Etiam Ludovicus recensetur a cardinale Quirino [d] inter adolescentes, quorum studiis patrocinatus fuerit Franciscus Barbarus. Subdit Ambrosius optimum senem Demetrium exscribere Philostratum de vita Apollonii, & jam exscripsisse Nicandrum & Diogenem Laertium, quos ipse Barbarus sibi Ambrosio commodaverat; hos quam primum ad eum perlaturos A.. Georgii civem Florentinum, Neriumque Dominicum. Nicolium præterea instasse, ut Climacum, quem idem Ambrosius traduxerat, ad Barbarum transmitteret. Sed penes se exemplar integrum non extare, vixque dimidium esse, reliquum accepisse unum ex amicis suis legendum, daturum tamen se operam, ut non diu illum desideret. Se ulterius constituisse e Græco vertere tres alios Chrysostomi libellos. Æneam (Gazæum) nisi truncum Florentiæ inveniri. Basilii epistolam, quam primum transtulit, a se evolasse, cujus similiter exemplar nullum neque apud se relictum, neque reperiundum in Florentina urbe; hanc proinde expetit

c *Lib. VI. XI, & XII.*

d *Pag. CXXVII.*

expetit iterum mittendam ad se. Nuntiat gravem & diutinam infirmitatem Antonii Corbinellii modestissimi viri, ex qua tamen, licet lente, convalescere incepit. Ita etiam molestiis gravissimis pressum & morbis Matthæum priorem, quem nihilominus confidit consolationi suæ reservandum. Salutat Leonardum Justinianum, Nicolaum Physicum, & Fridericum Cornelium; inclusas vero literas Johanni Cremonensi reddat precatur. — ANN. CHR. 1418.

QUOAD Climacum ab Ambrosio e Græco traductum, etiam ipsum dicaverat [a] circa hæc tempora eidem Matthæo priori sui monasterii Angelorum, cujus hortatu, & ut fratrum commodis consuleret, eumdem converterat, quia prior illa interpretatio parum satis Matthæo faciebat, videbaturque ad intelligendum difficillima, eo quod is, qui prior transtulit, inhæsisset literæ, atque contra veterum eruditorum præcepta de verbo ad verbum reddidisset, in utraque lingua minus quoque peritus fuisset, nullum tamen movet Ambrosius dubium quoad primi interpretis sanctitatem. — XXIX. Chrysostomi opera & Climaci vertit Ambrosius.

a *Lib. XXIII. ep. VII.*

Quoad vero Chrysostomi opera, quæ memorat a se traducta, extant ex ejus versione tres *de Providentia* ad Stagirium monachum libri, quos Renato Neapolis regi nuncupavit [b]. Hic aliquando Florentiæ fuerat, monasterium Angelorum visitaverat, & dulcissime cum Ambrosio colloquutus fuerat. Ipsum ex pluribus, sed præsertim ex pietate & clementia laudat. In codice CCII. Bibliothecæ Taurinensis regiæ membranaceo [c] seculi XV. folio 179. leguntur tres libri *de Providentia* ad Stagirium in Latinum sermonem conversi ab Ambrosio monacho Camaldulensi cum ejusdem epistola ad Petrum Lusitaniæ principem, quæ præfationis locum tenet. Initio codicis sex literarum ductus aureis laminis constant, pictusque cernitur monachus Camaldulensis deserto in loco arboribus undique consito in cellula sedens, codicemque ante se expositum scribens, ubi & parvam instructam habet bibliothecam. Æneæ autem Gazæi dialogum de Animarum immortalitate & corporis resurrectione dicatum voluit [d] illustri & nobilissimo viro Andreolo Justiniano. Legatur epistola [e] Augustini Justiniani ordinis Prædicatorum ad Philippum Saulum episcopum Brugnatensem, quam alibi refellemus.

b *Lib. XXIII. ep. VIII.*

c *T. II. pag. 56.*

d *Lib. XXIII. ep. XI.*

e *Lib. XXV. ep. XXXIV.*

Ad id præterpropter temporis referri potest Ambrosii epistola data ex Florentia XVII. Kalendas novembris [f] ad Guarinum, quem jam ante norat, & prope callebat, sed acceptis ejus literis suavitate, lepore & benevolentia plenis certum reddit, nil sibi gratius obvenire, quam frequentes ipsius & Barbari habere epistolas. Agit de pestilentia, quæ plures doctos viros effugaverat a Florentina urbe. Uti se librario quodam valde familiariter; hunc, cum tres Titi Livii decades jam fere absolvisset, & fuisset usus duobus exemplis, offendisse in altero eorum, quod erat emendatius, syncopem versuum fere sexaginta, ut ex alio, sed mendoso, deprehendit. Orat ergo, quandoquidem absunt a Florentia docti viri, ut si exemplum apud Barbarum, vel penes alium quemlibet sit, transcribantur ii versus, quos indicat. Subdit amicum se esse, familiaremque Gallesii viri optimi atque suavissimi ejus concivis, Veronensis scilicet, quocum sibi sermocinatio omnis de Barbaro, de Guarino, de reliquis Venetis studiosis; cui Gallesio in sequentem annum prorogatum est Florentiæ munusculum. Demum scribit certiorem se factum a Nicolio eumdem Guarinum emisse Xenophontem, in quo nonnulla ejus viri rariora habeantur opuscula, quem sperat ad se mittendum, ut transcribatur vel manu sua, vel manu Demetrii.

f *Lib. V. epist. XXXIII.*

Ann. Chr. 1418.

XXX. Epistola Bartholomæi de Monte-politiano ad Ambrosium.

a Lib. XXIV. epist. IX.

Comites Poggii in eruendis veteribus codicibus, præsertim in Helvetia & in Germania, erant Cincius ex Rusticorum Romana familia, & Bartholomæus de Monte-politiano. Hic postremus ex oppido Sancti-Galli [a] XIII. kalendas februarii hujus anni literas dedit ad Ambrosium, quibus narrat summum virum Emmanuelem Chrysoloram, cum se apud Johannem XXIII. Rom. pont. contulisset in urbem Constantiam, multa secum de clarissimis virtutibus Ambrosii solitum fuisse memorare, neque ipsum Emmanuelem ambiguisse Ambrosium inter ejus ætatis viros non solum natura & sanctimonia vitæ, verum & ingenio, studio, doctrina cum Latinis, tum etiam Græcis literis esse præstantissimum, eumque tales viros tantis virtutibus præditos solos existimare consuevisse esse sapientes, quod nec in prosperis insolescant, & adversos fortunæ casus media virtute cum æquanimitate patiantur. Se vero amantissimum tanti viri (Chrysoloræ) numquam a conversatione ejusdem patris discessisse, conatumque esse ejus sapientia fieri doctiorem; sed post mortem Emmanuelis (hæc contigerat in eadem urbe Constantia ante triennium anno 1415.) adhæsisse Cincio Romano, qui diuturniore tempore fuerat Emmanuelis discipulus, probatissimo viro, natura & moribus, exercitatione & doctrina bonarum artium, & utriusque linguæ eruditione ornatissimo, a quo plura didicerat, quæ ipse Cincius ab Emmanuele jampridem audierat, & hortatore eodem Cincio se plura Platonis opuscula, Protagoram de *Amicitia*, de *Fortitudine ejus viri*, de *Laudibus utriusque Romæ* conscripsisse, & ab illius quoque ore magna de laudibus Ambrosii excepisse. Demum se coluisse, magnaque caritate & eximia devotione complexum semper fuisse omnes Chrysoloræ condiscipulos (lege discipulos) inter quos laudat Guarinum Veronensem, Franciscum Barbarum & Andream Julianum patritios Venetos, cumque sibi solus deesset Ambrosius, gratissime factum, ut acceperit binas ipsius epistolas, quibus præsenti sua epistola responsum dat, ejus proinde amicitiam exposcens propter conjunctionem studiorum. Tum reddit rationem indolis suæ, seque ipsum coloribus exprimit. Addit se superioribus diebus scripsisse ad eumdem (Ambrosium) ad cancellarium Florentinum (Leonardum Arretinum) ad Antonium Pistoriensem, certioresque reddidisse, quantum hucusque in perquisitione codicum profecerit. Intrasse postea carcerem vetustorum librorum, inter quos offendit Flavium Vegetium Renatum virum illustrem de *Veteri Disciplina rei Militaris*; item antiquum codicem *de Significatione Verborum*, excerptum ex libris Pompeji Festi; demum consumptis his codicibus & in lucem provectis accingere se ad iter, ut X. Kalendas februarii ad aliud eremitarum monasterium in visceribus alpium situm proficiscatur, ubi compertum habuit magnam esse copiam hujusmodi vetustorum librorum, a quo cum reditum fecerit, restare subdit sibi adhuc tria monasteria adeunda, difficillima accessu, aspera, confragosa, per præcipitia alpium, fluminum, silvarum, seque situs & conditiones omnium locorum transcripturum. Mittit etiam ad Ambrosium brevem indicem multorum voluminum, sed non omnium, & efflagitat ab ipso notulam eorum, quæ videntur abolita, aut quodam fato obruta in tenebris locorum. Rogat denique, ut quæ scribit, conferat omnia, communiaque facit ipse Ambrosius cum Nicolao, qui hujusmodi studiorum omnium nostri temporis facile princeps est.

XXXI. Plurium monasteriorum historica.

Antiani Bononiæ olim, & etiam hoc anno die nona januarii commendarunt Petro Bellegno priori sancti Mathiæ de Muriano Jacobum de Poetis ipsorum civem pro obtinendo prioratu sanctæ Mariæ de Angelis Bono-

Bononiæ vacante ob mortem Bartholomæi de Prindipartibus Bononiensis postremi prioris. Petrus itaque prior, ad quem spectabat hæc electio, habito consensu capituli monasterii sui, eumdem Jacobum præfecit dicto cœnobio. ANN. CHR. 1418.

Lucidus cardinalis sanctæ Mariæ in Cosmedin familiæ de Comitibus procuratores instituit ad recipiendum prioratum sanctæ Trinitatis prope Perusium sibi commendatum, & vacantem ob mortem Francisci cardinalis, vulgo dicti Florentini. Actum apud Constantiam indictione XI. die XXI. februarii pontificatus Martini papæ V. anno primo.

Romanus pontifex Martinus V. mandat abbati monasterii sancti Firmimajoris Veronensis diœcesis, ut prioratui sancti Salvatoris de Curte-regia urbis Veronensis conjungat alterum prioratum Camalduli-Veronensis ad favorem Gregorii Donati monachi Vangaticiensis prioris sancti Salvatoris. Datum Constantiæ XVII. kalendas maji pontificatus sui anno primo. Electus fuerat a patribus Constantiensis concilii Martinus V. die undecima novembris antecedentis anni, rejectis depositisque Johanne & Gregorio inter se litigantibus.

Idem V. nonas julii pontificatus anno primo ex Gebennis confirmat monasterio sancti Blasii de Fabriano limites parœciæ, quos jam constituerat Philippus episcopus Camerinensis seculo XIII.

Trigesima octobris Jacobus abbas sancti Victoris de Clusis renuntiat suum monasterium sancti Victoris de Clusis monachis congregationis Montis-oliveti, & Benedicto de Cremona priori & rectori ecclesiæ sanctæ Catharinæ ejusdem oppidi Fabriani.

Obiit hoc anno Bernardus Riccius, olim Pandulphus, monachus Camaldulensis, & abbas sanctorum Justi & Clementis Volaterrarum. Frater ipse fuit Petri de Ricciis episcopi Arretini, inde archiepiscopi Pisani, qui ad hanc postremam ecclesiam elevatus fuerat anno 1411. ob promotionem Alamanni Adimarii ad S. R. E. cardinalatum, ut ex Mannio intelligimus in suo opere de Sigillis [a].

Nicolaus de Guasconibus abbas sanctæ Mariæ Majoris de Florentia post reditum factum a concilio Constantiensi, cui interfuerat, audiens mirabilem vitam monachorum novæ congregationis sanctæ Justinæ de Patavio, quæ per hos annos efflorebat, pœnitens vitæ suæ anteactæ, & regulam sancti patris Benedicti observare gestiens, petiit a Ludovico Barbo abbate ejusdem monasterii sanctæ Justinæ monachum aliquem recentis instituti, qui Florentinum monasterium reformaret. Destinavit Ludovicus venerandæ vitæ monachum, Gometium nomine, in priorem cum aliis sexdecim monachis, ad institutionem præfatæ abbatiæ, quos abbas Nicolaus incredibili suscepit lætitia, & non solum monasterii regimen, sed & seipsum veluti simplicem monachum magna cum humilitate in prioris tradidit potestatem, ut refert in libro [b] de initiis & progressu congregationis sanctæ Justinæ idem abbas reformator Ludovicus. Qui subinde relata [illegible] morte abbatis Nicolai in abbatia sanctæ Justinæ de Patavio, subdit in abbatiæ Florentinæ regimine successisse illi supradictum Gometium priorem, qui augmentatione monachorum & pulcherrimis ædificiis monasterium sanctæ Mariæ plurimum decoravit. Ipse est Gometius, qui post viginti & unum annos, congregationi Camaldulensi datus fuit ab Eugenio IV. præses generalis. Nicolaus autem de Guasconibus ad Deum transiit anno sequenti 1419. ut refert Puccinellius in historia abbatiæ Florentinæ [c].

a T. IX. pag. 63.

b *Apud Pezium pag.* 241.

c *Pag.* 32.

Ann. Chr. 1419.

XXXII. Epistolici commercii continuatio inter Ambrosium & Barbarum.

Ambrosius Barbaro [a] vi. nonas maji hujus anni commendavit Raynerium filium Petri Davanzati civis Florentini, qui pecunias quasdam recuperare contendebat depositas a parente suo apud procuratores sancti Marci urbis Venetiarum, ipsum commendandum oravit ejus fratri Zachariæ illustrissimo viro Veneta in civitate genere, dignitate, gratia plurimum potenti. Eumdem Raynerium simili officio prosequutus est Barbaro scribens Leonardus Arretinus epistola x. libri IV.

Hoc ipso anno cum rediisset ex Achaja Angelus Acciajolius, qui liberalitatem & humanitatem Francisci Barbari Venetiis expertus fuerat, in hujus laudem benevolentiæque ipsius erumpit epistola data [b] Ambrosius. Constanter fatebatur Acciajolius, „ si hujusmodi Barbaros reperiisse se „ posse arbitraretur, relictis patriis sedibus ipsos quoque Scythas aditu„ rum, penetraturumque usque ad Garamantas & Indos. “ Commemorat idem Ambrosius orationem funebrem a Barbaro ad se transmissam scriptam a rege Byzantino, quam magnifice & cum dignitate exaratam, opinione sua meliorem evasisse scribit, qua lecta amare, colere, observare illum regem se cepisse, quod prius, ut in animum suum induceret, vix fieri posse justis ex causis arbitrabatur. Existimat Barbarum orationes omnes accepisse a Poggio missas ope Nicolai Nicolii, de quibus diximus ad annum 1417. Eumdem Nicolaum subdit quamprimum missurum Pausaniam. Ex ejus pariter literis didicerit ipse Pompejum Trogum clarissimum historicum nuper ex Hispania in Italiam advectum opera summi atque doctissimi viri cardinalis Pisani Alamanni Adimarii. Nuntiat Leonardum Arretinum cepisse scribere commentaria de primo bello Punico ex Polybio, opus, ut audit, egregium, quo absoluto curabit, ut ad ipsum perferatur. Bernardum civem Venetum nondum libertate asserit donatum, spem tamen esse, ut brevi absolvatur, cui omni officio aderit tum ipsius Barbari, tum Friderici Cornelii doctissimi Veneti adolescentis literis admonitus. Se per Ludovicum Barbum abbatem sanctæ Justinæ Venetias revertentem insignem virum, qui aliquantulum remoratus fuerat Florentiæ, transmittere Philostratum, & propediem etiam Nicandrum. Gratias habet, quod Diogenem Laertium quamprimum sit missurus. Flagitat sibi exscribi ex Guarini volumine breviora & peregrina opuscula Xenophontis. Orat ut nuntiet, si quid novi habet de Johanne Chrysolora.

Cum pestis Venetiis sævire inciperet, Ambrosius literis datis kalendis junii [c] consilium Barbari probat confugiendi una cum Guarino Florentiam ad vitandum corruptum pestilentemque aerem. Laudat pariter ejus commentaria de Re uxoria inscripta ad Laurentium Mediceum, optimum Barbarique studiosissimum adolescentem, gratulaturque, quod „ tu unus pro„ fecto nostra ætate es, qui & vetustissimorum hominum summa & ex„ cellentia ingenia facile æquare, & nostri temporis superare etiam ido„ neus sis. “ Daturum demum se operam, ut Lactantius ejus quamprimum remeet ad suos penates. Superius consilium Barbari didicerat Ambrosius a Nicolao Cornelio cive Veneto clarissimo viro, qui coram Cosmo & Laurentio Mediceo magnifice de Francisco Barbaro verba sibi fecerat.

XXXIII. Antonius Parmensis deponitur, fit prior generalis Camald. Boncianius.

„ Ad synodum Constantiensem, ut diximus, se contulerat Antonius „ præses generalis Camaldulensium, multumque de se divinarum huma„ narumque scientiarum peritiæ ostenderat, nec non eruditissimo inge„ nio, ornatissimoque dicendi genere magnam sui in conventu patrum „ opinionem excitaverat. Quare post reditum suum plurimum elatus, „ ambitiosius, quam par erat, teste Fortunio [c], & quasi intolerabilem „ se

a *Lib. VI. ep. XIII.*

b *Lib. VI. ep. XIV.*

c *Lib. VI. ep. XV.*

c *P. I. lib. II. cap. 64.*

„ se gerere non animadvertens, graves controversias cum eremitis sustinere voluit, qui de eo apud ipsum Martinum pontificem Florentiæ agentem hoc anno questi sunt; eo res loci deducta est, ut Antonius jussu pontificis insignia exuerit generalatus, omnique jure & administratione Vangaticiensis monasterii, quod in commendam obtinebat, fuerit spoliatus. " Hujus rei auctor dicitur fuisse potissimum Hieronymus Pragensis. Antonio generalatu abeunte, die trigesima octobris Martinus V. de fratrum consilio & auctoritate apostolica Raphaelem Boncianium priorem sancti Benedicti extra muros Florentiæ in priorem generalem præfecit, eique utramque administrationem commisit tribus brevibus ipsi, eremitis, & fidelibus eremi datis anno secundo sui pontificatus, duodecim annis postquam prima vice a Gregorio XII. electus fuerat ad eam dignitatem, quam repudiavit. „ Fuit is, testimonio ejusdem Fortunii, „ vir comis & urbanus, & qui in magistratu gerendo errantibus multa „ patientia ostenderet iter, ut in viam justitiæ redire valerent. Conciliavit tamen sibi non modicam invidiam, quod secundo loco etiam suprema potestate potiusquam ordinaria religionis electione principatum ordinis adeptus fuisset, multumque propterea de ambitu fuit notatus. "

ANN. CHR. 1419.

XXXIV. Perseverat tamen Antonius in abbatia Vangaticiensi.

QUOAD abbatiam Vangaticiensem, qua expoliare Antonium Parmensem voluit Martinus, intelligimus id quidem tentatum, sed effectu caruisse, & ad quindecim annos commendatarium ejus monasterii perstitisse. Extat Thomæ Mocenici Venetiarum ducis ea super re diploma, quod libenter exscribimus. *Thomas Mocenico Dei gratia dux Venetiarum nobili & sapienti viro Bartholomæo Victurio de suo mandato rectori Abbatiæ fideli suo dilecto. Informati sumus, quod aliqui moliuntur, vel moliti sunt expellere de possessione abbatiæ Vangaticiæ venerabilem dominum abbatem præsentem, quem magnificus dominus marchio Estensis filius noster carissimus fecit nostro dominio intime recommendari. Et quia locus Pollicinii est, sicut scitis, dicti magnifici marchionis, & per consequens dicta abbatia, sed ipsum locum habemus in pignore, vestræ fidelitati scribimus & mandamus, quod in casu, quo de facto monasterio dictæ abbatiæ fieret seu fieri vellet aliqua novitas per quemquam, non vos debeatis impedire, nec intromittere de dicto facto, sed permittatis, quod dominus marchio, seu deputati aut deputandi per eum in hoc faciant & disponant, sicut sibi videbitur & placebit. Datum in nostro ducali palatio die vigesima novembris indictione* XIII. M. CCCC. XIX. Indictio mutata fuerat mense septembris. Nicolai itaque marchionis Estensis auctoritate, & commendationibus Veneti ducis confirmatus fuit Antonius in regimine abbatiæ Vangaticiensis, cujus timebat jacturam facere.

XXXV. Monumenta simul collecta aliquot monasteriorum.

IPSE Antonius cum adhuc priorem Camaldulensem ageret, hoc anno undecima februarii confirmaverat ad instantiam Matthæi Viterbini procuratoris congregationis monachorum Montis-oliveti conventiones olim initas inter abbatem Valle-castrensem, & inter monachos Olivetenses sanctæ Catharinæ de Fabriano quoad donationes bonorum his factas a familia Clavella Fabrianensi.

Vigesima-sexta januarii Petrus abbas Burgi-sancti-Sepulcri ejusque monachi annuum subsidium imposuere ecclesiæ sanctæ Agnetis in Collina de Perusio, quæ erat opulenta, ad sublevandam paupertatem alterius ecclesiæ sancti Severi in Monte de Perusio, quæ ope indigebat; ex tabulario sancti Severi.

Monasterium sanctæ Mariæ de Camaldulo-Bononiensi milliario aberat a porta sancti Stephani urbis Bononiæ. In via, antequam ad monasterium perveniatur, ad dexteram manum reperitur columna super basi,

quæ

ANN. CHR. 1419. quæ iter ostendit, quo ad ipsum cœnobium pergitur. In ipsa basi hæc verba leguntur: QUESTA SI E' LA CROXE, CH' E' PROPRIAMENTE DEL MONISTIERIO DE MADONNA SANTA MARIA DA CHAMALDOLI. AN. M. CD. XIX.

Romanus pontifex Martinus V. sexto kalendas februarii pontificatus sui anno secundo ex urbe Mantuana confirmavit monasterio sanctæ Mariæ de Carceribus unionem hospitalis sancti Danielis de Patavio factam a Raymundo episcopo Patavino anno 1381. Decimo kalendas aprilis ex Florentia suscepit sub apostolica protectione monasterium feminarum ordinis sancti Benedicti appellatum sanctorum Gerardi & Hieronymi de Florentia, unitum postea parthenoni sanctæ Agathæ. Vigesima aprilis [a] commisit Petro Nicolao canonico Narbonensi residenti in curia Romana, ut abbati sancti Bartholomæi de Sancta-jucunda diœcesis Lucanæ permitteret applicationem Florenorum mille quingentorum auri ex rebus male ablatis ad sublevandam inopiam monasterii ejusdem, quod ex ditissimo & susceptore peregrinorum & advenarum, ob turbines bellorum, ad eam egestatem devenerat, ut neque abbatem cum simplici monacho alere valeret, & insuper erat in ædificiis collapsum; quinta vero julii [b] præcepit eidem Petro canonico, ut præpositis, prioribus & rectoribus ecclesiarum & monasteriorum diœcesis Lucanæ notam faceret hujusmodi concessionem, ac facultatem tribueret eidem abbati sancti Bartholomæi absolvendi etiam in foro conscientiæ, qui sibi afferrent res male ablatas, vel subjectas incertæ restitutioni. Quinto-decimo kalendas maji confirmavit unionem olim factam a Gregorio XII. capitulo canonicorum Lucensium monasteriorum de Quosa & de Puteolis, datis literis episcopo Lucensi. Mandavit pridie nonas augusti abbati sancti Michaelis in Burgo Pisarum, ut investiret Petrum presbyterum de quadam capella in ecclesia sancti Stephani monialium ordinis sancti Benedicti. Aliquas ex his bullis edimus in Appendice, ceteras novimus præsertim ex tabulario sanctæ Mariæ Angelorum, & sanctæ Agathæ de Florentia. Ex chartis etiam abbatiæ Balnei Ludovicus episcopus Magalonensis Francisci archiepiscopi Narbonensis camerarii Martini V. commissione mandavit die XV. septembris hujus anni Delphino de Gozzadinis abbati sanctæ Mariæ de Casa-nova Pennensis diœcesis, ut Matthæum Bellatium Florentinum canonicum Cortonensem gubernatorem hospitalis pauperum sancti Uberti vel Roberti de Trappola Sarsinatis diœcesis electum per Johannem papam XXIII. post resignationem Georgii Nicolai de Luco Mucelli olim rectoris, molestari non fineret.

Circa hæc tempora, & facile occasione incolatus ejusdem Romani pontificis in urbe Florentina, Ambrosius ipsi dicavit [c] opus Manuelis Calecæ adversus errores Græcorum *de Processione Spiritus-sancti*, quod ipse eidem præceperat, ut in Latinam linguam transferret. Auctorem hunc ex Urbe regia secum devexerat Antonius Massanus; Ambrosius autem totum opus uno volumine comprehensum in quatuor libros partitus est.

„ Florebant in monasterio sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia per hos „ dies duo insignes pictores, quorum primus Laurentius Florentinus Thad„ dæi Gaddii imitator, templum tabulis primus exornavit & Angelorum, „ & sancti Benedicti. Deinde pinxit ad templum sanctæ Trinitatis sacellum „ Bartholinorum atque Ardinghellorum, ubi effigiem Danthis atque Pe„ trarchæ scite expressit, in basilica sancti Petri ædiculam Fieravantum, „ fecitque alias insignes picturas apud Cartusiam, multisque aliis in locis, „ quæ a Georgio Vasario recensentur, & longe plura fecisset, nisi aposte-

„ matis

[a] Num. 146.

[b] Num. 205.

[c] Lib. XXIII. ep. I.

„ matis ulcere extinctus fuisset anno 1429. Batholomæus itidem Delagatta „ ejus discipulus præter picturam minii & architecturæ peritiam per ora „ virum hactenus volitat. Is cum esset abbas sancti Clementis Arretii, „ picturæ & minii præclara opera ad cœnobium sanctæ Floræ monachorum „ nigrorum potissimum edidit, & in missale, quod Sixto quarto papæ do- „ no datum est, in prima canonis pagina passionem Christi penicilli ope- „ re mirabiliter effigiavit, quæ utique a peritissimis pictoribus multum lau- „ data est. Cernuntur aliæ ejus picturæ insignes in confratria Arretina, ubi „ simulacrum sancti Rocchi commendat Deiparæ virgini Mariæ populum „ Arretinum cum expressione plateæ & domus confratriæ mira arte; sed „ mirabilius maxime visu est, quam graphice & secundum naturam ibidem „ effigiati sunt ministri confratriæ, sicut eorum interest omnia defuncta in „ urbe corpora tumulare. Duxit aliam sancti Rocchi effigiem in basilica „ tum sancti Petri, tum Plebis, cujus manus & caput magnam felicitatem „ habuisse dicuntur. Pinxit Romæ capellam Sixti, duxit varias formas ad „ Montem-sancti-Sabini, ad Burgum-sancti-Sepulcri, & in oppido Castilio- „ nis, Gentili episcopo Urbinati, & in omnibus fere templis Arretinis, ut „ Georgius refert. Ornavit præterea templum suum sancti Clementis orga- „ nis sua manu factis, quæ licet altiori in loco prominerent, sic tamen dis- „ posita extant, ut fistulis flatum ex inferiori parte darent, ipseque ex pa- „ vimento & musicis in choro vocibus, & simul organis ad libitum cane- „ ret. Denique cum graphidem in templo Deiparæ virginis, quæ Lacry- „ marum dicitur, elaboraret, quæ insignis est, defecit e vita octuagesi- „ mum-tertium natus annum, & tumulo hujusmodi insculptum carmen. ANN. CHR. 1419.

Pingebat docte Zeusis, condebat & ædes
Nicon, Pan Capripes fistula prima tua est.
Non tamen ex vobis mecum certaverit ullus,
Quæ fecistis tres, unicus hæc facio.

Hæc de Laurentio & Bartholomæo insignibus miniatoribus & pictoribus monasterii sanctæ Mariæ Angelorum ascetis Fortunius [a].

[a] P. II. lib. III. cap. 18.

ANN. CHR. 1420. XXXVI. Monachi Silvestrini petunt unionem cum Camaldulensibus.

PERTINET ad hunc annum Ambrosii epistola [b] ad Johannem de Sancto-miniate celebrem monachum sanctæ Mariæ Angelorum, sed qui tunc aberat a Florentia, sequutus Raphaelem Boncianium supremum ordinis Camaldulensis præfectum. In ea data ex Florentia die IX. septembris prius expostulat cum Johanne, quod tamdiu literarum officiis siluerit, meliusque profecto actum esset, subdit, si remoratus fuisset in monasterio Angelorum, ubi pleraque negotia requirebant ejus præsentiam, quam ut cum tanto monasterii detrimento directus fuerit, ut consuleret commodis ejus loci, ubi tunc degebat. De Anselmo quodam agit, quem citari fecerat cardinalis Raynaldus Brancaccius ordinis protector, interposita quoque pontificis summi Martini V. auctoritate. Negotium aliud proponit cautissime & secretissime cum generali tractandum, quod est hujusmodi. „ Abbas, inquit, sanctæ Helenæ vir, ut nosti, bonus, una etiam „ abbas sancti Zenonis me jam bis convenerunt, asserentes dominum gene- „ ralem fratrum sancti Marci (Bernardum videlicet a Saxo-ferrato ordinis sancti Benedicti congregationis monachorum sancti Silvestri, qui habitabat in monasterio sancti Marci Florentiæ) de fratrum concordia cu- „ pere se suosque monasterio nostro adjungere, fierique corpus unum no- „ biscum ea conditione, ut hic Florentiæ in monasterio sancti Marci „ constituerentur viri religiosi, qui servarent ibi clausuram perpetuam

„ more

Ann. Chr. 1420.

„ more nostro, regulamque sancti Benedicti ; ea enim ratione facillime „ inducendos cives ac parochianos, ut suum, & quidem libentissime assensum præstent. Respondimus nos nulla ratione assentiri velle, ut ex „ nostro monasterio monachi eo mitterentur, nolentes ex reformatione „ alterius incerta nostri monasterii desolationem haud dubiam sequi. Ad „ hæc illi hortati sunt, ut ista patri generali scriberemus, aut certe tibi, ut cum illo ista conferres, curaturus illuc, ut ex Venetiis aliqui „ monachi adducerentur, quod facio, hortorque, ut secrete ista secum „ tractes, nobisque quid sibi tibique visum fuerit, statim rescribas. Sequeretur inde quidem honor ordinis nostri atque amplificatio. Sed heu „ quotus quisquam reperiri poterit, qui regulariter vivere velit? " Demum refert omnes bene valere, præter priorem Matthæum, qui idem perseverat, tumidus collo, brachiis, tibiis, pedibus, omnesque insuper expectare ipsius Johannis reditum Florentiam. Habemus instrumentum electionis Bartholi Angeli de Cingulo presbyteri in procuratorem ad supplicandam a Romano pontifice unionem ordinis sancti Silvestri cum ordine Camaldulensi, confectum secunda die octobris indictione XIV. anno M. CCCC. XXI. Memorandum hocce factum, ut adnotat Cannetius, jejune oscitanterque indicat Fortunius, & erroribus involvit; quare aperta in luce collocat idem doctissimus præsul in notis ad epistolas Ambrosii. „ Ecclesiam, inquit, & cœnobium sancti Marci illustre condiderunt „ primum Florentiæ monachi Silvestrini instituti a beato Silvestro Gozzolino Auximano. Andreas Jacobi Fabrianensis quartus eorum prior „ generalis auctor fuisse fertur Florentini illius monasterii, cui sancti „ Marci evangelistæ inditum nomen. Antiqua monumenta docent locum „ Deo dicatum in honorem sancti Marci, Benedicti & Bernardi. Templi tunc primum lapidem sollemni prece adhibita jecit in fundamenta „ Franciscus Monaldescus Balneoregiensis Florentiæ episcopus anno 1299. „ die VIII. martii indictione XII. pontificatus Bonifacii VIII. anno V. „ Aderant sacræ pompæ honestandæ causa Aldobrandinus Reatinus episcopus (de quo altum Ughellii silentium) nec non abbates sanctæ „ Mariæ Florentiæ & sancti Miniatis in Monte, & innumerabilis populi „ multitudo, ut habet charta Blasii Compagnutii judicis imperialis in „ bibliotheca sancti Marci asservata. Commissa fuit mox iis monachis „ insequenti anno cura animarum, ac parœciæ fines constituti, intra quos „ via quædam Silvestrina appellata idcirco est. Verum lætis ejusmodi „ initiis infausti admodum eventus integro post seculo successere. Nam „ ut est labilis ac prona rerum humanarum vicissitudo, inclinata jam & „ tepescente ibi austeriore monachorum disciplina, populus, qui sacræ „ eorum suberat curæ, illos de neglecta regulari observantia ad Martinum V. detulit, urgente accusationem Johanne Martinio Lucæ filio, „ viro generis splendore, oris dignitate & animi præstantia eximio, qui „ & Silvestrinos loco amoveri petiit, & Dominicanos accersiri ex Fesulano cœnobio, ubi tunc arctior cepta erat illius ordinis reformatio. „ Res eo deducta est, ut cognita jussu pontificis causa, Johannes abbas „ sancti Pauli ad ripam Arni Pisarum sententiam juxta populi votum in „ monachos illos tulerit anno 1418. Johanne Bandinio tabellione. Perseverabant tamen hoc anno in suo domicilio monachi; immo a præfata sententia audacter provocarunt post aliquot annos ad Basileense concilium, misso illuc Stephano de Castelletta, qui postea generalis prior „ decimus ordini suo præfuit. At huic obstitere coram acerrimi ac validissimi adversarii duo, Johannes de Turrecremata sacri palatii tunc magister,

„ gister, mox S. R. E. cardinalis tuendo sui ordinis juri intentus, nec- Ann. Chr. 1420.
„ non Bartholomæus Martellus a Cosmo & a Laurentio de Medicis ea
„ de causa illuc missus, ut Dominicani, quibus Medicei impense fave-
„ bant, adjudicato sibi cœnobio demum potirentur. Quo circa ea, quæ
„ Florentiæ lata fuerat, confirmata est in Basileensi synodo sententia.
„ Hunc contentionis exitum fuisse narrat Ferdinandus-Leopoldus de Me-
„ liore Florentiæ illustratæ parte I. pag. 210. Aliter longe rem conclu-
„ sam esse tradunt selectiora monumenta congregationis Silvestrinæ, au-
„ ctore Johanne-Matthæo Feliciano abbate generali, quæ mss. habentur
„ in archivo monasterii sancti Benedicti de Fabriano. Ibi in serie mo-
„ nasteriorum num. XXIII. legitur: Cum ergo nostri patres in Basileæ
„ concilio reclamassent, ac Stephanus a Castellecta illuc se contulisset,
„ a patribus concilii obtinuit ademptum sancti Marci locum restitui;
„ quod tamen juxta mentem minime evenit. Quoniam cum idem pon-
„ tifex Florentiæ adhuc moraretur, quod jam decreverat, constanter su-
„ stinuit, immo majori indignatione succensus totam congregationem de-
„ struere minabatur. In hac profecto narratione aberrat scriptor iste,
„ cum uni Eugenio totam actorum seriem tribuit, quæ Martini ponti-
„ ficatu inchoata ad successorem longa fune deducta, demum ab Euge-
„ nio IV. terminata est. Utcumque turbæ illæ successerint, profecto an-
„ te annum 1436. nequaquam inde abiisse monachos, neque in eum lo-
„ cum successisse legimus fratres ordinis Prædicatorum. Enim vero eo
„ anno bullato Eugenii diplomate revocata est unio ecclesiæ sancti Geor-
„ gii pridem adnexæ conventui sancti Dominici Fesulano, eaque dece-
„ dentibus e sancto Marco Silvestrinis tradita, qui illuc concesserunt.
„ Interim in ipsum divi Marci cœnobium magna pompa inducti sunt Do-
„ minicani, possessionem ineunte fratre Cypriano Florentino. Eo igitur
„ æstuante turbine, qui duodeviginti annis efferbuit, monachi Silvestri-
„ ni, ut cœnobio sancti Marci, totique suæ periclitanti congregationi
„ prospicerent, nihil sibi magis præsentaneum duxerunt, quam si Ca-
„ maldulensium monachorum præsidium occuparent, quibuscum sacrum
„ jam quoddam religiosæ societatis & communionis fœdus præcedenti se-
„ culo, præsertim cum ascetis cœnobii sanctæ Mariæ Angelorum de Flo-
„ rentia, ut vidimus ad annum 1347. ferire studuerant. " Hæc Canne-
tius, quæ illustrant superiorem epistolam. Sed Silvestrinorum desiderium ex narratis effectu caruit, neque monachi Camaldulenses Florentini Angelorum, aut Veneti aures accommodavere tractatui.

XXXVII. Ambrosius publice docet in monast. Angelorum.

In vita Jannottii Manetti, quam scripsit Naldus Naldi apud Muratorium,[a] habetur, quod „ is Græce scire in animum inducens, acceptis
„ primis illis, quæ dari rudibus atque inexpertis solent, ex Ambrosio, qui
„ ædi sacræ Angelorum præerat gubernandæ, quædam Græca volumina
„ sic voces audiens hominis doctissimi accepit, ut præter cetera Pediam
„ Cyri quamdiligentissime cognosceret. " Nimirum, licet sanctissime reclusionis leges in suo monasterio servaret Ambrosius, Græcam linguam liberalesque artes Florentinis civibus tradebat, studiorumque ludus valde celebris, ut scribit Fortunius, intra cœnobii officinas fuit apertus.

In eodem monasterio sanctæ Mariæ-angelorum supremum diem obiit hoc anno Petrus Fernandi Frias S. R. E. cardinalis, qui Florentiam cum Martino V. Romano pontifice venerat, ut ex anonymo scriptore historiarum Florentinarum hujus temporis legitur apud eumdem Muratorium[b]. Ciacconius[c] decessisse scribit mense septembri, & sepultum in templo ejusdem cœnobii, sed postea ipsius corpus in urbem Brugensem fuisse translatum.

a T. XX. col. 533.
b T. XIX. col. 970.
c T. II. col. 689.

ANN. CHR. 1420.

XXXVIII. Capitulum generale in Fonte-bono.

a §. *Statuta* 17. *A.* 5. 4.

CELEBRATUM fuit hoc ipſo anno die prima ſeptembris [a] in Fonte-bono capitulum generale congregationis, in quo præfuere, præter Raphaelem ſupremum præſidem, Hieronymus de Praga & Hieronymus de Balneo ex eremitis, Simon abbas ſancti Felicis in Platea, Andreas abbas ſancti Bartholomæi de Anglario, Euſtachius abbas Vallis-caſtri, & Johannes abbas ſanctæ Mariæ de Urano, qui inter alia ſtatuerunt, ut hoſpitale ſancti Frigdiani Piſarum deinceps continuo ſubeſſe deberet regimini eremitarum Camaldulenſium, ut olim fuerat, & hoſpitalarius ſolveret quotannis certam pecuniæ quantitatem. Inſuper quædam decrevere quoad rectum ſtudiorum & ſtudentium ordinem. Approbaverunt licentiam plebani Balnei ædificandi capellam ſancti Antonii in eccleſia ſancti Petri de Corzano. Aliqua etiam ad favorem converſorum determinavere, quoad percipiendos fructus ſuorum bonorum mobilium & immobilium. Demum ex archivo monialium ſancti Bartholomæi de Burgo-ſancti-Sepulcri, alias ſanctæ Margaritæ, examinandam dedere Franciſco abbati ſanctæ Helenæ de flumine Æſino, & Bartholomæo priori Camalduli Foro-livienſis quamdam terrarum litem, quam habebant dictæ moniales cum aliis parthenonis ſanctæ Catharinæ æque Camaldulenſibus, & in eodem Burgo-ſancti-Sepulcri exiſtentibus.

XXXIX. Uniones aliquot monaſteriorum factæ a Martino V.

b *Num.* 234.

c *Num.* 20.

d *Num.* 217.

ROMANUS pontifex Martinus V. vigeſima-ſeptima martii hujus anni [b] mandavit archiepiſcopo de Nazareth, ut Petrum de Lierna monachum ſancti Johannis-evangeliſtæ de Burgo-ſancti-Sepulcri idoneum repertum conſtitueret in abbatem ſancti Salvatoris de Silva-munda, benedictioniſque munus impertiretur. Die XVII. maji [c] pontificatus ſui anno III. ex Florentia in conſervatores judices monaſterii ſanctæ Mariæ-angelorum de Florentia creavit archiepiſcopum Florentinum, abbatem ſanctæ Trinitatis, & abbatem Septimi extra & prope Florentiam. Vigeſima-prima octobris pontificatus ſimiliter anno tertio [d] univit, & commiſit Salutato Salutati canonico Florentino unionem abbatiæ ſancti Januarii Campileonis diœceſis Arretinæ eidem monaſterio Angelorum, ſi aſſenſus accederet abbatis ſancti Januarii, & poſt ipſius obitum dumtaxat, ac talis unio non duraret niſi per novennium; ex quo intelligimus hanc fuiſſe potius reformationem quam unionem, vel unionem ad tempus fuiſſe definitam, ut ſic provideretur indigentiis præfati monaſterii Angelorum. Eidem Angelorum cœnobio copulaverat iterum decimo-octavo kalendas februarii cœnobium ſancti Petri de Cerreto ſemel unitum antecedentibus annis per Balthaſſarem Coſſam epiſcopum Tuſculanum tunc Johannem XXIII., ſed cujus bullæ ea ſuper re nondum ſortitæ fuerant ſuum effectum. Hæc ex tabulario ejuſdem monaſterii Angelorum. Ex illo ſancti Petri de Luco idibus januarii commiſit abbati ſanctæ Floræ de Arretio, ut recuperaret bona male diſtracta hujus parthenonis.

Adjuncta fuerat ab eodem Romano pontifice anno præterito congregationi monachorum Montis-oliveti abbatia ſancti Bartholomæi de Campo-regiano, Placido abbate cedente, & mandata pontificis exequente abbate ſancti Verecundi de Spiſſis, qui abbatialem ibidem dignitatem ſuppreſſerat, ſacrorum adminiſtrationem vicario commiſerat, & cum pertinentiis ſuis copulaverat cœnobio ſancti Donati ad Fauces, quod incolebant monachi Mont-olivetenſes. „ Anno proxime accedente, nempe præ„ ſenti, cardinalis, cui in commendationem obvenerat ſanctæ Crucis de „ Fonte-avellana abbatia, adjunctionem quammaximo ſuæ abbatiæ de„ trimento ſuſtinens, litem Olivetanis intendit. Nitebatur cardinalis in „ eo, quod literarum de conjunctione apoſtolicarum exordium hujuſmo-

„ di:

ANN. CHR. 1420.

„ di: *Sane pro dilectorum filiorum Placidi abbatis monasterii sancti Bar-*
„ *tholomæi de Campo-regio Romanæ ecclesiæ immediate subjecti*; ajebat
„ ipse literas procul dubio subreptitias, cum Campo-regiana esset Avel-
„ lanæ pleno jure subjecta. Utrinque rationibus productis, cum cardinalis
„ intellexit ab eo jure, quod peteret, se longius abesse, litigio cessit,
„ monachi sancti Donati in abbatiæ possessione quieverunt. Nihilominus
„ cardinale in ejus, qui ab episto is erat, nepotem paulo post collata,
„ is denuo cum monasterio litem instituit. Causa ab utrisque variis ex
„ tabulis dicta steterunt Olivetani, & obtinuerunt." Hæc Lancellottus [a] in historia Olivetana. Cardinalis abbas commendatarius Fontis-avellanæ fuit Lucidus de Comitibus, qui successerat hoc ipso anno Mariotto abbati defuncto die tertia octobris. Facile ob cessionem ejusdem cardinalis reperitur ad annum 1424. Petrus de Serra abbas generalis abbatiæ & monasteriorum Fonte-avellanensium.

[a] *Pag.* 308.

XL. Aliæ a Johanne episcopo Camerinensi.

JOHANNES episcopus Camerinensis indictione XIII. die mercurii septima mensis februarii confirmavit commendam ecclesiæ sancti Laurentii de Muscano Petro rectori ecclesiæ sancti Petri de Muscano. Die vero sexta-decima ejusdem mensis Anselmus abbas sancti Blasii de Fabriano ejusque monachi procuratorem crearunt ad petendam ab eodem episcopo unionem ecclesiarum sancti Petri de Colcello, sancti Angeli de Rosenga, & sancti Laurentii de Muscano dictæ Camerinensis diœcesis, quæ subjiciebantur monasterio sancti Blasii, erantque ipsius membra, cum ecclesiis sancti Stephani de Genga, sancti Stephani de Valle-montagnana, & sancti Petri de Muscano membris etiam ipsis abbatiæ sancti Blasii, & loci proximitate contiguis; & insuper ad uniendas eidem sancti Blasii monasterio ecclesiam sanctæ Mariæ inter Saxa, dimidium ecclesiæ sanctæ Mariæ in Campo, & ecclesiam sancti Petri de Vembricellis. Pariter die decima-tertia novembris alium procuratorem instituerunt ad impetrandam unionem harum postremarum ecclesiarum cum cœnobio sancti Blasii a Gabriele Condulmerio legato Marchiæ, quia sancti Blasii monasterium ex unione abbatiæ sancti Victoris de Clusis cum ecclesia sanctæ Catharinæ monachorum Montis-oliveti adeo erat depauperatum, ut monachi in summa rerum egestate viverent.

Ex archivo sancti Blasii, ex quo has notitias hausimus, habemus præterea Eustachium Valle-castrensem abbatem instituisse die vigesima-secunda maji Johannem monachum suum in rectorem ecclesiæ sancti Johannis de Camurano diœcesis Anconitanæ.

In actis Visitationum hujus anni legitur Angelum monachum sancti Benedicti de Monte-subasio rexisse monasterium sancti Silvestri de eodem Monte opera Brachii, & expulisse inde Simonem abbatem. Quare visitatores Angelum ad Raphaelem priorem generalem destinarunt, ut abjectis atris vestibus, albas indueret, ac instituta Camaldulensia sequeretur. Nominantur ibidem sexdecim manualia loca dicti monasterii sancti Silvestri. In iisdem actibus mentio fit Camaldulensis prioratus de Scopio in Tudertino territorio. Brachius Perusinus his temporibus longe lateque armorum potentia dominabatur.

Cum lis orta fuisset inter Petrum Nanium episcopum Torcellanum, & inter Petrum Bellegnum priorem sancti Mathiæ de Muriano circa contributionem census duarum ampullarum vini, octava novembris utraque pars compromisit in Raphaelem Fulgosium doctorem amplissimum, qui sententiam in favorem prioris dixit; ex tabulario ejusdem monasterii. Raphael adstiterat inter ceteros J.V.D. concilio Constantiensi.

ANN. CHR. 1420.

In necrologio Vangaticiensi adnotatur per domnum Antonium a Ferro venerabilem abbatem hujus loci positum fuisse organum in ecclesiam octavo idus aprilis, & apertam fuisse portam ipsius sexto kalendas octobris anno M. CCCC. XX.

ANN. CHR. 1421.

XLI.
Obit Matthæus prior Angelorum Florentiæ.

KALENDIS maji hujus anni ad Deum transiit Matthæus Guidonis prior monasterii sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia, cujus sancti patris, ut vocat, obitum, laudes, multaque in se merita recenset Ambrosius in epistola data decimo Kalendas septembris ad Franciscum Barbarum. Male in necrologio Vangaticiensi ejus obitus refertur tertio Kalendas junii hujus anni. „ Sanctus, inquit, pater noster tui amantissi-„ mus Kalendis maji proxime præteritis migravit ad Christum. Hujus „ mihi obitus tantum mœroris injecit, tantumque tenebrarum offudit „ oculis meis, ut credi vix possit. Ea enim erat ejus in me amoris vis, „ tanta benignitas, tam grata præsentia, ut sine illo vix vivere possim, „ ex quo vita, ut ita dixerim, pendebat mea. Nego ego ullum homi-„ nem cariorem gratioremque fuisse quam me sibi. Quod cum alias sem-„ per, tum eo ipso ultimæ ægritudinis suæ tempore animadverti, cum „ me ille tristem ac pene emortuum consolaretur, ac blando eloquio fo-„ veret, amplexareturque arctius, quodque verbis non poterat, summa „ frontis hilaritate, crebrisque oculis significaret. Vix enim faciem meam „ ab ejus ore quisquam potuit, quoad animam efflavit, evellere. Quo „ tamen in tempore, flentibus omnibus filiis suis, quos Christo ipse „ genuerat, solus ipse tanta serenitate animi & vultus perstitit, ut nun-„ quam illum lætiorem viderimus. Erat autem (quod ipse minime igno-„ ras) lætus semper ac renitenti facie. Quid plura? Vidimus in illo „ atque in ejus corpore signa futuræ gloriæ. Namque & ipsum cadaver „ exanime omni vitro purius & mundius, nulla refragante macula, ri-„ debat, ea, qua migrarat, serenitate in ejus vultibus perseverante. Cu-„ jus ego rei miraculo etsi mœroris maximam partem lenierim, cum „ plena essent gaudiorum ac spei optimæ omnia, non potui tamen pe-„ nitus imperitare tristitiæ, nec modo quidem possum; tantum mihi il-„ le sui desiderium reliquit, vixque stillantes oculos hi apices evadunt. „ Fateor, Francisce carissime, tantum me cepisse mœroris, ut delicias om-„ nes meas priores, humanitatis videlicet studia, ex tunc fere missas fe-„ cerim, vixque me hactenus colligere ac recuperare possim. Quam-„ quam certo scio meritis exactæ sanctissimæ vitæ gloria cœlesti ac bea-„ ta immortalitate donatum, esseque advocatum nostrum apud Patrem." Demum salutat Barbarum nomine novi prioris, qui & ipse sanctus atque integer, Augustini scilicet Sbrigantini, qui in locum Matthæi electus fuerat die secunda maji [a] confirmatus a Raphaele Boncianio priore generali. Augustino sequenti anno quinto nonas octobris extincto Lucas de Maleficis fuit suffectus, qui dormitorium novum absolvit, Johanne Becii Medice, Nicolao Uzanensi, & comite Carmignolæ opem ferentibus, qui omnes Ambrosio erant devotissimi, ut scribit Fortunius [b].

a Arch. Angel. num. 339.

b P. II. lib. III. cap. 19.

XLII.
De abbatia Cerretana unita monast. Angelorum Florentiæ.

JOHANNES papa XXIII. anno quarto sui pontificatus, idest anno 1413. copulaverat monasterium sancti Petri de Cerreto cum cœnobio sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia. Verum, quia vivente adhuc Laurentio abbate Cerretano, Johannis bulla suum non fuerat sortita effectum, ac hujus generis bullas incompletas revocaverat & cassaverat initio sui pontificatus Martinus V. supplex iterum porrectus fuerat ipsi pontifici libellus a monachis Angelorum anno 1419. qui proinde die XXV. octo-

Ann. Chr. 1421.

octobris [a] pontificatus sui anno secundo dederat in mandatis abbati sancti Martini de Pinu diœcesis Arretinæ, ut unionem denuo curaret, veris existentibus narratis, ac insuper in monasterio Cerretano vicarium perpetuum constitueret. Sed quia in hac bulla expressus non fuerat census, quem dicta sancti Petri abbatia solvebat eremo Camaldulensi, ideo pontificatus sui anno tertio die XVII. januarii [b] supplevit huic defectui, voluitque, ut census unionem non impediret, sed a monasterio Angelorum eremo Camaldulensi solveretur, ut solvebant abbates dicti monasterii. Eodem anno nempe 1420. XX. martii [c] concessit Laurentio abbati, ut propter grandævam ætatem regimen abbatiæ dimitteret, reliquamque vitam suam complere posset in monasterio Angelorum, in quo professionem emiserat, si monachi ipsum recipere annuerent. Verum cum adhuc in regimine abbatiæ persisteret Laurentius, hoc anno pontificatus sui quarto die septima martii ex Urbe commisit abbati sancti Martini de Pinu [d], simulque priori cœnobii Angelorum [e] visitationem ejusdem abbatiæ Cerretanæ, ad petitionem eorumdem monachorum Angelici conventus, qui questi fuerant ob malum regimen, grandemque Laurentii ætatem tum spiritualia, tum temporalia ejus monasterii pessum ire.

a Num. 144.
b Num. 186.
c Num. 142.
d Num. 200.
e Num. 145.

XLIII. Compositio inter monachos Montis-oliveti & illos S. Blasii de Fabriano.

Octavo idus junii pontificatus sui anno quarto idem Romanus pontifex mandavit patriarchæ Gradensi, ut liberaret monasterium sanctæ Mariæ de Carceribus ab annua pensione centum ducatorum auri, quam solvebat monialibus parthenonis Corporis-Christi Venetiarum; confirmaret autem alteram pensionem debitam monasterio sancti Michaelis de Muriano a præfato de Carceribus.

Ratas habuit XVI. kalendas novembris pontificatus anno quarto ex Urbe apud sanctam Mariam-majorem conventiones initas inter abbatem sancti Blasii de Fabriano, & inter priorem sanctæ Catharinæ quoad lites, quæ a pluribus annis vigebant in utroque monasterio circa cœnobium sancti Victoris de Clusis. Conquerebatur abbas sancti Blasii monachos Olivetanos potentia familiæ Clavellorum, & subreptitiis literis impetrasse anno 1405. ab Innocentio VII. monasterium sancti Victoris, quod abbatiæ sancti Blasii subjectum asserebat, posteaquam abbatiali dignitate privatum transierat ad prioralem titulum. Causa ex commissione apostolica in apostolico palatio coram egregio viro Petro Nardi auditore sacri palatii aliquandiu ventilata, tandem divisis inter utrumque monasterium bonis Victorianæ abbatiæ, ad compositionem venere die quinta julii hujus anni sindici utriusque loci sancti Blasii & sanctæ Catharinæ, approbantibus Johanne de Urbe-veteri abbate generali congregationis Monti-oliveti ex monasterio sancti Miniatis prope Florentiam die XXVII. augusti anni M. CCCC. XX. indictione XIII. & utriusque monasterii Fabrianensis præsidibus & capitulo die IV. julii hujus anni; quæ acta omnia inserta voluit in præfata bulla sua Martinus V.

XLIV. Monasterium de Prata unitum alteri S. Mathiæ de Muriano.

Monasterium sancti Martini de Prata Concordiensis diœcesis furore bellorum excisum fuerat, & in ruinam affatim deductum, bona quoque & prædia fuerant & erant inculta; quare Petrus de Fano prior ejusdem cœnobii suppliciter expetierat a Raphaele priore generali ordinis dimissionem ejusdem prioratus, qui benigne annuit die XI. junii hujus anni, eademque die copulavit dictum cœnobium cum monasterio sancti Mathiæ de Muriano ob famam laudabilem vitæ religiosæ monachorum Murianensium, quorum diligentia spes habebatur reparationis diruti monasterii. Ipso anno idem præses generalis mandavit prioribus monasteriorum subjectorum cœnobio sancti Mathiæ, ut visitatores reciperent,

ANN. CHR. 1421.

ciperent, quos prior Murianensis duxerit destinandos, excommunicationis vinculo innodans eos, si visitatores & visitationes respuerent. Datum ex monasterio sancti Benedicti prope Florentiam die XXIV. julii. Utramque Raphaelis paginam ex archivo cœnobii sancti Mathiæ damus in Appendice.

Prope dictum sancti Mathiæ monasterium exsurgebat hospitale sub titulo sanctissimæ Trinitatis, cui hoc anno a nativitate Domini M.CCCC. XXI. indictione XIV. die jovis decima mensis julii pontificatus domini Martini divina providentia papæ V. anno IV. ex Tibure & ex domibus suarum residentiarum concesserunt indulgentias Angelus Laudensis, Antonius Aquilejensis cardinales, Paulus archiepiscopus Mazeranensis, Carolus Venafri & Johannes Tergestinus episcopi ad petitionem Bartholomæi Rizo gubernatoris dicti hospitalis; ex codice Mauri Lapi in bibliotheca sancti Mathiæ.

XLV. Collectio aliquot monumentorum.

Ex pagina Fullinate Antonius Corrarius episcopus Portuensis S. R. E. cardinalis Bononiensis nuncupatus erat abbas commendatarius ejusdem monasterii de Fullina; ea enim pagina hoc anno indictione XIV. die penultima septembris Ludovicus Barbus abbas sanctæ Justinæ de Patavio nomine Antonii cardinalis commendatarii procuratorem creavit Zenonem quondam Petri de Bastianis de Verona priorem ejusdem monasterii.

Ex tabulario vero Fontis-boni [a] Benedictus de Rosellis abbas sancti Apollinaris in Classe se abdicavit a regimine dictæ abbatiæ die quarta augusti in manibus visitatorum Johannis de Bononia eremitæ Camaldulensis, & Bartholini abbatis sancti Hippolyti de Faventia, quos specialiter deputaverat Raphael prior generalis, reservatis tamen sibi fructibus præfati monasterii necessariis ad suum condecentem victum atque vestitum, juxta declarationem faciendam ab abbate sanctæ Mariæ de Florentia, & ab Antonio Johannis de Rosellis fratre carnale ejusdem abbatis. In ejus locum præpositus fuit in abbatem Johannes de Franquillis Foro-liviensis. In archivo Classensi ad diem XVI. augusti fit mentio Johannis de Bononia vicarii generalis monasterii sancti Apollinaris, qui tradidit nonnullos libros jurium monasterii de Classe tempore Johannis de Cadapesaro de Venetiis potestatis Ravennæ pro magnifico & potente domino Opizone de Polenta dictæ civitatis & districtus pro S. R. E. vicario generali.

Præfatus Antonius de Rosellis J. V. D. & Gaspar magistri Ludovici electi & deputati ex parte tum eremi Camaldulensis, tum sindici cleri Arretini, visis literis Johannis XXIII. papæ concessionis & licentiæ imponendi & exigendi Florenos octuaginta-mille auri ab universo clero diœcesis Florentinæ, die octava februarii anni M. CCCC. XX. stilo Florentino, declaraverunt, & sententiam tulerunt eremum Camaldulensem non comprehendi posse, nec debuisse, cum non sit de statu Florentino. Item quamvis indebite quædam solutiones fuerint exactæ a ministris eremi, quæ restitui deberent, nihilominus ad pacem partium, & sumptibus earumdem parcendi causa laudaverunt dictas solutiones cedere debere in utilitatem cleri, imponentes silentium eremo, & damnantes clerum ad revocationem gravaminum, & pignorum relaxationem infra mensem a die requisitionis sibi factæ. Latum Florentiæ manu Ludovici Francisci Vannis notarii [b].

Eodem anno [c] M. CCCC. XX. more Florentino quinta-decima februarii priores Artium &c. communis Florentiæ prætori Biblenæ mandavere, ut juxta statuta communis Mojonæ, quæ subjiciebatur eremo Camaldulensi, deberet illic mittere notarium ad jus dicendum, aliaque necessaria ibidem agenda.

a §. *Renuntiatio A.* 5. 12.

b §. *Sententia* 23. *A.* 5. 8.

c §. *Brevia* 52.

Ex

Ex necrologio Vangaticiensi & ex altero Prati-veteris die sexta junii obiit Agatha abbatissa ejusdem parthenonis Prati-veteris; Antonius autem abbas de Urano die XVIII. julii. ANN. CHR. 1421.

HERMOLAUS Barbarus senior Zachariæ filius & Francisci nepos aliquas a se e Græco in Latinum traductas Æsopi fabulas tamquam primitias ingenioli sui, quod excoluerat Ambrosius, huic dicat datis literis [a] kalendis octobris hujus anni. Hæc itaque in præfatione de ipso Ambrosio dicit, „ quod ad hujus Græcæ literaturæ disciplinam non mediocri cura, fide, caritate cum isthic (hoc est Florentiæ Hermolaus) esset, ipsum adjuverat, quod eruditissimus & ætatis præsentis utriusque linguæ peritissimus per docta virorum ora Ambrosius volitaret. " Addit ad capessendam Græcam literaturam nonnullorum exhortatione ac imitatione commotum se extitisse, imprimis Nicolai viri prudentissimi, gravissimi, optimi, quem virtutis portum & refugium appellat, „ qui „ cum quemquam virtuti & bonis artibus deditum nactus est hominem, „ eum consilio, opera, ope animat, erigit, protegit, cujus exhortatio, „ subdit, adeo me incendit & impulit, ut velim nolim gentilem linguæ „ meæ barbariem Græcam reddam, oporteat. " Laudat etiam Carolum Arretinum præstantissimum ac studiosissimum virum, suique amicissimum singularis doctrinæ in Latinis Græcisque literis, „ quem, inquit, summa „ admiratione prosequor & contemplor, eumque mihi ante oculos posui, „ ut si id modo consequi potuero, ipsum imitari ejusque vestigia sequi „ contendam. " Quare adjicit, " seipsum tradidisse Guarino patri & „ præceptori suo, a quo, ut Latinarum literarum prudentiam & suavita„ tem a teneris unguiculis gustaverat, Græcam quoque humanitatem po„ stea hauriret. " Ipse itaque ejus magister superioribus diebus nonnullas Æsopi græcas fabulas Hermolao tradiderat, quas in Latinum sermonem exercitationis gratia traduceret.

ANN. CHR. 1422. XLVI. Hermolaus Barbarus dicat Ambrosio fabulas Æsopi.

a *Lib. XXIV. epist.* 19.

Circa idem tempus ex Pisis, ubi redierat [b], III. idus februarii Xantes Ballus Panormitanus literas dedit ad Ambrosium super operibus Lactantii Firmiani *de Ira & de Opificio Dei*, quæ ipsi oblata fuerant legenda. Monuerat siquidem olim Xanthem Ambrosius caute percurrendum Lactantium, qui sollicitus de evertendo Hellenismo, haud æquali felicitate rem christianam confirmaverat. Ea proinde suspecta loca efflagitat ab Ambrosio Xanthes, nonnullaque cupit insuper edoceri circa etymologiam hominis, quam adducit Lactantius. Scribit etiam perendie Cretensem quemdam de libris a se interrogatum respondisse, complures in Creta insula libros esse & vilioris pretii, inter quos Homeri opera, libros sacros, & sacra Biblia, ipsumque duobus ab hinc annis sacrum fœdus vetus & novum quinque aureis sibi comparasse. Quare ejus opinionis est Xanthes, ut si aliqui eorum, qui Pisanæ civitati præsunt, maximis precibus cum illo agerent, Græculumque caput blanditiis demulcerent, non difficulter Cretensis hic homo sacrum librum cederet. Salutat demum Nicolaum Nicolium, Carolum Arretinum & Jacobum officiosissimum Angelorum monachum. Xanthem Ballum esse eumdem Cannetius conjicit, ad quem epistolas geminas dat Antonius Beccatellus, Bononia cognomento, Panormita ejus concivis.

b *Ibid. epist.* 46.

XLVII. De SS. Proti & Hyacinthi reliquiis.

ROMANUS pontifex Martinus V. ex Urbe IV. kalendas februarias pontificatus sui anno V. priori sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia confirmat, quam olim concesserat, facultatem transferendi in ecclesiam sui monasterii corpora sanctorum Proti, Hyacinthi & Nemesii martyrum ex

abba-

Ann. Chr. 1422. abbatia sancti Salvatoris de Silva-munda dioecesis Arretinae de consensu abbatis ejusdem monasterii, quod erat tunc desolatum, & in quo ipsae reliquiae erant amotae a Christi-fidelium devotione. Translata fuerant sacra corpora anno antecedenti, ut legitur in martyrologio ms. seculi quinti-decimi bibliothecae Mediceae classe XXI. n. 30. Hoc martyrologium auctum fuit a Georgio-antonio Vespuccio O. P. sancti Marci Florentiae, in quo habetur III. *idus septembris Romae via Salaria-veteri natale sanctorum martyrum Proti & Hyacinthi eunuchorum, qui sub Gallieno imperatore, quod essent Christiani, deprehensi coguntur sacrificare, sed non consentientes, primo turpissime verberantur, denique pariter decollati sunt anno Domini* CCLVI. *Horum sacratissima ossa una cum reliquiis sancti Nemesii martyris ad monasterium sanctae Mariae de Angelis de Florentia translata sunt anno Domini* M.CCCC.XXI. *tempore vero Martini papae* V. Codicem Florentinum, qui continet Auctaria Usuardini martyrologii, laudant socii Bollandiani, in quo translatio facta refertur anno Domini M.CCCC. XX. more forte Florentino, cum translatio contigerit die VII. januarii. Cum autem timerent monachi Angelici conventus super translatione hujusmodi posse imposterum notari vel molestari, Romanum pontificem adiere, qui declaravit reliquias ipsas de sui licentia de uno ad alterum monasterium translatas. Corrigendi itaque sunt Fortunius & Ractius nostri, qui translationem hujusmodi referunt ad annum M. CCCC. XXVIII. quique in eo etiam errant, quod ad eum annum ipsam differant, factam autem asserant de licentia Raphaelis Boncianii prioris generalis Camaldulensis, qui, ut mox videbimus, obiit hoc ipso anno 1422. Refert Ractius sollemni supplicatione reliquias per urbem Florentinam delatas, intra capsam aeneam, opus Laurentii Ghibertii, reconditas cum inscriptione in marmoreo lapide subtus capsam apposito: *Clarissimi viri Cosmus & Laurentius fratres Medicei neglectas diu sanctorum reliquias Martyrum religioso studio ac fidelissima pietate suis sumptibus his aereis loculis condendas colendasque curarunt.* De sanctis his martyribus peculiari cultu asservatis in eadem Angelorum ecclesia, haec cecinit apud Lamium [a] in Deliciis eruditorum frater Dominicus Johannis ex ordine Praedicatorum.

a *An.* 1742. *pag.* 103.

Ossa ubi Nemesii & Proti, pariterque Hyacinthi
Condita sarcophago sunt pretiosa novo,
De puro, quem Cosmus & Laurentius aere
Fecerunt, Medicae lumen uterque domus.
Ex quibus haec aedes triplici diademate pollet
Splendida Sanctorum facta amore trium.

Legatur epistola XXXII. libri VIII. Ambrosii ad Nicolaum, qua alacrem animum Laurentii Medicei extollit, promptamque ejus & Cosmi fratris operam ad exornanda sacra lipsana, haud dubie sanctorum Proti, Hyacinthi & Nemesii.

XLVIII. Martini V. brevia.

Idem Romanus pontifex quinta martii pontificatus sui anno V. prioris & conventus eremi Camaldulensis precibus, quieti & paci prospicere volens, apostolica auctoritate confirmavit decretum statutum in capitulo generali dicti ordinis, videlicet, quod imposterum nullus ex eremitis & monachis ex ipsa eremo posset invitus extrahi, & aliqualiter amoveri, cum ad locum arctioris vitae minime transire possint, nisi praecedente speciali consensu & consilio capituli dictae eremi; ex tabulario Fontis-boni [b].

b §. *Privilegia* 8. *A.* 5.17.

Renovavit octavo kalendas aprilis pontificatus sui anno quinto idem Martinus bullas Gregorii IX. concessas monasterio sanctae Mariae ad Carceres,

ceres, & alteras etiam Gregorii XII. transferentis ipsum monasterium ad ordinem Camaldulensem. Eadem die dispensavit sex monachos ejusdem cœnobii a defectu ætatis, ut susciperent possent sacros ordines ad petitionem Jacobi prioris, ita ut post quam vigesimum-primum ætatis annum attigerint, ad omnes etiam sacros ordines promoveri valerent, generalis concilii aliisque ordinationibus apostolicis non obstantibus. ANN. CHR. 1422.

Decima-septima martii anno v. Martini V. ex archivo sanctæ Christinæ de Bononia [a] Alphonsus sancti Eustachii diaconus cardinalis apostolicæ sedis legatus, ac civitatis Bononiæ & provinciæ Romandiolæ vicarius generalis approbavit unionem cum parthenone sanctæ Christinæ ecclesiæ sine cura sanctorum Mariæ & Andreæ de Ponte-majori guardiæ civitatis Bononiæ jam factam a Balthassare episcopo Tusculano, tunc Johanne papa XXIII. sub annuo censu dando capitulo ecclesiæ Bononiensis.

[a] A. 19.

Anno præterito decimo-sexto kalendas augusti ex Recineto ad postulationem Anselmi abbatis sancti Blasii de Fabriano Gabriel Condulmerius tituli sancti Clementis S. R. E. cardinalis Senensis appellatus, apostolicæ sedis legatus, & vicarius generalis in provinciis Marchiæ Anconitanæ, præsidatus Farfensis & Massæ Trabariæ univerat dicto sancti Blasii monasterio ecclesias sanctæ Mariæ in Bucca-saxorum, sive de Rosenga, oratorium sanctæ Mariæ inter Saxa, & pro medietate ecclesiam sanctæ Mariæ in Campo, tamquam membra vacantia ejusdem monasterii existentia sine cura, post decessum abbatissæ parthenonis sanctæ Mariæ de Rosenga. Hanc autem unionem approbavit hoc anno die tertia octobris indictione xv. Johannes episcopus Camerinensis.

Nondum triennium sui regiminis expleverat Raphael Boncianius præses generalis Camaldulensis, cum hoc anno obiit die decima-septima octobris in urbe Ravennæ in domo monasterii sancti Apollinaris in Classe, dum ibidem visitationis munus impleret, inque Classensi basilica fuit humatus. „ Bongiannium appellat Rubeus [b], Venetiisque reversum, cum „ in tormina, quam appellant Græce dysenteriam, incidisset, tertio post„ quam ægrotari ceperat die, vi morbi absumptum ex hominibus abiis„ se, tumulumque ei datum ad divi Apollinaris scribit. " In necrologio Prati-veteris ad diem XXIII. octobris refertur ejus obitus, nam sub ea die post enuntiatam dedicationem ejus ecclesiæ peractam anno M.CC.XV. legitur: *Obiit reverendus pater domnus Raphael de Boncianis generalis totius ordinis anno Domini* M.CCCC.XXII. *Ravennæ, vir bonæ religionis, & sacrarum literarum peritissimus*. Forte ea die Pratum-vetus allatus est ejus mortis nuncius. Sermonem habuit in ejus funere Hieronymus Pragensis, qui erat ejus socius in visitatione. Sed præter elogia, frequentesque Scripturarum & Patrum allegationes nil more ejus temporis historicum elicitur. Raphaele humato idem Hieronymus de Praga Major eremi, alter Hieronymus de Balneo sacrista, Guaspar de Alemannia, Johannes de Bononia & Placidus de Setara eremitæ capitulariter congregati literas convocatorias prælatis ordinis dedere ad electionem novi prioris generalis, indictis comitiis ad diem sextam decembris. Propositi fuere in priores Johannes de Sancto-miniato Angelorum monachus, prior sanctæ Margaritæ de Borsellis, Major eremi, abbas sancti Michaelis de Muriano, prior sancti Benedicti extra muros Florentiæ, Johannes dal Geso eremita, qui fuerat monachus Montis-oliveti, & Benedictus Lancius Forolivienfis, abbas tunc sanctorum Clementis & Justi de Volaterris, qui postremus quadraginta & octo suffragiis electus fuit prior generalis, ex epistola Jacobi prioris sanctæ Mariæ Angelorum Bononiæ ad Petrum priorem

[b] Lib. VII. pag. 613.

Ann. Chr. 1422. rem sancti Mathiæ de Muriano data anno 1423. die quinta januarii, extatque in capsula sanctæ Felicitatis tabularii sancti Mathiæ. In locum autem Benedicti abbatis Volaterrani suffectus est Bernardus ex familia de la Rena & monachus sancti Benedicti prope Florentiam, quem Martinus V. anno VI. sui pontificatus die XIX. februarii confirmavit, ex archivo [a] sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia. Distinguendus est Bernardus ab alio hujus nominis e familia Ricciorum, qui monasterium illud rexerat ante Benedictum.

[a] Num. 243.

Johannes de Cortesellis abbas sanctarum Floræ & Lucillæ de Arretio, Johannes abbas sancti Michaelis similiter de Arretio, Andreas Blasii hospitalarius del Ponte, & Matthæus Antonii capellanus sanctæ Mariæ in Gradibus, quatuor ex quinque commissariis officialibus totius membri exemptorum diœcesis Arretinæ, quod communi Florentino erat subjectum, constituerunt Johannem abbatem sancti Michaelis in procuratorem ad accipiendum mutuum. Actum in residentia dicti abbatis sanctæ Floræ coram Matthæo abbate sancti Viriani; ex paginis sanctæ Mariæ in Gradibus [b].

[b] Num. 649.

Franciscus Sandellus monachus sancti Michaelis de Muriano se scribi fecit hoc anno *ad probam*, ut dicebatur, abbatiæ Rosaccii.

Ann. Chr. 1423.

L.

De codicibus Nicolai Nicolii ab Ambrosio custoditis.

ABERAT a Florentia Nicolaus Nicolius, qui codices suos omnes in tribus arculis ferratis asservatos custodiendos tradiderat Ambrosio. Ea occasione Ambrosius propositum sibi esse librorum eorum indicem contexere scribit in epistola ad eumdem Nicolaum data [c] XVI. kalendas januarii. Addit allatum sibi ex Senis Svetonium domini protonotarii, ipsique restitutum (protonotarius facile est Johannes Vitellescus de Corneto). Quærit a Nicolao, quid consilii ceperit circa profectionem suam Romanam, & quando eo profecturus sit. Cosmum, Laurentiumque salutat, salutem vero dicit Nicolao a Jacobo, Hieronymo fratre, & Demetrio sene.

[c] Lib. VIII. ep. VII.

Die sequenti [d], inter cetera volumina catalogi librorum Nicolai, quem conficiebat, adnotat & describit Gregorii Nysseni commentarium in Canticum Canticorum ad Olympiadem illustrem feminam homiliastico more scriptum, opus sexdecim libris comprehensum, & in quo Origenem sequitur, scriptum minutissimis literis, majusque esse id opus, quam illud Augustini super Genesim ad literam. Stilum ipsum esse eruditi & acutissimi viri, volumen autem hocce, hactenus sibi ignotum, chartaceum esse, & albo corio vestitum. Post Gregorii commentarium aliud sequi incerti auctoris commentum super parabolas Salomonis, & id sane eruditi viri, qui sæpius allegat Origenem, Didymum, Olympiodorum, Apollinarem, Chrysostomum, Basilium & alios, in ipso volumine subjici textum Job, Sapientiæ Salomonis, & Jesu Sirach. Subdit se purgasse ipsius horologium, & dedisse Angelo illustri adolescenti harum rerum peritissimo. Cosmum clarissimum ad se profectum esse, secumque diutius fuisse jucunde, adserentem facturum sui juris Plinium, nisi tamen Ludovici verba vacua & ventosa sint futura. Præsetulisse eumdem Cosmum cupere se Romam proficisci, sed causam moræ attulisse, pestis videlicet indicia & signa, quosdamque juvenes nobiles ex pestilentia obiisse, demum secum portasse quemdam indicem librorum, quos ipse hortatus fuerit, quatenus totis viribus curaret, ut Florentiam perferrentur. Adjicit, si Constantinopolitanus imperator senior Florentiam advenerit, nihil se omissurum diligentiæ in eruendis thesauris hujusmodi sane pretiosissimis;

[d] Lib. VIII. epist. V.

fissimis; nam si sit junior, (adhuc enim incertum est, uter ex eis applicuerit) parum se proficere posse inquirendo sperat, cum non sit hic eruditus. Si quid Aurispæ ipse Ambrosius odoratus fuerit, mittet ad eum (Nicolaum). Proposuisse se vitas Patrum prosequi, quas instituit e Græco convertere, cujus operis duodecim jam quinterniones transcripserit. Sermones Chrysostomi contra Judæos mittit ad ipsum emendatiores. Accessisse dolet annum quæsturæ studiis atque desideriis suis permolestum. Facturum promittit, quæ monet, cum scribet Thomæ claro, acutissimo & humanissimo viro. Philippum nudius tertius venisse ad se, detulisseque indiculum quemdam librorum ab Antonio Pistoriense missum, quos hic se invenisse in quodam monasterio scribit, cum ad sanctum Antonium voti causa pergeret; nil tamen nisi usitatum. Se admonuisse eumdem Philippum de codice Archimedis, quem alias habiturum speraverat, sed lentius hunc respondisse Archimedem non amplius Bononiæ apud Rinucium esse, sed Venetiis; nec putare facile consequendum, quod, quando erat scriba decem-viralis (Philippus) auctoritate illorum potuisset. Nuntium advenisse ex Cosmi relatione mortis Petri amici, qui Alexandriam cum triremibus Florentinis profectus fuerat, quique satis excitatus ad studia humanitatis videbatur. A Nicolao (medico facile) certiorem se factum Leonardum Arretinum Phædrum Platonis magna ex parte vertisse in Latinum, apologiamque Socratis parare convertere. Ab Antonio Ferrantino se nondum exegisse volumen, Tertulliani apologeticum avidissime se expectare. Salutat Cornelium Tacitum & Benvenutam fidelissimam.

ANN. CHR. 1423.

Eidem significat [a] VI. kalendas januarii se inter ipsius Nicolai volumina reperisse Athanasii volumen, cujus generis opuscula imprimis quærit. Deinde volumen describit Conciliorum, quod offendit rem esse opinione meliorem; nam præterquamquod volumen ipsum pro sua est antiquitate venerabile, pleraque, immo fere omnia continet memoria digna, quæ breviter attingit, recolitque se adamussim in aliis ad eum literis excerpsisse. Ad epistolas Gregorii M. in quibus plura reperiuntur de synodis, hæc de se fatetur: „ Natus est amor experiundi, si quid valeret „ tenue ingeniolum in convertendis Latinis monumentis in Græcam lin„ guam. Arripui mox synodicam epistolam ipsius Gregorii prolixam & „ doctrinæ singularis, quam scripsit ad Constantinopolitanum, Alexan„ drinum, Antiochenum, Hierosolymitanumque sacerdotes, totamque „ transtuli. Animadverti, si illi operi insisterem, magnum exinde fructum „ percepturum, itaut putem me id effecisse, quod Gregorius summope„ re postularat ab eo, qui scriptas a se epistolas in Græcam linguam „ converteret, ut scilicet non verbum de verbo, sed sensum transferret. „ Statui & illas convertere, quibus objurgat Constantinopolitani episcopi „ superbiam, qui se œcumenicum patriarcham vocaret. Possent etiam „ ista suo tempore esse non inutilia. Ecce hic sum. Habes, quibus me „ studiis dedam. “ Scripsisse se insuper Leonardo Justiniano Venetias, conquestumque fuisse de fraude Græculi illius, qui asportaverat pecunias & librum ad Cosmum transmissum. Heri profectum a se fuisse Petrum peritissimum artificem memoriæ de Venetiis venientem, qui ex eodem Justiniano, qui & ipse illusus fuerat a prædicto Græculo, pollicitus est recuperationem rerum. Eumdem Petrum sibi narrasse cum triremibus Venetorum applicuisse imperatorem Græcorum Venetias, sed seniorem vel juniorem ipsum ignorare, se tamen credere seniorem, qui postulandi suffragii gratia venerit, atque ipsum Romam profecturum didicisse a quodam nobili Veneto, qui ex Urbe veniebat. Interrogasse insuper se eumdem

[a] *Ibid. ep. VI.*

ANN. CHR. 1423.

dem Petrum, quidnam tanto tempore, quo abfuit, peregisset, & respondisse emendandis apertis erroribus Ptolomæi præstitisse operam, qui in terræ descriptione reperiuntur plurimi; quæ res excitavit sibi risum. Philippum ante paucos dies retulisse sibi Archimedem penes Rinutium Bononiæ servare. Assuefacere se manum scribendis literis Græcis ex traducendi exercitatione, si tamen levatus fuerit proximis kalendis onere quæsturæ, cujus rei nullam certam spem tenet. Salutat clarissimos viros Johannem, Cosmum, Laurentium & Marcellum. Cupit certior fieri, an meditetur Nicolaus proficisci Romam, an vero pœnituerit. Ad hunc annum pertinere has epistolas colligitur manifeste ex mentione Græci imperatoris, qui in Italiam venerat; hic enim mense decembri hujus anni exceptus fuit Venetiis.

LI. Unio ecclesiarum SS. Nicolai & Georgi de Luco.

MARTINUS V. die XX. julii pontificatus sui anno VI. univit ecclesiam sancti Nicolai de Luco parœcialem alteri ecclesiæ similiter parœciali sancti Georgii ad petitionem abbatissæ sancti Petri de Luco, cui parthenoni subjiciebatur ecclesia sancti Nicolai, mandans hujusmodi executionem Johanni plebano sancti Johannis-majoris de Mucello, & Gaspari abbati sanctæ Trinitatis de Florentia ordinis Vallis-umbrosæ, & præcipiens, ut Jacobus Petri de Burgo-sancti-Sepulcri ordinis Camaldulensis rector sancti Georgii simul esset rector ecclesiæ sancti Nicolai, qui possessionem hujus ecclesiæ iniit die quarta-decima octobris.

Sermones duos habuit hoc anno Hieronymus Pragensis eremita Camaldulensis in universali consilio Senensi: „ Sermo latinus ad Clerum „ dominica prima in adventu Domini, quem fecit domnus Hieronymus „ de Praga coram universali concilio Senarum M. CCCC. XXIII. Sermo se„ cundus modernus ad clerum, quem domnus Hieronymus Pragensis sa„ cræ Camalduli eremi eremita reclusus fecit coram universali concilio „ congregato in civitate Senarum anno Domini M. CCCC. XXIII. ad lau„ dem domini nostri Jesu-christi, & ad reformationem ecclesiæ. “


In ecclesia sancti Michaelis de Muriano ad hunc annum legebatur hujusmodi inscriptio, quæ amplius non extat; *Magnus. Et. Præclarus. Vir. Franciscus. Amadi. Civis. Venetus. Qui. Obiit. Anno* M. CCCC. XXIII. De Amadia Veneta familia agit Cl. senator Flaminius Cornelius in Venetis ecclesiis [a].

Electus fuit hoc anno prior monasterii sancti Gottardi de Utino a Benedicto priore generali Angelus Ciera monachus sancti Michaelis de Muriano die VIII. septembris, cujus electionis paginam profert Johannesfranciscus Madrisius congregationis oratorii presbyter in appendice ad opera sancti Paulini patriarchæ Aquilejensis [b].

a *Dec. IV. pag.* 217. 266.

b *Pag.* 275.

ANNA-



ANNALES CAMALDULENSES.

LIBER SEXAGESIMUS.

Ab anno Christi M. CCCC. XXIV. *ad annum* M. CCCC. XXXI.

Ann. Chr. 1424.

I. Epistolæ Ambrosii ad Nicolaum.



ROSEQUITUR Ambrosius initio hujus anni [a] illustrare ad Nicolaum scribens indicem ejus librorum, aliaque non injucunda subdit, sed præsertim describit codicem conciliorum, præter ea, quæ de ipso antea scripserat ad illum. Legere autem se nunc Gregorii Nysseni quindecim homilias in Cantica Canticorum, neque pœnitere judicii ac sententiæ suæ, nam procedit scriptor magnifice, magnaque cum facundia ac sensuum majestate. Dedisse ante plures dies sermones contra Judæos ad illum perferendos, miraturque, si necdum illos receperit. Non misisse partem illam Vitarum sanctorum patrum, quia nondum emendaverat; facit enim, subdit, molestissima quæsturæ occupatio, ut neque opus hoc, neque Basilium de vera virginitatis integritate hactenus emendare quiverim: Ad Thomam episcopi Bononiensis alumnum, virumque peritissimum se scripturum. Parciturum autem dandis literis Rinutio, ne commemoratione Archimedis magis intumescat; ipsum tamen Archimedem Bononiæ non amplius extare, ut ex confessione etiam Petri memoriosissimi, qui penes Rinutium vidit multa quidem volumina, Archimedem autem non vidit. Vereri se epistolam Ignatii a Rufino translatam ipsam esse, quam ecclesiasticæ historiæ interserit. De Phædro Platonis vel Socratis apologia nil se habere, quod scribat, præter id, quod scripsit alias. Apologeticum Tertulliani cupere se videre; nondum recepisse librum ab Antonio de Ferrantinis. Cosmum parare proficisci Romam. Gratissime se legisse, quæ Nicolaus scripserat de imperatore juniore Græcorum & de Aurispa. Certiorem se factum a Leonardo Justiniano ipsum imperatorem supplicem advenisse, ut afflictis & prope labentibus rebus suis opem imploraret, Venetosque magnum navium numerum parare, ut in ejus auxilium mitterent contra Barbarorum violentissimos impetus, utque Thessalonicam nobilissimam Græciæ urbem & tuerentur & armarent; nam in ipsorum imperium concessit. Scripsisse se Aurispæ ipsi amice

a Lib. VIII. ep. III.

Ann. Chr. 1424.

amice & humaniter, monuiſſeque, ut Florentiam diverteret, vel ſaltem ſcriberet, & ſibi cordis conſilia aperiret, petiiſſeque ab eo præterea chronicon Euſebii & Polydeucem. Enarraſſe ſe Coſmo, quid de ejus rethorica & de Græculo actum eſſet, Leonardum ſcilicet Juſtinianum librum a Græculo recepiſſe, dediſſeque duobus fratribus amiciſſimis ejus (Nicolai) ut Florentiam perferrent. Sed fratres illos naufragio in Pado periiſſe, ut ſignificari fecerat ſibi idem Juſtinianus per Mariottum adoleſcentem, qui negotia Pallantis Stroctii Venetiis exequitur. Inquiſiviſſe tamen ipſum Leonardum, & reperiiſſe librum madidum & conſumptum ab aquis ereptum, qui ex conſilio ſuo reſtitutus fuit Græculo, ne eſſet apud Coſmum miſeri caſus monumentum. Eumdem Juſtinianum ſcripſiſſe præterea venumdari libros domini Manuelis & Demetrii ſenis, ipſumque acturum, ut in Pallantis jus devenirent; ad ipſum autem Juſtinianum reſcripſiſſe ſe, ut Demetrii libros, ac præterea Chryſoſtomum ſuper Matthæum nomine ſuo emeret, ſive redimeret potius, quando aliter haberi non poſsent, ſpondendo pro viribus facturum ſe, ut pecuniæ Venetiarum in urbe perſolverentur ea intentione, ut libri ipſi fierent juris Nicolai.

a Lib. VIII. ep. XI.

Kalendis februarii [a] excuſat cum eodem Nicolao, quod ad ipſum miſerit Vitas Patrum, ſed nondum emendatas & limatas. Ante unum ferme menſem deſtinaſſe ſcribit ad eum perferendos ſermones contra Judæos. Gratiſſime ſe accepiſſe ait ardens ſtudium Laurentii Medicei ad ſacras literas, qui avidiſſime legerit Morale ſancti Gregorii; huic ſe miſsurum legendum commentarium Origenis in epiſtolam ad Romanos. Alias ſe ſcripſiſſe jam ad ipſum (Nicolaum) libros domini Manuelis venire ex relatione Leonardi Juſtiniani; inſuper ſe literas dediſse ad Thomam Sarzanenſem & ad Auriſpam pro inſtrumentis Archimedis, & ad Coſmum pro obtinendis dialogo Deſiderii & hiſtoria Caſinatis monaſterii, cum Romæ fuerit.

b Ibid. ep. XII.

Narrat ipſi Nicolao quarto Kalendas martii [b], quos libros legerit tempore otii ſibi dati a communibus & privatis occupationibus, nimirum decem ferme diebus hiſtoriam percurriſse eccleſiaſticam Euſebii, judiciumque ſuum de ipſa dat. Se poſtea convertiſse ad Athanaſium legendum, & præſertim ad duos ipſius libros adverſus Gentiles, & ad tres adverſus Arium libros, ſtatuiſseque traducendo igneo, & cœleſti homini totum ſe dedere. Hac ipſa hora ſe accepiſse literas Auriſpæ, quibus ſignificat miſiſse Polydeucem, rationemque reddidiſſe, cur non miſerit Euſebii chronicon. Mallet ipſe (Ambroſius) profecto, quod Platonem interim miſſum feciſset, ſed jam actum eſse, epiſtolas inſuper recepiſse ſe ab eruditis viris fratre Andrea Ariminenſe & a Thoma Sarzanenſe ex Bononia; quorum utrique mandarat, ut Archimedem ex Arimini urbe extorquere contenderent. Andream ipſum mutuo petiiſse aliquid Græcarum literarum; proinde ei ſe miſiſse unum Nicolai Dionyſium ex chartaceis, non illum cultiorem, ſed quem a Cerbero Nicolaus acceperat. Cerberum nominat etiam Leonardus Arretinus tamquam librarium. Antonium Corbinellum, antequam magiſtratum ſummum iniret, ſe oraſſe, ut volumen aliquod Nicolai ipſi mutuo daret, & conſtanter atque libenter dediſſe ei, quæ voluit, Auguſtini tria volumina, de Trinitate, contra Accademicos, de Utilitate credendi, & a ſe accepiſſe opuſcula Cypriani; Jacobum quoque Corbizum, qui cum illo profectus eſt, aſseſſorem futurum, duo a ſe obtinuiſse Chryſoſtomi ſuper epiſtolas Pauli volumina. Albertum Sarthianenſem Florentiam applicuiſſe cum Bernardo famoſiſſimo prædicatore (ſancto Bernardino

dino

dino Senensi,) vixque potuisse illum avelli a complexibus suis, multaque secum loquutum fuisse de claris Venetis & de Guarino. Animadvertisse se Albertum, non quidem eruditum linguæ Græcæ, verum ad id evasisse, ut possit per se multum proficere, qui & petiit, & accepit gratissime Augustinum de doctrina Christiana, epistolas ad se reddidisse Laurentium Mediceum, & Carolum Arretinum significantes profectum ejusdem Laurentii in studiis humanitatis; alias sibi epistolas dedisse archiepiscopum Januensem orantem, ut ipse (Ambrosius) curet transcribi pro eo suas ex Græco translationes; librarium absolvisse sex Chrysostomi libellos, sermonesque, *quod Deus sit incomprehensibilis*, scribendos remanere sermones contra Judæos, qui sunt penes Nicolaum, quos propterea petit pro eodem archiepiscopo, & simul vitas Patrum, ut eas absolvere possit. Ann. Chr. 1424.

Ad eumdem Nicolaum [a] decima-sexta martii scribens refert Antonium illum nostrum (Pistoriensem) cum ad famosissimum principale monasterium se contulisset, ubi vix dimidium exegit diei, reperiisse XLIX. Augustini volumina, XVII. Hieronymi, XVI. Gregorii, IX. Ambrosii, eique defuisse commoditatem, ut notaret, quid quoquo volumine contineretur; offendisse Hilarii volumen, in quo notissima habebantur de Trinitate libri XIV. contra Constantium, liber I. missus ad Constantinum, ad eumdem libri duo, epistola contra Arianos, vel contra Auxentium episcopum Mediolanensem, epistola ejusdem contra Arianos & prævaricatores Arianis acquiescentes, blasphemiæ Auxentii, epistola Hilarii ad filiam suam, hymnus de Spirituali Prato, item de Baltheo castitatis & alia; volumen alterum ejusdem super Matthæum, item super Psalmos aliud; Cypriani opuscula & epistolæ, & in fine tres epistolæ de duobus montibus & de Judaica incredulitate. Hæc, quæ ipse (Ambrosius) recensere omiserat in prioribus literis suis, recenset modo; ex quo colligitur istam primam ordinem in editis, non fuisse primam tempore Ambrosii ad Nicolaum epistolam. Quia vero Nicolaus maximam ex studiis Ambrosii percipiebat consolationem, ipse Ambrosius eidem refert acceptum quidquid est. „ An vero ego ullum, subdit, post memorabilis „ suavitatis patrem (Matthæum Guidonis Angelorum priorem jam de„ functum) expertus sum amantiorem mei, quam te? Tu studiorum „ meorum ab ipsis fere incunabulis fautor, incentor, adjutorque fuisti. „ Si quid in nostra, si quid in peregrina lingua profeci, tibi in primis „ debeo, ut non velim esse ingratissimus tuæ benevolentiæ, eximiæque „ in me pietatis, cui, si quid profectibus nostris accessit, acceptum re„ ferre debeam. “ Narrat subinde Albertum Nicolai amantissimum obtulisse sibi orationem quamdam a se (Alberto) habitam Veronæ anno præterito de sacramento Corporis Christi, quam Guarinus ad cœlum laudibus extulit, admiratusque est maxime, literis ea super re datis ad Nicolaum. Quam tamen ipse (Ambrosius) legit, visaque est sibi desiderare gravitatem; ipsum autem Albertum adolescentem ex judicio suo pendere, verentem nihilo tamen secius, quam ne minus libere secum agat, elucere in ipsa magnum animi conatum, orationis sonum non deficere, ceterum dicendi facilitatem, verborumque ac sensuum gravitatem pro majestate rei & materiæ dignitate requiri. Scribit se notasse, quæ Nicolaus admonuerat de Laertio traducendo, & de Philostrato. Accepisse se nuper ab archiepiscopo nostro (Januensi) literas, in quibus post incredibilia indicia amoris se adjurat, ut ei operi ac Plutarcho transferendis incumbat. Differre tamen se statuere traductionem ad reditum usque Nicolai in patriam, cum etiam otii desideratio & horarum penuria impedi-

[a] Lib. VIII. ep. I.

Ann. Chr. 1424.

pedimento sint. Gaudet Nicolao placuisse sanctorum Patrum vitas, sermonesque contra Judæos, & *quod Deus sit incomprehensibilis* a se traducta. Orat, ut cum Romæ fuerit, consilium circa versiones Laertii & Philostrati a se curandas accipiat a Cosmo & a Poggio. Cum vero aliquid simultatis inter Ambrosium cessisset & inter Jacobum Tornaquincium alterum Angelorum monachum, scripsissetque ad Nicolaum adversus Ambrosium Jacobus, indicat beneficiis hunc devincire se cogitasse, ingratissimumque esse sibi sinistrum aliquid de fratre suo in mentem inducere. Se admonisse Aurispam, ut per literas thesaurum codicum suorum aperiret ipsi Nicolao. Salutem demum dicit ex Demetrio sene, Hieronymo, & eodem Jacobo monachis.

Patefacit eidem Nicolao [a] VIII. kalendas junii cupiisse se diuturniorem fuisse illius peregrinationem, & moram in Romana urbe, cum intra paucos dies non potuerint ei innotescere Romanarum antiquitatum vestigia. Laudat Cosmi Medicei Romæ tunc commorantis, optimi atque integerrimi viri & fidelissimi amici suavitatem. Citat famosissimum volumen manu Hieronymi secundum vulgi celebrem opinionem exaratum, gaudetque Nicolaum falsam hanc opinionem confutasse. Agit gratias pro opera Cosmi ad favorem monasterii Angelorum præstita penes Romanum pontificem. Miserat insuper Nicolaus Ambrosio indicem librorum, quorum postremus erat Desiderii dialogus: hunc in primis exoptat habere Ambrosius; & præter ipsum avet prolixam historiam Casinatis cœnobii chronici in modum scriptam, in eoque cœnobio servatam, communi consuetudine dictam *Legenda Sancti Benedicti*; utrumque opus datis literis se orare Cosmum, ut trascribendum mittat. Cetera omnia adnotata in indice, præter unum Frontonem, vel ficta esse, vel alibi reperiri posse; Græca tamen cuncta ad se mitti desiderat, omnia quippe pretiosa sunt. Significat præterea Antonium Ferrantinum virum studiosum diem suum obiisse, quem ex ejus aspectu, raroque congressu conjecerat bene institutum, atque ad bonam frugem mature evasurum, librumque ab eo jampridem recepisse, quem mutuo a Nicolao habuerat. Alium vero subjungit lugubrem casum mortis Gasparis Pisani viri amicissimi, & pro vitæ, eruditionis, pietatisque merito optime cari, qui ante paucos dies vita excesserat, maximo sui desiderio relicto; erat enim sacrarum rerum studiosissimus, vigebat in illo in rebus ambiguis sanum integrumque judicium, neque facile ulla novitate abducebatur ab integritate sententiæ. Prosequitur heri vespere redditum sibi fuisse a Pantaleone volumen illud eximium ex Byzantio delatum (ad Nicolaum) Ipsum codicem describit eximiæ pulchritudinis, & dignum sane, qui in bibliothecam Nicolai jampridem immigraret; continere septem tragœdias Sophoclis, sex Æschynis, Argonautica Apollonii in quatuor libros distincta, in membranis, literisque gratissimis, & quæ pro antiquitate, judicio suo, ante sexcentesimum annum exaratæ sunt; codicem habere per totum in marginibus notabilia plurima & perutilia compositissimis literis, atque ex nobilissimis auctoribus sumpta Lucillo Tarsense & Theone, seque numquam poeticum aliquod volumen formosius vidisse; operam igitur magnam præstitisse Aurispam, qui effecerit, ut volumen illud deveniret in manus ipsius Nicolai. Clarum theologum Antonium Massanum Roma redeuntem secum fuisse ante plures dies, & aperuisse, quid cum ipso Nicolao egerit de convertendo Laertio, orasseque se, ut illi operi incumberet, verum se velle præstolari ipsius Nicolai & Cosmi reditum, & interim sacris literis operam dare. Nondum se absolvisse vitas Patrum tum propter

Qua-

[a] *Lib. VIII. ep. VIII.*

Quadragesimæ occupationem, tum propter ægritudinem & dolorem pectoris. Polydeucem se nondum recepisse ab Aurispa, quem virum audit profectum in Gallias cum imperatore Græco. Thomam Sarzanensem & Rinutium literas sibi non dedisse. Barbarum sitire epistolas ipsius Nicolai; ad illum autem se scripsisse de Archimede, qui responderit acturum cum legato Bononiense, ut liber ipse in lucem veniret. Displicere sibi, quod Poggius & Cincius homines boni ingenii suppellectilem frustra contererent. Apologeticum Tertulliani nondum scriptum esse ob maximam spem, quam ipse Ambrosius conceperat ex Clariense monasterio hæc viri illius opuscula emendatiora proferenda, quando ipsius novus abbas amicissimus erat Cosmi. Lætari se de studiis Laurentii Medicei. Fratrem Antonium de Barga præcipitem lectorem ac perpetuum, antequam Florentia proficisceretur, omnia Nicolai ejusque indices librorum diligenter sibi restituisse, ipsumque Genuam profectum esse, simulque etiam fratrem Matthæum Viterbinum. Leonardum Arretinum Phædri partem quamdam transtulisse, librumque truncum Antonio Lusco dedicasse, cujus fragmentum ad se ab illo allatum maluisset non videre, cujusque extrema traductio habet magnos buccinatores, & ipsum traductorem in primis; judicium proinde exquirit ipsius Nicolai. Fratrem Albertum Sarthianensem Florentia profectum fuisse ante plures dies comitem individuum illius celebris prædicatoris (Bernardini). Cupere se scire a Nicolao, quid sacrarum reliquiarum ex Urbe secum asportaverit, & an viderit protonotarium, adieritque summum pontificem. Ann. Chr. 1424.

Probat die vigesima-prima junii [a] Nicolai industriam de mittendis Desiderii dialogo & historia Casinatis monasterii. Laurentium & Cosmum Florentiam refert rediisse. Refricat narrationem obitus Gasparis Pisani, qui etiam displicuit Johanni Gregorio, quem postremum laudat, ut virum plane rarum, dignumque, qui magno affectu diligatur. Nuper se a Guarino accepisse literas, quibus hic vehementer in fortunam invehitur, quod filiam clarissimi viri Johannis Chrysoloræ is acceperit externus homo, qui quantumlibet bono ingenio, longe tamen illis nuptiis impar sit, queriturque substomachans uxorem Chrysoloræ venalem habuisse pudicitiam, mœchumque antea habuisse, quam socerum. (Alludit ad Franciscum Philelphum, qui in urbe Constantinopolitana nuptias hoc anno celebravit cum Theodora filia Johannis Chrysoloræ.) Gaudet de induciis sibi a Nicolao datis ad Laertianam traductionem; vitas Patrum interim se conaturum absolvere. Narrat Aurispam, dimisso Græculo imperatore Bononiam se recepisse, ac injunxisse se Cosmo, ut dum Bononiam proficisceretur legatus urbis Florentinæ, Aurispam conveniret, moneretque, ut, dum pestis conquiesceret, Florentiam se reciperet; item ut episcopi Bononiensis auxilium imploraret ad eruendas ex principali monasterio Ignatii epistolas. Rinutium Romam versus contendere comitem cardinalis sui. Barbarum pollicitum se misurum orationes a Poggio in Germania repertas. Laurentium Mediceum assuefactum lectioni Ciceronis Tusculanarum Phædrum a Leonardo Arretino traductum abjecisse a se, ut incultum, asperum ac rudem, quæ audivit a Cosmo ejus fratre. Ipsum Leonardum constituisse dono offerre primoribus civitatis historiam suam. Carolum Arretinum insistere erudiendo Laurentio Mediceo. Concludit denique: „ Quid de historiis tertiæ illi portæ insculpendis sentias, video, probo„ que, sed vereor, ne nimium præcipites sint hi, quibus ea opera in„ juncta est; audio illos Leonardum Arretinum consuluisse, præclaroque ex

[a] Lib. VIII. ep IX.

Ann. Chr. 1424. „ ex hoc initio cetera conjecto . “ (Suspicatur heic Gorius , ubi memorat Ambrosius tertiæ portæ historiam , de ea porta intelligere , qua ornatur basilica & baptisterium sancti Johannis-baptistæ urbis Florentiæ . Hanc æneam conficiendam , & anaglyphis historiis ex sacro veteri testamento depromptis ornandam jusserunt consules artis Mercatorum Callismalæ egregio viro Laurentio Ghibertio , sed eas historias inveniendi describendique munus injunxerunt aliquot doctis viris, eaque tempestate celeberrimis, qui cum voluntati eorum non fecisent satis, id munus commiserunt Leonardo Arretino ; quod Gorio constat ex mss. priscis diariis ejus artis, quæ omnia in adversariis suæ historiæ Florentinæ basilicæ & baptisterii sancti Johannis-baptistæ adnotavit .) Scripserat hujusmodi literas Ambrosius & obsignaverat, cum ipsi reddita sunt sermones Chrysostomi, Vitæ patrum & Tertulliani apologeticum, quem postremum codicem ait se lecturum tritius & diligentius, & transcripturum , vel alteri transcribendum injuncturum . Demetrii Scarani venditos libros jam in potestatem Pallantis Stroctii devenisse , antequam literas suas recepisset Leonardus Justinianus ; reliquos tritos esse, solumque Xenophontem suum desiderium commovere . Retineat apud se precatur , quæ ipse scripserat de Jacobo monacho & de Laertio , & ne de animo suo decidere faciat negotium Casinensis cœnobii historiæ, dialogique Desiderii.

[a] Lib. VIII. ep. VII. Pertinet & ad hunc annum epistola [a] Ambrosii ad eumdem Nicolaum, qua significat archiepiscopum Cretensem (Petrum Donatum Venetum) aliquos ad se libros servandos misisse, inter quos orationes Ciceronis plurimas, commentaria Cæsaris & evangelia. Legatum Constantinopolitanum bis familiariter secum fuisse, qui Aurispam nequissimum appellaverit, & sceleratissimæ proditionis insimulaverit , ex literis ejusdem Aurispæ a legato sibi ostensis. Vidisse se insuper & legisse Guarini epistolam . Quintiliano se literas Græcas non addidisse de novo in iis locis, quibus bene stare videbantur, addidisse vero, ubi opus esse visum est. Mittit autem ad Nicolaum Rutilium Lupum cum figuris Græcis.

[b] Lib. VIII. ep. XXVIII. Septimo kalendas augusti [b] eidem Nicolao scribit, quod cum advenisset Florentiam legatus Bononiensis, exploraverit ipse diligenter , an cum eo advenisset etiam Aurispa, vel Rinutius. Comperto autem , quod solus Rinutius adventasset, convenit eum per literas , ut ad se accederet. Accedentem comatulum , nitidum , & præcinctum ad iter peragendum excepit , qui statim continuata dictione sine ulla respiratione incepit loqui, intercludendo sibi aditum respondendi ; erat enim sermo ipsius inconstans & varius; nam modo damnabat Græcos perfidiæ , modo eorum humanitatem prædicabat, seque penes illos potius quam in genitali solo vivere & mori malle disponebat; carpebat ingenia Thuscorum tamquam invida & virtutem impedientia , contra summis in cœlum laudibus tollebat Venetos, qui bona ingenia blanditiis, favoribus , honoribusque incitarent; qua quidem in re, & si veram sententiam ferret, caute tamen utriusque civitatis comparationem facere non videbatur. Invehebatur contra Leonardum Arretinum , quem appellabat pestem omnium studiorum & perniciem ; modo eumdem Nicolaum ignaviæ accusabat , quod cum ipse Rinutius peregrinationis suæ & inventionis librorum a se factæ rationem reddidisset, Nicolaus cunctando, prædam sibi eripi passus fuisset. Modo humanitatis studia præferebat, modo exhorrebat, paratum se gratis docere contestans, non emendicando victum . Convenit demum Ambrosium inter & Rinutium, ut hic indicem librorum acquisitorum ad se mitte-

mitteret. Parvum apud se volumen reliquisse, ex quo ipsa nocte Platonis definitiones centum sexaginta exscripsit, tres itidem epistolas Abaris ad Stilaridem, Pythagoræ ad Hieronidem, & Lysidis Pythagorici ad Hypparchum ejusdem sectæ philosophum præclaras exaravit. Orasse se postremo Rinutium, ut Archimedem, quem habere de instrumentis bellicis & aquaticis cum pictura confessus est, saltem videndum transmitteret, quem si concederet, promittebat sibi Ambrosius, intra quindecim dies transcripturum. Asseruisse Rinutium Aurispam Venetiis octuaginta volumina deposuisse, ibique tractatum fuisse honorifice ab omnibus studiosis. Se (Ambrosium) Aurispæ Polydeucem volumen novum emendatum satisque copiosum accepisse ante plures dies, dilata libri acceptione causa oblivionis Pantaleonis; literas ejusdem Aurispæ se habuisse datas Bononiæ IX. Kalendas augusti, postquam ille decubuerat pluribus febribus; hunc autem cupere in otio & literis apud Florentiam ætatem suam reliquam terere, ad quam rem assequendam maximo emolumento posse esse illi Cosmum, qui cum eo congressus est Bononiæ, cuique testatus fuerit Aurispa tercenta secum volumina adduxisse. Significat demum Nicolao Ambrosius senem optimum & amantissimum fratrem Johannem de Signa ante aliquot dies excessisse e vita, quem pro meritis & propensiore in se studio, sive quod naturali instinctu semper affici maxime solebat ad venerandam senectutem non ignavum diligebat.

ANN. CHR. 1424.

Ad eumdem Nicolaum scribit [a] IV. kalendas septembris, graviter se ferre ipsius moram in redeundo ad patriam. Postulat ab ipso Lactantium ei jam redditum a Petro librario. Hac die secum diutius immoratum fuisse Johannem Arretinum alterum librarium, multaque invicem contulisse, sed hominem esse levem. Heri se accepisse a Johanne Gregorio opuscula Augustini literis barbaris scripta. Se minime loquutum fuisse cum cardinale, legato nimirum Bononiense, qui Florentiam profectus non est. His diebus Rinutium legatum ab eo venisse, sed ob immodicam ipsius festinationem eumdem non invenisse, illumque ad se misisse, qui excusaret.

a Lib. VIII. epist. XXIX.

Gratulatur pridie nonas septembris [b] eidem Nicolao Salomonem nostrum antiquæ amicitiæ sic habere rationem, ut longissime licet remotus libros, supellectilem omnium pretiosissimam mittere non desistat, cui a Deo digna præmia precatur; „ neque velim, subdit, te minus afficiant „ ipsa volumina, quod ex aperto titulo minus peregrina videantur; ni- „ hil quippe illorum librorum est non pretiosum, dignumque quod mul- „ tis exemplaribus sit apud nos. Addo ejus viri diligentiam, qui volumi- „ na nonnisi pulcherrima non mitteret. Nam si Chrysostomi super Jo- „ hannem volumen attendas, quod anno præterito misit, & ex eo ce- „ tera æstimes, nihil video, cur non maxime gaudere debeas. “ Rescribit se diligenter observaturum, ne inserat literas Græcas novo Lactantio; plus enim se diligere chartaceum veterem codicem ejus, quam novum. Nominat librarium alterum Albertum, qui avet colloqui cum illo. Orat demum, ut moneat Carolum Arretinum, quatenus se conferat ad Laurentium Mediceum egregium humanitatis virum, neque maximo illum solatio & fructu, seque ipsum magna gloria privet, si Laurentium, quem cepit, erudire dimittat. In utraque hac postrema epistola meminit Ambrosius infirmitatis & convalescentiæ fidelissimæ mulieris Benvenutæ, quam jamdudum in domum suam receperat Nicolaus; quæque origo & causa fuit internecini odii Leonardum Arretinum inter, & ipsum Nicolaum; ut est notissimum.

b Lib. VIII. epist. XL.

Ann. Chr. 1424.

II. Aliæ ejusdem ad Barbarum.

REFERRI possunt ad hæc tempora etiam sequentes epistolæ Ambrosii ad Franciscum Barbarum, in quibus aliqua attinguntur ex iis, quæ mox notavimus in epistolis ad Nicolaum. Sexto Kalendas martias [a] excusat cum ipso suum longum silentium. Significat autem se nondum recepisse exemplar Climaci sui ab iis, quibus mutuo dederat. „ Accepe„ runt illum, inquit, ex me monachi sanctæ Justinæ, quorum sub ditio„ ne est monasterium Nicolai olim nostri optimi atque sanctissimi, & „ ex ipsa tam celeri post adeo mirabilem conversionem morte fidelissimi viri. “) Intelligit Nicolaum de Guasconibus abbatem sanctæ Mariæ de Florentia, qui vix recepta in monasterio suo reformatione congregationis sanctæ Justinæ, obierat magna cum pœnitentiæ & sanctitatis opinione anno 1419.) „ Mandavit enim Ludovicus (Barbus) summus vir „ ac mihi dignissimus pater abbas sanctæ Justinæ illum celeriter absolvi, „ & necdum finitus est; cum primum mihi restitutus fuerit, illum ac„ cipies. “ Subdit Chrysostomi opusculum nuper a se traductum cepisse legere summum ac doctissimum virum sibique amantissimum cardinalem sancti Angeli, & necdum restituisse, quod similiter statim mittet. Accepisse se a Nicolao (de Leonardis Veneto) medico clarissimo suavissimas literas, & lignum Aloes optimum, cui literas adnexas det, orat, simulque alias Guarino. Cupiebat insuper Ambrosius rem futuram maxime honorificam ac summi emolumenti Guarino, sed & juventus civitatis Florentinæ, & magistratus ille, cujus munus est eruditos viros conducere pro ornamento urbis, exoptabant accersere Guarinum Florentiam salario, quod ipse statuisset; quam rem persuaderi Guarino a Barbaro Ambrosius instat. Petit tabellas buxeas demum pro Hieronymo fratre.

Paulo post cum proficisci pararet Venetias præstantissimus Theologus & pater dignissimus Antonius Massanus, per ipsum alias Barbaro [b] literas dedit Ambrosius. Tristis scribit se a Matthæo Viterbino, Matthæum vero ab archiepiscopo Cretense nuntium malæ valetudinis ipsius Barbari accepisse, simul tamen recuperatæ, vel in brevi recuperandæ pristinæ integritatis; ipsum proinde orat, ut valetudinem suam quam maxime curet, & si suspicio pestis sit Venetiis, ad eas se regiones conferat, ubi securus vivere possit. Ceterum ex ipso magistro Antonio addiscet Barbarus miseram conditionem Nicolai Nicolii, quam breviter exponit his verbis: „ Fuerat, inquit, inter Franciscum & Nicolaum conjunctio. Ea „ vero ipsa conjunctio tam cara, tam celebris, tam rara, jampridem non „ dissuta, sed discissa atque disrupta est, ut resarciendi nulla spes esse „ videatur. Ejus autem adeo pertinacis dissidii uterque fortassis quorum„ dam judicio causa fuerit, ego alteri tantum id crimen impingo, Fran„ cisco scilicet. Cum enim nihil ante illum, quod ego reminisci possum, „ manavit, præter indicia summæ benevolentiæ, summum studium obser„ vationemque adeo submissam, ut servituti fere propinqua videretur, „ ille jamdiu congregandæ pecuniæ studiosior, quam servandæ amicitiæ, „ immo illius appetentissimus, negligentissimus istius, atque adeo studiis „ humanitatis, quibus nulla unquam cum immodica cupiditate conve„ nientia esse potest, infestus, causas omnes, immo occasiones omnes, „ levissimas licet, aucupari studiose nisus est, quæ discordiæ possent es„ se seminaria. Solitam enim viri libertatem, quæ vel sola digna ami„ cis est, & qua sublata nihil est amicitia aliud, quam fœda adulatio, „ ægre ferens, & quod ille scriptis suis, ut solitus erat, non per singu„ la verba acclamaret, immo improbaret apud eum plurima, indignans „ atque substomachans illum non jam clam, sed aperte & in publicum lacesse-

[a] Lib. VI. ep. XX.

[b] Lib. VI. ep. XXI.

„ lacessere cepit amicitiæ violatorem, ignarum literarum, suis beneficiis „ ingratum, quia is literis suis, alias ignorandum, seculo fecisset illustrem, „ ceteraque id genus exprobrare. Quid plura? Erupit tandem odium in „ intimis conceptum visceribus in apertiores & immaniores inimicitias, evo- „ muitque orationem in illum, alteri licet inscriptam, omnium, quas „ unquam legerim, teterrimam, impudentissimam atque acerbissimam. „ Quæ quoniam, ut didici, ad vos delata est studio illius, paucis inde „ mihi necessario agendum, cum potissimum illam mihi dedicatam vide- „ rim. P.. ille, qui inscribitur orationis auctor, mihi fuerat ante fami- „ liaris. Is eam orationem misit ad me legendam, scripsitque brevem „ epistolam, quam etiam præposuit in capite illius orationis. Eam ve- „ ro quanto animi dolore legerim, facilius animadvertet, qui me novit, „ & Nicolaum ipsum. Mox autem rescripsi epistolam satis prolixam, „ egique apud illum vi summa precum, ut ista non efferret in publi- „ cum, admonens illum amicitiæ præteritæ & fidei suæ, judicio non vul- „ gari, sed doctissimorum, integerrimorumque hominum fore, ut ista „ oratio summum sibi dedecus, indignationemque bonorum omnium pa- „ reret, quibus nota vita Nicolai est, hactenus jam tunc a pueritia pu- „ dicissime acta semper & honestissime. Plurima autem, fere omnia, ip- „ sius crimina reprobari posse facillime, falsitatisque convinci. Non pla- „ cere sobriis auribus maledicta tam fœda, tam turpia, ne si in scurram „ aliquem & circumforaneum nebulonem jaciantur, ceteraque in hunc „ modum orans, obsecrans, obtestans, ut dolori, quem summum esse „ non ignoraret, parceret, amicum integerrimum istis jaculis non inse- „ ctaretur. Quid autem istis adhortationibus, quibus furibundi insaniam „ excantare nitebar, profecerim, audi, atque dementem furiosumque „ hominem meum exstupesce. Lectis literis meis, mox brevem illam „ epistolam, quam dederat ad me, omnis rationis exortem, in meum „ dedecus præposuit orationi, ut scilicet scirent omnes me conscium sce- „ lerum, quæ impurus ille in amicum mihi bonisque omnibus cariſſi- „ mum congerit, probare me ista convicia, quæ si in latronem aliquem „ dicerentur, pigeret audire. Sic enim edoctus, sic instructus sum, ut „ bona de omnibus perlibenter audiam, mala ægre admittam. Sed im- „ pulit me ad audendum apud te ista dolor meus atque injuria, quam mi- „ hi omnium maximam irrogatam sentio ex nefario conatu ausuque vi- „ ri, qui quantum in se fuit, maledicta sua mihi probari, & talia ma- „ ledicta, atque in talem hominibus persuasit. Istam vero adeo tetram „ orationem primum illius esse credidi, cui inscribebatur, sed ut postea „ sum factus certior, vel tota vel maxima ex parte Phil. est. Neque „ hoc obscure suspicor, sed digitum fere in vulnus injeci. Sed ista satis „ atque etiam nimium. " (Putantur communiter narrari in hac Am- brosii ad Barbarum epistola simultates atque extrema odia Philelphi in Nicolaum Nicolium. Sed alium ab Ambrosio carpi a Francisco Philelpho diversum & venire Franciscum aliquem & Philippum amicos Leonardi Arretini, vel etiam ipsum Arretinum, hæc sunt, quæ suadent. Episto- la hæc data est ante annum 1426. emortualem Demetrii Scarani, qui ut vivens nominatur ad calcem ipsius. Anno pariter 1424. & 1426. non- dum advenerat Florentiam Philelphus, immo ne ex Græcia quidem in Italiam. Præterea archiepiscopus Cretensis erat Petrus Donatus, qui an- no 1428. ad cathedram Patavinam fuit translatus, quo anno Philelphus adhuc erat Bononiæ, nec Florentiam transierat, & ipsius odium in Ni- colaum non erupit, nisi anno 1433. Sed & ab anno 1430. Antonius

Massa-

Ann. Chr. 1424.

Massanus, qui literas Ambrosii ad Barbarum deferebat, ex generali ministro ordinis Minorum factus jam fuerat patriæ suæ episcopus.) Carpit tamen Ambrosius in ipsa epistola etiam Nicolai immodicam loquendi libertatem, licet eam ex animo sincero prodire affirmet. Ceterum ad hunc circiter annum 1424. pertinere epistolam hanc Ambrosii ex eo colligitur, quod in ipsa mentio fiat de rebus, quæ in aliis hujus anni epistolis memorantur. Addit præterea se melioribus literis scriptum Climacum mittere per eumdem Antonium Massanum: „ Opus, inquit, leges egregium quidem & præclarum sententiarum sollemnitate, sed parum splendidum, immo etiam incultum, quod necessario mihi faciendum fuit; neque enim, quam non habet in sua lingua venustatem, traductio illi conferre potuit. " Se nondum expolivisse Chrysostomum. Michaelem Beninum, Barbari amantissimum, reddidisse Hieronymo fratri suo monacho tabellas buxeas. Patrem seniorem demum & Demetrium senem eidem salutem dicere.

a Lib. VI. ep. XXII.

Excusat cum eodem Barbaro x. kalendas novembris [a], quod nondum sibi liceat ob librarii tarditatem mittere Chrysostomum a se traductum; tamen, ne vacuus sine suis literis Michael Beninus Venetias se conferat, has illi ad Barbarum deferendas literas tradidisse. Agit de Jacobo Tornaquincio commonacho suo, quem gaudet de se integritateque sua obloquutum non fuisse in literis ad eumdem Barbarum. Angebatur enim Ambrosius tantum virum de se (Ambrosio) & de honestissimo cœtu monachorum Angelici conventus protulisse verba contumeliosa, præsertim apud Barbarum, qui tantopere pietate & benevolentia erga se & erga monasterium illud devinciebatur. Suspicatur tamen, si non multa, aliqua apud alios Jacobum obloquutum. Gaudet probari Barbaro Climacum a se conversum, cujus opus densum, arctum, facundiæque minus capax & utilius sit, quam amœnius. Loquutum se fuisse cum clarissimo theologo Massano, qui sibi narraverit virum quemdam gravissimum equestris ordinis de familia Constantinopolitani regis Venetias applicuisse, magnamque librorum copiam secum advexisse, cupientem ex seculi naufragiis fugere, & religiosum institutum capessere, obstare vero uxorem juvenem, simulque filium bonæ spei adolescentem; de quo viro quid tandem actum sit, dicebat Massanus se ignorare; quare a Barbaro petit Ambrosius diligentius informari. Dixisse pariter sibi eumdem Massanum famam vigere Venetiis Tartarorum regem ad Christi fidem conversum multitudinem Barbarorum secum ad fidem attraxisse. Salutem demum dicit Barbaro ex seniore patre, Demetrio sene, Hieronymo fratre & Jacobo, quem postremum pro vitæ & eruditionis merito tamquam alterum se diligit. Salutat autem Matthæum Viterbinum.

b Lib. VI. ep. XVIII.

Ante quatuor dies [b], XIV. nempe kalendas novembris, doluerat ob calligraphi negligentiam se nondum posse ad eum mittere opus suum Chrysostomi, quod optasset per spectatissimum virum Michaelem Beninum civem Florentinum deferri. Legisse se insuper literas ejusdem Barbari ad Nicolaum pro eo reconciliando cum Leonardo Arretino, quod & ipse (Ambrosius) sed incassum hucusque tentaverat, obsistente Leonardi intemperantia, quæ reconciliationem impedit. Habemus ex hac epistola verum tempus inimicitiarum, & odii Nicolaum inter & Leonardum Arretinum. Heri se literas recepisse a summo viro Petro Donato Cretense archiepiscopo optimam Barbari valetudinem testantes. Leonardo Justiniano literis datis gustum quemdam amicitiæ suæ dedisse, & ad se amandum provocasse. Precatur Barbarum, ut silentium suum purget

apud

apud Nicolaum physicum. Salutem demum dicit claris adolescentibus, patriciis Venetis Friderico & Andreæ Corneliis, & humanissimo viro fratri Matthæo Viterbino. ANN. CHR. 1424.

Referenda ad idem tempus [a] epistola ad eumdem Fridericum Cornelium, qua excusat Ambrosius, quod tardus fuerit ad respondendum. Indolet de casu Bernardi civis Veneti in Florentina urbe, cui pro officio non defuit, tum quia Veneto, tum quia Barbari familiari; nondum enim sibi innotuerat, quod ejusdem Friderici Bernardus esset etiam propinquus, ipsiusque amicitiam expostulat.

[a] Lib. VI. ep. XLII.

Pariter ad hunc ipsum annum adducenda videtur [b] alia Ambrosii ad Barbarum epistola scripta tempore quadragesimæ, qua ipsi significat pervenisse ad se quatuor illa volumina Aurispæ præclara sane & eximia. Ex parte Nicolai orat ipsum Barbarum, ut cum præturam delegatam inierit, Homeri vitam ab Herodoto conscriptam, quam asserit esse apud episcopum Vicetinum Petrum Æmilianum, curet ad illum transmittere, ut exscribatur. Ingenium Nicolai, subdit, pronum esse in suspiciones, quare a se etiam sæpius objurgatur, & nonnihil proficit; ceterum Nicolaum bonum sane esse virum & integrum, cuique suo judicio ob eximia incitamenta virtutum merito juventus omnis gratias referre debeat: „ multum enim ipse ad humanitatem ætati nostræ contulit. “ Cupit psalterium aliquod Græcum dono sibi dari a Barbaro idem Ambrosius, eo quod in suo monasterio sint multi Græcis literis operam dantes. Hieronymus & Jacobus Barbarum salutant, salutat vero ipse Leonardum Justinianum. (Prætura delegata a Barbaro fuit Vicetina, quam strenue implevit anno præsenti, non Brixiana, quam obtinuit anno 1437. quo postremo anno a quinquennio jam decesserat Vicetiæ episcopus Æmilianus nominatus in epistola ut vivens.

[b] Lib. VI. ep. II.

III. Epistolicum commercium Aurispæ & Ambrosii.

QUOAD volumina Aurispæ legatur hujus epistola data ex Bononia Ambrosio [c] Kalendis decembris anni præteriti, qua se scripturum aperit Francisco Barbaro, ut quatuor volumina dentur mensæ Mediceorum deferenda ad ipsum Ambrosium, & se insuper Xenophontis Paralipomena misisse ad Nicolaum, a quo accepit Oratorem & Brutum; legatur & alia data præsenti anno 1424. [d] VII. Kalendas martii, in qua miratur, quod ea volumina, quæ ipse reliquit penes Franciscum Barbarum virum clarum, ad eumdem Ambrosium nondum fuerint delata, cum ipse non unis, sed pluribus literis Barbarum rogaverit, ut voluntati Ambrosii faceret satis.

[c] Lib. XXIV. ep. LVI.

[d] Lib. XXIV. ep. L.

Ad præteritum itaque sequentesque annos memorandum est epistolicum commercium Aurispam inter & Ambrosium. In postrema mox allata epistola, ait Aurispa se parasse mittendum ad eum (Ambrosium) commentum Iliadis: missurum etiam Odysseam, nisi sciret Florentiæ se apud Antonium Corbinellum olim reliquisse id Homeri opus & antiquissimum, & emendatum, quod facile habere poterit, cum Corbinellus sit vir humanus, & ipsius Ambrosii observantissimus. Libentissime etiam mitteret Aristarchum, si esset apud se, & non potius Venetiis cum ceteris voluminus. Andreotium Senensem virum & egregium, & literarum amantissimum, etsi numquam viderit de facie Ambrosium, diu tamen & vehementer ipsum ejusque virtutes amare.

Tertio idus februarii [e] ex Venetiis hæc de Ambrosio in epistola ad ipsum protulerat idem Aurispa: „ Talem opinionem de te jamdiu in-„ dui, ut neminem tibi præstantia ingenii tui, & singularium virtutum „ tuarum divinitate comparandum putem. Quas ob res, clarissime vir, „ te

[e] Lib. XXIV. ep. XXXVIII.

ANN. CHR. 1424.

„ te colo atque observo, ut numen quoddam mihi propitium, putoque „ totius Italiæ atque hoc tempore te maximum ornamentum esse. " Scribit se ad ipsum mittere Polydeucem; Græcorum regem cras Venetiis discessurum, ut Mediolanum eat, seque una secum. Mediolanum proinde transmittat literas Ambrosius, & commendet se (Aurispam) Johanni Riccio, qui penes ducem Mediolani primus esse dicitur. Orat, ut salutet Demetrium Scaranum, cujus fratres & nepotes belle valent. Eudemonjannem mortem obiisse kalendis novembris, Platindorum esse in Peloponneso. Se habere Venetiis in volumine vetustissimo omnia ferme, quæcumque scripsit Demosthenes, quod etsi literas speciosissimas habeat, præ antiquitate tamen quandoque caret accentu; habere & omnia Xenophontis. Sperat cito visurum ipsum Ambrosium, quem demum orat, ut sollicitet Nicolaum ad sibi transcribendum Oratorem.

[a] Lib. XXIV. ep. XLIX.

Cum aliquando [a] foret Aurispa Florentiæ, misit ad Ambrosium epigrammata, ut hic inde excerperet id evangelicum, quod cupiebat, & præterea misit epistolas Plinii. Putat de codicibus suis ipsum Ambrosium habere Proclum Platonicum, & Athenæi Organum Polemicum, & quid aliud in Mathematicis. Cras se accessurum ad ipsum.

[b] Ibid. ep. LI.

Idem Aurispa XI. junii [b] ex Bononia scribit Ambrosio se nihil acturum sine ipsius & Nicolai consilio. Amantissimum se esse & cupidissimum habitandi in urbe Florentina, quam dolet interim bellis vexari. Ex Bononiensi urbe non posse se discedere, nisi ad medietatem augusti; necessitatem deinde se habere eundi Venetias ad convehendos ex ea urbe libros suos. Kalendis septembris posse se esse Florentiæ, & interim amplecti libentissime pollicitationem hospitii apud clarissimos adolescentes natos Pallantis Strozii nobilissimi & humanissimi viri. Se interea curare ad usum ipsius Ambrosii transcriptionem libri de *Proprietate linguarum*. Salutasse se ejus nomine probissimum virum episcopum Bononiensem, & Thomam Sarzanensem. Salutem autem dicit Demetrio seni, Jacobo & Hieronymo.

[c] Ibid. ep. LII.

Sine nota mensis & diei [c] scribit Aurispa Ambrosio in idem argumentum addens sibi Florentiæ conducendo eam sufficere conditionem, qua honestam vitam ducere valeat. Iterum de transcriptione libri de *Proprietate linguarum* agit. Se nomine Ambrosii salutasse viros optimos atque humanissimos Andream Mediolanensem & Thomam Sarzanensem.

[d] Ibid. ep. LIII.

Sexto Kalendas [d] septembris narrat se ex Græcia nullum sacrum volumen detulisse, præter Gregorii epistolas ducentas. Eæ sibi caræ erant, & regi Græcorum nonnulli malevoli sæpissime se accusaverant, quod urbem illam sacris expoliasset libris; gentilium enim librorum non tam grande crimen videbatur. Gentilium auctorum ipsum regem dono sibi dedisse duo volumina, Procopium de gestis Bellisarii aut Justiniani in Italia, & Xenophontem de Ippicis. Cetera omnia volumina Venetias secum adduxisse, quorum gentilium scriptorum libri numero ducenti triginta-octo sunt, & inter eos rarissimos aliquot recenset. Argonautica Orphæi, & tria alia opuscula ejusdem auctoris, & hymnos, Callimachum, quamplurimas Pindari odas, Laudes Deorum Homeri non parvum opus; Oppianum de Venatu, item de naturis piscium, Phocylidem, Empedoclem, Aristarchum super Iliade in duobus voluminibus opus spatiosum & pretiosissimum; aliud commentum super Iliade, cujus eumdem auctorem esse putat, & illius, quod super Ulixiade ex se habuit Nicolaus, Apollonium grammaticum, Dionysium de Significationibus dictionum, Nyphestionem de omni metrorum natura,

ra, Herodianum de quinque linguarum differentiis, & horum generis nonnulla alia; Ariſtotelis aliqua, quæ pridem in lucem non venerant; opus Rhetoricorum ad Alexandrum; aliud in Ethicis ſollemne, cujus titulus Eudemia, aliud de vaticinio in ſomnis, aliud de iis, quæ mira in orbe dicuntur, aliud de machinis, & plura alia ejuſdem philoſophi; quidquid ſcripſit Plotinus, quidquid Proclus viri Platonici, quidquid Xenophon, quidquid Plato, Theophraſti plura, Jamblichi plura, Plutarchi aliqua inaudita, Naucratici cujuſdam Athenienſis volumen quoddam maximum, nec adhuc finitum de Cœnis; nihil uſquam facetum dictum eſt, quin non ibi inveniatur. Riſus & ſeria omnia Luciani & mille alia, quæ, ut ſpero, non tarde tute videbis & tuo jure frueris. Hiſtoriam Arriani de Alexandro, Strabonem de ſitu orbis & conditoribus civitatum, Dionem in Romana hiſtoria, multos libros Diodori Siculi & infinita alia. Subdit ſenem illum Græcorum & regem, & columen vixiſſe, cum Conſtantinopoli ipſe diſceſſit, præ mala tamen valetudine jacuiſſe, paucos, & forſan neminem veteri Græcia digniorem ipſo vivere. Dubium eſſe, an Turcæ urbem illam regiam capiant; idque breviſſime ſuo judicio, utinam verum non dicat, niſi Deus, ut ſolet, aliquid inſperatum miſerit. Quod Rinutius Archimedem invenerit, poſſibile quidem eſſe, ſed ſibi non eſſe veriſimile; neminem enim unquam ſe allocutum fuiſſe, qui hunc auctorem vidiſſe affirmaret. " At quam ſolertiſſimus, „ ait de ſeipſo, ſcrutator harum rerum fuerim, certe quandoque ſcies. " Se habere volumen quoddam magnum vetuſtum Athenienſis mathematici cum picturis inſtrumentorum. Id volumen eſſe antiquum, & picturas non eſſe ſatis aptas, ſed facile intelligi poſſe. Habere & alium Mathematicum non perfectum, vetuſtum etiam, cujus auctorem ignorat, ſiquidem caret principio. Si cui forſan vetuſtati Archimedis nomen Rinutius inſigat, ſe non ſatis ſcire. Verum eſſe poſſe, quod & ipſe meminerit, & nec ſe, nec eos, qui ſibi loquuti ſunt, vidiſſe. Ceterum opus ſibi fuiſſe, ut aliquas pecunias mutuo acciperet, cum eſſet Venetiis tum pro ſolvendo librorum naulo, tum etiam ut redderet aliquas cuidam, qui ſibi eas Conſtantinopoli mutuaverat, aliter enim illinc expediri non poterat, nam eæ pecuniæ, quas Græcorum rex ſibi tribuerat, non ſuffecerant. Qua cauſa virum humaniſſimum & ſui amantiſſimum Ambroſium Auriſpa precatur, ut ejus opera ſibi ab aliquo Florentino mercatore ſubveniatur Venetiis de quinquaginta florenis, ſi eguerit; & pro ſecuritate ſe traditurum tot volumina, quæ in triplo valeant, judicio cujuſcumque, qui Venetiis inveniatur. Forſan ſe indigentiam hanc non habiturum; nam Victorinus Feltrenſis, qui cum domino Mantuano eſt, literas Græcas mediocriter eruditus, ſcripſit ſe miſſurum quinquaginta florenos pro emendis duobus voluminibus Platonis & Plutarchi; quæ, ut multa alia, duplicata penes ſe ſunt. In Plutarcho eſſe parallela omnia, & librum eſſe correctiſſimum, & volumen magnum, papyro tamen, quamvis hæ chartæ propinque robuſtæ membranis ſint. Aliud opus continere omnia Platonis, præter leges, epiſtolas & de Republica; nunquam vidiſſe ſe pulchriorem literam Græcam, & membranas etiam pulcherrimas eſſe. Si pro his libris Victorinus pecunias miſerit, ſe abundaturum; ſin id factum non fuerit, & opera ejus (Ambroſii) ſubveniri ſibi non potuerit, id futurum ſibi neceſſarium agere, quod invitus faciet. Concludit Nicolaum ſibi, dum Conſtantinopoli degeret, ſcripſiſſe completum Ciceronem de Oratore, quem proinde expectat daturus pro eo duas Ariſtotelis rethoricas, & aliud opus Ethicorum. Se Venetias ire ad aſportan-

ANN. CHR. 1424.

Ann. Chr. 1424. dos Bononiam libros suos, ubi conductus est ad literas Græcas legendas, si velit.

a Ibid. ep. LIV. Idibus septembris [a] significat eidem Ambrosio ex Bononia se in Græcia cum esset, concupiisse Italiam propter urbem Florentiæ. Verum consistentem Venetiis, & audito pestilenti aere, bellisque, quibus infestabatur Florentia, decrevisse commorari Bononiæ publico salario ad literas Græcas docendas. Substituturum itaque se hoc anno Bononiæ; futura hebdomada Venetias petiturum ad partem librorum advehendam, & cum liber fuerit, bonasque si notitias habuerit se receptum iri Florentiæ, libenter adventurum optatius, quam in ipsam Siciliam. Curet Ambrosius, ut literæ consignentur vel Johanni Bosco Florentino, qui Bononiæ magistratum in Juristas habet, vel ad mensam de Corbizis.

b Ib. ep. LV. Septimo kalendas novembris [b] gratum sibi asserit esse Aurispa, quod Ambrosius scripserat, ne Græcorum regem sequeretur extra Italiam. Gratias etiam habet, quod Venetiis solvi sibi fecerit quinquaginta florenos a Mediceorum mensa. Relinquit ipsi Ambrosio Quintilianum de Oratoria institutione, quem accommodaverat Friderico de Petiis tunc marchionis Ferrariæ Florentiæ negotia gerenti, ut detur Nicolao, mittendum sibi cum Oratore & Bruto.

c Lib. V. epist. XXXIV. Vidimus superius Aurispam petiisse Ambrosii opera quinquaginta florenos. Huic epistolæ [c] kalendis septembris respondit ipse Ambrosius gaudens tantum per ejus industriam Latinis literis ornamentum accessisse, tantumque peregrinæ ac pretiosissimæ mercis advectum, ut si nolit esse ingrata, tota simul eruditorum turba maximas illi laudes debeat. Se curasse persolvendos ipsi quinquaginta florenos per illos de Medicis, & placuisse viro illi, qui pecuniam commodat, ut arbitrio Barbari & Justiniani tantumdem librorum accipiatur. Se summa industria dare operam, ut ipse conducatur Florentiæ, quare improbat ejus conductionem factam ab urbe Bononiensi. Miratur, quod nondum Nicolaus libros de Oratore & Brutum Ciceronis miserit. Postulat demum, ut libros sacros, quos ex Byzantio in Siciliam transmiserat, faciat ad se Florentiam adduci.

IV. Literæ aliæ Ambrosii ad Nicolaum. d Lib. VIII. ep. XXXIX. DIE sequenti [d] scripsit Ambrosius Nicolao, se ante triduum accepisse literas ab Aurispa, quibus indiculum adnotavit quorumdam voluminum, quæ ex Græcia detulit, ipsumque a se petere, ut ab aliquo mercatore illi dentur quinquaginta ducati numerandi Venetiis, ubi proxime est profecturus, ut inde ducenta & triginta-octo volumina secum Florentiam perferat, & tantumdem illum librorum daturum; Laurentium vero Mediceum protinus annuisse. Addidisse Aurispam se conduci Bononiæ, si velit, ad docendas Græcas literas, quam provinciam minus libenter subit. Subdit Ambrosius Nicolao, se accito Philippo nostro, cum quo rem istam contulit, tractasse, an posset Aurispa conduci Florentiæ? Videbantur obsistere plura, lues lenta urbis, sed diuturna, civium studiosorum absentia, bellorum fremitus. Verum inter tot difficultates ea erat commoditas, quod abessent ab urbe ejus adversarii, qui negotium perturbare potuissent. Decretum tandem inter se & Philippum fuisse, ut agerent toto studio, quatenus Florentiæ conduceretur, Philippum & Martinum exponere se totos ad id, dummodo non desit, qui de ea re verba prior faciat. Se statuisse scribere equiti cl. Matthæo Castellano, qui modo in arce magistratus locatus est, illique commendare negotium, sed ante quam scriberet, voluisse mentem ipsius Aurispæ obtinere, cujus responsa expectat, simulque pecuniam quæsitam ad eum misisse. Scribit Nicolao, ut hanc rem secretissimam apud se teneat. Aurispam insuper sibi

ſibi ſcripſiſſe, eumdem Nicolaum illi pollicitum fuiſſe Ciceronem de Oratore, Oratorem & Brutum, aſſeruiſſeque ſe pretioſa pro his daturum, ſed mirari, cur nondum acceperit. Conjicit ipſum Auriſpam brevi Florentiam futurum. Prædictum Philippum inſuper addidiſſe, fratrem Genuenſis ducis, cui Auriſpa dudum familiare contubernium præſtitit, heri acceſſiſse Florentiam, atque ipſi Auriſpæ dediſse literas, ut Florentiam veniret, eſseque facillimum ſponte currentem ad curſum incitare. Ex tabellario quoque ejuſdem Auriſpæ ſe didiciſse etiam Mediolanenſem ducem magnis præmiis ipſum apud ſe retinere voluiſse, nulla omnino accepta conditione, Auriſpam vero contemplatione patriæ negotium renuiſse, cum Siciliæ rex inimiciſſimus eſset ducis Mediolanenſis; poſtmodum Venetos conducere eumdem propoſuiſse ad docendas Græcas literas, & itidem eum non acquieviſse. Hortatur demum Nicolaum Ambroſius & approbat, ut omiſſo Piſtorio ſe ad Florentiam referat, tangitque, ut videtur ſimultates, quæ ipſum inter & Leonardum Arretinum tunc vigebant, paciſque ſtudia inſinuat; amandatque Nicolaum ad nonum librum Confeſſionum Auguſtini, quem orat, ut legat. Utrumque demum Lactantium ſe ait accepiſſe, monuiſſe autem ſe Carolum Arretinum, ne Laurentium Mediceum deſerere velit.

Ann. Chr. 1424.

Videntur poſſe referri ad hæc tempora inimicitiarum Nicolai & Leonardi epiſtolæ Ambroſii ad ipſum Nicolaum, quibus [a] quantum ira honeſtum virum dedeceat, ipſe ſublimiori Chriſtianæ humilitatis doctrina imbutus oſtendit, ac commotum amicum ſedare contendit. Carpit ipſius ingenium in ſuſpiciones pronum, quippe qui forte & ab ipſo Ambroſio ſe læſum exiſtimaret. Redarguit ejus duritiem, quod eatenus cujuſquam auctoritati non conceſſiſſet, atque in ſententia ultionis perſtitiſſet. „ Decet, ſubdit, prudentiam tuam, decet graviores annos, decet legendi „ ſtudium, quo te contrivisti tamdiu, aliquid contra communem vulgaremque uſum, illuſtre clarumque concepiſſe, neque fœdæ iracundiæ „ colla nodis innectere. “ Alia epiſtola indignatione commotum Nicolaum blande tractat [b], & pollicetur ſe conventurum primores urbis, eiſque, quantum erroris admiſſum ſit, expoſiturum. Altera epiſtola [c] ejuſdem Nicolai querelas temperat, ſuſpiciones improbat, oratque, ut pauliſper animum inflatum in amicos ponat, nolitque rem credere, de qua nullam mentionem fieri compererat ipſe Ambroſius.

a *Lib. VIII. ep. XV.*

b *Lib. VIII. ep. XIII.*

c *Lib VIII. ep. XXX.*

Inter primos, quos conſuluit Ambroſius, an traductioni Laertii operam dare deberet, fuit Coſmus Mediceus. Exponit ipſi [d], ſe initio putaſse ſimplicem eſse hiſtoriam, verum penſatis ſententiarum obſcuritate, epigrammatum congerie, aliiſque multis ſpinoſis, quæ in ea verſione occurrunt, amici viri, qualis erat Coſmus, mentem intelligere velle, an dimittenda ſit ſibi ea ſparta, præſertim cum inſtitutum ſibi fuerit divinarum rerum ſtudiis ſemper vacare, ejuſque ſententiam expectat, demumque concludit & amicorum votis morem gerere, & propriæ ſimul ſaluti facere ſatis.

d *Lib. VII. ep. II.*

Martinus V. pridie kalendas martii pontificatus ſui anno ſeptimo [e] commiſit abbati ſanctorum Naboris & Felicis de Bononia, ut diminutis propter bellorum turbines, quæ partes illas diutius afflixerant, fructibus prioratus ſanctæ Mariæ de Camaldulo-Bononienſi, uniret eidem prioratui eccleſiam, olim monialium domicilium, ſanctæ Mariæ in Bethleem extra muros Bononiæ, ſolitam gubernari per monachos ordinis Camaldulenſis, quæ reſignata fuerat a Jacobo Andreæ Marinario rectore Antonio priori generali Camaldulenſi ante aliquot annos. Expetierat ſiquidem Pe-

V. Bulla Martini V pro Camaldulenſibus.

e *B. 16.*

ANN. CHR. 1424.

trus prior Camalduli, ut ea ecclesia sibi daretur in commendam. Dilata fuit tamen unio usque ad annum 1436. quo sexto pontificatus sui anno quinto kalendas octobris Eugenius IV. opera utens abbatis sancti Stephani de Bononia utrumque locum univit.

Idem die VII. novembris pontificatus anno septimo mandavit abbatibus monasterii sancti Sebastiani extra muros Urbis, & sancti Savini Æsinæ diœcesis atque thesaurario ecclesiæ Bajocensis, ut providerent Albertum de Massaccio presbyterum Æsinum de parœcialibus ecclesiis sancti Eleutherii extra, & sancti Leonardi intra muros terræ Massaccii simul unitis; ex tabulario Fontis-boni [a].

Ipse pontifex, & ante eum Gregorius XII. abbatiam sancti Petri de Puteolis Lucanæ diœcesis ordinis Camaldulensis unierant mensæ capitulari canonicorum Lucensium, & canonici in ipsius bonorum possessionem introierant. Benedictus itaque prior generalis Camaldulensis cupiens eam liberare ab hujusmodi occupatione, tres procuratores instituit, qui pro ea liberatione agerent, ac jura Camaldulensia vindicarent. Actum Pisis anno M. CCCC. XXV. indictione II. die XVII. septembris, more Pisano, præsente Dominico Lucæ abbate monasterii sancti Michaelis in Burgo Pisarum.

Franciscus de Regatiis episcopus Arretinus ad instantiam & preces ejusdem Benedicti prioris & eremitarum eremi Camaldulensis, rata habuit, confirmavit, & approbavit suo privilegio conscripto die XXXI. julii hujus anni diplomata, privilegia, donationes & indulta prædecessorum suorum Theodaldi, Biremfridi, Constantini & Gregorii, quæ omnia per extensum suo privilegio inseri & transcribi fecit, ac episcopali sigillo munivit, manu Edmundi de Eficho, & Alberti Imigehans Moguntinensis notariorum suorum; ex eodem Fontis-boni archivo [b].

Eustachius abbas Vallis-castri procuratores instituit pro recuperandis juribus monasterii sancti Salvatoris de Aqua-pagana membri abbatiæ Vallecastrensis. Clemens Vannis rector ecclesiæ sancti Michaelis de Lapurano similiter procuratores creavit ad locandam ipsam ecclesiam ejusque bona.

Coram Antonio de sancto Severio priore sanctæ Perpetuæ de Faventia agitur lis inter monasterium sanctorum Hippolyti & Laurentii de Faventia, & inter canonicos Faventinos quoad contributionem, quam quotannis debebat capitulo Faventino præfatum monasterium.

VI. Obitus Hieronymi decretorum doct. & D. Gasparis Pisani.

OBIIT hoc anno tertio idus februarii, ut adnotatur in necrologio Vangaticiensi, Hieronymus Ægidii insignis Decretorum doctor, & lycæi Patavini licentiatus, qui pluribus monasteriis congregationis præfuerat, vicariumque generalem egerat aliquot priorum generalium ordinis, & insuper aliquot episcoporum & archiepiscoporum.

In epistolis Ambrosii mentio facta fuit Gasparis Pisani, qui fato cessit hoc anno. Ipse est Gaspar quondam Ildebrandi nobilium de Ripa-fracta morum candore & literarum præstantia conspicuus, qui postquam multa in favorem patriæ egregia præstitisset, monachus factus Camaldulensis obiit hoc anno omnibus carus, monachis autem carissimus. Sepultus est in ecclesia sancti Zenonis, cujus ultimis officiis interfuit Petrus de Ricciis archiepiscopus Pisanus cum multis de clero, placuitque archiepiscopo de ejus abbatis consensu præcipere, ut non ignobile sepulcrum viro tam digno propriis expensis ædificaretur, ut adnotatum vidimus in schedis Adriani Abrahamii canonici & vicarii generalis Pisani apud nepotem Angelum canonicum Abrahamium. In eodem sancti Zenonis monasterio obiit Nicolaus abbas ejusdem loci pridie idus septembris, ut ad-

„ nota-

[a] §. *Brevia* 53. *A.* 5. 27.

[b] §. *Privilegia* 9. *A.* 5. 25.

notatur in necrologio Vangaticiensi. Suffectus fuit ipsi Silvester ex monacho sanctæ Mariæ angelorum de Florentia. Orlandum de Senis abbatem Morronæ, Andream quondam Guidonis de Faventia abbatem sanctorum Hippolyti & Laurentii produnt chartæ eorumdem monasteriorum.

Ann. Chr. 1424.

Circa hoc tempus Ambrosius [a] sexto kalendas junii Leonardo Justiniano significat, magnam se vim amicissimorum hominum impulisse, ut præter institutum suum, quo jampridem solis sacris literis ex Græco transferendis operam dare decreverat, Diogenis Laertii libros de vita decretisque Philosophorum in Latinum converteret, & vicisse nimiam amicorum vim, adjectis adhortationibus summorum virorum archiepiscopi Genuensis, Antoniique Massani. Verum duo ejus operis esse penes se exemplaria, neutrum perfectum, sed utrumque, quantum conjicere potest, mendosum, atque interdum mutilatum; alterum transsumptum de Guarini volumine, alterum secum convectum ex urbe regia ab Antonio Massano. Petit ergo, ut si sit apud illum, vel alium ejus civium hujusmodi opus, mature curet ad se perferendum, ut extrema manus labori possit apponi. Insuper flagitat, ut ipse amice rescribat, quid sentiat, „ faciendum ne id sibi vel non; quippe judicium tuum tanto pluris facio, „ quanto me abs te sincera & christiana caritate diligi non ambigo. “ Ceterum se invitum manum operi apponere. Se convertisse Chrysostomi sermones e Latino in Græcum, & ad eum missurum, etsi nimium celeriter conversi sint; librariorum penuriam esse, neque habere, nisi ut primum effusi sunt. Marcum fratrem & Bernardum filium salvere jubet; officiosissime autem ipsum salutari a Hieronymo fratre & a sene Demetrio scribit.

Ann. Chr. 1425. VII. Epistolæ Ambrosii ad Leonardum Justinianum.

a Lib. VI. ep. XXIII.

Octava julii [b] amici Leonardi sententiam pergrato amplexus animo, qui vetera & castissima ecclesiæ lumina ei proposuerat imitanda, iterum se coactum præter suam consuetudinem ad Gentilium convertendos libros affirmat. Verum si opus ipsum antea legisset, nullis unquam precibus induci potuisset, ut id traduceret. Est enim plenissimum difficultatis sectas omnes illas ita, ut ab eo traduntur, diligenter exprimere, cum minutissime opiniones omnes prosequatur, desiderentque pleraque Latinos terminos. Proxime se accepturum ejus Diogenem. Hieronymi quoddam opus a Justiniano indicatum truncatum esse apud se, solamque priorem ipsius partem habere.

b Lib. VI. ep. XXV.

Nonis augusti [c] eidem significat Aurispam sibi misisse Diogenem ejus (Justiniani) sed cupere propediem restitui. Contulisse itaque jugi ac perpetuo studio ipsum cum exemplari suo, plurimaque sui codicis errata magna sub celeritate emendasse, curasseque restituendum codicem Aurispæ. Addidisse & volumen aliud novum Augustini de doctrina christiana, quod Guarini nomine transcribi fecerat tradendum ipsi Justiniano, nam Aurispa Venetias brevi profecturum asserebat. Se terreri multum ab editione Laertii; tanta illic offenditur vocabulorum silva ac præcipue in explicandis disciplinis, ut pene desperet Latina reperiri posse, quæ Græcis reddita impleant aures erudito lectori, conaturum tamen opus illud absolvere, solamque Epicuri disciplinam remanere convertendam, & postea se ardentiore animo & majore siti ad sacras literas reversurum.

c Lib. VI. ep. XXVII.

Bononiæ adhuc commorabatur hoc anno Aurispa. Quarto nonas augusti [d] Ambrosio significavit se pecunias, quas mutuo acceperat anno præterito a Cosmo & a Laurentio viris clarissimis, paratissimas habere. Curet interea Ambrosius, ut sibi reddantur volumina quatuor, quæ ad

d Lib. XXIV epist. LVII.

Ann. Chr. 1425.

ipsum miserat, ea etiam, quæ Venetiis reliquerat, ut una cum aliis Florentiam possit ea convehere. Expectat Laertium afferendum Leonardo Justiniano.

VIII. Lites inter monachos Burgenses & episcopos Castellanos.

Iterum suscitatæ fuere lites inter episcopum Castellanum, & abbatem Burgensem causa jurisdictionis in Burgum-sancti-Sepulcri; eas ad hunc annum refert collector jurium abbatiæ Burgensis. „ Anno M. CCCC. XXV. „ Pandulpho Malatesta prædominante in Burgo, Sirobaldus episcopus „ Castellanus vir potius ad secularia deditus, cujus tandem exitus in episcopatus sui depositionem consumptus est, præsumptione potius, & „ quadam Perusina arrogantia litem adversus abbatem monasterii sancti Sepulcri excitavit, delegatione ejus causæ facta Gabrieli Condolmerio cardinali Senensi, qui post Martinum V. pontifex successor Eugenius IV. nominatus est. Sub istius quidem delegati causa „ pro parte abbatis indefensa victoria episcopo Castellano concessit. Ab „ ea prima sententia abbas ipse, qui Gregorius nominatus est, ad apostolicam sedem appellavit, & ejus appellationis causa cardinali delegata, delata est. " Reliqua prosequitur auctor ad annum 1428. quo hanc historiæ partem verbis ipsius prosequemur.

IX. Licentiæ concessæ monachis Angelorum a communi Florentino.

Priores artium & confalonerius justitiæ populi & communis Florentini, & duodecim Boni-homines sic appellati ejusdem communis licentiam concedunt die XXI. augusti [a] monachis Angelorum vendendi quoddam prædium situm in monte Ughi, & capitaneis societatis sancti Michaelis ab Horto præbendi assensum hujus venditionis, quia ex reformatione consilii communis anni 1415. die prima junii dicti capitanei nisi ad quinque annos alienare poterant; dictum vero prædium legatum fuerat monasterio Angelorum a Guillielmo dicto Corazza cive Mantuano anno 1400. cum ea lege, ut nequiret alienari; aliter devolveretur societati præfatæ sancti Michaelis, ipsiusque fructus pro medietate inservirent monasterio & ecclesiæ, pro altera medietate pauperibus alendis. Sed attenta tenuitate fructuum, utilior judicata fuit ejus venditio.

[a] *Num.* 123.

X. Ecclesia S. Luciæ Faventiæ data monialibus Cisterciensibus.

Petrus de la Serra abbas sanctæ Crucis de Fonte-avellana, & totius ordinis major generalis permittit Francisco Erculano seu de Arcolanis de Faventia abbati monasterii sancti Johannis-baptistæ de Acereta Faventinæ diœcesis ejusdem ordinis tradere abbatissæ & monialibus sancti Bernardi de Faventia Cisterciensis ordinis ecclesiam sanctæ Luciæ constructam in eadem civitate pro ipsa convertenda in habitationem & domicilium earumdem sanctimonialium, die secunda novembris indictione III. Die secunda januarii ejusdem anni obtinuerat idem Petrus a toto capitulo Avellanensi facultatem hujusmodi licentiæ concedendæ, quam, ut innotescat hujus temporis status Avellanensis congregationis, hic subjicimus. Mandatum itaque seu procurationem ipsi Petro fecere Conradus Transmundi prior sanctæ Mariæ Eremi Galliensis diœcesis & membri dicti monasterii Fontis-avellanæ; Johannes de Perusio rector sancti Blasii de Perusio; Johannes-baptista Angeli rector sancti Andreæ Montis-majoris de Castello; Johannes Bonarii de Gualdo prior sancti Andreæ de Spoleto; Petrus Acci de Perusio prior sancti Blasii de Monte-biturlo diœcesis Perusinæ; Philippus Angeli de Castello prior sancti Fortunati de Castello; Durantes de Durantibus prior sanctæ Mariæ de Recanato; Gabriel Thomæ prior sancti Exuperantii Auximanæ diœcesis; Philippus de Monte-sancto prior sanctæ Crucis de Monte-sancto; Angelus de Monte-monacho prior sancti Bartholomæi de Favre; Ludovicus Nicolai de Bonacciis prior sancti Quirici de Perusio; Bartholomæus Dominicucii de

de Eugubio prior sancti Johannis de Locano; Uguzonus Thomæ de Ubaldinis abbas sanctæ Mariæ de Faventia; Antonius Laurentii de Eugubio factor sancti Andreæ de Pergula; Bartholomæus Philippi abbas sancti Donati de Gualdo; Favianus Benedicti præpositus sancti Michaelis de Urgugnano de Fabriano; Angelus Baldini de Eugubio prior sancti Leonardi de Volubrio; Nardus Colæ de Castello abbas sancti Cassiani de Castello; Ginobius Silvestri prior sancti Ægidii de Castello; Ubaldus Guelfucci de Eugubio archipresbyter sancti Donati de Urbino; Jacobus Francisci prior sanctæ Crucis de Eugubio. De ecclesia sanctæ Luciæ tradita anno sequenti monialibus sancti Bernardi agit & Tonduccius [a].

ANN. CHR. 1425.

a Pag. 43.

XI. De monast. S. Jacobi de Mandriolis. Miraculum in eremo Camald.

HOC ipso anno quinto idus octobris pontificatus sui anno octavo Martinus V. in prioratum sancti Jacobi de Mandriolis, dictum etiam *la Romita*, inducere voluit fratres Reformatos divi Francisci alumnos, rogatu Jacobi Antonii de Monte-brandono, vulgo appellati de Marchia, partim ut eis gratiam aliquam referre videretur propter incredibiles labores, quos nonnulli, ipseque in primis Jacobus ex eo ordine susceperant, in extirpandis Fraticellianæ sectæ surculis per Picenum late pullulantibus, partim ut commodius ejus sectæ reliquiis, quæ circa Massaccium & vicina loca consederant, plane delendis & extinguendis incumbere possent, ut ait Sartius noster in epistola de Cupra-montana [b]; extantque de ea re literæ apostolicæ ejusdem pontificis ad eumdem fratrem Jacobum apud Wadingum [c], & apud Xanthem a Sarthiano ejusdem cœnobii sancti Jacobi alumnum in historia ms. quadam, quam consarcinavit Massacciensis oppidi capite VIII. Negotium tamen confectum non est, nec Camaldulenses, qui degebant in prioratu de Mandriolis, loco cesserunt, obnitente maxime ejus loci priore Venantio Nicolai ex oppido Saxo-ferrato monacho Camaldulensi, quem ajunt aliquandiu cum divo præfato Jacobo de Marchia habitasse, eique partem ædium suarum permisisse, sed negasse tamen liberam earum possessionem. Id actum tantummodo sub Nicolao V. ut dicemus.

b Pag. 85.

c T. X. pag. 417.

Narrat Fortunius [d] miraculum factum hoc anno apud eremum Camaldulensem, „ quando Benvenutus conversus laminas petrarum cum „ onerariis bestiis ex quodam remotiore loco ad eremum comportaret, „ dum per strictum callem in culmine prærupti collis iter haberet, accidit, ut unum ex jumentis muscarum aculeis graviter impetitum in „ vallis profundæ centrum proruerit præceps, converso illud sanctissimo „ patri Romualdo devotissime commendante. Cum vero mortuum omnino crederet, tristis ad eremum rediens consolari non poterat, quod „ imprudentiæ & vecordiæ a patribus increpari posset. Mittuntur rustici „ sequenti die, qui animalis cadaver excorient, & tergum tollant; proficiscuntur illi ad locum, & ecce belluam reperiunt pascentem, & „ nullo affectam malo, eamque ad sacram reduxerent eremum, ad quam „ omnis familia mirabunda venit, narranteque Benvenuto, quommodo „ illam cadentem sanctissimo patri Romualdo commendasset, ceperunt „ omnes in immensum benedicere Deo, id miraculis sancti patris Romualdi ascribendum prædicantes. “ Narrationem hanc excerpsit Fortunius ex alia Mauri Lapi eremitæ Camaldulensis, qui miraculo interfuit, sed conversum appellat fratrem Benedictum de Lonnano.

d P. II. lib. IV. c. 12.

ANN. CHR. 1426.

XII. Continuatio epistolarum inter Aurispam & Ambrosium.

FERRARIAM se receperat Aurispa, sed contagiosus & pestilens aer Ferrariensis diu ipsum extorrem tenuerat, tantaque suspicio auræ corruptæ animos dominorum marchionum Estensium invaserat, ut non solum

Ann. Chr. 1426.

solum ad loca salubriora se contulerint, sed edictum publicaverint nemini licere ex loco pestilenti ad eos adventare. Hæc proinde fuit ratio, cur ipse nec Ambrosii, neque aliorum amicorum literas diutius recepe-

a Lib. XXIV. ep. LVII.

rit. Quarto itaque nonas januarii hujus anni ex Ferraria [a] scribit ad Ambrosium Aurispa virum illum, penes quem ipse codices Græcos deposuerat, Messanæ ulterius non esse, sed negotiandi gratia Constantinopolim petiisse; hancque fuisse causam, cur ad se codices expetiti ab Ambrosio ex Sicilia necdum deportarentur, brevi tamen eumdem rediturum. Subdit se missurum volumen organicum Laurentio sculptori eximio, sed pro eo se velle Virgilium antiquum, quem jamdiu desiderat, Oratorem præterea & Brutum. Nicolao medico viro præstanti in omni virtute & diligentia ut se commendet, orat Ambrosium; tum illi affirmet „ codicem miræ antiquitatis Constantinopoli esse, in quo coloribus expressæ sunt & herbæ, & radices, & quædam animalia, serpentia præsertim, atque herbarum & radicum vocabula Græcis literis triplici idiomate, Græco, Latino, & alio, quod nescit, exprimi, & esse in monasterio Petræ-sancti-Johannis, ita enim appellatur, & facillime sententia sua posse haberi. “

b Lib. XXIV. ep. LIX.

Idibus martii [b] ex eodem loco refert se subdubitare, an ex Messana afferenda ad se sint Martyrum gesta; eum enim, cujus fidei crediti erant codices sui, Messanæ non amplius morari, alium vero amicum sibi rescripsisse hominem illum navi sua Constantinopolim navigasse; alteris autem literis docere eumdem apud regem Aragonum patronum esse triremis; quare veretur, ne ad se mittantur. Precatur Ambrosium, ut se excuset apud Cosmum, cujus magnificentiam & humanitatem deprædicat. Si Laurentius sculptor Virgilium antiquum, qui est in monasterio Angelorum, & Antonianas Ciceronis perfectas, ut nuper inventæ sunt, sibi dare velit, se e contra facile daturum Organicum. Carolum virum memorosum & doctissimum salutat.

c Lib. XXIV. ep. LX.

Quarto kalendas majas [c] ex Ferraria laudat humanitatem Pallantis viri equestris ordinis & clarissimi, & gaudet ejus opera Ambrosio redditum codicem unum de Sanctorum vitis. Si hic probetur, & interpretatu dignum censeatur, promittit se missurum alios quinque codices, quorum rationem reddit tum in hac, tum in sequenti epistola data XV.

d Lib. XXIV. ep. LXI.

kalendas augusti [d] eidem Ambrosio; nimirum misisse se Gregorium Nicolao, Metaphrastem ipsi Ambrosio, quatuor reliquos apud se esse, quamvis unum eorum non sit sacer, sed contineat Aristophanis comœdias; alium continere Chrysostomi sermones, alium evangelia Dominicalia in literis majusculis miræ pulchritudinis & antiquitatis lucidæ; alium esse psalterium. Sperat in brevi omnes codices suos ex Sicilia ad se convehendos & dandos Cosmo, vertendos autem in Latinam linguam ab Ambrosio. Alium demum esse codicem Organicum, pro quo concupisceret Nicolai volumen, ubi aliquot sunt Ciceronis orationes, & pars quædam historiæ Salustii, cujus quidem Nicolai bibliothecam vellet, ut superaret illam Ptolomæi. Ad kalendas autem octobris asserit prorogatum esse adventum suum Florentiam.

e Lib. XXIV. ep. LXII.

Idem Ambrosio significat [e] ita se velle publico Florentinorum stipendio conduci, ut dum res agitatur, Ferrariensi principi Nicolao quidquam non pateat. Audire se præterea scribit, studium in urbe Florentina clarum constitui.

f Lib. XXIV. ep. LXII.

Kalendis septembris [f] commendat eidem adolescentem natione Siculum illustri loco natum, bonarum artium studiosum, qui aliquot annos Guarinum

rinum doctissimum virum audivit. De Ambrosio autem dicit: „ Es enim „ Ambrosi (sine assentatione dictum sit) in Italia clarissimus. " ANN. CHR. 1426.

Quid demum actum sit de Aurispa, & ubi dies suos longævos consumpserit, nihil ad Ambrosium, nihil etiam ad nos.

XIII. Breviores Ambrosii epistolæ ad Nicolaum.

REFERRI possunt ad hunc annum breviores Ambrosii ad Nicolaum scriptæ epistolæ nota temporis carentes. Orat ipsum Nicolaum [a], ut mittat ad se epistolas sancti Ambrosii, quas attulerat secum amicissimus & optimus vir Thomas Sarzanensis; volumen præterea collationum, ubi habentur constituta & quatuordecim extremæ collationes Johannis Cassiani; volumen etiam illud Græcum, unde transtulerat vitas sanctorum Patrum. Carolum Arretinum nudius tertius sibi attulisse nuntium plenum gratiæ & voluptatis, ipsum Nicolaum nimirum in gratiam rediisse Leonardi Arretini, cum maxima cunctorum exultatione. Alia epistola [b] mittit ad ipsum libros, quos petebat, & præterea volumen tragœdiarum. Se incidisse in scopulos, Laertium dum traducit, & Epicurum ita se obtundere, ut desperatione fere destiterit; quare precatur, ut veniat ad se Carolus Arretinus; ejus enim ope spes est utcumque emergendi. Plinium Cosmi petit. Remittit altera epistola [c] duo Chrysostomi volumina minus sibi necessaria, opuscula item Prisciani de mensuris & ponderibus. Petit volumen unum Chrysostomi ex his, quæ sunt conventus sanctæ Crucis, in quo quædam opuscula Ephrem Syri habentur de laudibus Joseph; transtulisse enim se plerosque ejus viri sermones, Cosmoque Medicæo dicasse, & velle, quidquid Ephrem invenit Græcum, Latinum facere. Legatur epistola nuncupatoria [d] ejusdem Ambrosii ad ipsum Cosmum, qua Ephrem sermones jucundissime sub nomine peregrini e Syria venientis ei dicat quadragesimæ tempore. Postulat ulterius a Nicolao Lactantii libros expetitos a Jacobo abbate Podio-bonitiensi. Leviuscule ægroto alia epistola [e] condolet; Colucii libros expectat; sequentibus duabus [f] sollicitus est pro illius salute, propinquæque valetudini ipsius gratulatur. Agit de epistolis Athanasii; se non posse mittere Eusebium de Temporibus, quod illum jamdiu cardinalis Senensis (Gabriel Condulmerius) acceperit, nec superfit alius codex. Altera epistola [g] exorat Nicolaum, ut faciat satis Rinutio postulanti Aristotelis Ethicorum codicem, neque objiciat Rinutium nil e Græcia advexisse; certus est enim ipse Ambrosius Rinutium complura secum volumina Venetias detulisse; quare pro magna viri auctoritate, pro amicorum intercessione, nuntii scilicet pontificii, qui negotia cleri componenda suscepit, & Leonardi Georgii filii, sui demum non deneget eumdem codicem vel membranaceum vel chartaceum eidem Rinutio. Sequentibus literis [h], ut satisfaciat desiderio Cosmi, & urgeat adventum Caroli Arretini. Tradat [i] Pasquino volumen Augustini, in quo sunt Confessiones ejus. Eumdem Carolum segniorem in scribendo excitet ad dandas sibi frequentiores epistolas, ut aureo illi ingenio hæc officii pars non desit; demum ipsum Nicolaum discedentem orat, ut sæpius scribat. Reddit epistola, quæ sequitur [k], Nicolao Aristotelis Ethicorum volumen Rinutio jampridem commodatum. Precatur, ut sibi mittantur tria reliqua Chrysostomi volumina in epistolas Pauli. Alia epistola [l] Laertianæ versioni intentus Boethium de Dialectica flagitat. Denique [m] Nicolao mittit volumen Lactantii pervetustum, obsecrans, ut libellos de Ira Dei, & de Opificio hominis, & epitomen transcribat, exemplumque ejus emendet ope istius codicis magna cum celeritate, ne Thomas Sarzanensis substomachetur ob dilationem. Mittat etiam opus Chrysostomi ceptum una cum exemplari & mem-

a *Lib. VIII. ep. XVI.*
b *Lib. VIII. ep. XVII.*
c *Lib. VIII. ep. XVIII.*
d *Lib. XXIII. ep. IX.*
e *Lib. VIII ep. XIX.*
f *Lib. VIII. ep. XX. XXI.*
g *Lib. VIII. ep. XXII.*
h *Lib. VIII. ep. XXIII.*
i *Lib. VIII. ep. XXIV.*
k *Lib. VIII. ep. XXV.*
l *Lib. VIII. ep. XXVI.*
m *Lib. VIII. ep. XXVIII.*

Ann. Chr. 1426.

membranis, ut Fantini Danduli viri optimi & officiosissimi votis fiat satis; maximum quoque volumen transmittat, quod ad ipsum Nicolaum Antonius Massanus convexit ex Byzantio.

XIV. Obitus Demetrii Scarani.

Obiit hoc anno die vigesima-quarta septembris optimus senex Græcus Demetrius Scaranus, oblatus sive commissus in monasterio sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia. Ejus decessum nuntiavit statim Nicolao Ambrosius [a], eumque senio, morbo & inedia consumptum ea nocte hora octava spiritum Deo reddidisse; invitat autem, an interesse velit funeri amici antiqui, significetque idipsum Aurispæ. Extat tomo I. pagina 137. epistolarum Leonardi Arretini ex editione Laurentii Mehus epistola ejusdem Leonardi ad quemdam Demetrium. An ad Scaranum?

a *Lib.VIII.ep. XXXI.*

XV. Privilegium Martini V. pro Camaldulensibus.

Vigore veterum privilegiorum Camaldulenses monachi a quocumque catholico antistite ad omnes sacros ordines promovebantur, ecclesias suas, altaria, cœmeteria & alia loca ecclesiastica sui ordinis consecrari, ac vestimenta benedici faciebant libere sine alicujus contradictione. Verum occasione hujusmodi promotionum, consecrationum & benedictionum, antistites ab ipsis electi etiam infantibus chrismatis seu confirmationis sacramentum impartiebantur; quam rem ægre ferebant episcopi ordinarii & diœcesani. Consuluit itaque apostolicam sedem Benedictus prior generalis Camaldulensis, ipsiusque opportunam provisionem expetiit. Mandavit propterea Romanus pontifex Martinus V. quarto idus junii pontificatus sui anno nono Henrico Strasoldo episcopo Concordiensi, ut auctoritate apostolica permitteret priori generali, abbatibus & singulis personis dicti ordinis Camaldulensis, quatenus, quotiescumque antistites ab ipsis electi consecrationibus & benedictionibus hujusmodi operam darent, possent etiam infantibus confirmationis sacramentum dilargiri; ex tabulario sancti Mathiæ de Muriano.

Sexto idus aprilis pontificatus sui anno IX. idem Romanus pontifex commisit Dominico de Cavanesis abbati sancti Michaelis in Burgo Pisarum executionem literarum apostolicarum in favorem Cartusiæ Pisarum.

Die XXVII. junii pontificatus æque nono [b] precibus Angeli Cieræ prioris & conventus sancti Gottardi in territorio Utinensi diœcesis Aquilejensis ordinis Camaldulensis, quibus incumbit onus hospitalitatis confluentium pauperum & personarum in dictum monasterium, cujus facultates non sufficiunt, vacantem capellam sanctæ Fuscæ de Adiliaco sine cura dictæ diœcesis mandavit episcopo Lesinensi uniendam dicto cœnobio sancti Gottardi, proviso, quod eadem capella non fraudaretur obsequiis & consuetis oneribus, & quod fructus ejusdem in opera hospitalitatis converterentur.

b *S. Unio A 5. 13.*

Demum nona julii præcepit priori sancti Ægidii de Cortona, ut informatione accepta Petri monachi sancti Felicis in Platea Florentiæ, in abbatem ipsum constitueret sancti Salvatoris de Silva-munda, expulso Hilariano, qui absque competenti titulo abbatiam usurpaverat, quam apostolica sedes sibi reservaverat, & accepto a Petro sacramento, sigillo munitum ipsum ad se mitteret, data etiam opera, ut electus ab antistite catholico benediceretur; ex tabulario sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia [c].

c *Num. 239.*

XVI. De Ecclesia S. Trinitatis de Perusio, aliaque.

Nicolaus de Mercatello decretorum doctor, cameræ apostolicæ clericus & archipresbyter sanctæ Mariæ de Confinio Perusinæ diœcesis, procurator Lucidi cardinalis diaconi sanctæ Mariæ in Cosmedin, vulgariter nuncupati de Comite, prioris sanctæ Trinitatis Perusinæ diœcesis ordinis Camaldulensis substituit loco sui Martinum de Perusio abbatem monaste-

rii

rii sancti Silvestri de Monte-subasio Spoletanæ diœcesis. Actum Romæ in regione pontis, præsentibus Johanne de Vado literarum apostolicarum scriptore, & Angelo Juliani de Perusio rectore ecclesiæ sancti Pauli ejusdem urbis die XXIX. decembris hujus anni indictione IV. Ann. Chr. 1426.

Decreto officialium Diminutionis Montium Florentiæ edito die XVI. septembris hujus anni Camaldulensium causæ & jura mandantur summarie tractari; ex tabulario Fontis-boni [a].

a §. Brevia 14. A. 5. 35.

Vacante ecclesia sancti Nicolai de Lacu de Monte-mezano Agnes abbatissa sancti Johannis-evangelistæ de Prato-veteri cum consensu suarum monialium elegit in rectorem & parochum dictæ ecclesiæ Johannem Bartholi presbyterum.

Anselmus de Benevento abbas sancti Theonisti de Longiano protestatus est coram Paulo de Ferrantibus de Meldula episcopo Cæsenate, & coram duobus canonicis ejusdem ecclesiæ se non posse morem gerere literis citatoriis Johannis de Franguillis abbatis sancti Apollinaris de Classe, cui subjiciebatur suum monasterium, ob bannimenta Caroli & Pandulphi de Malatestis, qui expresse vetaverant, ne quis subditus eorum ditioni Ravennam se conferret.

In necrologio Vangaticiensi ad diem octavo kalendas aprilis refertur obitus Petri abbatis Silvæ-mundani & olim Burgensis, & undecimo kalendas maji mors Petri Bellegno prioris sancti Mathiæ de Muriano. In hujus locum electus fuit Nicolaus Thomasii; in illius autem suffectum vidimus a Martino V. Petrum monachum sancti Felicis.

Johannes de Sancto-miniato monachus sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia in vulgare idioma vertit libros *de Remediis contra fortunam pauperum* Francisci Petrarchæ. Proemii initium: *Quando io penso le cose e le fortune degli Uomini, e gl' incerti e subiti movimenti delle cose del Mondo*. Finis. *Finito il libro primo adi* XVIII. *di marzo* 1426. Reperitur in codice chartaceo in folio segnato C. bibliothecæ Gaddianæ numero C. II. Idem Johannes aliquando transtulit etiam sermones divi Bernardi in Cantica Canticorum. Consulatur codex Taurinensis membranaceus habens folia 166. elegantissimo nitidissimoque scriptus charactere, atque multis literis auro varioque colore delineatus, ex quo [b] ab illustribus ejus bibliothecæ codicum collectoribus datur per extensum una cum titulo primus sermo in Italicum versus a Johanne monacho.

b Cod. IX. pag. 406.

Ann. Chr. 1427. XVII. De Bernardino Senensi & Alberto Sarthianense.

INVALUERAT rumor Bernardinum de Albizeschis Senensem, celeberrimum concionatorem ordinis Minorum, & invictissimum propugnatorem cultus nominis Jesu, ad episcopalem patriæ cathedram promotum fuisse a summo pontifice Martino V. Ea fama undequaque personante, Ambrosius non sine summis lacrymis & ingenti cordis dolore literas ad Bernardinum dedit, „ ut intelligas, inquit [c], quam grave, „ quamque tremendum sit omnibus in Jesu Domino nostro incensis sentire, quæ de te gesta sunt, quæque gerenda videntur. Et quamquam „ robur & fortitudinem animi tui omnibus magnis in rebus noverim, „ tamen interdum vereor non cœlitus hoc esse, quod tu prædicator „ paupertatis in Christo Jesu, ædificator innumerabilium animarum, desiderator evangelicæ vitæ, designatus & pronuntiatus sis episcopus. Cujus rei indignitatem ita omnes tui, qui tecum sentiunt in Domino „ Jesu-christo, sic affirmant, ut non dubitemus omnia subire tormenta, ut tu nos ex hoc metu liberares. Omnes fratres tui uberrimis la-„ cry-

c Lib. II. ep. XXXIX.

Ann. Chr. 1427.

„ crymis ad genua tua provoluti te deprecantur, te obsecrant, ut tu „ & devotionem ordinis tui, & firmamentum religionis tuæ, & sanctis- „ simam ædificationem animarum funditus non evertas, non evellas, non „ eradices. Omnes, qui tibi & nobis infestissimi hostes fuerunt, & acer- „ rimi inimici sunt, hoc cupiunt, hoc expetunt, hoc summis desideriis „ exposcunt. Hoc fratres conventuum sancti Francisci, qui abortivi sunt „ in Domino Jesu, jamjam congratulantur, nobis insultant, nos irrident, „ omnes Italiæ populi devotissimi Domini nostri Jesu-christi corruunt, „ occidunt, fidem, spem, caritatemque omnium negligent, si tu tuba „ admirabilis Jesu-christi Domini nostri, tu defensor & prædicator pau- „ pertatis hanc perviam & tibi infelicissimam dignitatem incideris. " Quare nomine suo orat, rogat, obsecrat, ut prius decernat mori pro caritate, quam funditus eruere infinitas animas totius Italiæ, & devotionem & fundamentum omnium suorum fratrum. De prædicationibus Bernardini, de concertationibus Romæ habitis, & de victoriis ipsius contra ejus hostes legatur epistola [a] ejusdem Ambrosii ad anonymum, qui Romam se contulerat, „ audieratque illud inexhaustum & immortale Di- „ vinæ eloquentiæ flumen magnificentia quadam semper excrescente in il- „ lo dulcissimo & plenissimo ore divinissimi hominis fratris Bernardini, „ qui sanctarum Scripturarum potenti eloquentia, ac omnipotentia glo- „ riosissimi & victoriosissimi nominis Jesu universam curiam Romanam „ & omnem populum ex inimicissimis sibi amicissimos fecit, & in co- „ gnitionem divinarum rerum & viæ Domini, devotionemque sanctissi- „ mi nominis Domini nostri Jesu-christi a profundo pelago omnium vi- „ tiorum ac perditissimis moribus & tenebris eorum ignorantiæ despera- „ taque salute traduxit. " Quoniam vero arbitrabatur Ambrosius anonymum, utpote devotum Bernardini, & sui amicissimum debuisse hæc omnia ad se ordine gestorum conscribere, quod non fecerat, redarguit, obsecratque, ut tum de clementia summi pontificis Martini in Bernardinum, tum de benignitate nonnullorum fratrum cardinalium, tum de conflictu & confusione hostium Bernardini singillatim certiorem se minutiore descriptione faciat. Legatur & alia ad Albertum Sarthianensem [b], qua significat aliquos pendere de concelebranda sollemnitate nominis Jesu, aliquos aperte, non dissimulanter esse inimicos, nonnullos adulatores utrinque, multos dicere se jam quidem harum rerum exitum perspexisse, omnia probasse gestarum rerum fratris Bernardini, nec persuasisse sibi unquam bene factum, ut tabula illa acclamationem populorum concitaret, cum id novum & insolitum esset in ecclesia Dei, & inusitatum apostolis fuisset ad hodiernam diem. Multos favere scientiæ & religioni magistri Bernardini, multos decidisse ab animo. Probat & laudat, si res bene acta est penes summum pontificem, ceterosque sui sacri collegii. Ad placandum populum Florentinum petierat Albertus ab Ambrosio accedere prædicaturum in ea urbe; sed Ambrosius existimat rem duram fore, & non facile tractandam; nam fastidit populus ostensionem, quam fecerat Albertus in prædicatione de partium nominibus, sperat tamen suadentibus amicis ipsum posse instaurare spirituale ædificium, quod ædificatum fuerat per Bernardinum. Conferet omnia cum fratre Michaele. Ceterum vult, ut animos addat Bernardino, qui dicebatur & tabulam, & prædicationem fore depositurum propter molestiam, in quam inciderat, infestantibus pessimis. Salutat Bernardinum, & fratres Marianum, Hieronymum & Christophorum. Initio epistolæ dixerat amicos omnes contrista-

a Lib. II. ep. XLI.

b Lib. II. ep. XL.

contriſtatos eſſe de iis, quæ acciderant, uno excepto domino Petro Hortenſi, qui rebus ipſis nullam fidem præbuit, & dixit, ſe velle præſtolari adventum Leonardi ſui. — Ann. Chr. 1427.

Ex Londoniis Poggius ad Nicolaum ſcribens die xxv. junii, & in Italiam redire cupiens ſub honeſto ſervitio, hæc de Ambroſio [a] circa hæc tempora prædicabat. „ In hac vita Ambroſius eſt noſter, quem ego judico feliciſſimum ; reputat enim omnia ut ſtercus, ut Chriſtum lucrifaciat. Nos, quibus tantæ non adſunt animi vires, hanc mediocritatem cupimus ſectari, in qua Deum ſequentes non omnino Mundo ſerviamus. “

a *Lib. XXV. ep. XXXIX.*

XVIII. Capitulum eremi Camaldulenſis.

In capitulo eremi Camaldulenſis præſide Hieronymo Pragenſi, decretum fuit hoc anno [b], quod ad electionem officiorum Majoris & ſacriſtæ dictæ eremi procederetur ſingulis annis die octava ſeptembris, quod Major eſſet ætatis annorum quadraginta, quod prius laudabiliter per quinquennium in eremo fuiſſet converſatus, & quod omnes & ſinguli vocem habentes in capitulo viciſſim eligerentur unus poſt alium ſecundum ordinem ſuæ profeſſionis, ita quod unus alteri ſuccederet per unum annum tantum, & ſi electus renuntiaret, alius, qui immediate ſubſequitur, eligeretur, & ſic toties quoties electus renuntiaverit, & ſic etiam fieret de officio ſacriſtæ, exceptis recluſis; ſacriſta autem eſſet ſaltem annorum triginta. Quod ſi prior generalis die octava ſeptembris non accederet ad officia permutanda, vel vicem ſuam alicui non committeret, ſequenti die per capitulum eremi fierent hujuſmodi electiones & ceteræ tam in eremo, quam in Fonte-bono; per mortem autem prioris generalis officia Majoris & ſacriſtæ non intelligerentur vacare.

b §. *Statuta 19. A. 5. 5.*

XIX. Exemptio Camaldulenſium ab impoſitionibus.

Die ſecunda decembris Martinus V. ſupplicationibus prioris & conventus ejuſdem eremi Camaldulenſis inclinatus, quamvis facultatem conceſſiſſet magiſtro Johanni de Vittelenſibus, ut per ſe vel per alios imponeret & exigeret caritativum ſubſidium viginti-quinque millium florenorum auri a clero & a perſonis eccleſiaſticis ſecularibus & regularibus, exemptis vel non, exiſtentibus in dominio Florentino, ne tamen, prætextu dicti ſubſidii, prior & conventus Camaldulenſis moleſtarentur pro contributione, cum ipſa eremus eſſet dumtaxat recommendata dominio Florentino, & aliunde prægravata hoſpitalitate pauperum & peregrinorum, ac ſubſtentatione centum & ultra perſonarum, idcirco mandavit Gometio abbati ſanctæ Mariæ de Florentia, quatenus declararet dictam eremum, ac monaſterium de Pratalia, & eccleſiam ſancti Quirici de Roſis dictæ eremo unita minime teneri ad præfatum ſubſidium. Datum Romæ anno undecimo; ex tabulario Fontis-boni [c].

c §. *Privilegia 10. A. 5. 34.*

XX. Martinus V. unit abbatiam Valle-caſtrenſem, & monaſt. S. Blaſii de Fabriano.

Supplici libello expoſuerant Romano pontifici Martino V. Euſtachius abbas Valle-caſtrenſis, & Anſelmus abbas ſancti Blaſii de Fabriano miſerabilem ſtatum ſuorum monaſteriorum, quæ ob bellorum turbines aliaſque calamitates, adeo facultatibus & redditibus deſtituta erant, ut ipſe Anſelmus cum quatuor ſuis monachis decenter vivere & ſubſtentari non poſſet, immo plerumque neceſſitate adacti extra monaſterium degebant; Euſtachius vero ejuſque cœnobitæ, præter bellorum damna, diſcurſus ſicariorum frequenter patiebantur, utpote conſtituti in loco nemoroſo & ſilveſtri, adeoque concorditer petebant, ut ex duobus monaſteriis unum fieret, & Valle caſtrenſes aſportatis libris rebuſque pretioſis domicilium deinceps figerent in cœnobio ſancti Blaſii ædificato in terra munita & forti Fabriani. His petitionibus motus Romanus pontifex mandavit priori monaſterii ſancti Caſſiani Nucerinæ diœceſis, ut quamprimum

ANN. CHR. 1427.

mum abbatialis dignitas monasterii sancti Blasii vacare contingeret, suppresso ordine sancti Benedicti, uniret ipsum sancti Blasii cœnobium cum altero Vallis-castri, liceretque abbati hujus postremi monasterii corporalem possessionem ingredi monasterii sancti Blasii cum omnibus juribus suis, & inibi inducere ordinem & habitum Camaldulensem, creato ibidem priore claustrale ad nutum removendo, & statuto numero competenti monachorum, tribuens ipsi priori sancti Cassiani pro hac vice, ut auctoritate apostolica visitaret, & reformaret præfata duo monasteria, innovatis & approbatis consuetudinibus & statutis eorumdem monasteriorum, vel etiam mutatis, prout melius expedire judicaverit ad regularem disciplinam solidandam. Datum Romæ apud sanctos Apostolos pridie nonas januarii pontificatus sui anno decimo. Quare anno M. CCCC. XXVII. indictione V. tempore domini Martini divina providentia papæ V. die VI. mensis junii constitutus in ecclesia sancti Blasii de Fabriano prior ecclesiæ sancti Cassiani, qui in altera pagina appellatur Joachimus Guidi, agnoscens præfatam ecclesiarum & monasteriorum unionem cedere in commodum & utilitatem utriusque ecclesiæ & monasterii, eas & ea in perpetuum unita & incorporata declaravit. Utramque paginam ex tabulario sancti Blasii producimus in Appendice.

XXI. Franciscus Sandellus prior & abbas Carcerum.

MORTUO die XVII. maji ex necrologio sanctæ Mariæ ad Carceres Thoma Rizo Parentino priore ejusdem monasterii, vigore literarum Gregorii papæ XII. monachi Camaldulenses, qui residebant in eo cœnobio, ad electionem successoris devenere, & unanimi consensu elegerunt sibi in priorem Franciscum Sandellum monachum sancti Michaelis de Muriano. Cum autem post assecutionem dicti prioratus dubitaret idem Franciscus, an prædicta electio, aliaque inde secuta juribus subsisterent, expetiit a Romano pontifice Martino V. confirmationem suæ electionis, qui VI. kalendas julii pontificatus sui anno decimo ex Urbe commisit Ludovico Barbo abbati sanctæ Justinæ de Patavio, ut Francisci electionem ratam haberet auctoritate apostolica. Kalendis autem decembris, pontificatus sui anno undecimo archidiacono ecclesiæ Vicetinæ mandavit, ut abbatialem dignitatem erigeret in eodem monasterio Carcerum, & Franciscum priorem in abbatem constitueret, quandoquidem præter regularem observantiam in eo monasterio apprime vigentem, cœnobium venustate, facultatibus & decentia erat famosum, & ab aliquo alio monasterio vel regulari loco non dependebat.

XXII. Aliæ Martini V. bullæ.

DIE decima martii [a] idem Romanus pontifex pontificatus sui anno decimo delegavit abbatem sancti Martini de Pinu, ut cognosceret causam, quæ vertebat inter monachos sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia, & inter exactores cameræ apostolicæ in diœcesibus Arretina & Volaterrana circa subsidium octuaginta millium florenorum impositorum ecclesiis dominii Florentini a papa Johanne XXIII. Si porro repererit, quod monachi integram exsolverint portionem ipsis contingentem pro abbatia Saxi, hospitali sancti Ægidii & abbatia Cerreti Volaterrarum, non fineret eos amplius molestari; ex archivo ejusdem monasterii Angelorum.

[a] Num. 215.

Anno suo decimo pariter concessit Nicolao de Juvenatio eremitæ Camaldulensi, ut pro sua ingravescente ætate postquam XXXIV. annos perseveraverat in pœnitentiis in dicta eremo, ad arbitrium sui confessarii dispensaretur super jejuniis tam ecclesiasticis, quam regularibus.

Antonius del Ferro abbas Vangaticiensis contulit hoc anno ecclesiam sancti Johannis de Abbatia vacantem per mortem Antonii archipresbyteri

teri

teri Guillielmo olim sancti Petri de Este canonico regulari ordinis sancti Augustini. ANN. CHR. 1427.

Americus Corsinius primus patriæ suæ Florentinæ archiepiscopus eodem anno monasterium sanctorum Gottardi & Hieronymi de Florentia, quod prius hospitale, inde fuerat monialium domicilium, tradidit monialibus sanctæ Agathæ, quæ ipso anno vendiderunt idem hospitale societati Pietatis; societas vero Horti sancti Michaelis approbavit venditionem instrumento, quod autographum extat in tabulario dicti monasterii sanctæ Agathæ [a]. a Num. 36.

PERTINENT ad hunc annum primæ epistolæ Francisci Philelphi ad Ambrosium, quem divinum virum, decus meum, virum optimum, ornatissimum virum, amicissimum, integerrimum ipse Philelphus frequenter appellat. Pridie itaque kalendas januarii [b] desinentis anni præteriti ex Bononia significat Ambrosio Philelphus se tum Pallantis Strozii, tum Nicolai Nicolii literis advocari Florentiam, ad docendas Græcas literas. Quibus autem conditionibus id sibi sit faciendum, moneat se rogat Ambrosium, celeriusque id fieri exoptat, eo quod Chrysolorina uxor sua prægnans sit non solum, sed gravis, & jam ingreditur mensem nonum, quare circiter kalendas februarias vel Philelphum, vel Philelphinam, aut fortasse gemellos dabit. Dedisse se literas & ad Pallantem, & ad Leonardum Arretinum, & ad Nicolaum & ad Cosmum ea super re. ANN. CHR. 1428. XXIII. Mutuæ Philelphi & Ambrosii epistolæ. b Lib. XXIV. ep. XXIX.

Ex eodem loco decimo-sexto kalendas aprilis [c] declarat eidem Ambrosio se ad menses dumtaxat sex Bononiæ conductum cum stipendio aureorum centum & quinquaginta sex, ordinariis diebus pro consuetudine dumtaxat lecturum. Quos sex solummodo menses pacisci voluit, ut, si non privatim, sed publice, & pro studiorum more Florentiæ esset conducendus, liber foret. Quam primum spondet daturum se indicem librorum suorum. Hieronymum monachum, quem integritate & doctrina, & virtute similem Ambrosio putat, salutat, postulatque se commendari Leonardo Arretino. c Lib. XXIV. ep. XXX.

Octavo kalendas majas [d] Dionem Latine a se redditum cito missurum eidem Ambrosio spondet, quem ex Byzantina urbe remigrans inter navigandum Latinum fecerat, & elimaverat, nondum tamen his literarum figuris absolverat, quem non ipse solus, sed & alii lectitare sine stomacho possent: „ Fatebor enim, inquit, tibi ingenii nostri morem, & singularem quamdam præstantemque ignaviam: scribo celerius & ineptius forsan quam alius quispiam, transcribo numquam. Nunc vero cum Dionem jam belle absolvissem, deessetque aliud, nisi ut accito librario extremam manum apponerem, venit humanissimus vir Guascus Januensis, petiit ac prope precatus est aliquid ad te literarum darem. Malui amicissimi hominis voluntati, quam institutis meis obtemperare. Mittam autem ad sex usque dies & Dionem ipsum, & librorum, quos petis, titulos, " Demum orat Ambrosium, ut se commendet Leonardo Arretino & Francisco Barbaro. d Lib. XXIV. ep. XXXI.

Idibus junii [e] mittit ad Ambrosium Dionem, cujus primus quaternio a se scriptus, reliqui a rudi librario, quem postea reddat legendum Leonardo Arretino. Se nunc vitam Mosis ex Judæo Philone Latinam facere, rem elegantem & apprime utilem. Syllabum pariter scribit librorum suorum, hoc est Plotinum, Ælianum, Aristidem, Dionysium Halicarnasseum, Strabonem geographum, Hermogenem, Aristotelis Rhetoricam, Dionysium Halicarnasseum de Numeris & characteribus, Thucididem, e Lib. XXIV. ep. XXXII.

Plutar-

Ann. Chr. 1428. Plutarchi Moralia, Proclum in Platonem, Philonem Judæum, Herodotum, Dionem Chrysostomum, Apollonium Pergeum, Ethicam Aristotelis, ejus magna Moralia & Eudemia, Œconomica & Politica, quædam Theophrasti opuscula, Homeri Iliadem & Odysseam, Philostratum de vita Apollonii, orationes Libanii & aliquot sermones Luciani, Pindarum, Aratum, Euripidis tragœdias septem, Theocritum, Hesiodum, Suidam, Phalaridem, Hippocratem, Platonem, & multorum ex veteribus philosophis epistolas, Demosthenem, Æschinis orationes & epistolas, pleraque Xenophontis opera, unam Lysiæ orationem, Orphei Argonautica & Hymnos, Callimachum, Aristotelem de historiis Animalium, Physicam & Metaphysicam & de Anima, de partibus Animalium, & alia quædam, Polybium, nonnullos sermones Chrysostomi, Dionysiaca & alios poetas plurimos. Tum reddit rationem tempus suæ Bononiensis lecturæ propediem compleri; nam vacationes ad Virginis dormitionem de mense augusti proxime advenient. Iterum se tunc liberum futurum affirmat, & Florentiam posse venire. Conferat itaque rem Ambrosius cum Pallante Stroctio; nam & Bononiæ commode se stare scribit, & Patavium etiam advocari; „ verum apud vos homines eruditissimos esse mallem. “

a Lib. XXIV. ep. XXXIII. Quarto Kalendas julias [a] humanissima Ambrosii pro se officia pari excipit humanitate, eumque dignis cumulat laudibus, visendi cupidissimus, eloquentissimum, eruditissimum, & sapientissimum virum appellans.

b Lib. XXIV. lib. XXXIV. Commendat Kalendis quintilibus [b] Ludovicum Foro-liviensem, an Foro-juliensem, Theologiæ professorem, quocum sibi vetus necessitudo est, & qui egregie doctus est, & Latine & Græce vetustatem plurimam sapit, „ & his præterea ornatus moribus, quos tu plurimi facis. “

c Lib. XXIV. ep. XXXV. Decimo-sexto Kalendas septembris [c] mirum exponit conveniendi Ambrosium, flagransque eum videndi desiderium. Orationes suas illi probatas fuisse gaudet, & Nicolao. Lætatur ante mensem venturum sibi spem dari Florentiam adeundi.

Thomam Sarzanensem Mutinæ esse una cum cardinale sanctæ Crucis. Adjungit literas Græcanicas reddendas Leonardo Arretino, „ qui Græcum admittere quam Latinum malit. “

d Lib. XXIV. ep. XXXVI. Pridie Kalendas septembris [d] enuntiat a privatis nolle se conduci ad docendum; id neque sibi, neque ipsi Ambrosio probari. Cupit ab eodem Ambrosio edoceri, quibus versionibus eatenus operam dederit ipse.

e Lib. XXIV. ep. XXXVII. Eidem sexto idus septembris [e] orationes suas mittit, quas superioribus diebus Bononiæ dixerat. Legatum Ludovicum (cardinalem nimirum Arelatensem, qui legationis officio Bononiæ fungebatur) eas quoque legendas petiisse.

f Lib. XXIV. ep. XXXVIII. Aristotelis rhetoricam elimatam mittit [f], quam videat & lectitet, antequam in hominum manus edita perveniat, consiliumque det, cui nuncupanda. Se habere Diogenis Laertii codicem corruptum & truncatum admonet, quem Ambrosius conferat cum suo. Quintilianum venalem emere desiderat.

g Lib. XXIV. ep. XXXIX. Nono Kalendas octobris [g] similiter Lapum visere & emere cupit. De ceteris Philelphi epistolis ad Ambrosium anno sequenti, ad quem pertinent. Illud exploratum est ad omnes has Philelphi literas Ambrosium respondisse, cujus tamen epistolæ desiderantur. Teste ipso Philelpho in epistola XXVI. libri I. ad Johannem Aurispam, Ambrosius monachus Camaldulensis dedit eidem Philelpho literas humanitatis plenas & officii, „ easque Græco scriptas eloquio, in quibus phrasis quidem Hellenistica „ erat, omnia vero Latina, “ quibusque hortatus fuit Philelphum, ut

Florentiæ quam Bononiæ esse mallet, seque daturum operam est pollicitus, ut honestissima conditio sibi offerretur. Extabat dicta epistola in codice 60. bibliothecæ Ottobonianæ fol. 74. ANN. CHR. 1428.

Testimonio autem Leonardi Arretini in epistola ad Philelphum: „ De negotio, inquit, tuo ne quid scribam nescio. Civitas enim longis „ belli sumptibus fatigata ac pene exhausta difficiles nobis aures præbet. „ Eruditi vero homines a me commonefacti cupiunt quidem ac ma„ gnopere affectant, sed non ita multi sunt, ut perfici adhuc potuerit. „ Expectamus novos magistratus, in qua una re non sine causa spem ha„ bere posse videbar. Hæc publice, privatim vero e juventute complu„ res, sed hanc partem Ambrosius curavit, ab eoque suscepisti credo „ quantum aut quale existimari debeat. “

XXIV. De Antonio Arretino Ambrosii amico.

ANTONIUS sacerdos Arretinus Hebræum puerum Christianis sacramentis initiaverat, laudabileque hocce factum suum literis nuntiaverat Ambrosio. Sed Mariottus locupletissime rem ipsam explicaverat, summis laudibus fidem, diligentiam & religionem testatus Antonii. Quare Ambrosius die XXVI. januarii ex suo monasterio [a] Antonio gratulatus ipsum urget, ut nullam prætermittat diligentiam, quatenus puerum firmiori religionis persuasione imbuat, vixque divellat a suo latere, emendicare non permittat, a domibus secularium arceat, optimisque moribus instituat. Ipsius Antonii visendi desiderio captus eum invitat, ut ad se accedat, & ad monasterium Angelorum se conferat colloquendi gratia (Arretinus quippe cœnobii nostri conditor fuit) offendetque Antonius religionis egregium institutum in eo monasterio, præter Ambrosium suum, quem tantopere diligit. Anne Antonius Arretinus sacerdos ille, quem petitum ad episcopatum Arretinum commendavit pontifici Eugenio anno 1433. idem Ambrosius [b]? De ipso Antonio hocce testimonium reddidit Ambrosius in epistola ad Jacobum Nicolinum abbatem sanctæ Floræ & Lucillæ Arretii hoc ipso anno pridie Kalendas junias [c], in qua gaudens Nicolinum renuntiatum nuper abbatem pia adhortatione instituit, monetque, ut conciliata sibi proborum amicitia ab improborum caveat consortio. „ Proborum ex numero, inquit, erit sacerdos Antonius, qui tibi has „ reddet, vir profecto magnificis bonisque artibus excultus, ac pietatis „ in primus studiosus. Eum ego non quidem facie novi, sed præclara „ sane opinione ignorare non potui. Insinuavit ille se mihi literis suis, „ neque possum nisi magno diligere studio, qui mihi literis, ut dixi pri„ mum, tum etiam aliena attestatione prorsus innotuit. Illum itaque „ habeas inter paucos amicissimum; is enim mirifice te observat. “ Quoad Jacobum Nicolinum certior factus fuerat Ambrosius ab illius fratre & ab aliis Jacobum magna cum gratia & gloria divinæ pietatis acceptum Arretii fuisse summo cum plausu & incredibili amore, & expectatione totius civitatis, ut ipsum non secus ac terrestrem quemdam Angelum, qui omnibus & solatio, & adjumento ad æternam salutem futurus esset, aspexerint. Ad calcem epistolæ ad Nicolinum. „ Video, subdit, quam ex„ cesserim verecundiæ terminos, qui prælatum subditus, abbatem mo„ nachus susceperim instituendum, sed cum humilitatis tuæ memor sim, „ qua tu mihi hoc onus injunxisti, jure meo id facere debuisse mihi „ videor. “

Supralaudati Antonii profecto est epistola ex Arretio kalendis junii [d] ad Ambrosium, quæ in Appendice prostat epistolarum eorum virorum, qui Ambrosio literas dederunt. In ea appellatur Antonius Lutius Arretinus. Is Ambrosii commendatitiis literis munifice liberaliterque exceptus fuerat

a *Lib. II. ep. XXXVIII.*

b *Hodoep. pag. 44.*

c *Lib. IV. ep. I.*

d *Lib. XXIV. ep. X.*

Ann. Chr. 1428.

Bononiæ a Nicolao Albergatto cardinale ſanctæ Crucis & a magiſtro Thoma Sarzanenſe; quare gratias habet, ſeque omnia Ambroſio patri ſuaviſſimo debere profitetur, „ qui ita me diligis, ac ſi me genuiſſes; “ commendat ipſi quemdam honeſtiſſimum ſacerdotem conſocium ſuum, cui orat, ut in cauſa pia conſilium & adjumentum præſtet. Refert Hieronymum optime perſeverare in timore Dei & obedientia ſancta. Hic ſub Nicolino abbate monachum nuper profeſſus fuerat in cœnobio ſanctæ Floræ, eratque ex nobili Arretina familia de Aleotis, de quo ſæpius recurret ſermo ſub annis ſequentibus. Nec tacendum alterum ſupradicti Antonii Lutii teſtimonium de Ambroſio in epiſtola ipſius ad Anonymum [a]. „ Paucis diebus fluxis fratre Ambroſio celeberrimo viro mirificæ ſanctitatis morum & doctrinæ homine uſus ſum, cujus verba ita „ mirifice delectarunt, quod memoria univerſam ejus diſputationem com„plexa adhuc fruitur illa ipſius dulci oratione, quæ tota verba vitæ „ æternæ habuit, & tam ardenti caritate me ſalutem meam admonuit, „ oſtendens mundana fluxa, & caduca eſſe ſubterfugientia. Nobis ma„gis atque magis inflammatior o adfuiſſes particeps. “ Magiſtri Antonii Arretini mentionem facit etiam Poggius in epiſtola ad Nicolaum [b], qua excuſat ſe & eumdem Antonium partem non habuiſſe in impetratione literarum pro obtinenda a Martino V. prohibitione conſtructionis conventus regularis in Terra-nova anno ſequenti XVI. decembris.

a Lib. XXV. ep. VI.

b Lib. XXV. ep. XLI.

XXV. De Mariotto.

Ad hos circiter annos referendæ ſunt pariter primæ literarum miſſiones inter Mariottum & Ambroſium. Is ſub Bernardo abbate ſanctorum Juſti & Clementis Volaterrarum vivebat in eo monaſterio ſacris literis religioſiſque moribus deditus. Ad eumdem itaque Mariottum Bernardi abbatis motus inſtantia ſcripſit Ambroſius, hortatus, ut virtutem ſectari non deſineret, eamque Chriſtum eſſe docens; Florentiæ ex Angelorum monaſterio [c] quarto idus martii. Pridie Kalendas junias [d] iterum ad ipſum literas dedit officii & humanitatis plenas, tributas ſibi laudes demiſſo animo excipiens, piumque una ſimul vivendi deſiderium in votis habens. Tertio Kalendas octobris [e] ſuadet Mariotto, ut Sebaſtiano abbati Camalduli Florentini ſuum aperiat deſiderium, procul dubio ab ipſo excipiendus admittenduſque in monaſterium, ubi feliciter inſtitutis ſtudiis vacare poterit. Extat ipſius Mariotti epiſtola ad Ambroſium [f], qua ei ſignificat, ſe deſiderio ejus dudum vehementer affectum maluiſſe ſe conferre, quam literas ad ipſum dare; „ nam & epiſtolam meam avum ti„bi meum nunciaſſe ſcio, ut intelligeres me miro amore te diligere; „ tamen ſermo coram ſuavior eſt & potior ad conciliandam amicitiam. „ Itaque ad humanitatem tuam me contuli, ut cognoſcas me non deſi„derio, ſed præſentia filium præſtantiſſimæ virtutis tuæ. Adeſt Mariot„tus tuus, quem tantopere deſiderabas, ad quem toties ſuaviſſimas li„teras tuas dediſti, quem toties adhortatus es, ut Florentiam peteret „ tui cauſa viſendi, non urbis. Adveni; ſum apud te. Dedo me in „ manibus tuis, ut quidquid de me in mentem venerit, explendum exe„quaris. Tibi non dubito obſequentiſſimus ero. “ De ipſo Mariotto, qui poſtea excelluit in inſtitutione puerorum monachorum Fontis-boni, judicio etiam pontificis Eugenii comprobatus, & quique ad longævam ætatem vixit factus ordinis Camaldulenſis ſupremus præfectus, alibi plura dicemus.

c Lib. XV. ep. I.

d Lib. XV. ep. II.

e Lib. XV. ep. III.

f Lib. XXIV. ep. LXVIII.

Franciſco Sandello abbati ſanctæ Mariæ ad Carceres decima-tertia martii [g] ſignificat Ambroſius ſe emiſſe libros pro abbate ſancti Michaelis Venetiarum. Ejus negotium egiſſe cum Laurentio Mediceo, qui publicis pri-

g Lib. XX. ep. I.

privatisque rebus distentus raro ad monasterium Angelorum pro se adeundo accedit, sed non plane impetrasse, valituram tamen summopere auctoritatem Francisci Barbari. Gaudet abbatem sancti Michaelis vicarium fuisse electum generalem cum approbatione ducis & dominii Veneti. Johanni San-miniatensi defuncto narrat successisse Gregorium monachum virum bonum & bonæ prudentiæ. Nicolao Francisci Sandelli fratri salutem dicit. Ann. Chr. 1428.

Quarto kalendas augusti [a] Leonardo Justiniano significat Ambrosius sospitem se peste sæviente, & monasterii sui omnes bene valere; civitatem tamen omnem ex urbe migrasse. a Lib. VI. ep. XXIX.

Pontificalium ornamentorum insignia concessit hoc anno XIII. kalendas octobris ex Genazano Prænestinæ diœcesis Martinus papa V. Francisco Sandello abbati sanctæ Mariæ ad Carceres, quibus uti posset in suo monasterio & in prioratibus subjectis, & facultatem fecit impartiendi benedictionem sollemnem in Missis, Matutinis & Vesperis.

Leonardus quondam Laurentii de Burgo-sancti-Sepulcri monachus ordinis Camaldulensis & prior ecclesiæ sanctæ Marie a Mari, & capellæ sancti Jacobi de Arzilla sitæ in territorio urbis Fani prope portam versus Pisaurum, existens in urbe Ravennæ ante præsentiam domni Johannis de Franguillis abbatis sancti Apollinaris in Classe ejus superioris, & de ipsius consensu locavit quamdam terrarum portionem ad utilitatem & beneficium dictarum ecclesiæ, & capellæ.

XXVI. Historia controversiarum inter monast. Burgense & ep. Castellanos.

Hæc ad hunc annum in commentario rerum Burgi-sancti-Sepulcri narrat auctor anonymus. „ Anno M.CCCC.XXVIII. Carolo Calvo Malatesta „ dominium Burgi possidente, Pandulpho fratre suo prædefuncto, causa „ appellationis interpositæ per Gregorium abbatem Burgi ab ea senten„ tia, quæ in favorem episcopi Castellani lata fuerat per cardinalem Se„ nensem, deinde coram domino Placentino diligentissime hinc inde di„ scussa, edictisque publicis in locis consuetis per urbem manifeste affi„ xis, & meritis causæ juribusque partis utriusque in publicis patrum con„ sistoriis deductis, & inter omnes dominos de Rota, & advocatis & pro„ curatoribus utrinque decertantibus subtiliter & minutissime digesta. „ Tandem contra episcopum Castellanum lata est sententia pro abbate. „ Ab ea sententia Sirobaldus episcopus appellavit, & ipsa appellationis „ causa domino Novariensi delegata est. Causa appellationis ejuscemodi „ domino Novariensi devoluta, abbas Burgensis Gregorius tum senio, „ tum etiam infirmitate & inopia maxima laborans, incipiens mori, con„ trariam sententiam indefensus & jam mortuus habuit. Et interea au„ spicia & primordia, quibus successor ejus Paschasius causæ ejusmodi & „ jurium suorum ignarus ab ea tali sententia iterato appellavit, & ipsius „ appellationis causa domino Rotomagensi delegata. Et ob potissimam „ paupertatem potius ipsa appellationis causa per abbatem deserta, quam „ defensata, ac dehinc compulsoriam obtinuit in abbatem. “

XXVII. Monasterium Angelorum Florentiæ exemptum a gravaminibus.

Romanus pontifex Martinus scribens hoc anno abbati sanctæ Mariæ de Florentia exemit monasterium Angelorum ab omnibus gravaminibus. Nominatur in ea bulla hospitale sancti Gilii sive Ægidii Volaterranæ diœcesis tamquam annexum monasterio Angelorum. Die XXIII. novembris pontificatus sui anno XII. [b] privilegia & immunitates concessit cœnobio sancti Benedicti extra muros Florentiæ, quæ obtinebat illud Angelorum. Duodecima autem aprilis bullam ediderat contra procurantes beneficia ab aliis possessa, intimatam abbati sancti Gottardi prope Utinum. Is erat Angelus Ciera Venetus; ex tabulario sancti Mathiæ de b Num. 235.

 Muria-

ANN. CHR. 1428.

a Num. 14. caps. S. Helenæ.

b §. Permutatio A. 5.42.

c Num. 100. cap. S. Agnetis.

Muriano a, ubi etiam extat præceptum Francisci episcopi Urbe-vetani cancellarii apostolici de mandato ejusdem pontificis contra usurpantes beneficia.

Vigesima novembris b Gometius abbas sanctæ Mariæ de Florentia tamquam commissarius apostolicus ad instantiam sindici eremi Camaldulensis approbavit quamdam permutationem factam ab eremo. Mentio fit in hac pagina Johannis Bicci de Medicis civis & campsoris Florentini.

Vigesima-tertia februarii c Nicolaus Thomasius prior sancti Mathiæ de Muriano eligitur a Benedicto priore generali Camaldulensi vicarius generalis ditionis Venetæ, Lombardiæ & marchiæ Tarvisinæ, & specialiter monasterii sancti Apollinaris in Classe.

XXVIII. De ecclesia S. Mariæ de Battutis in Athestе.

In necrologio monasterii Carcerum ad diem IV. maji sub hoc anno hæc verba leguntur: „ Per reverendum patrem domnum Franciscum de „ Sandellis primum abbatem hujus monasterii primus lapis positus fuit „ in fundamento domus fratrum sanctæ Mariæ de Battudis apud eccle- „ siam sancti Francisci de Este. " In tabula vero oratorii Battutorum Estensis civitatis ex Salomonio Inscriptionum Patavinarum pagina 97. habetur: *Paulo Veniero vicario generale & abbate de san Michele di Murano alli 22. maggio dell' anno 1422. ottenne con apostolica autorità di condecorare la chiesa delle Carceri con dignità abbaziale con breve spedito li 8. aprile l'anno II. di Martino V. sommo pontefice, il quale predetto abbate capitando nella patria d'Este pose la prima pietra fondamentale della chiesa di santa Maria delli Battudi appresso la chiesa di san Francesco eretta dalli cittadini, la qual pietra era segnata con le predette lettere ✠ S. D S F S & I M N. ✠ alli 13. decembre l'anno 1431.* Hæc inscriptio undequaque est vitiata; errat enim quoad annum dignitatis abbatialis collatæ monasterio sanctæ Mariæ ad Carceres, qui fuit anno 1427. errat in annis pontificatus Martini V. errat in patria Pauli Venerii, errat quoad impetratorem bullæ pontificiæ, & in pluribus aliis errat. Re enim vera in præfato necrologio Carcerum ad diem XVIII. julii hujus anni habetur: „ Mutatus fuit titulus prioratus sanctæ Mariæ de Car- „ ceribus in dignitatem abbatialem per sanctissimum dominum nostrum „ papam Martinum V. & primus abbas fuit reverendissimus pater do- „ mnus Franciscus de Sandellis, qui hoc impetravit, & executor litera- „ rum apostolicarum fuit reverendissimus domnus Antonius archidiaconus „ Vicetinus. "

XXIX. Obitus card. Laudensis, & Jo: de Sancto-miniato.

Obiit hoc anno post quadraginta cardinalitiæ dignitatis annos Angelus de Anna seu de Summaripa, Laudensis dictus, episcopus Prænestinus, ordinis autem Camaldulensis, sepultus Neapoli in ecclesia sanctæ Mariæ de Porta-nova, ut fidem facit sequens sepulcralis inscriptio.

Hic jacet in tumulo sacri de cardine cœtus
Laudensis dictus senior, pater optimus iste
Anna fuit generosa domus, sed amabile nomen
Angelus Angelicam pia mens revolavit in aulam
Mille quadringentis bis denis octoque junctis
Currebat Christi mensis quoque julius annis.

Ad eumdem annum referenda est mors Johannis San-miniatensis monachi sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia. Ipsam paucis verbis exponit Ambrosius in epistola ad Franciscum Sandellum Carcerum abbatem „ Fra- „ ter Johannes noster, inquit, diem clausit extremum, & post diutinam „ immanemque vexationem in pace receptus est. " Ad annum 1427.

for-

fortasse more Florentino, affertur ejus obitus apud clarissimum Lamium in Deliciis eruditorum anni 1741.[a] Legitur autem „ Nel MCDXXVII. Gio„ vanni di Ser Duccio da Sanminiato monaco Camaldolese erudito muo„ re a di XXVII. di febbrajo. "

ANN. CHR. 1428.

a Pag. 226.

Demum in monasterio sancti Michaelis de Muriano, ubi commorabatur, testamentum suum condidit, & die XXII. decembris vitam cum morte commutavit Franciscus Ursus episcopus Chisamensis, qui in commissarium elegit Paulum Venerium abbatem ejus monasterii, pluraque legata reliquit cum onere perpetui anniversarii.

QUAMPRIMUM venturus ex Bononia Florentiam Philelphus, quos ibidem libros explicaturus sit, Ambrosio significat, jubetque id publicari [b] pridie kalendas februarii hujus anni; Tusculanas scilicet quæstiones, primam Livii decadem, Rhetoricam Aristotelis, & Græce Homeri Iliadem, extraordinarie autem ad horam vigesimam Terentium, ad aliquid temporis Ciceronis epistolas cum practica, postea vero orationes ejusdem, lectionem unam in Moralibus, Græce vero Thucididem vel Xenophontis monarchiam.

ANN. CHR. 1429.

XXX. Aliæ Philelphi ad Ambrosium epistolæ.

b Lib XXIV. ep. XL.

Vigesima-sexta [c] maji (lege martii) ex Bononia propediem se Florentiam affuturum declarat, moramque omnem suam alienæ tribuit negligentiæ. Erat Bononiæ etiam pridie nonas aprilis. Septimo idus erat Imolæ. Octavo autem kalendas majas jam degebat Florentiæ; mensis tamen nondum præterierat, ut scribit ipse Philelphus Antonio Lusco secretario apostolico.

c Ibid. ep XLI.

INCONSTANS tamen, neque quid sibi prodesset, probe callens, dum Bononiæ docebat, & Florentiam meditabatur Philelphus, oraverat eumdem Ambrosium, ut amicos suos interpellaret Romæ commorantes pro obtinendo in Urbe beneficio, vel etiam secretariatu. Revera scripsit Ambrosius pro Philelpho Stephano Porcio, nam hic ex Urbe kalendis januarii hujus anni [d] Ambrosio respondit, se Philelphi consilium improbare, suadereque illi, ne Bononiam desereret pro obtinendo hujusmodi beneficio. De cetero nulli se parciturum operæ tum ipsius Ambrosii gratia, tum ingenti Philelphi virtute, quam tantopere, subdit, mihi prædicasti. In eadem epistola Stephanus Philelphum appellat virum magnæ prudentiæ & gravitatis, qui artem dicendi tradit in urbe Bononiæ, cujus eruditioni magna præmia sunt pollicita. Paucis diebus antequam ipse Porcius Romam accederet, Jacobus Languscus homo certe humanus & colendus exceptus fuerat in ordine secretariatus; si paulo ante fuisset sui adventus, subdit ipse, Romam, tam Ambrosio quam Philelpho aliquid gratum fecisset. Pontificis tamen Martini animum tot curis distentum tum adversantibus Bononiensibus, tum multis infinita precantibus fortasse petita negaturum. Si demum Philelphus incommode viveret Bononiæ, ad Urbem accederet, ubi ei adjutorium præstabit. Notæ sunt turbæ Bononienses anni præteriti, quas describit ipse Philelphus, & auctor etiam chronici Bononiensis in lucem editus a Muratorio tomo XVIII. rerum Italicarum ad annum 1428. ob quas die XXVIII. septembris Romanus pontifex Bononiensem urbem interdicto supposuit.

XXXI. Ambrosii ad Stephanum Porcium pro Philelpho literæ.

d Ibid. ep. XXVII.

Videtur Ambrosius respondisse Porcio ea epistola [e], qua illi significat Philelphum male consulere rebus suis, & cum possit is venire Florentiam publico salario conductus, appetat Urbem; propterea subdit, quod persistet ei suadere, ut Florentiam se recipiat. Eadem occasione, cum decimam persolvendam pro habendo contra hæreticos conflictu imposuisset

e Lib. V. ep. XIV.

idem

ANN. CHR. 1429.

idem Romanus pontifex, rogat eumdem Stephanum Ambrosius, ut monasterium sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia eximi faciat ab ea decima, intercedatque apud summum pontificem, ad quem etiam ea super re ipse jam scripserit. Salutat in hac epistola Marianum ejus fratrem minorem.

a Lib. XXIV. ep. XXVIII.

Demum kalendis martii [a] idem Porcius ex Urbe Ambrosio scribit Philelphum Florentiam jam se recepisse, vel saltem statuisse; gratulaturque reipublicæ florentissimæ, quam, quoad vixerit, amare non desinet. Innuit etiam in hac epistola Gasparem Veronensem, qui apud se degit, ad ipsum (Ambrosium) scripsisse pro habendo Donato Græca lingua scripto, quo indigebat, quemque arbitratur accuratissime figuratum apud eum haberi.

XXXII. De eodem Philelpho Ambrosii ad Justinianum epistolæ.

b Lib. VI. ep. XXXI.
c Ibid. ep. XXXIII.
d Ibid. ep. XXXIV.
e Ibid. ep. XXXVI.
f Ibid. ep. XXXVIII.
g Lib. VI. ep. XXX.

PHILELPHUM ad erudiendam juventutem Florentinam conductum, neque se tamen adhuc ex urbe Bononiense extricasse asserit Ambrosius in epistola ad Leonardum Justinianum patritium Venetum IV. kalendas februarii [b]; jam se Florentiam contulisse, publiceque conductum iterum scribit ad eumdem [c] die octava maji. Vigesima-secunda [d] ejus mensis eidem significat Philelphum heri ad se profectum, a se autem salutatum nomine ipsius Leonardi, ducentis florenis fuisse conductum, sed quadringentos petiisse, frequens habere auditorium, variamque de illo apud doctos sententiam esse. Kalendis augusti [e] eidem Leonardo sententiam suam aperit de Philelpho, nonnihil nimirum, immo plurimum, habere Græcæ levitatis, & vanitatis admixtum. Se adiri ab illo, & nimis quidem frequenter, magna ipsum polliceri, sed penes eos, qui hujusmodi merces probe callent, melius consuleret rebus suis, si parcius de se loqueretur. Undecimo kalendas septembris [f] eumdem Justinianum orat pro Philelpho, ut sumpto pretio, quantum sibi ille debet, libros vestesque eidem restituat, & Florentiam impensa ejus transmittat. Quoad opera Plutarchi contra fidem agere Philelphum, qui pollicitus fuerat ea dono dare Justiniano, & modo, neque sumpto pretio, velit ipsa in illius jus transfire. Ceterum Philelphum de ipso Justiniano ejusque fama non fuisse obloquutum; & si obloquutus fuerit, magnitudine animi esse hujusmodi obloquutiones contemnendas. Decima-quarta octobris [g] eidem Justiniano scribit, ut det operam, quatenus Marcus Lippomanus patritius Venetus vir amicissimus mittat sibi (Ambrosio) codicem suum, nihil metuens a Philelpho, ipsum enim codicem nec noscet, nec videbit Philelphus, & licet aliquo modo in manus ipsius deveniret, ea est illius conditio, ut codicem ab invito & renitente denuo reciperet; est enim plane miserabilis, & qui in dies evadat egenior, nusquamque hac tempestate digressus est, credo, sola inopiæ ratione cogente. Traduxisse ipsum Philelphum quædam e Græco, sed cum sudore sui (Ambrosii) vincente illius improbitate propositum suum, quo illi aditum pene obstruere proposuerat, ne otium suum aliis studiis deditum obtunderet. Largitum esse sibi Philonis volumen se obnitente, eaque tandem ratione se in illius sententiam traductum, ut posthac nihil se imprecari fuerit pollicitus. Tradat ergo secure Lippomanus Mariotto Norio cancellario legatorum Florentinorum in urbe Veneta codicem ad se perferendum, vel mittendum, nil metuens Philelphi manus. Sed de Philelpho ejusque inimicitiis cum Cosmo & cum ipso Ambrosio iterum suis annis. Ceterum de Ambrosio scribens hoc ipso anno Philelphus ad Johannem Aurispam pridie kalendas augusti habet: „ Ambrosius monachus vir disertissimus, & si me amare vi„ detur plurimum, tamen non potest mihi non suspectus esse, etenim

„ laudans

„ laudans ex nostris Leonardum Arretinum dixit ; sed non bene virum „ nosti; quæ oratio non esse mihi videtur hominis & quidem probi. " ANN. CHR. 1429.

Duodecimo kalendas januarii [a] eidem Justiniano scribens Ambrosius laudat Franciscum Sandellum abbatem sanctæ Mariæ de Carceribus, qui Florentiam venerat, ejusque merita commendat etiam ex testimonio Hieronymi Contareni humanissimi patritii Veneti, qui legatus Venetorum accesserat Florentiam. Venerat Sandellus forte pro obtinenda monachorum Angelici cœnobii colonia ad suum monasterium reformandum. Sed cum senes obiissent in cœnobio Angelorum, juvenes dumtaxat magna ex parte supererant, & refugiebant ex certo disciplinæ loco ad incertum transire. In eadem epistola scribit Ambrosius existimasse se invenisse librarium, qui Titi Livii decades, aliaque, quæ vellet Leonardus, scriberet, sed pestis metum terruisse librarium, elapsumque de manibus, licet eum Ambrosius conducere vellet triginta ducatis, adjecto honesto victu. Exemplaria decadum earumdem Florentiæ nonnisi mendosa reperiri.

a *Lib. VI. ep. XXXV.*

Vigesima-prima aprilis [b] Jacobo Nicolino abbati sanctarum Floræ & Lucillæ de Arretio commendat Johannem quemdam olim discipulum suum, nunc vero monastico instituto devotum in ejus cœnobio; salutemque precatur alteri monacho ejus Hieronymo de Aleotis.

b *Lib. IV. ep. II.*

XXXIII. De Mariano fratre Stephani Porcii.

Cum Stephanus Porcius commendasset Ambrosio Marianum fratrem suum eximiæ indolis & Romanæ gravitatis, summæque jucunditatis & gratitudinis puerum, ipsique etiam pro eodem Mariano literas dedisset Gaspar (Veronensis) doctissimus vir ejus præceptor, Ambrosius [c] pollicetur Stephano se edocturum ipsum linguam Græcam, cujus studia diligenter insequitur, Latinarum vero literarum futurum magistrum Philelphum. Laudat autem Mariani indolem, ardentemque in humaniora studia animum. Commendat etiam Stephano Angelum monachum Romam profectum pro negotiis monasterii Angelorum; Denuo [d] in commendationem Angeli, & in Mariani laudes excurrit epistola sequenti. Alia epistola [e], qua familiaria negotia subiratus attingit ad eumdem Stephanum, pertinet ad annum post susceptum congregationis Camaldulensis regimen.

c *Lib. V. ep. XV.*
d *Lib. V. ep. XVI.*
e *Lib. V. ep. XVII.*

XXXIV. De Jacobo abbate Podiobonitiensi.

Contraxit etiam amicitiam Ambrosius cum Jacobo abbate Podiibonitii scribens ad ipsum epistolam [f], quam cum accepisset Jacobus, mirum est, quantum voluptatis & jucunditatis perceperit; quam rem in primis cupiebat, hoc est, ut in gratiam familiaritatemque ejus veniret. Longo tempore ait Jacobus se eum dilexisse, suarum solum laudum magnitudine provocatus. Multa & eadem maxima de eo audierat, studia humanitatis, optimarum artium disciplinam, Latinam doctrinam ac Græcam, religionem, sanctitatem, quæ omnes res eo se vehementius ad ipsum amandum accenderunt, quo pauciores ordinis monastici homines hujusmodi ornamentis præditos noverat. Quamobrem a multis, quibuscum interdum versatus erat Ambrosius, inquirebat Jacobus, quis, quantus, quotannis esse Ambrosius. In tristia se tempora incidisse tum ardentissimi belli, tum vastissimæ etiam pestilentiæ, quibus malis omnis ferme Ethruria perturbata est. „ Verum quandoquidem securior jam res no„ stra fieri videtur, non ita, quemadmodum, antehac civitate Florentia „ abstinebo, sed frequentabo urbem, adibo amicos, atque te in pri„ mis. " Anno 1431. fama perlata fuerat Florentiam Jacobum factum fuisse episcopum, sed Nicolaus scripsit [g] Ambrosio ex Cosmi relatione, mutasse dumtaxat monasterium. Jacobum Bonitiensem abbatem virum tum eruditum, tum in dicendo elegantem, suavem, ornatum vocat Minias Lucensis in epistola [h] ad Cosmum Medicæum.

f *Lib. XXIV. ep. XI.*
g *Lib. VIII. ep. II.*
h *Lib. XXV. ep. VIII.*

Ann. Chr. 1429. XXXV. Monumenta aliquot monasteriorum.

Lucidus de Comitibus S. R. E. cardinalis & prior commendatarius prioratus sanctæ Trinitatis de Perusio hoc anno M. CCCC. XXIX. indictione VIII. tempore domini Martini papæ V. die XVII. aprilis in ecclesia sancti Severi de Monte urbis Perusinæ per Johannem Marci de Mercatello priorem ecclesiæ sancti Antonii de Perusio, quem procuratorem suum creaverat una cum Nicolao de Mercatello licentiato in Decretis archipresbytero ecclesiæ sanctæ Mariæ de Confinio, renuntiavit dicto prioratui sanctæ Trinitatis in præsentia religiosi viri domni Martini Guidotii de Perusio prioris sanctæ Agnetis de Collina, & procuratoris domni Benedicti de Foro-livio prioris generalis Camaldulensis, qui Martinus statim elegit Thomam Matthæi de Perusio priorem sancti Severi in priorem sanctæ Trinitatis, ex autographa pagina tabularii sancti Blasii de Fabriano, quam damus in Appendice.

Die septima decembris Jacobus presbyter secularis & rector ecclesiæ sancti Bartholomæi de Agna, & Albertus quondam Balassini de Balneo sanctæ Mariæ provinciæ Romandiolæ notarius arbitri per compromissum manu Guidonis Jacobi de Prato-veteri notarii communiter & concorditer a partibus electi, videlicet a Hieronymo de Balneo eremita & sindico eremi Camaldulensis, & a dominis Antonio olim Bandini plebano plebis sanctæ Mariæ de Bujano curiæ Fronzolæ, & ab Antonio plebano plebis sancti Marci de Puppio sindicis omnium presbyterorum & rectorum ecclesiarum dicti plebatus de Bujano, super facto & lite vertente causa decimarum, quas a prædictis plebanis & rectoribus eremus petebat, ad cognoscendum, decidendum & terminandum sententialiter, & amicabiliter componendum de jure, & maxime juxta consilium reddendum & reditum domino Comiti de Battifolle super puncto, & quæstionibus concorditer firmato, laudaverunt, arbitrarunt, & sententiarunt præfatum plebanum de Bujano & totius dicti plebatus capellanos & rectores teneri ad solvendum dictæ eremo, vel ejus priori aut sindico staria CCC. XXXVI. grani ad starium castri Puppii pro annis XIV. elapsis, in quibus cessaverunt plebanus & rectores solvere decimas, & in futurum singulis annis staria XXIV. modo & forma contentis in laudo olim prolato per domnum Matthæum abbatem Silvæ-mundæ & domnum Junctam arbitros ad annum 1229. Insuper ad refectionem expensarum legitime factarum pro parte dictæ eremi, eam taxandam & declarandam remiserunt Francisco episcopo Arretino, excipientes a prædicta refectione quamlibet ecclesiam seu rectorem, qui eremo decimas persolvisset, & ita observari mandarunt. In omnibus & per omnia juxta consilium domini Laurentii de Rodulphis Florentini, cui subscripsit famosus Decretorum doctor Bartholomæus de Carbonibus abbas monasterii sancti Apollinaris de Canossa de Rhegio, cum sigillis utriusque doctoris munitum, & traditum domino comiti Francisco de Battifolle; manu Guidonis Jacobi Guidonis de Prato-veteri notarii [a], ex tabulario Fontis-boni.

a §. *Sententia* 26. *A*. 5. 48.

Mandavit hoc anno Martinus V. Paulo Venerio abbati sancti Michaelis de Muriano, ut ad examen revocata suppressione monasterii sancti Georgii de Fossono diœcesis Clodiensis, ipsum conferret Bartholomæo Falconto canonico Clodiensi ad reparandum, ut legitur in ecclesiis Venetis Cl. Cornelii [b].

b *T. I. col.* 66.

Ann. Chr. 1430. XXXVI. Epistolare commercium Ambrosii cum Leonardo Justiniano.

Cum per Mariottum Norium legatorum Florentinorum in urbe Veneta cancellarium Leonardus Justinianus Ambrosium orasset, ut sibi compararet libros sacros Italico idiomate scriptos, quarto kalendas februa-

bruarii [a] hujus anni respondet Ambrosius cumulatissime se facturum satis ejus votis. Mens Justiniani erat consulere hujusmodi libris simpliciori populo, propinando ei sacra carmina modulata eodem idiomate. Delectabatur enim cantionibus sacris, quas vulgo *Laudes* vocabant, eisque rudiores minusque doctos alliciebat ad divinum cultum. Fatetur Ambrosius se, licet minus vocalem minusque canorum, multum oblectari hujusce modulationis suavitate non modo in his canticis, quæ frequentat ecclesia, verum in his quoque vulgaribus hymnis ac laudibus, quæ ad Dei honorem cantabantur; ejusmodi autem laudes familiarissimæ erant Justiniano, ita ut illas voce & instrumentis musicis maxima cum suavitate pronuntiaret, ut ex pluribus ejus amicissimis didicerat Ambrosius, qui proinde ut eas laudes ad se mittat, orat Justinianum. Nuntiat insuper se Francisco Barbaro manu sua traductos a se & scriptos sermones Chrysostomi misisse in prima scheda, uti primo impetu effusi sunt, quos & ipse Justinianus leget. Demum cupit nosse, si quid peregrinitatis in communem bibliothecam invectum sit.

ANN. CHR. 1430.

a Lib. VI. ep. XXXI.

Die quinta-decima februarii [b] eidem Justiniano significat magnum vulgarium librorum numerum tum sacrorum, tum etiam profanorum venire, & ab eo postulat iterum mitti sibi, quas ipse fecisset laudes ad honorem Salvatoris & sanctæ Mariæ virginis. Ad has postremas Ambrosii ad Justinianum epistolas hæc adnotavit Cannetius noster: „ Quantum poeticæ „ facultatis, Italico præsertim carmine, studiosus fuerit Leonardus Justi- „ nianus, constat ex iis, qui supersunt, amatoriis sacrisque nobilissimi pa- „ tricii versibus: Gliscente adhuc adolescentia suos cecinit amores, poe- „ ticis rythmis musicos numeros addere solitus. Verum ubi ætas cœpit „ defervere, Ambrosio amicorum acceptissimo, & Laurentio Venetiarum „ antistite ejus germano suadentibus ad sanctioris musæ amœnitates se „ convertit, illo potissimum carminis genere, quod *Laudes* vocant, ma- „ xime delectatus. Rudiori ejus seculi ingenio, quo Italica poesis pene „ occubuerat, piæ hujusmodi cantilenæ plurimum arridebant. Placuere „ & Ambrosio universæ humanioris literaturæ delicio, & ad omnem pie- „ tatis musarumque cultum composito. Utriusque laudum specimen ex- „ hibet eruditissimus rei poetices illustrator Johannes-marius Crescimbe- „ nius vulgaris poesis historiæ commentario volumine III. libro III. ad „ annum 1420. & 1439. Extant Leonardi amatoria carmina repetitis „ typographicis curis edita, quorum titulus: *Canzonette e Strambotti*, „ sæpius quoque typis cusæ fuerunt, quæ *Laudes* vocantur. Antiquissima „ omnium editio est, cujus initium: *Incominciano le devotissime & sanctissime laude, le quale compose el nobile & magnifico Messere Leonardo Justiniano*. In calce autem legitur M.CCCC.LXXIV. Nicolao „ Marcello duce Venetiarum regnante impressum fuit hoc opus feliciter. „ Cremonæ librum ipsum a Bartholomæo quodam fuisse editum docet „ subjectum ad calcem epigramma. Cum ea carmina, quæ *Laudes* vul- „ go dicebantur, in piis laicorum sodalitiis, Florentiæ præsertim & „ Senis vel ab ipso seculi XIV. initio canendi mos obtinuisset, nullum „ plane ejusmodi canticum poetæ ediderunt, cui modulationes non adde- „ rentur. Sane adhuc extat in Chisiana bibliotheca codex ms. Jacoboni „ Tudertini, aliorumque laudes complectens, ubi cujusque laudis initio „ musicæ notæ præferuntur. In impressis quoque earum laudum collecta- „ neis musicum melos non deest, præsertim vero in iis, quæ inscribun- „ tur: *Lodi e canzonette spirituali raccolte da diversi autori, e ordinate secondo le varie maniere di versi*, impressis Neapoli apud Tarquinium

b Lib. VI. ep. XXXVIII.

Ann. Chr. 1430.

„ Longum anno 1608. Ad rem vero nostram maxime faciunt, quæ „ Franciscus Cionaccius in observationibus ad sacra carmina Mediceorum „ tradit de Leonardo Justiniano. Refert enim se quadragesimalium evangeliorum librum vidisse Italico carmine in cantiunculas a Leonardo „ translatorum, ut musicis modulationibus caneretur. Cantus in hujusmodi sacrorum carminum genere adhibitus is plerumque erat, quem „ nos planum seu firmum appellamus, multorum vocibus easdem notas „ concinentibus, seu quavis alia cantilena huic cantui simillima. Qua de „ re Crescimbenius volumine 1. libro III. capite XXII Franciscum Sansovinum adducens in notis ad Johannis Boccatii centum narratiunculas, „ quæ habentur in editione Veneta Joliti de Ferrariis anno 1546. *Nella nostra Città*, Florentiæ scilicet, *vi sono alcune scuole di artigiani, tra le quali vi è quella di Or san Michele, e di santa Maria novella. Questi ogni sabbato dopo nona si adunano in chiesa, e quivi a quattro voci cantano cinque o sei laudi o ballate composte da Lorenzo Medici, dal Pulci, e dal Giambollari, e ad ogni laude si mutano i cantori, e finito a suon di organi e di voci, scoprano una Madonna, ed è finita la festa. E questi tali, che son detti Laudesi, hanno sopra di essi un capo, che si fà chiamar capitano de' Laudesi*. Nihilominus, cum Ambrosius scribat Justinianum laudes & voce, & musicis instrumentis magna „ cum suavitate pronuntiare solitum, affirmare non vereor nobiliorem „ quandoque musicalium concentuum instrumentorumque sonum in piorum ejusmodi carminum modulatione adhibitum fuisse. Etsi id forte „ in templis publicisve sodalitiorum sacellis minime consuesceret, ubi „ Laudes plerumque a laicis hominibus canebantur, at in privatis nobilium virorum ædibus cultiorem modulum iis cantionibus adjectum „ nemo inficiabitur claro testimonio Ambrosii.

„ Etiam Ambrosium iis carminibus operam dedisse satis patet ex superiori epistola. Eum idcirco jure quidem merito inter Italicæ poeseos „ cultores recensuit Crescimbenius, qui laudem edidit ab ipso Ambrosio „ compositam, atque divi Benedicti monachorum parentis gloriæ inscriptam, ex codice ms. Chisianæ bibliothecæ numero 577. sicut Justiniani laudem, qua beatissima virgo Deipara Maria celebratur, edidit „ ex codice Isoldiano. “ Hæc Cannetius.

[a] Lib. VI. ep. XXXIII.

Octava maji [a] significat Justiniano Ambrosius Mariottum Norium, qui proxime summum civitatis magistratum bimestrem sortitus fuerat, literas ejus ad utrumque scriptas ad se misisse, petendo, ut vice sui functus ipse (Ambrosius) responderet in iis, quæ communia forent. Se nondum habere potuisse ab amico Testamentum Vetus vulgariter scriptum. Reperiri quidem venale passim, sed fædis ac pessimis literis, ut, quod acceperat volumen Sanctorum Patrum, comparatione illius aureum dici possit. *Medicinam cordis* & *Mysticam Theologiam* in papyro & bonis literis se pretio moderato curaturum, *Textum* similiter *Sententiarum*; *Summam confessariorum* venalem non reperiri. Nimirum hujusmodi Italicos libros expetierat ab Ambrosio Justinianus. Epistola sequens vigesima-secunda maji [b] est in idem argumentum; nominatur in hac, præter superiores, codex de *Casibus conscientiæ*; hos autem Italicos libros venire carius quam Latinos; puta Testamentum Vetus in duobus voluminibus chartaceis viginti florenis, summam de *Casibus conscientiæ* florenis quindecim.

[b] Ibid. ep. XXXIV.

Die XXIV. julii [c] ait se dedisse Mariotto Norio *Genealogias Deorum* remittendas eidem Justiniano. Notum facit ipsi se scripsisse Græcos illos versus,

[c] Ibid. ep. XXIV.

versus, qui deerant in marginibus, ex Homero, invento tandem exemplari, quo versus illi continebantur emendatius scripti; nam eos ex auctore decerpere minime fuit otium. Bernardum ejus filium a patre nil degenerantem salutat, Marcum etiam fratrem, Franciscum Barbarum & Hermolaum suavissimæ indolis adolescentem Bernardi æqualem & in discendo socium. kalendis augusti [a] refert eumdem Mariottum ad se detulisse illius (Justiniani) libellum pulcre ornandum. Dolet defunctos, qui erant hujus operis maxime periti, superesse dumtaxat adolescentes, qui proficiant in eo studio, cui ipse nunquam operam dedit. Ex ipsius literis ad dictum Mariottum animadvertisse illum non habere penes se aliquid Chrysostomi in epistolas Pauli. Demum undecimo kalendas septembris [b] Justinianum certiorem reddit se curaturum, ut libri vulgares conscribantur, quanta licebit diligentia, missurumque se facies plurimas literarum, quas adhibent scriptores, ut deligat, quas velit.

Ann. Chr. 1430.

[a] Ibid. ep. XXVI.

[b] Ibid. ep. XXVIII.

XXXVII. Epistolæ Ambrosii ad Nicolaum.

Sexto kalendas novembris [c] scribit Ambrosius Nicolao, qui pestis timore longe a patria morabatur; ipsum Michael Beninus Arimini liquerat suspensum & hærentem, atque ad fugam intentum. Queritur, quod diu abstinuerit a literarum officiis. Nuntiat Antonium Pinium utriusque amantissimum diem suum obiisse; etiam Florentiæ pestem tunc sævire; Mariottum Norium, qui Venetias cancellarius legationis Florentinæ perrexerat, accepisse volumina duo manu ipsius Nicolai scripta Venetias deferenda ad Fantinum Dandulum piissimum virum. Libellum Hieronymi Contareni V. Cl. absolutum perfectumque a monacho Angelorum. Accepisse se Josephum ejusdem Nicolai resarciendum; literas demum se accepisse a Fantino Dandulo scriptas, sed vetustissimas.

[c] Lib. VIII. ep. XXXIV.

Decima-octava ejusdem mensis [d] eidem Nicolao scribens dolet, quod ad declinandam pestem peregrinationem ipse susceperit, quæ tamen peregrinatio ad rem librariam augendam conducet, clarissimorum virorum consuetudine, præsertim Barbari & Justiniani, qui sint humanitatis condimenta. Iterum significat mortem plane dolendam omnibus bonis Antonii Pinii. Post hujus vero mortem, Angelum Esau filium decoxisse cum morte etiam subsecuta ejusdem Angeli, & Lucanum dominum ejectum fuisse a sua civitate. Narrat Franciscum theologum literas sibi dedisse, quibus multa pollicetur de Andreolo Justiniano nobili Januense; ex alio theologo Jacobo Francisci socio didicisse ipsum vidisse apud eumdem Andream nummos aureos vetustissimos, & ad reditum Francisci reservatos, dono mittendos Nicolao. Scripsisse se ejusdem Nicolai hortatu cardinali Jordano Ursino orando, ut Plauti comœdias, quas habebat, ad se mitteret, nihil tamen profecisse, cum neque rescripserit. Se insuper curaturum transcriptionem Theophrasti de Plantis, si ipse Nicolaus mittet. Pestem demum in Florentina urbe longe clementius solito desævire. Salutat Cosmum, Laurentiumque Mediceos, Carolum Aretinum & Benvenutam.

[d] Lib. VIII. ep XXXV.

Ad eumdem annum pertinet alia Ambrosii ad Nicolaum epistola [e] referens pestem adhuc grassari Florentiæ. Condolet in ea de obitu ejus germani, qui dum se in proximos colles receperat una cum uxore & liberis, biduo tentatus morbo perierat. Se Antonio communi amico & pictam eremum & ex Colucianis voluminibus quinque tradidisse. Heri allatum fuisse Florentiam nuntium Lucensem tyrannum a populo comprehensum cum liberis, tenerique captivum. Gaudet Franciscum nostrum optimum & studiosissimum virum cœpisse conscribere Theophrastum; is facile est Philelphus.

[e] Lib. VIII. ep. XXXII.

ANN. CHR. 1430.

XXXVIII. Literæ Ambrosii pro Benedicto priore generali.

a Lib. II. ep. XXXVII.

b Lib. II. ep. I.

QUINTA augusti [a] Andreæ Flocco Florentino secretario in curia Romana commendat causam Benedicti prioris generalis Camaldulensis, asserens se jam communi patri & domino pro eodem scripsisse, facile Romano pontifici, vel cardinali Senensi protectori, ut, si innocens comperiatur, ejus innocentiam tueatur, si vero reus, clementer puniatur ejus reatus. Die sequenti [b] eumdem priorem generalem commendat Gabrieli Condulmerio cardinali & ordinis protectori. Insuper significatum sibi esse ipsum cardinalem convocasse capitulum generale congregationis ad diem octavam septembris, ex qua convocatione omnes exultant, præsertim quia cardinalis ipse præsens adesse vult, eumque orat, ne quid contra generalem statuat, donec veritas pateat, neque aurem accommodet susurronibus, qui contra eum ipsi verba fecerant. Hæc epistola scripta est ab Ambrosio nomine prioris & conventus Angelorum. Ipsa die [c] similes literas nomine suo dedit in idem argumentum eidem cardinali.

c Lib. II. ep. II.

d Lib. II. ep. XXVIII.

Quinta-decima augusti [d] Fantino Dandulo per clarum adolescentem Jacobum mittit ejusdem volumina accurate satis scripta & emendata, qui adolescens ad illum pergit pestis causa, bonæque indolis est, & dignus frui ejus contubernio.

XXXIX. Aliæ ejusdem ad capitulum generale.

e Lib. XVIII. ep. II.

QUINTA-DECIMA octobris [e] nomine conventus Angelorum Ambrosius pareneticam epistolam scribit patribus congregatis in eodem capitulo ad reparandam monasticam disciplinam in ordine Camaldulensi. „ Videmus, omnium nomine, inquit, & taciti ingemiscimus maximam illam „ mutationem, lacrymabilemque descensum, ac perversionem morum, „ totiusque religionis vastitatem miserandam. Subiit pro moderato illo „ habitu, quem præfinit & ratio, & antiqua ordinis institutio, vestium „ enormis latitudo & sumptus, vixque cucullarum relinquitur usus, dum „ singuli apertis patulisque chlamydibus uti gaudent. Soli circumeunt „ tum prælati, tum monachi contra jus omne & fas. Calceis tenujoribus & delicatis utuntur, ut non tam necessitati satisfiat, quam voluptati, ac deliciis inserviatur. Jam vero de interiore amictu quid dicimus, quoniam multi contra instituta sanctissima camisiis utuntur lineis ipsisque subtilissimis, & ut vestibus aliis prorsus a religione remotissimis? Successerunt castis jejuniis epulæ, conviviaque plena deliciis. Carnium usus ubique ferme viget, atque utinam moderatus ac „ temperans. Monachi ordinis nostri passim vagantur extra ordinem, „ & ecclesias extra religionis gremium tenent. Ceteraque in hunc modum admittuntur, quæ sunt plena dedecoris, & ab regulari instituto „ remotissima. Quæ omnia patres amantissimi prohibere quis labor „ est?... Habet nostra religio constitutiones præclaras atque laudabiles, „ ita ut addendum eis videatur nihil, modo ea serventur, quæ constituta sunt " &c. Legatur & epistola [f] ipsius cardinalis Senensis protectoris ordinis ad eosdem patres in comitiis congregatos, qua excusat, quod non interfit eorum capitulo, cui libenter interveniret, sed nonnullis gravibus, & arduis ac universalem Romanam ecclesiam concernentibus negotiis implicatus mittit tres præstabiles & egregios viros socios & familiares suos, Johannem de Vittelleschis protonotarium, Johannem Siculum priorem sancti Pauli Decretorum doctorem, & Christophorum de Vicetia fidelem auditorem & commensalem suum, qui locum sui tenerent in capitulo.

f Lib. XXV. ep. II.

XL. Ad Franciscum cubicularium Martini V.

SANCTIMONIALES duæ sorores germanæ Magdalena & Catharina de Maleficis consobrinæ Lucæ de Maleficis prioris Angelorum de Florentia in monasterium quoddam sancti Bernardi, quod Cistellense dicitur,

intra

intra muros civitatis non longe a monasterio Angelorum, datæ ab infantia, ibidem ad hanc diem perduraverant, quadraginta ferme annis. Altera ex his Magdalena nomine, nuper electa fuerat abbatissa monasterii sanctæ Ursulæ ordinis sancti Benedicti vacantis per privationem abbatissæ, quam suis promerentibus culpis archiepiscopus civitatis, ad cujus curam id monasterium peculiariter pertinebat, a regimine amoverat, ac a monasterio pepulerat. Cum autem non liceret electæ absque dispensatione pontificis transire ad aliam congregationem, cupiebat facultatem sibi fieri egrediendi, & intrandi novum monasterium cum sorore, & præterea asportandi omnia bona sua sive in pecuniis montis, quarum redditus annuos capiebant, sive in aliis quibuslibet, quæ obtinebant in primo monasterio. Injunctum fuit id onus Ambrosio, qui viro amicissimo suo difficultatem proposuit, dicens id contra jus postulari, quo cautum est, ut proprietas servetur monasterio professionis. Sed quoniam ex gratia speciali pontifex poterat ea super re dispensare, ideo scripsit die secunda novembris ex suo Angelorum monasterio [a] ad Franciscum Patavinum cubicularium Martini V. pontificis, ut ab ipso pontifice obtineret, quatenus ipsis monialibus liceret transire ad novum sanctæ Ursulæ monasterium cum bonis suis, eorumque non modo fructu, verum etiam possessione libera. Videbimus post paucos annos adjunctum ab Eugenio IV. monasterium sanctæ Ursulæ cum altero sanctæ Agathæ ejusdem urbis. Institerat Ambrosius proxime eidem Francisco pro alia pia causa religiosarum mulierum tertii ordinis sancti Francisci.

Demum orat ipsum, ut se commendet domino suo Juliano nuper adsumpto, dicatque illi se proxime missurum ad ipsum vitam beati Gregorii Nazianzeni tum Græcam, tum Latinam. Legatur nuncupatoria epistola [b] Ambrosii ad ipsum Julianum, cujus promotioni ita adgaudet ex animo, ut ecclesiæ Christi putet magnum ex ea decus atque ornamentum accessisse. Quod autem assumptus hoc anno dicatur ad cardinalatum Julianus ex nobilissima Cæsarinorum familia, id est intelligendum de declaratione ejus dignitatis facta a Martino V. cum ante aliquot annos jam ad eam dignitatem electus fuisset. Franciscus Patavinus a cubiculo fuit etiam Eugenii IV. successoris Martini.

XLI. Poggii epistolæ ad Ambrosium, Nicolaum & Albertum Sarthianensem.

Spectant ad hunc annum binæ Poggii epistolæ ad Ambrosium [c], quarum prima data est III. idus januarii, altera XV. martii, utraque ex Urbe. Miserat Poggius dialogum suum de Avaritia ad Ambrosium, & ad Nicolaum, ut eorum sententiam exquireret. Nonnulla displicebant, multa placebant Nicolao, probabat dialogum Ambrosius, vel nolebat Poggium deterrere. Epistolarum & dialogorum suorum stilum dissimilem fatetur Poggius, ac Ciceronis aliorumque priscorum scriptorum exemplo tuetur, ita ut epistolæ debeant esse ornatiores uberioresque, temperatum neque redundans, sed quietum & pacatum scribendi genus dialogorum. Paratum se tamen exhibet ad corrigendum, venturum se Florentiam & cum ipsis collaturum de singulis diligentius, tutiusque sibi videri assentiri Nicolao, cui nihil nisi elimatum placet, quam ipsi Ambrosio, qui parcius carpserat dialogum. In altera epistola mentionem facit epistolæ cujusdam suæ, quam ad Nicolaum scripsit, quamque notam voluit Ambrosio, ut obloquutoribus posset respondere. Refert fratrem Albertum Sarthianensem eas literas legisse, & satis acriter se reprehendisse, sed bono animo. Receptis Alberti literis Poggius primo impetu respondit, postea se cohibuit, literasque mutavit, quas Ambrosio legendas misit, reddendas inde Alberto in urbe Cortonensi concionanti. Ad has epistolas hæc adno-

a *Lib. II. ep. XXX.*

b *Lib. XXIII. ep. V.*

c *Lib. XXIV. epp. VII. & VIII.*

Ann. Chr. 1430.

adnotavit Cannetius noster. „ Poggius vir prono in maledicentiam ingenio vix sanctissimum quemquam suæ ætatis hominem , ac præsertim „ religiosi ordinis professorem intactum dimisit , quem multo non prolueret aceto. Rem planam maxime faciunt ejus dialogi duo, alter de „ Avaritia , alter de Hipocrysi. Eo œstro percitus epistolam dederat die „ XVI. decembris anni præteriti ad Nicolaum Nicolium plurimo felle „ illitam adversus Franciscanos sodales , qui a severiori disciplina Observantes appellati novum tunc in cœtum exsurgebant. Haud ille probabat cœnobium ab iis construi in amœniori fundo , quem Carolus „ Ricasolus Florentinus in Monte-caroli prope Terram-novam , Poggii „ natale solum , Observantibus fratribus donaverat. Ita enim hac de re „ angebatur , ac si ipse suique contribules utilitati ac deliciis suis ereptum sentirent quidquid in eorum commodum cessisset. Jamque percrebuerat fama Poggium apud pontificem agentem in id incumbere , „ ut erectum ædificium destrueretur . At invidiam hujusmodi primum „ avertere conatus fusiorem epistolam ad Nicolium scripsit Poggius, qua „ demum religiosos homines præsertim nascentis illius arctioris instituti „ sectatores omni flagitiorum nota inspersit , Bernardino Senensi & „ Alberto Sarthianensi exceptis, quorum alterum sanctioribus aris admotum, alterum Beati titulo illustrem veneramur. Invectivam Cortonæ, „ ut accepit Albertus , quamvis necdum, sæviente per ea tempora epidemico morbo, convaluisset, stylum in Poggium convertit non amarulentum quidem, sed Christiano optimoque evangelii præcone dignum, „ quo & actum ira amicum moneret , & iniquas criminationes refelleret. Tum Alberti modestia, tum rationum momentis permotus, sive „ majoris invidiæ declinandæ causa mitiorem se exhibet Poggius in excusatoria epistola. Cujus summa est , ut captatis effugiis a sententia „ omnino non discedat , quin aut anteactæ in seculo vitæ crimina conversis ad religionem hominibus , aut paucorum delicta universitati per „ obstinatam insipientiam vitio adhuc vertere conetur . Quid mirum ? „ Ita obfirmato animo suæ adhærebat ille sententiæ , ut amariores antea literas primo impetu effuderit, quod & fatetur. Eas mox sedatiori animo castigavit , & Ambrosio misit , ut redderentur Alberto his „ epistolis suis inclusas. “ Poggii epistola ad Nicolaum contra hujusmodi viros rursus edita est libro XXV. epistolarum Ambrosii sub numero XLI. In ea Poggius factum narrat , culpamque suam, qua arguebatur, a se rejicit , jubet , ut eam communicet cum fratre Ambrosio , ut sciat ejus judicium . Altera vero epistola ejusdem Poggii ad Nicolaum, qua mittit dialogum suum contra Avaritiam, extat ibidem sub numero XLIII. quam similiter cum Ambrosio communicabilem vult . Epistola demum excusatoria Poggii ad Albertum de Sarthiano extat sub numero XXII. Respondit ea occasione Ambrosius Poggio caritate multa, summaque in scribendo gravitate, qua responsione pacatior factus Ambrosio iterum rescripsit una cum literis Alberto Sarthianensi reddendis . In eadem epistola ad Ambrosium Poggius ipsi mandat , ut Nicolao dicat verbis suis historiam ecclesiasticam jam scriptam esse, sed magistrum Thomam Sarzanensem , qui est cum cardinale sanctæ Crucis Nicolao Albergatto, eam petiisse transcribendam.

XLII. Literæ Alberti Sarthianensis, & Ildebrandi Berti de Ambrosio. a *Lib. V. ep. XXVI.*

Ad hunc eumdem circiter annum pertinet epistola Ambrosii ad Ildebrandum Bertum Senensem respondens acerbo nuntio , quo is retulerat amicum communem fulmine extinctum [a]. „ Genus id mortis etsi terribile sit, non usque adeo, ait, expavescendum, ut si vitæ innocenter

actæ

„ actæ alias non desint merita, quæ huic nostro nulla ratione deesse crediderim, non continuo existimem divinæ iræ & indignationis indicium. Neque enim desunt sanctorum virorum exempla, quos fulmine extinctos rapuerunt Angeli, atque in Abrahæ tulerunt sinum: " Ex monasterio nostro Florentiæ IV. Kalendas augusti. Extat ejusdem Berti epistola [a] Senis quinto idus augusti data ad Ambrosium, cui muneris loco pueri Jesu simulachrum mittit. In hac dicit alias se rationem redditurum de studiis literarum Græcarum, quæ ipse in se non mediocriter excitaverat. In epistola demum Alberti Sarthianensis ad eumdem Bertum [b] colligitur, quam amicus Berti fuerit Albertus, quantave de Ambrosio prædicaverit. Ait enim Albertus „ se Florentiam devenisse, invenisseque optime valentes carissimos utrique viros, cum doctissimum Nicolaum, tum continentissimum, religiosissimum, modestissimum, postremo eruditissimum, atque (haud scio an non rectissime, non intemperanter dixerim) divinum hominem, sanctissimumque monachum nostrum Ambrosium, cujus non modo præstantia, immo quorum non modo familiaritate, consuetudine, consortio, summaque necessitudine & pascor, & consolor, & educor & imbuor, verum etiam nominibus solis recreor, quorum nomine salutem mittit Berto, & insuper Andreotio & Johanni Tuscanellensi, in quorum laudibus immoratus Ambrosius & mirifice gestiens, gaudioque prope elatus excurrit, quod valerent memoria plurimum, quod essent studio diligentes, quod ad humanarum divinarumque rerum saluberrimam notionem incredibili quodam ardore, ac mira quadam cupiditate flagrarent, quod bonorum amicitias ultro appeterent, quodque his omnibus majus est, longeque præstantius, Christiani inter profanas literas perdurarent, & virtutum verum eos decus ac morum præstantia honestarent. Insuper se provocari in dies ab Ambrosio & a compluribus, ut dicendi consuetudinem etiam Florentiæ prorsus non intermitteret cum spe fructus, tum ne illa, si qua futura est, in se dicendi facultas desuetudine periret, sed se neutram in partem penitus ferri. " Ex Florentia pridie idus sextiles.

Referri possunt & epistola ex Florentia [c] Ambrosii ad Johannem quemdam, cujus indolem, ingenium, literas ac studia laudat, hortaturque, ut divinis literis ac Hieronymi epistolis legendis incumbat. Demonstrat autem excellentiam simul & difficultatem asceticæ disciplinæ, quam amplecti meditabatur Johannes, ac perstringit prodigium, cujus Johannes fuerat inspector, quodque territaverat animos civium. Ejus epistola pariter ad Ugolinum virum præstantissimum ex Florentia vigesima-tertia septembris [d], qua ei commendat Nerium propinquum suum atrocis necis genere plectendum, ut a fatali sententia absolvatur, sive honestiore saltem supplicio percellatur. Ugolinus Senensi in urbe jus dicebat.

XLIII. Ambrosii ad Sebastianum abbatem Camalduli Florentini epistolæ.

SEBASTIANUS abbas Camalduli-Florentini lue grassante Florentiæ, urbem liquerat, & peregrinatione suscepta in Venetorum ditionem transierat, ubi humanissime exceptus fuerat tum a Francisco Sandello abbate sanctæ Mariæ Carcerum, tum ab Antonio abbate Vangaticiensi. Refert tamen Ambrosius XVII. Kalendas augusti [e] pestem clementius Florentiæ sævire, verum tantum terroris injectum civibus, ut urbs sola restitisse, civitas migrasse videatur. Se nuper accepisse dominum Senensem protectorem ordinis mandasse literis suis patri generali & eremitis, ut capitulum generale proximo septembri mense juxta condictum celebrent, citentque prælatos omnes ordinis, nullusque excuset præsentiam suam, cum

Ann. Chr. 1430.

a Lib. XXIV. ep. LXIV.

b Lib. XXV. ep. IV.

c Lib. V. ep. XXXI.

d Lib. V. ep. XXXII.

e Lib. XVII. ep. II.

ANN. CHR. 1430.

cum ipse quoque velit interesse capitulo. Idipsum repetit decimo kalendas augusti [a], & si scivisset Sebastianum concessurum Venetias, scripsisset amicis suis principibus civitatis.

a Lib. XVII. ep. III.

b Lib. XVII. ep. IV.

c Lib. XVII. ep. V.

Pridie idus octobris [b] rumores varios ferri de capitulo indicto, nihil inde tamen metuendum significat ipsi Sebastiano, sed collectum contra patrem generalem, Johannem de Corneto protonotarium ad capitulum cum reliquis duobus accedere, monachos cœnobii Angelorum etsi vocatos, ad ea tamen comitia non accessuros testatur. Hortatur [c], ut facilem se præbeat in admittenda Camaldulensis sui monasterii reformatione. Audivisse se homines societatis illius, quæ in ejus monasterio congregari consueverat, ad capitulum pergere, & multa contra eum clamare. Quinto idus novembris [d] eidem gratulatur res capituli felicius actas esse, virosque præsidentes non modo non infensos, sed benevolos plurimum fuisse erga illum. Bonam ordinis reformationem optat, vix tamen sperat. Hortatur, ut peregrinari desinat, & ad suum monasterium longo postliminio remeet. Nam regio illa munda est tota, immo civitas ipsa tota ferme quiescit, imminutum esse satis morbum pestiferum, sperarique in dies minuendum magis. Monasterium autem Angelorum divina miseratione hactenus servari integrum. Pridie kalendas decembris [e] reditum Sebastiani suadentibus amicis interceptum agnoscit, sed affirmat præstare magis domi mori pacifice, quam tam molesta peregrinatione vexari. De inhumano hospite ejus (forte priore sancti Mathiæ Angelo Ciera ex priore sancti Gottardi electo in locum Nicolai Thomasii) scripturum se protectori, ut quandoquidem hic accederet Romam pro obtinenda sui confirmatione, attentius morem ingeniumque hominis experiretur, ut dignum si nosceret, promoveret; si secus, ageret, ut sibi videretur. Se respondisse literis Ferrariensis episcopi scriptis ad Sebastianum, nomine tamen suo. Ipse erat Antonius Ferro postulatus & renuntiatus ex abbate Vangaticiensi episcopus Ferrariæ.

d Lib. XVII. ep. VI.

e Lib. XVII. ep. VII.

XLIV. Aliæ ad plures sine nota temporis.

f Lib. XXII. epp. XIX. XX. XXI. XXII.

REFERRI possunt & epistolæ [f] nota temporis carentes datæ ad Philippum monachum, ut putamus Angelorum, quarum prima in cœnum luxuriæ prolapsum suavi exhortatione conatur erigere, & ad pœnitentiam provocare. Altera eumdem, ut ad cor redeat, quam blande ad se invitat. Tertia eidem gratulatur de meliori sensu; quarta demum revertentem ad pœnitentiam & ad monasterium suscipit in alumnum, effusus quammaxime in laudes Sebastiani abbatis, quo agente conversus fuerat ad meliorem frugem.

g Lib. XXIV. ep. LXVII.

Proposuerat Ambrosius [g] anonymo cuidam casum hujuscemodi continentem; mulierem videlicet quamdam, quoniam a viro suo turpissima quædam & flagitiosissima minime pati voluerit, plerumque vapulasse, discessisse etiam ab eodem, rursus autem, cum ad eumdem reversa esset, pejora etiam prioribus turpissimum hominem in eamdem perpetrare, & quod sceleratius videtur, aliis etiam prostituere voluisse, propereaque eamdem mulierem, quo ejus castitas tum a viri, tum etiam a nonnullorum impetitionibus atque insidiis securior sit, cupere a talis viri toro & consortio sejungi, inque monasterium, ubi ab hujuscemodi libidinosorum hominum voluptatibus tuta esse possit, includi. Cui respondet anonymus facta hujusmodi probatu difficillima esse, neque separationem esse licitam sine causæ cognitione, & judicio ecclesiæ. Suadere se, ut mulier inter privatos parietes se contineret, fingeretque esse in monasterio, quod ipsamet sibi præparaverit, operibus orationibusque, quibus maxime animus a corporeis contactibus sejungitur, indulgens. Subdit se non potuisse obtinere

tinere indulgentias & exemptionem ab impositione florenorum mille quingentorum propter malam valetudinem pontificis; cum primum autem dabitur copia domini papæ, se & indulgentias, & exemptionem procuraturum, indulgentias autem quoad religiosos monachos dumtaxat, non autem quoad laicos extraneos.

ANN. CHR. 1430.

ALTER anonymus [a] orationem sub Græca obscuritate conscriptam, quam Aristidem in laudem Athenarum edidisse ferunt, transmittit Ambrosio, præstantissimam eloquentiam ejus in utroque idiomate non mediocriter eruditam amicabilibus precibus obtestans, ut sibi hanc in Latinum sermonem traduceret. Nec tamen orat, ut illam potius quam jacet, excolat, sed quantum sinet proprietas verborum, nihil culturæ addens, nihilque demens, cum sua originali dote coram se comparere permittat, quia non eloquentiam ejus (Ambrosii), quæ proculdubio celeberrima est, tentare vult, sed stylum Græcorum vetusti seculi videre desiderat.

XLV. De Ambrosio clarorum virorum testimonia.

a Lib. XXIV. ep. LXVI.

Lapus Castelliunculus Florentinus [b], dicans Arati Sicyonii vitam ex Plutarcho a se Latine versam Juliano cardinali sancti Angeli, excurrensque in laudes promeritas ejusdem cardinalis, hæc de Ambrosio subdit: „ Nec vero existimes velim hæc a me assentandi gratia dicta, „ nec ex meo tantum sensu esse deprompta. Nam hæc ipse de te, plu„ raque alia ab eruditissimo ac religiosissimo viro Ambrosio amicissimo „ tuo, cujus testimonium puto gravissimum, sæpissime prædicari, & di„ vinis laudibus ad cœlum ferri audivi. “

b Lib. XXV. ep. XXXVI.

Thomas Sarzanensis scribens ex Bononia Nicolao Nicolio die quarta junii [c] recensitis plurimis voluminibus a se visis in bibliothecis, rogat Nicolaum, ut optimo illi & literatissimo viro, & religiosissimo patri fratri Ambrosio se commendatum reddat, eique dicat, quod expectat in reditu suo habere homilias illas Chrysostomi ab ipso traductas, & reliquas, quæ nomine suo scribi mandavit. Sique Laertium ad integrum convertit in Latinum, orat, faciat, ut habere possit. Præterea & in manibus habebat (Ambrosius) Athanasii Alexandrini plura, quæ traducturus erat; quæ omnia ita habere gestit, ut moram tantam jam ægre ferat.

c Lib. XXV. ep. III.

VIDIMUS superius in Ambrosii epistolis congregatum fuisse hoc anno in oppido Burgi-sancti-Sepulcri capitulum generale congregationis. Celebratum ipsum fuit die vigesima-prima octobris [d], & præter Johannem de Corneto, Johannem Siculum, & Christophorum de sancto Marcello locum tenentes Gabrielis cardinalis sancti Clementis, dicti Senensis, qui erat ordinis protector, convenerunt ad ipsum, & in definitores creati fuere Benedictus prior generalis Camaldulensis, Guaspar de Alemannia, & Johannes de Prato-veteri eremitæ, Franciscus Sandellus abbas sanctæ Mariæ ad Carceres, Bernardus abbas sancti Justi de Volaterris, Bartholomæus Anglariensis abbas, & alter Bartholomæus prior Camalduli-Foro-liviensis. Hi approbarunt & confirmarunt constitutionem latam ante quadriennium in capitulo eremi Camaldulensis circa officia Majoris & Sacristæ. Aliud statutum ratum habuerunt, quod nullus eremita reclusionem subeat, nisi fuerit ætatis annorum quadraginta, & prius in eremo Camaldulensi per quinquennium laudabiliter permanserit; nullus item reclusus silvam abietum possit exire; publicata fuit hæc lex die vigesima-nona octobris in monasterio Fontis-boni; manu Guidonis olim Jacobi notarii. In tabulario sancti Petri de Luco [e] extat pagina mandati Nicolosæ abbatissæ ejus parthenonis, quæ impedita accedere ad capitulum generale habendum in monasterio sancti Johannis-evangelistæ de Burgo, commisit

XLVI. Capitulum generale Camaldulensium in Burgo-sancti-Sepulcri.

d §. Statuta 19. A. 5. 5.

e Sac. E. num. 64.

ANN. CHR. 1430.

misit vicem suam Andreæ abbati sancti Hippolyti de Faventia, & Jacobo priori sanctæ Margaritæ de Tosina.

XLVII. Hieronymi Pragensis aliquot opuscula.

IN codice bibliothecæ Camaldulensis legitur sub hoc anno: *Sermo copiosus de sancto Romualdo confessore & eremita sacræ eremi Camalduli editus, ac de novo compositus a domno Hieronymo de Praga dictæ sacræ eremi eremita recluso ad petitionem venerabilium eremitarum præfatæ eremi Camalduli anno ab incarnatione Domini* M. CCCC. XXX. *ut legentes orarent Dominum Jesum-christum Dei filium pro dicto fratre Hieronymo peccatore.* Eumdem sermonem repetiit Hieronymus anno 1433. ad patres Cartusianos Basileæ. In alio ejusdem bibliothecæ codice extat *Sermo de vera & falsa pœnitentia dictatus ad preces Stanislai episcopi Plocensis anno* M. CCCC. XXX. In codice Gaddiano numero 305. in folio habetur: *Sermo domni Hieronymi in festivitate sancti Benedicti abbatis ad quosdam monachos monasterii sancti Benedicti de Pinti prope Florentiam anno Domini* M. CCCC. XXX. *Ejusdem monachi eremi ordinis Camaldulensis de vera & falsa pœnitentia. Ejusdem Pragensis sermo in festivitate beati Romualdi ejusdem primi præceptoris.* In fine legitur:

Ille ego, quem genuit urbs olim pia Pragensis,
Quem tenet inclusum eremus sacra Camaldulensis,
Hos egi sermones magnos tolerando labores,
Sed labor est facilis vestro superatus amore.
Dominum Christum exposcite Hieronymo pro peccatore.

XLVIII. Plurium monasteriorum historica monumenta.

ABBATIA sancti Petri de Rota vallis Ambræ in territorio Arretino magno impetu capta est hoc anno a Senensibus pugnantibus contra Florentinos, ut refert Franciscus Thomasius pronepos Johannis Bandinii de Bartholomæis Senensis in suorum temporum historia apud [a] Muratorium in Scriptoribus rerum Italicarum. Refertur ibidem castrum abbatiæ sanctæ Mariæ de Trivio obsessum fuisse a Florentinis.

[a] T. XX. col. 34.

Ex tabulario sanctæ Mariæ-Angelorum de Florentia Antonius Casinus cardinalis tituli sancti Marcelli capellam erexit in plebe sanctæ Mariæ in Pruneto diœcesis Florentinæ, in qua capellanum instituit, qui altari inserviret, assignata ipsi tertia parte fructuum florenorum 1300. idest 40. quolibet anno. Voluit autem, ut capellani electio pro una voce pertineret ad priorem Cartusiæ, ad priorem Angelorum de Florentia pro altera, plebano Prunetæ pro medietate tertiæ vocis, & camerariis sanctæ Mariæ pro alia medietate, & ut electores convenirent in monasterium Angelorum; sin vero post tres vices diebus tribus distinctis discordarent in electione, transacto mense electio spectaret ad præpositum & ad canonicos cathedralis ecclesiæ Florentinæ.

Congregati homines vallis sancti Eusebii Paduani districtus, Donatus scilicet archipresbyter ecclesiæ sancti Laurentii dictæ villæ, Johannes de sancto Eusebio guardianus fratrum Minorum, decanus ejusdem villæ pluresque alii ultra numerum viginti-duorum ad preces Lucæ prioris monasterii & conventus sanctæ Mariæ de Orbisio, exemerunt hoc anno die nona mensis januarii laboratores ejusdem monasterii ab oneribus & impositionibus statutis vel statuendis ab hominibus communis præfatæ vallis.

Ludovicus Barbus abbas sanctæ Justinæ de Patavio eidem Lucæ priori Orbisii concessit in emphyteusim die vigesima-secunda aprilis hospitale sancti Jacobi de Spata, quod exsurgebat in burgo sanctæ Crucis ejusdem Patavinæ urbis, sub annua pensione unius libræ piperis persolvendæ

dæ suo monasterio, renuntiantibus omni juri suo nobilibus viris Bartholomæo Torculo, Johanne de Zabarellis & Jacobo de Leone. Post viginti-quinque annos appellatur monasterium seu hospitale sanctorum Jacobi & Philippi Burgi sanctæ Crucis ordinis Camaldulensis. Mutato titulo anno *1639.* vocatur ecclesia sanctæ Mariæ de Salute. ANN. CHR. 1430.

Monasterium sanctæ Mariæ de Carceribus obtinebat ecclesiam parœcialem dictam sancti Johannis-baptistæ in Vallibus Patavinæ diœcesis; quia vero conquesti fuerant parœciani, quod Franciscus Sandellus abbas ejusdem monasterii negligebat curam animarum, ideo die quarta martii Martinus V. ipsi præcepit, ut eamdem ecclesiam quantocius de idoneo sacerdote provideret, qui divina celebraret, & ecclesiastica ministraret sacramenta.

Hoc ipso anno idem Martinus V. demandavit Paulo Venerio abbati sancti Michaelis de Muriano, ut interesset electioni plebani sanctæ Mariæ de Muriano, ut legitur in chartula ejusdem monasterii.

Unitas congregationi canonicorum regularium sanctissimi Salvatoris de Rheno abbatias sancti Donati de Polpiano & sancti Bartholomæi de Petrorio asserit Sartius [a] in episcopis Eugubinis.

XLIX. De rebus Burgi-sancti-Sepulcri.

DIEM postremum clauserat anno præterito Carolus Calvus Ariminensis princeps & Burgi dominus. Post ipsius mortem Burgus devenit in potestatem ecclesiæ, ut narrat auctor commentarii rerum Burgensium ad Nicolaum V. „ Carolus, inquit, Calvus Ariminensis princeps major inter fratres natu hoc ipso anno M.CCCC.XXIX. diem clausit, qui Burgi etiam dominatum tenebat. Ei successerunt nepotes ex Pandulpho prædefuncto fratre progeniti, Robertus beatus, & Sigismundus & Dominicus adolescentuli. Ab his cum Martinus pontifex summus requisitus esset, ut vicariatus earum civitatum, terrarumque & rerum, quas progenitores eorum censuario jure a Romana ecclesia possidebant in vita, in renovationis pretium concedi sibi pontifex & relaxari vellet, Cerviam, Burgum-sancti-Sepulcri, Mondavium & nonnullas alias terras concessit. Sic itaque Burgus in ditionem Martini pontificis ea conventione concessit anno incarnationis M. CCCC. XXX. “

Post Robertum comitem de Colle-alto abbatem sanctæ Mariæ Sanævallis de Fullina, legitur abbas ejusdem monasterii Johannes Matthæi filius ex comitibus de Cesana. Ad annum 1421. [b] abbas commendatarius ejusdem cœnobii erat Antonius episcopus Portuensis S. R. E. cardinalis, Bononiensis vulgo dictus, qui die prima martii anni 1429. dictum Johannem abbatem creavit in capellanum suum. Johannis nomen sub hoc anno M. CCCC. XXX. [c] ad diem XVI. octobris legitur in cereo sigillo appenso ad paginam, qua fidem facit de probitate monachi Benvenuti.

L. Primum testamentum Nicolai Nicolii ad favorem monast. Angelorum de Florentia.

IN primis testamenti sui tabulis, quas die 11. junii hujus anni confecit Nicolaus Nicolius, libros suos omnes cœnobio sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia legavit, quarum fragmentum ex archivo Florentino eduxit, publicique juris fecit Cl. Laurentius Mehus: in hæc verba [d] “ Testamentum Nicolai Nicoli &c. Præstantissimus ac literatissimus vir Nicolaus Bartholomæi filius de Nicolis Florentinus civis *&c.* omnes suos libros tam sacros quam gentiles, tam Græcos quam Latinos, aut barbaros, quos undique magna industria, diligentia, studio ab adolescentia nullum laborem subterfugiendo, nullis impensis parcendo coegit, sanctissimo cœnobio sanctæ Mariæ de Angelis, cujus supra facta est mentio, cuique summo studio devotionis afficitur, legavit, cum monachis ibidem Deo servientibus, tum etiam omnibus civibus studiosis usui futuros

[a] *Pag.* 206.

[b] *Num.* 380.

[c] *Num.* 632.

[d] *T. I. pag. XXII.*

Ann. Chr. 1430.

„ ros &c. cujus bibliothecæ custodiam mandavit, ac legavit optimis ac „ peritissimis viris, sibique amicissimis Cosmo ac Laurentio fratribus supramemoratis, Nicolao domini Verii de Medicis, Carolo domini Gregorii de Marsupinis de Arretio, Francho Nicholi filio de Sacchettis, „ Leonardo Francisci Arretino, domino Poggio Ghuccii de Terra-nova, „ Dominico Leonardi Dominici, ser Philippo ser Ugolini Pieruzzi, „ Nicolao Johannis Gori, Francisco Zenobii Lapaccini, magistro Paulo „ magistri Dominici medico &c." Mutavit tamen voluntatem suam Nicolaus anno 1437. ut eo anno dicemus.



APPEN-

CODEX
CAMALDULENSIS

Complectens CONSTITUTIONES *promulgatas tum a* PRIORIBUS, *tum a* CAPITULIS GENERALIBUS *ad disciplinam eremiticam & monasticam fovendam.*

AD annum 1080. B. RODULPHI prioris IV. Camaldulensis Constitutiones habentur a nobis editæ *Tom.* III. *col.* 512. Appendicis horum Annalium.

Ad annum 1085. ejusdem breviores extant T. III. Append. *col.* 542.

Circa annum 1188. PLACIDI prioris generalis Constitutiones edidimus *Tom.* IV. *pag.* 127. horum Annalium.

Ad annum 1249. B. MARTINI III. prioris generalis Constitutiones, seu Consuetudo eremitarum sancti Mathiæ de Muriano leguntur eodem *Tom.* IV. *pag.* 377. Annalium.

Ad annum 1253. ejusdem B. MARTINI Constitutiones Camaldulensis ordinis de MORIBUS in tres libros partitæ nunc primum prodeunt ex codicibus mss. monasteriorum nostrorum.

INCIPIT PROLOGUS IN CONSTITUTIONES CAMALDULENSIS ORDINIS.

Ad librum XLI. n. XII.

FRater Martinus Camaldulensium fratrum servus universis ejusdem congregationis fratribus & sororibus salutem in Domino & humilem servitutem.

Ad reformationem nostri ordinis efficaciter intendere cupientes prælatos nostræ congregationis juxta laudabilem consuetudinem prædecessorum nostrorum curavimus ad generale capitulum Camaldulensis eremi convocare. Habita igitur diligenti deliberatione tam cum ipsis, quam cum fratribus eremitis, præsentes constitutiones ad morum reformationem duximus statuendas, & quædam, quæ in consuetudinibus prædecessorum nostrorum videbantur superflua, & inter se contraria & confusa, resecavimus diligenter. De novo quædam ad conservandum rigorem monasticæ disciplinæ addentes, ut vitia extirpentur, & virtutes in ordine nostro auctore Domino plantentur, & etiam augmententur. Ipsas quoque constitutiones ad dilucidationem & eruditionem sub certis rubricis per capitula studuimus declarare, ut fratres absque labore, quod quæsierint, in ipsis valeant invenire. Anno Domini M. CC. LIII. kalendis octobris.

De modo surgendi & ingrediendi ecclesiam matutinis horis, Cap. I.

IN primis igitur sonante horologio matutinis horis cum matura festinatione surgant fratres, signum sanctæ Crucis suis frontibus imprimentes cum invocatione sanctæ Trinitatis. Deinde dicant versum: *Domine labia*. Postea psalmum: *Deus in adjutorium*. Quo finito dicant: *Kyrie eleison*; *Pater noster*; &c. *Ostende*; *Exurge*; *Ave Maria*; oratio: *Gratias tibi agimus Domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus, qui nos de transacto noctis spatio ad hanc horam perducere dignatus es, quæsumus ut dones nobis hunc diem sine peccato transire, quatenus ad vesperum & semper tibi Deo gratias referamus*. Per interim fratres vigilanter semper attendant, ut unusquisque diligenter stramenta lecti sui reaptet & recomponat. Hæc itaque fratribus surgentibus prima obedientia indicitur pro servanda honestate; & tunc per sacristam lumine ad necessaria naturæ accenso, fratres alternatim ad necessarium vadant cum cucullis, quia sine ipsis ea hora non bene consulitur debitæ honestati; & se caute a parte an-

teriori operiant, in capite caputium tenentes. Tunc sacrista festinus præ ceteris consurgens cum lumine intret ecclesiam, & ante hostium ecclesiæ gradusve altaris genuflexiones & orationes faciat, prout inspiraverit ei Deus; & chori ac psalteriorum lampadibus accensis sonet campanam minorem in campanili, ut moris est, per spatium VII. psalmorum & letaniarum, & sic dimittat: & facto intervallo unius orationis Dominicæ pulset campanam majorem per spatium quinquagesimi psalmi. In XII. lectionibus peracto etiam spatio unius Pater noster, incipiens a minori pulset omnia signa. In ferialibus vero diebus duo minora signa pulsentur, ut moris est. Quibus incipientibus fratres cum lumine eant in ecclesiam ordinate, videlicet præcedente, mediante & subsequente lumine. Venientes ad introitum ecclesiæ in limine sese humiliter inclinent, & dicat unusquisque hunc versum: *Introibo Domine in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.*

De reverentiis & inclinationibus. Cap. II.

VEnientes ante altare fratres profunde inclinent, & hoc idem faciant, quotiens ante quodlibet altare transeunt; & serviens, qui cum candela præcedit, accendat cereum coram majori altari, ad honorem virginis gloriosæ. Cum autem fratres venerint ad loca sua stent versis vultibus ad altare, donec signum campanæ remaneat. Similiter autem stent ante horas diei, & Missas. Finita pulsatione campanæ, faciant tres genuflexiones super formas diebus profestis; festivis autem diebus inclinent se super articulos manuum. Postmodum vero ad nutum abbatis dicant orationes, *Pater noster*, & *Credo in Deum*, inclinati pro tempore; factoque signo ab abbate erigant se omnes, & conversi ad altare signent se; & hebdomadarius incipiat officium beatæ Virginis uno modo per totius anni circulum celebrandum. Quo celebrato hebdomadarius incipiat officium regulare. Cum autem pervenerit ad *Gloria patri*, inclinet vel prosternat se chorus versus chorum reverenter pro tempore usque ad *Sicut erat*. Hoc etiam est faciendum, quotiens *Pater noster* dicitur, nisi ad Missam in XII. lectionibus. Idem etiam faciendum est ad collectas in Missa, & ad omnes orationes facientes de Spiritu-sancto, de beata Virgine, de Pace, de Cruce, & de quolibet Sancto mentionem. Hora itaque prædicto modo incœpta, postquam ad *Gloria* post *Venite*, inclinaverint, stet chorus contra chorum. Deinde ad primum Resp. sedeat chorus secundi cantoris, ad secundum stet, & sedeat alter chorus, & sic alternatim usque ad *Laudate Dominum de cœlis*. Porro ad *Salve sancta parens*; *Veni sancte spiritus*; *Salve regina*, flectimus genua, vel ponimus manus super oram cucullæ. Ad vigilias autem & laudes mortuorum sedere liceat usque ad *Laudate Dominum de cœlis*. In ferialibus quoque diebus manemus prostrati a *Sanctus* usque *Per omnia secula*, ante *Agnus Dei*. In festis vero XII. lectionum manemus prostrati ab elevatione Corporis Christi, usque ad *Per omnia secula*, cui subsequitur *Pater noster*. In elevatione autem corporis Christi super genua consistentes erectis manibus corpus Dominicum adoramus dicendo: Dominus meus, & Deus meus, ave principium meæ creationis, ave pretium meæ redemptionis, ave viaticum meæ peregrinationis, ave principium meæ retributionis, amen. Quibus dictis incumbant super formas, ut dictum est & orent. Quando vero prælatus injunxerit alicui aliquam communem orationem, inclinent omnes. Similiter omnes faciant, quibus aliquid facere vel dicere injunxerit. Si vero aliquis obedientiam vel officium aut ministerium aliquod cuilibet injunxerit, humiliter prosternens se suscipiat, quod injunctum fuerit ei. Quando etiam fratri quidpiam, ut vestimenta, vel alterius necessariæ rei tribuitur, profunde inclinet dicens: Benedictus Deus in donis suis &c. Quicumque autem transierit subditus coram prælato, inclinet ei reverenter; & si prælatus transierit coram eo, assurgat ei, & inclinet profunde semper & ubique.

De pulsatione campanarum. Cap. III.

PUlsato ad vigilias diebus ferialibus horologio, sacrista pulset minorem nolam nolarii per spatium VII. psalmorum & litaniarum, & facto intervallo unius Pater noster, reincipiat a minori nola, & facta aliqua pulsatione pulset cum eadem aliam campanam majorem, & sic faciat duplum per spatium psalmi *Miserere*, & sic dimittat primam campanam, & post paululum dimittat secundam campanam, & sic per omnia faciat in vesperis.

Ad Laudes vero pulset campanam horologii per spatium quinquagesimi psalmi a kalendis novembris usque ad pascha; facto intervallo competenti pulset mediam cam-

campanam per spatium *Laudate pueri*. Et dicta Prima regulari, campana mediana pulsetur, ad Missam a kalendis octobris usque ad pascha; nam per totum mensem octobris cum ceperit illucescere, sonet ad Primam nolam de choro.

Ad secundam pulsetur nola de claustro, & facto congruo intervallo sonet secundam campanam nolarii per spatium unius *Pater noster*; & pulsata campana recipiatur Aqua-benedicta.

Ad Tertiam pulsetur campana mediana per spatium quinquagesimi psalmi, morose tamen dicendi, ab idibus septembris usque ad pascha præter dominicales dies.

Ad Sextam pulsetur campana de claustro per spatium psalmi *Verba mea*, & facto intervallo pulsetur secunda campana campanilis per spatium unius *Pater noster*.

Ad Nonam pulsetur campana claustri per spatium psal. *Verba mea*, & facto intervallo pulsetur major campana campanilis per spatium quinquagesimi psal. morose plurimum decantandi; & si major fuerit nimis grandis, pulsetur mediana.

Ad Vesperum pulsetur campana claustri per spatium quinquagesimi psalmi, & postea in campanili, ut dictum est in vigiliis.

Ad Completorium pulsetur minor campana campanilis per spatium quinquagesimi psalmi, & fiat collatio præsente lectore. Qua facta fratres eant in ecclesiam, & pulsetur nola chori, & dicatur Completorium.

In XII. lectionibus ad vigilias, ut dictum est, ferialibus diebus, pulsata minori campana campanilis, & facto intervallo unius *Pater noster*, sonet campana major per spatium quinquagesimi psalmi; & facto intervallo incipiatur a campana minori, & pulsentur omnia signa simul.

Ad Primam pulsetur campana horologii per spatium quinquagesimi psalmi, & facto congruo intervallo pulsetur major campana nolarii per spatium unius *Pater noster*, morose valde dicendi; & tunc fratres Aqua-benedicta recepta intrent ecclesiam & dicant Primam. Ad Missam pulsato signo claustri pulsetur campana major, ut dictum est ad Primam; & dicta Tertia pulsentur omnia signa, & dicatur Missa, quando comestio non geminatur. Ad Sextam, & Nonam & Completorium pulsetur, ut dictum est superius. Ad Vesperum pulsetur, sicut dictum est in vigiliis. In sollemnitatibus quoque pulsato ad vigilias horologio; accipiat sacrista solacium assignatum sibi fratrem, & incipientes a minori pulsent ad duplum simul per ordinem omnia signa. Deinde facto intervallo pulsent duo signa majora, & in ultimo sonent ad duplum omnia signa. Eodem quoque modo pulsetur in vesperis; in laudibus vero, Prima, Missa, Sexta, Nona, Completorioque pulsetur, ut dictum est in XII. lectionibus. Et post Missam in sollemnitatibus pulsentur omnia signa.

De Abbate. Cap. IV.

ABbas debet primum & proprium locum in choro, in capitulo, dormitorio, atque in refectorio habere, lectiones terminare, octavum Resp. cantare, XII. lectionem legere, Te Deum laudamus incipere, evangelium legere, Pater noster in matutinis & vesperis cunctis audientibus dicere, in Prima, & ante Completorium confessionem facere in hunc modum. *Confiteor Deo omnipotenti, beatæ Mariæ semper virgini & omnibus Sanctis, & vobis fratribus, quia peccavi nimis cogitando, loquendo, operando & obmittendo, mea culpa, unde precor beatam virginem Mariam, & omnes Sanctos & Sanctas Dei, & vos fratres, ut oretis pro me Dominum nostrum Jesum Christum. Misereatur vestri omnipotens Deus & dimissis omnibus peccatis vestris perducat vos ad vitam æternam*. Quem modum alii teneant universi & sacerdotes ante Missam. Debet etiam abbas sollemnitatum & festivitatum, si potuerit, nec non & Missas defunctorum principium decantare, & pœnitentias injungere culparum. Similiter quem voluerit promovere & degradare. Cetera potest intus & foris injungere, & absolvere, & confessiones recipere, Aquam benedictam hospitibus, & post Completorium de ecclesia exeuntibus dare. Et sciendum, quod cum abbas alicui aliquid negaverit, ab alio idem petere non præsumat. Si quis vero a cellerario aliquid petierit, quod ei dare noluerit, si illud idem postea a priore postulaverit, videat, ne illi cælaverit, id sibi cellerarium denegasse. Similiter, qui abbatem super aliqua re convenerit, quam ei prior dare noluerit, nullatenus omittat, quin in ipsa petitione dicat abbati, priorem id sibi denegasse; qui autem aliter præsumpserit, doli se reum esse noverit. Et notandum, quod quando monachi osculantur abbatem, post osculum ei reverenter inclinent. Hujusmodi quidem pacis osculum in monaste-

rium ordinis nostri venienti de via non porrigimus, nisi prius oraverit.

De Priore & Subpriore. Cap. V.

PRior in ecclesia, vel subprior, si ibi est, in sinistro cornu chori debet stare, similiter in capitulo & ad mensam in sinistra parte debet sedere, hebdomadam invitatorii facere, octavam lectionem legere, tabulam quotiens expedierit pulsare, septimanam coquinæ præsente abbate facere, & in absentia abbatis capitulum tenere, correctiones & absolutiones facere ordinatas, & conventum regere; præsente autem & absente abbate intus & foris de omnibus & in omnibus pro voluntate abbatis se agat, excepto quod nullum promovebit, vel degradabit, vel ordinare faciet sine licentia abbatis, nullum in gravi culpa mittet, aut inde absolvet, nec novitium recipiet, nisi jusserit abbas, nec confessionem de criminalibus recipiet nisi in extremis. Si autem abbas defuerit, prior benedictiones intus & extra ecclesiam det, *Pater noster* dicat, & lectiones terminet, *Te Deum laudamus* incipiat, & evangelium legat. Hæc omnia faciet armarius abbatis, absente priore, qui subprior in locis, ubi priores prælati sunt, vocabitur. Debet autem prior lectiones auscultare, & psalmos incipiendos a suo latere intonare. Statuimus etiam, quod prior vel subprior, absente prælato, in præcipuis sollemnitatibus, si prior ipse impeditus in Vesperis, Laudibus & Tertiis officium suum nequiverit adimplere, alii committere possit officium suum; qui quamquam paratus sit, si fuerit ex latere suo, stet juxta ipsum priorem, & prior in loco suo permaneat, & ad processiones & ad gratiarum actiones post omnes fratres incedat, absente abbate.

De Armario abbatis. Cap. VI.

ARmarius abbatis debet stare in choro post abbatem, antiphonas & Resp. abbati nuntiare, & Resp. octavum cum eodem cantare, psalmos incipiendos a suo latere intonare, & *Kyrie eleison* per horas diei & noctis incipere, ferialibus diebus ad Missam, *Kyrie eleison*, *Sanctus & Agnus Dei*; antiphonas ad Benedictus & Magnificat incipere, Resp. mortuorum & repetitiones eorum inchoare.

De Sacrista. Cap. VII.

SAcrista debet horologium temperare, ita quod ad vigilias & Laudes possit hora competenti sonare, & postquam surrexerit, lumen dormitorii clarescere faciat. Ad ipsum enim pertinet omnia ipsius ecclesiæ ostia, quotiens necesse fuerit, firmare, claudere & aperire, & omnes horas sonare, candelas & cereos facere & custodire, & ubi expedierit, stolam & virgam pastoralem, quotiens abbas voluerit, præparare, candelas & ramos olivarum post evangelium recipere, ad inungendum stuppam vel pannum lineum portare, & post tersionem comburere super profusorium, ad benedictionem coronæ novitiorum abbati adesse, & capillos in aliquo secreto loco ecclesiæ comburere. Textum, Missale, vasa, vestimenta, lintea vel cetera utensilia in ecclesia & ad altare necessaria præparare & conservare, & quotiens expedierit mutare; corporalia, offertoria, tersoria, quibus digiti sacerdotis post communionem terguntur, & pallam altaris, super quam extenditur corporale, in vase ad hoc deputato separatim lavans, & singulas lavaturas in profusorium projiciens, pallam quidem cum ceteris linteis lavandam in sacrario reponat, & corporalia abluat; quibus lotis & diligenter exsiccatis indutus alba cum petra, quæ vulgo lica vocatur, eadem poliat & complicet, & complicata recondat. Similiter hostias alba indutus faciat, cui unus de fratribus subministret, & cum eas faciunt, non loquantur. Quæ cum peractæ fuerint, sacrista convenientes ab inconvenientibus studiose secernens in loco mundissimo conservet. Quæ si forte aliquando humectatæ fuerint, in claustro convenienter exsiccet; sunt autem hostiæ sex vicibus ad minus renovandæ in anno, videlicet circa festum nativitatis Domini, in initio quadragesimæ majoris, circa festum Resurrectionis, Pentecostes, Assumptionis sanctæ Mariæ & omnium Sanctorum. Semel autem in hebdomada ampullas & vasa ministerii sui abluat diligenter. Pavimentum quoque chori & presbyterii ecclesiæ semel in hebdomada scopis emundare procuret.

De Camerario. Cap. VIII.

CAmerarius eligatur de ipsa congregatione sapiens, maturus moribus, qui omni congregationi sit sicut pater &c. sicut beatus Benedictus in regula sua dicit. Horis competentibus tribuat, quæ tribuenda sunt, ut nemo perturbetur, sed consolentur omnes in domo Dei. Ubi autem sunt sex monachi, obedientiales sint monachi vel conversi. De victu quotidiano fratribus provideat juxta possibilitatem loci, & nostri ordinis consuetudinem

dinem approbatam. Provideat autem, ut fratres misericordias habeant consuetas, & pulmenta duplicia, ut in beati Benedicti regula continetur. Et si fuerint inde poma vel nascentia terræ, addatur & tertia. Curam autem ferramentorum & aliorum utensilium, quæ sunt in domo, habeat; ut emat fideliter, & distribuat vestimenta & calceamenta fratrum; agri culturam, vineam, hortum, & alia monasterii opera intus & extra studeat sollicite procurare. Omnia tamen ad jussionem abbatis faciat, a quibus cum prohibuerit, non præsumat; introitum & exitum scribat, & abbati suo in capitulo qualibet hebdomada vel mense reddat plenariam rationem. Et ipse & alii officiales in capite anni officia sibi commissa resignent in manibus prælatorum; prælati vero ipsis vel aliis committant eadem officia cum consilio fratrum suorum; & qui retinuit ultra annum statim post hujusmodi constitutionem debeat resignare.

De Cellerario. Cap. IX.

CEllerarius curam habeat fratribus sollicite ministrare, frumentum bene mundare, panem facere bonum, bene coctum & fermentatum; refectonariis monachorum & conversorum hora competenti tribuere, vinum bonum fratribus procurare, ne sua negligentia corrumpatur, sed purum pro fratribus conservetur; res sibi commissas fideliter custodiat, & utiliter distribuat; ad nutum abbatis hospites tam ipse, quam camerarius & alii ad hoc idonei cum honore suscipiant, & eis juxta bonam loci consuetudinem hilariter providere, præcipientes conversis & servientibus, qui morantur exterius, ut honorifice assurgentes & occurrentes hospitibus, res & evectiones eorum recipiant & conservent, grata semper servitia impensuri. Festinanter quoque nuntientur hospites abbati, priori, vel camerario seu cellerario per conversos vel servitores exteriores, ut eis obviantes congruum honorem valeant exhibere, ut per hoc Deus glorificetur, monasterium honoretur, & totus ordo merito commendetur.

De Refectonario. Cap. X.

REfectonarius eligatur de congregatione diligens & fidelis, ut diligenter & fideliter fratribus deserviat, post capitulum panem in refectorium portet, exornet mensas, panes sub gausape mundissima reponat, ostia & fenestras ita studeat obserare, ut muscipulæ fratribus absentibus refectorium non valeant introire. Si prandii dies fuerit, post Tertiam vinum in refectorium afferat, cyathi autem nullo modo ponantur in refectorio, nec bibatur cum eis in conventu, obbas fratrum ad singulorum loca munde reponat & impleat, paropsides & coclearia monachorum teneat, ante Tertiam paropsides ad numerum coquo tribuat, & post prandium lotas ab eodem coquo recipiat; post Nonam æstivo tempore ad bibendum præparet vinum in refectorio, & post vesperas tempore jejunii; fratres vero sedeant in claustro vel legant, donec vino preparato refectonarius cymbalum pulset. Si vero cœnaturi sunt fratres, post vesperum vinum & panem & alia necessaria præparet, ut sufficienter possit addere omnibus, qui recipere voluerint; & servitor panem ante utramque mensam sine aliquo signo deponet, ut libere possit accipere quicumque voluerit ab eodem, scopis mundans pavimentum quolibet die sabbati, teneatque sindones & linteos mundos.

De Hebdomadario & Lectore. Cap. XI

FInita hora Sexta hebdomadarius coquinæ & lector mensæ, & refectonarius eant in refectorium, & tunc hebdomadarius ponat primum pulmentum coopertum scutella, incipiens a mensa abbatis, postea afferens duas scutellas isthac, & duas illac, & sic usque ad ultimum. Finita itaque hora Sexta fratres exeant de ecclesia more solito, & maneant in locis suis, usquequo prior claustri cymbalum tangat. Sonante vero cymbalo a priore tribus percussionibus distincte datis, tunc fratres abluant manus suas. Incipiente vero abbate abluere manus suas, omnes fratres simul in refectorium vadant, & unusquisque contra Crucem in loco suo inclinet. Veniente autem abbate omnes fratres inclinent ei, hebdomadarius vero discooperiat paropsidem abbatis. Abbate vero faciente signum omnes fratres faciant ante se reverentiam; sonante signo omnes fratres sint contra Crucem revoluti, dimisso autem signo omnes dicant *Benedicite*, & sic canant, Vers. *Oculi omnium*; & statim dicto Vers. cum inceptione *Gloria Patri*, incurvetur chorus contra chorum dicentes *Gloria Patri*, *Kyrie eleison*, & *Pater noster* cum silentio. Cum autem sacerdos dixerit *Et ne nos*, erigat se & stans versus principalem mensam dicat *Oremus Benedic Domine dona tua &c.* & faciat ✠ & sic compleat totam benedictionem. Qua completa lector in medio accedat, & benedictionem petat stans; qua petita incurvet se,

& ipse & fratres maneant curvi, usquequo benedictio fuerit data lectori ab abbate; qua data lector vadat ad legendum, & fratres ad sedendum. Nullus denique audeat antea manducare, quam lector incipiat legere, & abbas manducare. Ipse tamen festinet. Si quis frater ad mensam cum aliis fratribus non occurrerit, & fratribus sedentibus postea supervenerit, ad mensam nullo modo accedere audeat, nisi jussus, qui veniens contra mensam abbatis inclinet, & sibi humiliter innuat, quatenus ab eo licentiam accipiat; qua accepta & versus dicat, & versus Crucem facta reverentia ad mensam pergat.

De Portario. Cap. XII.

POrtarius post Primam vadat ad portas, vel ante, si necesse fuerit, ubi autem sunt septem monachi, sit portarius; cum autem hospes vel aliquis pulsaverit, responso *Deo gratias*, januam aperiat, & postquam benedixerit, humiliter quis sit, vel quid velit, ab eo requirat; & quem recipiendum viderit intra januam, recipiat, vel nunciet hoc abbati vel priori.

De Infirmario. Cap. XIII.

INfirmarius sicut alii officiales ordinetur a prælato de consilio fratrum; ordinatus autem officium sibi commissum caritative recipiat, & infirmis tamquam Christo & hospitibus monachis devote studeat ministrare. Nec liceat alicui fratri obedientiam hujusmodi vel aliam contumaciter recusare; quique recusare præsumpserit, per prælatum acrius castigetur.

De Infirmis. Cap. XIV.

INfirmis fratribus tam monachis, quam conversis ita diligentissime serviatur, sicut in regula cap. XXXVI. continetur. Quibus ita servitia præcipimus exhiberi, quemadmodum Jesu-Christo; quæ servitia in nostris monasteriis infirmis fratribus per monachos volumus exhiberi; videlicet ut in quolibet monasterio unus frater diligens ac sollicitus ad obsequia facienda infirmis deputetur. In minoribus autem monasteriis, in quibus pauci sunt fratres, conversus vel ordini nostro idoneus infirmis fratribus concedatur, camerarii vero & cellerarii, prout eis melius videbitur expediri, necessaria studeant efficaciter exhibere, etiam si monasteria ipsa propter infirmos oporteat debitis obligari. Sed et ipsi infirmi considerent in honorem Dei sibi serviri, & non superfluitate sua contristent fratres suos sibi servientes. Curam autem habeat quilibet prælatus nostri conventus, ne a servitoribus negligantur infirmi, & non prætereat quin semel in die prælatus visitet fratrem infirmum, & de suis necessitatibus diligenter inquirat, & eadem sibi faciat tam hilariter, quam efficaciter exhiberi. Cum humana fragilitas probetur multis casibus subjacere, aliquando enim frater patitur infirmitatem manifestam, aliquando occultam, volumus, quod si frater aliquis dicit abbati aliquando se esse debilem vel infirmum, & petit sibi fieri misericordiam, licet non appareant in eo signa manifesta, tamen propter nimium laborem seu abstinentiam, vel aliis modis debilitatur, & etiam infirmatur, debet prælatus credere ei, quia si religiosus frater non debilitaretur, nequaquam sibi misericordiam peteret exhiberi: unde volumus, quod tali petenti misericordiam a prælato subveniatur usque ad reparationem, sicut regula dicit. Si autem aliquis ex gulositate talem sibi misericordiam peteret exhiberi, nequaquam sibi misericordia concedatur; quod satis leviter cognosci potest, puta si bene comedat, bene dormiat, huc & illuc quandoque vadat.

De officio Infirmorum. Cap. XV.

QUi sunt in itinere vel infirmitate gravati, seu labore alio constituti, non teneantur, nisi regulare officium, & beatæ Virginis dicere. Infirmo quoque hoc ipsum dicere non valenti dicat infirmarius vel alter ad hoc deputatus.

De modo Professionis. Cap. XVI.

STatuimus, quod professio uno modo per totum conventum fiat, & qui recipiuntur pro monachis, priori Camaldulensi obedientiam promittant, & qui non fecerit, de monasterio expellatur, nisi admonitus ad præceptum domini prioris Camaldulensis vel sui visitatoris rursus fecerit; & si prælatus aliquis talem contumacem sine licentia recipere præsumpserit, secundum arbitrium domini prioris Camaldulensis, vel sui visitatoris tamquam contumax debeat acriter puniri.

De Novitiis recipiendis & eorum professionibus. Cap. XVII.

NOviter quis veniens ad monasterium, non ei facile tribuatur ingressus, sed ei dura & aspera præmittantur, patienter autem respondentem per se vel per alios, qui apti sunt ad lucrandas animas, diligenter abbas examinet de moribus et scientia; qui coram prælato adductus in capitulo prostratus veniam

petat,

petat. Interrogatus a prælato, *Quid quæris?* respondeat *Misericordiam Dei et vestram*; tunc dicat *Peto recipi ad ordinem vestrum pro remedio animæ meæ*. Et prælatus respondeat *Dominus det tibi perseverantiam in hoc proposito*, & fratres respondeant *Amen*. Tunc recipiatur ad probationem, & assignetur sibi tempus probationis per totum annum. Quod si instanter tempore probationis se obtulerit professioni faciendæ, si idoneus est, recipiatur ad professionem in hunc modum.

Ego frater N. promitto stabilitatem meam & conversionem morum meorum & obedientiam secundam regulam beati Benedicti, & statuta Camaldulensis ordinis, in congregatione Camaldulensi, coram Deo & Sanctis ejus, in præsentia domni N. abbatis talis loci & aliorum fratrum.

Nullus autem recipiatur, nisi requisitus, utrum sit conjugatus, an servus, an ratiocinii obligatus, vel alterius professionis, aut etiam occultam habeat infirmitatem; quod si alterius professionis fuerit, non recipiatur in ordine nostro.

De Conversis clericis. Cap. XVIII.

COnversi clerici in dormitorio, refectorio, in capitulo cum monachis non morentur, exceptis iis, qui sic jejunant ut monachi, vel quos fratrum paucitas in refectorium cogit admitti.

De personis non recipiendis ad monachatum. Cap. XIX.

NUllus recipiatur in monachum, nisi sciat cantare vel legere, vel sit aptus ad discendum, & quartum-decimum annum impleverit.

De Patronis non recipiendis. Cap. XX.

VOlentes animarum saluti, & paci ac tranquillitati nostri ordinis providere, statuimus, ut nullus in monasterio recipiatur, per quem monasterio causa consanguinitatis possit scandalum generari. Patroni quoque, si ad ordinem nostrum venire voluerint, & idonei reperti fuerint, recipiantur quidem ad ordinem in aliis monasteriis, sed non in eis, unde patroni existunt. Prælatus vero hoc statutum transgrediens per LX. dies suspensus ab officio Camalduli commoretur.

Ut de nobilitate nullus superbiat. Cap. XXI.

STatuimus, quod nullus occasione generositatis vel amicorum suorum superbiam in monasterio, in quo moratur, audeat exercere; quod si contrafecerit, post trinam admonitionem, si non emendaverit, tribus diebus jejunet in pane & aqua; & si in contumacia perseveraverit, Camaldulum transmittatur, alibi collocandus. Si autem quis pro aliquo negotio auxilium secularium postulaverit, in gravi culpa ponatur, & sua petitio nullatenus admittatur.

De Silentio. Cap. XXII.

IN omnibus claustris ordinis nostri, ubi sunt duodecim monachi, a duobus lateribus claustri prælati arbitrio disponendis continuum silentium observetur; ubi non sunt infra dictum numerum, habeant unum latus ad silentium deputatum. In quadragesimæ diebus, & aliis extra quadragesimas usque ad capitulum debeant retinere; secundæ vero tempori bus congruis, ubi sunt sex monachi, fiant. Si autem conversi habent refectorium, ita quod cum eis laici non misceantur, silentium, dum comedunt, debeant retinere. In dormitorio quoque, refectorio & choro perpetuum silentium habeatur; & a completorio usque ad sequentis diei solutum capitulum teneatur, nisi hospitum necessitas officiales quosque loqui coegerit pro utilitate hospitum procuranda. Si quis nempe hujusmodi silentii violator extiterit, prima vice in capitulo satisfaciens recipiat *Miserere mei Deus*; secunda vice tres psalmos, tertia vice disciplina graviori mulctandus, prout prælati discretio proterviam inspexerit delinquentis. Item statutum est, quod horis & locis incompetentibus non jungantur, nec etiam colloquantur fratres. Monasterium vero ordinatum vocamus, ubi sunt XII. monachi vel plures, quia in eo potest rigor nostri ordinis perfecte servari. Ubi vero X. sunt fratres, quamvis non ita, tamen possunt ordinem competenter tenere. Octo etiam fratres officium, silentium, & quosdam alios ordines videntur posse tenere; quæ omnia sancimus, ut firmiter & inviolabiliter studeant observare. Ubi vero sex sunt fratres, jejunium faciant, & stabilitatem observent in claustro diebus dominicis & sollemnibus. Quinque autem fratres, seu IV. vel III. officium faciant integre, silentium ab hora collationis usque ad capitulum sequentis diei solutum studeant retinere.

De locis, ubi conversi tenent Silentium. Cap. XXIII.

IN quibuscumque officinis tenent silentium monachi, teneant & conversi, & in dormitorio suo, & in eodem refectorio constitutis horis pariter conveniant ad

ad edendum. Transgressores autem pro qualibet vice sint semel in pane & aqua.

De Jejunio monachorum. Cap. XXIV.

FRatres nostri ordinis secundum regulam jejunent. In pane & aqua eos jejunare non cogimus, nisi in parasceve, & vigilia omnium Sanctorum.

De Jejunio conversorum. Cap. XXV.

COnversi ordinis nostri ab idibus septembris usque ad Resurrectionem Domini feria VI. jejunent, cum duabus quadragesimis & aliis jejuniis ab ecclesia constitutis, debilitate aut æstivo fervore cessantibus.

De Comestione inordinata. Cap. XXVI.

INhibemus; ne quis conversus præsumat extra regulares horas manducare, nisi pro necessitate aliqua seu labore, nisi prælatus aliter duxerit dispensandum.

De Confessione. Cap. XXVII.

ABbas & monachi semel in hebdomada confiteantur, si copiam habeant confitendi. Conversi, qui morantur in abbatiis, idem faciant; qui vero in curtibus sunt, quotiens tenetur eis capitulum, confiteantur; nihilominus tam monachi, quam conversi semel ad minus in anno prælatis suis pure & fideliter confiteri non obmittant, vel alicui de speciali mandato eorum. Si autem confessor invenerit aliqua gravia, quæ indigeant dispensatione abbatis, inducat confitentem, ut hoc revelet abbati, aut ipse confessor de licentia confitentis hoc faciat, nomine tamen illius non expresso. Ceteris vero temporibus anni confiteantur monacho sacerdoti honesto & discreto, quem constituerit ei abbas, nec ad aliam personam accedant. Et si aliam personam sine licentia abbatis adire præsumpserint, pro qualibet vice abstineant in pane & aqua; & talis pœnitentia irrita sit & nulla, nisi in tanta necessitate fuerit constitutus, quod ad illam statutam personam recurrere nequiverit tempore opportuno.

De Sigillo confessionis. Cap. XXVIII.

QUicumque peccata sibi per confessionem aperta revelare præsumpserit quocumque studio, arte vel ingenio hoc fecerit, anathema sit.

De Organo. Cap. XXIX.

STatuimus, & sub pœna excommunicationis præcipimus, quod deinceps prælati & monachi in choro nullatenus organizent, nec alios organizare permittant, sed consonis vocibus & modulatis officia divina decantent, servientes Domino in timore. Biscantare tamen possint firma nota, interdictis aliis omnibus modulationibus, quibus uti per se vel per alios nullo modo debeant, propriis vocabulis monasteriorum non intellectis, in quibus si voluerint, per alios, quam per monachos possint uti.

De Missis dicendis. Cap. XXX.

ORdinamus, quod quilibet sacerdos omni die, vel saltem non transeat biduum vel triduum*, aut septimana, quin dicat Missam nisi pro manifesta & justa remaneat causa. Si contumax fuerit, pro qualibet vice in pane & aqua per unum diem jejunet; nam & si dicit se esse indignum, quod non possit Missam celebrare, debet confiteri peccata sua suo seniori, ut efficiatur dignus. Et hoc etiam dicimus de prælatis, quando habent otium & opportunitatem.

Quibus diebus communicent monachi, qui non sunt sacerdotes. Cap. XXXI.

MOnachi, qui non sunt sacerdotes, communiter quolibet die Dominico, vel saltem ad minus in mense, conversi vero quater in anno communicabunt, in die scilicet Resurrectionis, Pentecostes, in festo omnium Sanctorum, & Nativitatis Domini.

De forma Obedientiæ. Cap. XXXII.

STatuimus, quod in monasteriis nostri ordinis talis forma & modus in obedientia conservetur; quod primo loco omnes tam majores, quam minores, qui in monasteriis commorantur, prælato monasterii in omnibus & per omnia secundum regulam beati Benedicti & consuetudinem Camaldulensem studeant obedire. Secundo loco præpositis & aliis officialibus, qui ab abbate in monasterio constituuntur, ab omnibus inferioribus obediatur, & eis faciat abbas tamquam sibi obedientiam exhiberi. Quod si aliquis in hoc vitio fuerit inventus, & admonitus se non correxerit, primo loco ponatur in gravi culpa; si autem propter hoc se non emendaverit, in graviori culpa ponatur. Et si adhuc in sua contumacia perseveraverit, etiam de monasterio expellatur. Prælatus tamen in dandis & conferendis obedientiis debet cum discretione omnia facere, & Deum præ oculis habere; cui de suis actibus est redditurus in die ultimi examinis rationem.

De

De iis, qui nolunt ad sacros ordines promoveri. Cap. XXXIII.

STatuimus, quod prælati secundo tertiove commoniti, si noluerint ad sacerdotium promoveri, per hebdomadam in gravi culpa ponantur, & si sequentibus quatuor temporum jejuniis ipsum ordinem non receperint, deponantur; subditi vero semel & secundo commoniti, si sacerdotium non receperint, per duas hebdomadas in gravi culpa ponantur; & si sequentibus jejuniis ipsum ordinem non receperint, per tres hebdomadas in gravi culpa ponantur, & sic ad aliud monasterium transmittantur, dictam pœnitentiam quibuslibet jejuniis quatuor temporum peracturi.

De negligentia prælatorum. Cap. XXXIV.

CUm negligentiæ vitium auctoritate novi & veteris Testamenti in omnibus gravissime puniatur, ab omnibus generaliter & maxime a prælatis sanctæ ecclesiæ, quibus est animarum cura commissa, est sollicite præcavendum. Nihil enim est pene, quod magis debeant formidare prælati, quam vitium negligentiæ. Ipsi enim in districti examinis die non tantum de animabus suis, sed etiam de omnibus sibi commissis redditури sunt rationem; unde statuimus, quod si prælatus in celebrandis per se divinis officiis, & per fratres suos fieri faciendis, in provisione infirmorum, in observatione jejuniorum, in auferendo a subditis inordinata, & inordinatus in se, in vestibus, in moribus, & in amovendis & introducendis fratribus, regularibus disciplinis, & eorum excessibus corrigendis, & in spiritualibus & temporalibus pertractandis negligens repertus fuerit, per priorem Camaldulensem, vel ejus visitatorem graviter puniatur, & in gravi culpa ponatur per xv. dies.

De sollicitudine, quæ debet haberi circa correctionem. Cap. XXXV.

STatuimus, ut sicut in nostri conventus monasteriis reformandis, & in prælatis & subditis corrigendis ex officio nobis commisso tenemur omnimodam sollicitudinem adhibere, sic & quilibet nostri ordinis prælatus in monasterio sibi commisso necessarias correctiones in monachos & conversos facere teneatur, extirpando vitia, & plantando virtutes. Nec præsumat prælatus amore vel odio, aut favore aliquo peccata eorum palpare, aut eos in suis vitiis enutrire. Qui si in hoc negligens fuerit inventus, aut fraudem commiserit, vel collusionem aliquam cum eis fecerit, tempore visitationis vel in capitulo generali vel particulari sciat se gravissime puniendum vel corrigendum, & insuper eamdem pœnam, quam subditus pati debet pro vitio, eamdem ipse patiatur.

Studeant autem prælati in suis suffraganeis, & in ordinatione & reformatione suarum domorum, tam capellarum, quam monasteriorum eamdem sollicitudinem adhibere, quam in propriis domibus servare tenentur. Ideo enim jurisdictio & cura ecclesiarum commissa est eis, ut eas collabi vel destrui non permittant, sed eas studeant in spiritualibus & temporalibus informare, & in statu suo congruo conservare. Qui vero fuerit negligens in correctionibus faciendis, in suis ecclesiis reformandis, & infra terminum a priore Camaldulensi vel ejus visitatore præfixum suam non studuerit negligentiam emendare, ex tunc prior Camaldulensis vel ejus visitator supplere ejus negligentiam non postponat, & illa vice correctio & reformatio dictæ domus vel ecclesiæ, personarum & rerum, in spiritualibus, & temporalibus devolvatur sibi, & patrem majoris monasterii secum ducat, ut eo præsente, & cum ejus consilio correctionem & reformationem faciat. Hoc tamen ita statuimus, quod sub prætextu hujusmodi correctionis seu visitationis nullum præjudicium fiat monasterio, ad quod jurisdictio, vel correctio seu dispositio illius spectat; nec domui Camaldulensi propter talem visitationem aliquid jurisdictionis vel proprietatis, magis quam antea habebat, accrescat. Sed hac visitatione ac correctione peracta prælatus, ad cujus jurisdictionem domum pertinet visitare, plenam habeat visitationem & correctionem, sicut antea habebat; ita tamen quod visitator injungat majori prælato, quod ea, quæ in illa domo præcipit esse servanda, inviolabiliter faciat observari; & si in hoc dictus prælatus esset negligens, visitator possit extendere manum suam, & negligentiam ejus supplere, & prælatum & subditos illius de negligentia & contumacia illius domus punire. Et si iterum dictus prælatus esset negligens, & admonitus se non correxerit, liceat priori Camaldulensi vel ejus visitatori eum de sua negligentia punire, & ejus negligentiam supplere, dictam ecclesiam visitando & reformando, jure matris semper in suo statu firmiter permanente. Et hoc dicimus, non ut de jure alterius sub tali prætextu velimus aliquid usurpare, sed per quosdam præ-

prælatos, qui negligentes sunt in suis suffraganeis corrigendis, propter quod Camaldulensis noster ordo sæpius infamatur; unde cum totus conventus Camaldulensis sit dispositus tamquam corpus unum sub uno capite, & cum corpus capiti, & membra corpori sint unita, sive per caput, sive per majora membra disciplina religionis monasticæ derivatur. Debet ergo prior Camaldulensis vel ejus visitator ducere majorem prælatum ad filiam ejus & discutiat, utrum illa domus correctione indigeat, an non, & ille cum eo ire teneatur, & cum eo ordinet, qualiter reformatio illius domus fieri possit. Et si forte cum eo ex malitia vel negligentia ire nollet, vel aliqua causa præpeditus ire non posset, tunc prior Camaldulensis vel ejus visitator potestatem habeat accedendi ad locum, & examinandi, & tam prælatum, quam subditos illos interdicto subponere, & per censuram ecclesiasticam coercere. Potest etiam visitator, quando transit per loca, ubi domus suffraganea posita est, declinare ad dictam domum; & inquirere, & etiam examinare, ut sciat utrum dicta domus maneat in bono statu vel malo, utrum indigeat correctione vel non; & si correctione indiget, denunciet majori prælato, qui eam reformare & corrigere non postponat, denuntiando sibi excessus eorum: talia & talia fecerunt, corrige eos; qui si fuerit negligens, ex tunc ipse habeat potestatem corrigendi eos, ut dictum est. Statuimus etiam, quod quilibet prælatus nostri conventus, non tam monasteria sibi suffraganea, sed etiam plebes & capellas sibi subjectas in suo statu corrigere debeat & reformare. Idem debet facere prior Camaldulensis de plebibus & capellis domui Camaldulensi subjectis.

De libris, qui debent esse per totum ordinem communes. Cap. XXXVI.

STatuimus, ut per totum ordinem nostrum infrascripti libri communes sint in omnibus & concordes, ita quod in dictione vel jota, pneumate, vel nota in aliquo non discordent, videlicet Missale, Epistolare, Antiphonarium diurnum & nocturnum, Manuale, Lectionarium, liber ad aquam benedicendam, & Martyrologium, & statuta generalia nostri ordinis. Quicumque autem prædictorum librorum aliquam contrarietatem vel varietatem habuerit, in triennium plenissime corrigatur.

De misericordia fratrum. Cap. XXXVII.

DIebus vero sollemnibus & dominicis, necnon & feria v. & in XII. lectionibus, sicut melius hactenus misericordiæ piscium tortolearum, ovorum & casei fratribus sunt exhibitæ, ita de cetero præbeantur juxta possibilitatem locorum.

De carnibus non comedendis. Cap. XXXVIII.

NUlla persona ordinis nostri extra monasterium vel intra coram secularibus carnes comedat, etiam jussu alicujus episcopi vel prælati; nomine vero secularium non intelligimus in hoc loco nostros familiares. Quod si quis fecerit, pro singulis vicibus, quibus carnes comederit, una die sit in pane & aqua, & hanc pœnam præcipienti dicat. In infirmitoriis nullus abbas, monachus vel conversus pro minutione & solatio consortiove alicujus, aut aliqua occasione, nisi, quemadmodum in regula continetur, debilis fuerit & infirmus, carnes audeat manducare. Quicumque contra hanc constitutionem carnes comederit, vel ad manducandum alicui, qui non sit de ordine, ministraverit, vel ministrari fecerit, pro singulis transgressionibus sit in pane & aqua uno die.

De carnibus non ministrandis secularibus. Cap. XXXIX.

ALiquibus forensibus personis infra claustra monasterii carnes aliquatenus non ministrentur, vel comedi patiantur, nisi infirmentur.

De temporibus, quibus quadragesimali utimur cibo. Cap. XL.

IN quadragesima sancti Martini, in vigiliis Sanctorum, quas servat Romana curia, in vigilia Ascensionis, in quatuor temporibus, & feria VI. totius anni quadragesimali cibo utimur. Qui autem non servaverit, uno die in pane & aqua jejunet.

De fratribus in via dirigendis. Cap. XLI.

FRatres, qui in via diriguntur, si per biduum morati fuerint, in reversione satisfaciant secundum regulam per horas diei; & quando fratres diriguntur, abbatis & omnium fratrum orationibus se commendant.

De

Ubi comedant fratres de via revertentes? Cap. XLII.

FRatres, qui ad monasterium redeunt vel veniunt, si fieri potest & hora permittit, hoc est si a mane usque ad meridiem, a nona usque ad collationem supervenient, in refectorio sub silentio comedant, nec in camera fabulis vacent.

De rasura monachorum & conversorum. Cap. XLIII.

DE rasura monachorum & conversorum nostri ordinis taliter ordinamus, videlicet quod deinceps de quindecim diebus in quindecim fiat rasura, incipiendo a sabbato sancto, & prosequendo usque ad vigiliam omnium Sanctorum, & eadem vigilia celebretur rasura. Deinde in vigilia sancti Frigdiani, in vigilia sanctæ Barbaræ, in vigilia Nativitatis, II. idus januarii, kalendis februarii, in carnis-privio, & in sabbato mediæ quadragesimæ fiat rasura, & iterum incipiatur eadem singulis annis in sabbato sancto. Qui autem necessitate constricti diebus assignatis radi nequiverint, præcedenti die dispensative radantur. Si vero aliqua sollemnitas in termino rasuræ venerit, præcedenti die radantur, & postea in præfixum terminum revertantur. Si quis vero terminum anticipaverit, vel post ipsum radi præsumpserit, in sequenti proxima rasura non radatur. Et si quis hujus mandati transgressor extiterit, pro qualibet vice in pane & aqua semel jejunet. Tonsura siquidem monachorum & conversorum alta sit, patentibus auribus & rotunda.

De minutione sanguinis. Cap. XLIV.

MInutionem sanguinis ter in anno celebramus, scilicet post octavam Resurrectionis, circa festum sancti Michaelis, & circa festum purificationis. In octava paschæ omnes in hora Sexta comedant, & eadem misericordia communiter gratulentur.

De Mandato pauperum. Cap. XLV.

MAndatum pauperum secundum laudabilem usum nostri ordinis fieri volumus, videlicet quod in quolibet monasterio nostri ordinis ordinato omnibus diebus sollemnibus XII. pauperes reficiantur cibis & pulmentis, quibus reficiuntur fratres. Diebus vero ferialibus tribus pauperibus cum caritate sollicite procuretur, ubi vero facultates monasterii non sufficiunt ad prædicta, pro possibilitate domus tribus aut duobus, vel saltem uni pauperi constituta refectio tribuatur. Si autem aliquid de misericordia diebus sollemnibus potest ei addi, caseus videlicet, vel aliud hujuscemodi, sibi misericorditer tribuatur.

De mandato fratrum in die sabbati & cœna Domini. Cap. XLVI.

MAndatum fratrum omni die sabbati, ubicumque sunt octo fratres vel plures, secundum regulam & consuetudinem in nostro ordine hactenus observatam, sollicite celebretur. In discretione autem prælati sit illud facere cantari vel legi secundum loci & temporis qualitates. Mandatum quoque pauperum in cœna Domini sollemniter & caritative, ac liberaliter peragatur. Post cœnam autem eadem die studeat abbas cum suis fratribus Mandatum exemplo Domini celebrare.

De ludo vitando. Cap. XLVII.

SI quis, quod non credimus, tantæ levitatis repertus fuerit, ut ad scaccos, vel alium dissolutum ludum ludere præsumpserit, vel excitaverit se ad jactum lapidis, & alia hujusmodi, pro qualibet vice recepta disciplina in pane & aqua jejunet.

De conversis, ne intrent claustrum monachorum. Cap. XLVIII.

COnversi in claustris ordinatis monachorum non maneant, sed cum necessarium fratribus eorum servitium fuerit, in claustris sine cappis possunt venire. Si autem ad capitulum, & ad abbatem, vel priorem, vel aliquem officialium aliqui volunt venire, possunt cum cappis; sed sciendum, quod non debent conversi sedendo loqui in claustris, sed breviter stando dicere, quæ sibi necessaria sunt; & quando silentium est in claustro, ipsi cum silentio debent intrare & exire.

De horis conversorum. Cap. XLIX.

ORdinamus, quod quilibet conversus seu conversa, sive divinis intersit officiis, sive non, teneantur tam in sollemnibus, quam in ferialibus diebus dicere pro nocturnis XL. Pater noster, pro Laudibus X. pro Prima V. pro Tertia V. pro Sexta V. pro Nona V. pro Vesperis X. pro Completorio V. Monemus itaque prælatos omnes, ut conversos & conversas ad prædicta provocent & invitent. Si autem contemptores inve-

venerint illos, ponent illos in gravi culpa; & sic studeant illos monere atque corrigere, ut vitia extirpentur, & cum Dei adjutorio plantentur virtutes.

De magistro monachorum. Cap. L.

CUm docere ignorantes inter maxima opera magistri reputetur, statuimus, ut quilibet prælatus nostri ordinis, ubi fieri potest, constituat aliquem magistrum scientem ordinem & officium in monasterio, sibi præcipiendo districte, ut doceat fratres officium & ordinem ignorantes. Et ille, cui injunctum fuerit hoc officium, non doceat unum tantum secundum voluntatis suæ arbitrium, sed omnes, secundum suam possibilitatem horis competentibus studeat erudire, & nullus fratrum aliquem nescientem derideat alicubi, & maxime in ecclesia. Si aliquis contra hoc fecerit, accipiat disciplinam, vel pro arbitrio abbatis puniatur; & si sic non correxerit, acrius puniatur.

De magistro novitiorum. Cap. LI.

PRælatus novitiis magistrum diligentem in instructione eorum præponat, qui eos de ordine doceat, in ecclesia excitet, & ubicumque se negligenter habuerint, verbo vel signo quantum poterit, eos studeat emendare, necessaria prout potest, debet eis procurare, de apertis negligentiis, cum ante eum patienter veniam petunt, pœnitentiam dare, vel eos, cum eis tenet capitulum, reprehendere, humilitatem cordis & corporis eos instruat, verbis & exemplis doceat juxta illud: Discite a me, quia mitis sum & humilis corde; frequenter pure & discrete doceat confiteri, sine proprio vivere, propriam voluntatem deserere, præ sui voluntate prælati obedientiam in omnibus voluntariam observare; quomodo ubique & in omnibus sese habere debeant, ipsos debet instruere, & quod locum, ubi positi fuerint, teneant; quomodo sibi danti aliquid vel auferenti, maledicenti vel benedicenti inclinare debent; quomodo vel quid orent, & quando & ubi silentium teneant; quando & quomodo venia in capitulo & ubicumque a prælato reprehensi fuerint, sit facienda. Si quis autem fratrem suum aliquo modo scandalizaverit, tamdiu ante pedes ejus prostratus jaceat, quousque placatus erigat eum. Instruendi sunt etiam, ne cum nemine contendere debeant, in omnibus magistro obediant. In processione sibi socium collateralem attendant, nec loquantur locis & temporibus interdictis. Neminem penitus judicent, sed si qua ab ullo fieri viderint, licet mala videantur, bona suspicentur, vel bona intentione facta. Sæpe enim humanum fallitur judicium. Non loquantur de absente, nisi quæ bona sunt. Disciplinas frequenter suscipiant, cum duabus manibus bibant & sedendo. Diligenter libros & vestes, & res alias monasterii custodiant. Si quid petitum fuerit, & a prælato negatum, non petatur a priore, nisi causa exposita. Sed nec si a majore petierint, vadant ad minorem. Item confessiones novitiorum ante professionem recipiantur, & diligenter de modo professionis instruantur. Item novitii ante professionem debitis se expediant. Similiter omnes fratres singulis annis semel omnia sibi commissa prælatis suis exponant pariter, & exhibeant, eorum dispositioni relinquendo. Item novitii, infra tempus probationis suæ in psalmodia & officio divino studeant diligenter. Item infra annum priusquam factus fuerit monachus, ad longinquas partes, nisi ob aliquam causam necessariam non mittatur. Item novitii non admittantur capitulo monachorum, sed magister eorum post capitulum fratrum faciat eis per se capitulum, & culpas eorum audiat diligenter, & ipsos quantum potest, in moribus instructos caritative corripiat.

De magistro conversorum. Cap. LII.

PRovideat prælatus, ubi multitudo conversorum exigere videtur, monachum sacerdotem idoneum & discretum, qui præsertim in vestitu & victu laicos instruat & ædificet, eis magistrum constituat confessorem, qui tamen de gravioribus causis, vel de quibus abbas præceperit, ad ipsum eos remittat. In diebus sabbatorum vel vigiliis sollemnitatum, in quibus communicare debent, ad locum congruum exeat, confessiones eorum recepturus. De capitulo tenendo abbatem admoneat, si præsens est, vel priorem, & cum eis vel solus, si visum fuerit, accedat. Nota, quod recipiendis conversis prædicatur, quod numquam pannis lineis utentur; de cetero, qui recipiendi sunt nisi solummodo serrabulis, & die noctuque habitum retinebunt ad modum conversorum eremi de Salute. Conversi vero laboratores in quacumque arte, seu agri cultores hac constitutione non ligentur.

De pœna inobedientis conversi. Cap. LIII.

COnversus, qui cuilibet prælato vel vicario ipsius inobediens fuerit, in capitulo accipiat disciplinam, & tribus die-

diebus humi residens coram conversis comedat sine mantili.

De beneficiis Defunctorum. Cap. LIV.

PRo Defunctis bona consuetudo pristina teneatur, ut brevia more solito mittantur; Missæ dicantur & psalteria. Pro priore Camaldulensi, cum obierit, quisque frater de congregatione Missas & psalteria cantet, & alia beneficia faciat pro eo, sicut pro prælato suo proprio, & pro eo in quolibet monasterio per totum annum unus pauper pascatur; sed in Fonte-bono, donec successor ejus venerit, pauper unus pro eo teneatur.

De sepulturis. Cap. LV.

STatuimus, ut in claustris & capitulis nostri ordinis corpora non sepeliantur, ubi de foris potest commode cœmeterium fieri; & extra claustrum in loco sacro & honesto collocentur ossa mortuorum, quæ sunt in claustris, si potest fieri sine scandalo.

De anniversario patrum & matrum fratrum ordinis. Cap. LVI.

ANniversarium patrum & matrum ordinis nostri vivorum & defunctorum fiat tertia die post purificationem beatæ Mariæ. Abbas vero ea die Missam celebret cum diacono & subdiacono, & quilibet sacerdos dicat privatam Missam, & qui non est sacerdos, XXV. Psalmos; conversi centum Pater noster, & Missis ea die intersint. Et in sero præcedenti fiat vigilia IX. lectionum, & campanæ pulsentur, ut mos est in anniversariis mortuorum; XII. pauperes reficiantur in majoribus monasteriis, in mediocribus VI. in minoribus vero III.

Qualiter recitentur nomina mortuorum. Cap. LVII.

QUando nomina mortuorum nuntiantur, teneatur hic modus in fine: Monachi & conversi nostræ congregationis & alii benefactores ac familiares nostri.

Explicit prima pars Constitutionum Camaldulensis ordinis de moribus.

INCIPIT LIBER II. CONSTITUTIONUM B. MARTINI III. PRIORIS CAMALDULENSIS.

De capitulo generali. Cap. I.

STatuimus, quod capitulum generale de triennio in triennium celebretur, ita quod duo anni sint medii inter unum & alterum capitulum, & in illis duobus annis particulare capitulum debeat celebrari. Constituimus & firmiter præcipimus, quod omnes prælati nostri ordinis tam majores, quam minores, & omnes suffraganei, necnon & hospitalarii, capellani sanctimonialium, & capellani ecclesiarum ad domum Camaldulensem specialiter pertinentium ad capitulum generale in propria persona venire non postponant, & nuntium aliquem non præstolentur. Sed XVI. kalendas julii sero post Nonam apud Fontem-bonum congregentur, & non ante, ita quod in sequenti die omnibus congregatis in unum, capitulum valeat inchoari. Ad particulare vero capitulum in kalendis julii omnes de Thuscia convenire apud Fontem bonum post Nonam procurent, ut sequenti die capitulum celebretur. Omnes autem alii de Romaniola, de Marchia, vel undecumque sunt, in vigilia sancti Romualdi similiter post Nonam unanimiter congregentur, ut in die sancti Romualdi cum omnibus capitulum celebretur, nec aliquis eorum se subtrahere audeat, quominus veniat ad capitulum supradictum, nisi justa & canonica fuerit causa præpeditus, quam excusationem in capitulo coram priore Camaldulensi & tota congregatione ostendere compellantur, per nuntios eorum literas deferentes. Si vero aliquis eorum venire contempserit, nec justam habeat excusationem, quod venire non potuerit, quamvis nuntium suum transmittat, tamen per x. dies pro generali capitulo, & per v. dies pro particulari officio prælationis suspensus maneat in loco armarii tam in ecclesia, quam in mensa & in capitulo, & infra illud tempus benedictiones non det, nec correctiones faciat; & insuper intra illud tempus per tres dies in pane & aqua jejunet. Curam autem temporalium rerum intus & extra gerat in illud tempus; postmodum peracta pœnitentia ad suum officium revertatur. Si autem nec per se venerit, nec venire potuerit, nec nuntium suum transmiserit, ad eremum Camaldulensem veniat, & ibi per x. dies satisfacere teneatur. Ad particulare vero capitulum omnes exceptis suffraganeis venire cogantur. Si quidem per se vel per fratrem suum idoneum ad particulare capitulum venire contempserit, nec justam habeat excusationem, per sex dies in pane & aqua jejunet. Postquam autem prælati arripuerint iter veniendi ad capitulum generale, in omnibus locis nostri ordinis in Missa conventuali fiat oratio san-

sancti Spiritus pro ipso. Quando autem fit capitulum particulare, tunc in locis illorum, qui per se vel per nuntios speciales particulari capitulo debent interesse, fiat oratio sancti Spiritus pro ipso capitulo.

Congregati igitur Camalduli ad capitulum prælati ordinis universi primo die ad honorem sancti Spiritus Missa cum diacono & subdiacono celebretur a priore Camaldulensi, vel prælato, quem ad hoc idoneum providerit sollemniter celebrare. Officium *Spiritus Domini*; oratio *Deus, qui corda*; epistola *Justificati igitur ex fide*; graduale *Beata gens*; ℣. *Verbo Domini*; Alleluja *Veni sancte*; evangelium *Si diligitis me*; offertorium *Emitte spiritum*; communio *Spiritus sanctus docebit*. Post Missam accedant ad capitulum, & lecta prima parte de capitulo abbatis, tunc prior surgens cum omnibus fratribus incipiat hymnum *Veni creator spiritus*, vel cui ipse innuerit; quo prædicto cum *Gloria*, sequitur *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison, Pater noster*; *Et ne nos*; capitulum *Et veniat super nos*; ℟. *Salutare*; ℣. *Emitte Spiritum tuum*; ℟. *Et renovabis*; ℣. *Domine exaudi*; ℟. *Et clamor meus*; oratio *Deus, qui corda fidelium*; Benedicamus a tribus fratribus dicatur; sedentibus omnibus dicatur *Benedicite*, & fiat sermo.

Secunda die dicatur Missa, ut supra dictum est. Officium de congregatione *Deus in loco sancto suo*; oratio *Omnipotens sempiterne Deus, qui facis*; epistola *Multitudinis credentium*, graduale *Ecce quam bonum*; alleluja *Hæc est vera*; evangelium *Locutus est ad turbas*; offertorium *Confirma*; communio *Ego vos elegi*. Post hæc ad capitulum legatur secunda pars de capitulo supradicto, & fiat sermo.

Tertia die Missa, ut supra, officium de Pace, oratio *Deus, a quo*; epistola, *Orationem faciebant sacerdotes*; graduale *Lætatus sum*; Alleluja, *Pacem meam*; evangelium *Si quis diligit me*, usque ad *pacem meam do vobis*; offertorium *Benedixisti*; communio *Pacem meam*. Ad capitulum lecta III. parte dicti capituli fiat sermo. Quolibet die post sermonem tractetur de ordine secundum disciplinam nostri ordinis & rigorem. Nullus vero religiosus alterius ordinis vel professionis, nullus secularis cujuslibet ordinis vel dignitatis, vel professionis vel sectæ secretis vel tractatibus capituli admittatur; sed nec etiam subditi nostri ordinis, nisi qui cum prælatis vel pro prælatis venerint, & de suorum licentia prælatorum. Ipsi vero prælati secum ducant de discretioribus, & religiosioribus fratribus, quos in suis claustris habuerint, ita quod nullus prælatus secum ducat ultra duos claustrales monachos; suffraganeos autem ducant secum, quicumque habent. Tertia autem die expletis tractatibus ordinis in capitulo, domnus prior Camaldulensis recommendet capitulo generali & toti ordini domnum papam, & dominos cardinales, & curiam universam, dominos patriarchas, archiepiscopos & episcopos, in quorum diœcesibus monasteria nostri ordinis sunt constituta, & comites & barones, patronos, benefactores & devotos nostros, & qui se nostris orationibus commendaverunt, & patres & matres fratrum nostri ordinis. Postmodum absolvat animas fratrum nostri ordinis dicens *Animas fratrum nostrorum defunctorum auctoritate, qua fungimur, absolvimus, ut per misericordiam Dei requiescant in pace*; & respondeant fratres *Amen*. Et tunc dicatur psalmus *De profundis*. Quo finito dicatur *Kyrie eleison*, & *Pater noster*; ℣. *A porta inferi*; ℟. *Erue Domine*. Qua finita fiat generalis confessio & absolutio, perseverantibus benedictio, apostatis & fugitivis maledictio. His peractis accedant singuli ad domnum priorem Camaldulensem, & recepta ab ipso absolutione per manus impositionem incipiat prior *Te Deum laudamus*, & pergant in ecclesiam. Finito *Te Deum*, dicant, ℣. *Confirma hoc*; *Dominus vobiscum*; *Perfice quæsumus Domine benignus in nobis observationis sanctæ subsidium, ut, quæ te auctore facienda cognovimus, te operante impleamus*.

De revertentibus a capitulo generali vel particulari. Cap. II.

Statuimus, quod quando prælati nostri conventus a generali capitulo singulis annis ad sua monasteria revertuntur, in suo capitulo non postponant præcipere fratribus, quod pro benefactoribus nostræ congregationis, & nostris orationibus commendatis omnes fratres orare teneantur, & quilibet sacerdos habeat eos in commemoratione in tribus Missis, alii vero, qui Missas celebrare non possunt, in uno psalmo, conversi in uno Pater noster, faciantque prædicti prælati suffraganeos observare, quæ in capitulo generali & particulari fuerint statuta, sicut ipsi servare tenentur, pro qualitate & quantitate locorum & personarum.

De capitulo quotidiano. Cap. III.

CApitulum diversis temporibus diversis horis diversimode celebramus, videlicet post Primam seu Missam matutinalem, vel privatas post secundam, & in quadragesima post Tertiam. Hora itaque competenti, prout tempus dictaverit, prior tintinnabulum pulset; quo pulsato fratres ad capitulum vadant præcedente abbate cum choro suo, & subsequente priore cum suo. Venientes in capitulo unusquisque in loco suo versus orientem inclinet, & eo prius sedente reliqui sedeant. Tunc lector petita benedictione datale sequentis diei cum ætate lunæ & natalitiis Sanctorum pronuntiet. Surgentibus itaque omnibus & faciem ad orientem habentibus, sacerdos hebdomadarius dicat *Pretiosa in conspectu Domini*; respondeant omnes *Mors Sanctorum ejus*. Et sacerdos dicat *Sancta Maria cum omnibus Sanctis*. Et hoc omni tempore. Postea dicat hebdomadarius sacerdos *Deus in adjutorium meum intende; Domine ad adjuvandum me festina*, semel tantum; & conventus resteret omni tempore *Deus in adjutorium meum intende; Domine ad adjuvandum me festina. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto; sicut erat &c. Amen*. Et quando incipitur *Gloria Patri*, incurventur super genua; finito *Gloria Patri*, dicant simul *Kyrie eleison* ter, & *Pater noster; Et ne nos &c.* Tunc hebdomadarius dicat *Dirigere & sanctificare*. Qua finita dicatur *Adjutorium nostrum in nomine Domini*. ℟. *Qui fecit cœlum & terram*. Tunc fratres sedeant, ita tamen quod nullus antequam abbas sedeat, sedere præsumat; quibus sedentibus lector lectionem de illius diei evangelio legat; in ferialibus vero diebus de Regula; qua perlecta anniversaria fratrum defunctorum denuntiet, si dies fuerit. Postea tabulam fratrum, qui lecturi sunt vel cantaturi sunt, pronuntiet. Fratres autem cum se audierint nominari, reverenter inclinent. Deinde lector brachiis suppositis invicem humiliato capite in medio capituli in locum suum veniat, & sanctæ Cruci humiliter reverentiam exhibeat, & sic ad sedendum pergat. Quo sedente domnus abbas dicat *Benedicite*, si adest, sin autem a priore. Tunc nullus audeat loqui, quousque domnus abbas vel prior sermonem exhortationis impendat. Si autem abbas innuerit alicui fratri, ut sermonem in capitulo faciat, frater humiliter suscipiat, & inclinet, & sic loquatur cum timore Dei ad ædificationem fratrum. Finito sermone omnes fratres gratias agant Deo super cuculla manibus in terra positis. Dicente vero abbate *Dicite de ordine nostro*, omnes fratres humiliter inclinent, & tunc qui se reum intelligit, prostratus veniam petat. Deinde surgens humiliter confiteatur culpas suas sub una venia, & sic de singulis incipiens a majori. Fratres vero omnes ad invicem se caritative accusare studeant de suis excessibus. Nullus reprehendat aliquem ex sola suspicione. Item nullus accuset de auditu, nisi dicat, a quo audierit. Hoc autem sollicite attendendum, quod in capitulo nullus super alium in secunda persona unquam reprehendere præsumat. Reprehensus vero frater ea die reprehensorem suum nullatenus reprehendat, & qui major est in capitulo non reprehendatur. Reprehensiones autem nullus faciat sedendo, nisi cornicularii, qui ex utroque latere in supremis super ceteros sedent. Frater vero, postquam reprehensionem audierit, statim surgat, & inclinet in loco suo, & veniens in medium veniam petat nihil dicens, nisi mea culpa. Si vero contendere voluerit, & defendere suam culpam, iterum veniam petat. Si autem prælatus graviter acceperit, & non interrogaverit eum, quid dicis, ille frater iterum veniam petat, & sic faciat, usque dum placatus fuerit animus prælati. Si enim animo placari non potuerit, & non receperit eum, sed expulerit eum a consortio fratrum, iste talis ponatur in gravi culpa. Igitur si aliquis ab aliquo fuerit reprehensus, veniam petat. Cum autem interrogatur, respondeat, *mea culpa*. Tunc accusator dicat: Frater iste sic & sic fecit contra ordinem nostrum. Accusatus dicat *mea culpa*. Quoties autem ab aliquo accusationem audierit, toties se culpabilem reddat, nihil aliud dicens, nisi *mea culpa*. Quibus auditis prælatus, prout ipsi libuerit, succincte verba exhortationis proferat, ac postmodum aliquos psalmos pro erratibus cantare jubeat. Quando autem psalmum imponit ei, maneat frater inclinatus profunde, brachia super genua in modum crucis tenendo. Quando autem dixerit ei *Ite sessum*; humiliter frater super ora cucullæ manus curvas terratenus ponat, & sic vadat sessum. Deinde alius surgat, & dicat frater ille fecit contra ordinem nostrum. Statim frater ille surgat & veniam petat toto corpore in terra posito in latere dextro, dexteram partem cucullæ sinistræ supponendo, & sinistrum pedem super dextrum ponendo; manum vero dextram super manum sinistram in modum crucis jungendo, & sic caput super manum ponat humiliter di-

cendo

cendo *mea culpa*. Deinde surgat jubente abbate. Tunc accusator dicat. Iste frater hodie male cantavit, sive male legit, sive quoddam irregulare fecit, statim reus iterum veniam petat dicendo *mea culpa*. Si autem abbas judicaverit ipsum, ut disciplinam accipiat, ille frater reus humiliter parum retro secedat in loco, ubi soliti sunt disciplinam accipere & sic genibus humiliter flexis exuatur cuculla, & eam ante se ponat, & denudetur usque ad cingulum & sic accipiat disciplinam crebro dicendo *Mea culpa*, *mea culpa*; *ego me emendabo*, donec abbas dicat *Sufficit*. Statim autem frater ille induatur vestimentis suis, & adjuvetur ab eo, qui dedit disciplinam, vel ab alio fratre, & iterum petat veniam, & accipiat praeceptum abbatis, & sic revertatur ad sedem. Hoc autem summopere servandum est, ne quis frater post acceptam in capitulo disciplinam adversum fratrem ipsum, qui eum digne accusavit, aliquando temere audeat conrixari, aut odium in corde servare, vel nimis querulosam vel lacrymosam faciem demonstrare; quia hujuscemodi superbiæ vitium gravius a nostris majoribus est punitum. Expletis igitur correctionibus de cetero reverenter liceat eis loqui sedendo de officio & ordine suo. Sane hoc ipsum cum modestia fiat, ut videlicet omnes non pariter mixtis vocibus loquantur, sed uno loquente alii taceant.

De exeuntibus a capitulo cum licentia. Cap. IV.

SI autem alicui imperatum fuerit, ut surgat pro aliqua necessitate a capitulo, surgat. Qui statim non est reversurus, præmisso *Benedicite*, & facta ante se reverentia, simpliciter surgat, & capite inclinato ad Crucem pergat. Loquentibus autem fratribus in capitulo, si quis de foris venerit dicat *Benedicite*, & contra locum suum facta reverentia sedeat. Si vero de longinquo venerit, prius reddat se culpabilem genu flexo confessionem faciens; qui accepto judicio, & commendationis supernæ salutatione data vadat & sedeat. Superveniente vero majori ad sedendum minor frater assurgat, & humiliato capite, sicque faciant ubique locorum invicem.

De contentionibus vitandis. Cap. V.

FIrmiter præcipimus, quod cessent jurgia & contentiones, & visitatore in capitulo existente nullus loqui audeat cum strepitu vel rumore, sed quilibet, qui vult aliquid dicere, accepta licentia cum gravitate & maturitate proponat, quod proponendum est; & uno loquente ceteri taceant, & cum diligentia audiant & intelligant, quæ dicuntur, quia sicut dicit apostolus Jacobus in epistola sua. *Quilibet esse debet velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram.* Et complente uno verba sua, loquatur alius, si necesse est; & omnes cum silentio audiant. Non præsumat aliquis surgere, & more concionatorum verba proponere. Qui vero contra prædicta aliquid præsumpserit, sive in gravi, sive in graviori culpa ponatur, & si contumax fuerit, quod absit, de monasterio expellatur.

De his, qui contumaciter exeunt de capitulo. Cap. VI.

SI monachus vel conversus contumaciter de capitulo exierit, & soluto capitulo, antequam portam claustri egrediatur, humiliter pœnituerit, in sequenti capitulo recipiat disciplinam, in gradu ultimo recipiendus usque ad voluntatem abbatis.

De capitulo conversorum. Cap. VII.

OMnibus Dominicis diebus, præter eos, in quibus sermo generalis fiet, in capitulo monachorum conversi ingrediantur; & in crastino natalis Domini, paschæ & pentecostes Missa matutinali ingrediantur capitulum monachorum, ut teneatur eis capitulum ab abbate vel ab alio aliquo, cui abbas injunxerit; ubi vero non habent capitulum, conversi conveniant in capitulum monachorum, & ibi teneatur eis capitulum.

De qualitate eligendorum. Cap. VIII.

IN electionibus abbatum faciendis, quoniam juxta regulam beati Benedicti tales debent esse, qui sciant, unde proferant nova & vetera, præcipitur tam abbatibus, quam electoribus, ut tales eligantur in abbates & prælatos, qui sint literaturæ competentis, vitæ laudabilis & ætatis legitimæ.

De electione prioris Camaldulensis. Cap. IX.

AD electionem prioris Camaldulensis omnes prælati ordinis ejusdem per literas eremitarum citentur; qui die sibi præfixa personaliter ad Camalduli eremum veniant, vel si quis eorum canonica præpeditione detentus fuerit, vices suas alicui de capitulo provido & fideli rite committat. Capitulum autem in hoc loco prælatos ordinis & fratres eremitas Camal-

mal-

maldulensis eremi intelligimus; ipsi quidem tantummodo ad electionem prioris jamdicti debent assumi. Apud dictam igitur eremum in nomine Domini congregati ad honorem sancti Spiritus Missam devote cum diacono & subdiacono celebrent. Deinde eremitæ tam inclusi, quam aperti cum prælatis omnibus, qui commode interesse poterunt, præmisso exhortationis sermone, ad electionem futuri pastoris procedant secundum jus canonicum, & privilegium tam toti ordini, quam præfatis eremitis a sede apostolica indultum; unde ut Spiritus-sanctus suam gratiam dignetur infundere, ipsius hymnum, videlicet *Veni creator*, devote cuncti decantent, cum ℣. & oratione sancti Spiritus subsequenter. Et dicto: *Benedicamus Domino*, a tribus, concorditer & pacifice Deum habentes præ oculis tres eligant fide dignos, unum videlicet fratrem eremitam, & duos prælatos, qui vota cunctorum diligenter examinent, & ea in scriptis redacta mox publicent in communi, ut ipse collatione habita eligatur, in quem major & sanior pars capituli consenserit, tenore privilegii nostri, & juris sollemnitatibus observatis, vel hoc per compromissum fideliter studeant ducere ad effectum, unum vel tres eligendo, in quos pure sua vota committant, ut voce omnium Camaldulum provideant de pastore. Multo magis tamen piis precibus creditur insistendum, ut sibi per inspirationem divinam concedere dignetur omnipotens Deus priorem idoneum & pastorem. Electus autem, postquam electionem acceptaverit, juxta privilegii nostri tenorem, mox libere administret, & cum hymno *Te Deum laudamus*, inthronizetur sollemniter. Obedientiam sibi promittant præsentes, & absentes, quamcitius eum viderint, obedientiam sibi similiter studeant exhibere secundum beati Benedicti regulam & Camaldulensis ordinis instituta.

De auctoritate, quam habet prior Camaldulensis in monasteriis nostri ordinis. Cap. X.

STatuimus, ut cum prior Camaldulensis ad quodcumque monasterium nostri ordinis pervenerit, illico omnis dispensatio & auctoritas monasterii cum debita reverentia ad eum veniat, vel redeat, quam fratres proprio abbati debent.

De forma visitationis. Cap. XI.

STatuimus, quod domnus prior Camaldulensis per se suosque visitatores omnes domus nostri ordinis singulis annis studeat visitare, & illius visitationis talis sit forma. Quod in primo capitulo admonitionem faciat, qua peracta tam de spiritualibus, quam de temporalibus diligenter inquirat. Et eamdem potestatem habeat visitator, quam habet prior Camaldulensis, excepto quod non possit destituere prælatos absque speciali mandato. Et visitator in eadem domo, in qua ardua vel gravia invenerit pertractanda, invocet duos vel tres de circumadjacentibus prælatis, vel aliis, quos viderit expedire, & cum eorum consilio ordinet, quod viderit ordinandum, & quod ejus sententia cum consilio dictorum prælatorum decreverit, omnes tam prælati, quam subditi ejusdem domus teneantur modis omnibus observare. Quædam tamen in monasterio inveniuntur, quæ non sunt ita gravia vel ardua, quæ visitator cum consilio prælati vel fratrum ejusdem domus, vel ipse per se ordinare non possit, & præcipere ut fiant, sicut viderit expedire. Et si aliquis eorum prælatus vel subditus esset contumax, sive per censuram ecclesiasticam, sive per pœnas in regula sancti Benedicti, vel in ista constitutione constitutas coercere potest eum, cum discretione tamen, ne dum vult eradere æruginem, vas frangatur. Si autem in visitatione aliqua gravia vel ardua dicta, vel proposita sint contra prælatum aut subditum, & accusatus voluerit se defendere coram priore Camaldulensi vel visitatore ipsius, dictus prior Camaldulensis vel visitator teneatur accusato capita accusationis vel denuntiationis, & accusantium vel denuntiantium nomina tradere, ut accusatus coram domino priore vel visitatore, & prælatis ad hoc vocatis se valeat excusare & defendere. Et licitum sit accusato priorem Camaldulensem a visitatore a quocumque gravamine appellare; si autem sensit se gravatum accusatus a priore Camaldulensi, nullatenus ad appellationem ad aliquam personam procedat; sed si sentit se gravatum a priore Camaldulensi super aliquo articulo, beneficium restitutionis a priore ac jus suum humiliter petat, & dictus prior ipsum coram se tantum restituat super articulo vel articulis, super quibus accusatus se proposuerit aggravatum, & prior de appellatione, & de articulo vel articulis, ad quæ accusatum per beneficium restitutionis in integrum restituerit coram se, quoties expedierit, cognoscat, & ad alium cognitio hujuscemodi, nec per appellationem, nec alio modo transferatur. Nullus ergo de ordine

dine nostro ad capituli generalis audientiam, nec ad alios audeat appellare, quia hoc posset redundare in subversionem totius ordinis & ruinam, & hoc non convenit nobis, nam non venimus litigare, sed peccata deflere. Excommunicamus igitur omnes & anathematizamus tam conventum, quam personam, quæ in ordine nostro contra ordinis instituta seu contra obedientiam appellabit, ita quod quisquis in ordine taliter appellaverit, sciat se statim ipso facto in sententiam excommunicationis incidisse. Hoc addito, quod quicumque contra dictam constitutionem vocem appellationis emiserit, si sit prælatus, sciat se ipso facto depositum. Si monachus vel conversus, pœnam conspiratorum sustineat. In facienda autem visitatione cautelam maximam & diligentiam visitator adhibeat, ut fideliter & prudenter ad corrigendos excessus, & conservationem pacis intendat, & quantum poterit, salva ordinis disciplina, animos fratrum ad ampliorem reverentiam proprii abbatis & gratiam mutuæ dilectionis in Christo inducat. Provideat nihilominus visitandus, ut secundum formam ordinis visitatori obediens & devotus existat, & ad emendationem domus suæ, quantum poterit, tamquam Deo rationem redditurus intendat. Igitur in visitatoris adventu prælatus domus illius, vel si ipsum abesse contigerit, prior, aut qui tenet locum ipsius, studiose fratres admoneat, roget & præcipiat, ut fideliter & fiducialiter, publice vel privatim, prout melius intellexerint faciendum, quæ corrigenda cognoverint, suggerant & proponant. Caveat autem prælatus, ne ullatenus hoc impediat faciendum, vel cum factum fuerit, ægre ferat. Caveat in præsentia visitatoris, vel post ejus discessum, ne cuiquam fratrum vindictam inferat, nec improperet, nec indignetur, quin etiam si minus caute, minusve discrete fuerit quis locutus, benigna facilitate ei ad consilium visitatoris indulgeat. Ipsum enim visitatorem talem fore convenit, ut non credat omni spiritui, sed causam, quam nesciverit, diligenter inquirat, cognitam rationabiliter corrigat zelo ordinis & caritatis affectu. Prohibeat etiam, ne incipiant reiterare, quæ noverint digne correcta, & ne sibi suggerant incomperta, nec novis suspicionibus turbent animos patrum sive fratrum suorum. Quod si quis fecerit, digne eum visitator increpet & castiget. Prohibeat etiam, ne quis ea, quæ noverit emendanda, quasi ad majus scandalum, quod nequissimum est, usque ad visitatoris adventum differat & reservet, sed opportunis temporibus, quæ contigerint, reprehendantur & emendentur. Quod si contra hanc formam egerit visitator, per superiorem, prout meruerit, castigetur, sive etiam puniatur per generale capitulum. Similiter etiam, qui visitatus fuerit, nisi formam eamdem studeat observare, coram Deo se culpabilem & paterna, vel capituli generalis noverit animadversione plectendum. Si autem subditus contra prælatum suum dixerit veritatem coram priore Camaldulensi vel ejus visitatore, præcipimus firmiter prælato, quod non præsumat ei propter hoc aliquam injuriam facere, eum offendendo, vel necessaria subtrahendo. Præterea licet inter viros religiosos, nisi pro magna & inevitabili necessitate, non debeant fieri juramenta, tamen quoniam aliquando arduum & tam grave negotium in monasteriis oritur, quod manifeste declarari non potest, nec perfecte determinari, nisi interveniant juramenta prælati, monachorum & conversorum ejusdem domus, & aliorum bonorum virorum, ubi non est collegium, ideo ne veritas occultetur, & ne bonus ut malus judicetur, & ne monasteria sub tali occasione, si negocia eorum remanerent indiscussa, gravem ruinam paterentur, utile decrevimus in tam gravi casu per visitatorem a prælato & subditis & aliis personis, si viderit expedire, possit exigere juramentum. Caveat tamen visitator, quod ea quæ potest cognoscere per simplex verbum, inquirat, nec currat statim cum impetu & dicat: Præcipio per veram obedientiam & Spiritus-sancti virtutem. Si autem aliquod negocium, quod aliquantulum gravius foret, potest cognoscere per obedientiam & virtutem Spiritus-sancti, non currat statim ad excommunicationem dicens: Præcipio tibi sub pœna excommunicationis, vel excommunico te, nisi dixeris istud. Et si graviora negotia possunt cognosci per excommunicationem dicendo: Præcipio tibi sub pœna excommunicationis, non recurrat ad juramentum, quod nisi pro inevitabili necessitate exigi non debet. Caveant autem prælati, quod ita studeant dicere veritatem, quando cum simplici verbo interrogantur, vel per veram obedientiam, quod non sit necesse venire ad excommunicationem, vel ad sacramenta, quia tunc est eis imputandum, non visitatori. Et quod visitator cognoscat hoc per exempla, sciendum est, quod si monasterium tam in spiritualibus, quam in temporalibus enormiter est collapsum,

psum, puta quod bona monasterii sunt dilapidata & destructa; monasterium est gravibus debitis occupatum; possessiones monasterii sine justa causa sunt alienatæ vel pignoratæ; tam de prælato, quam de subditis mala fama currit per provinciam illam, vel partes illas, ubi morantur, & per aliqua judicia manifesta opinio eorum apud bonos & graves est multum gravata; & cum tam prælatus, quam subditi se excusent, & dicant se non esse culpabiles, nec velint dicere veritatem de se ipsis, nec unus de altero, in tali casu ne monasterium destruatur in totum, & ne in suis iniquitatibus tam prælatus, quam subditi perseverent, debet visitator & potest ab eis exigere sacramenta, & per censuram ecclesiasticam eos cogere ad hoc, si necesse est. Si vero non vertitur causa de destructione monasterii, sed quod quandoque multa vitia, schismata, scandala & alia gravia in monasteriis sunt exorta, propter quæ monasteria, & prælatus & omnes subditi graviter sunt infamati, tunc visitator per excommunicationem potest exigere veritatem. Si vero tractatur de ordine vel talibus minoribus, tunc aut simplici verbo, aut per veram obedientiam, vel in virtute Spiritus-sancti, prout viderit expedire, potest eos cogere ad veritatem dicendam. Si tamen essent contumaces, ad excommunicationem procedere posset. Præterea sciendum est, quod visitator debet & potest facere moram in monasterio vel per tres dies, vel plures, vel minus, quantum viderit necesse, & utilitati monasterii expedire. Præcipimus etiam, quod visitator in necessariis sumptibus expensis provideatur, prout justum fuerit & honestum, quia scriptum est: Qui altari servit, de altare vivere debet.

De visitatoribus. Cap. XII.

PRovideat prior Camaldulensis & prælati, qui visitatores mittunt, ut viros discretos, zelum habentes ordinis visitatores mittant, visitatores, qui forma gregis debent esse, præcipue iis intendant, quæ salutem respiciunt animarum, & spectant ad ordinis disciplinam, excutientes manus suas ab omni munere. Nec quidquam recipiant, nisi in certis necessitatibus, prout bona conscientia eos dictaverit indigere.

De visitatoris consiliatore vel ejus adjutore. Cap. XIII.

PRælatus nostri ordinis vocatus a priore Camaldulensi vel visitatore ejus, ut veniat ad præstandum eidem consilium super aliquibus gravibus, quæ in monasterii alicujus visitatione invenerit, ad eumdem omni occasione postposita venire teneatur. Quod si venire contempserit, dictus visitator possit eum auctoritate prioris Camaldulensis per istam constitutionem sibi concessam corrigere regulariter & punire.

De inquirendo statu domus in visitatione. Cap. XIV.

VIsitator diligenter inquirat in visitatione statum monasterii, quod visitat tam in spiritualibus, quam in temporalibus. Et si intellexerit ipsum inordinatis debitis obligatum, poterit prior Camaldulensis & generale capitulum facere, ut vendantur mobilia. Et si aliter fieri non potest, etiam immobilia, de consilio tamen abbatis & seniorum domus illius, donec debita tolerabiliter minuantur. Provideat tamen visitator, ut in carta sigillo suo signata, & a foris dependente diligenter describat, quæ corrigenda & ordinanda statuerit, legenda in capitulo quater in anno.

De pœna prælatorum, qui non visitant domos suas. Cap. XV.

PRælati, qui non visitant domos suas suffraganeas per se seu per idoneam personam per annum, tribus diebus sint in gravi culpa, & uno eorum sint in pane & aqua, nisi mare præstet impedimentum.

De rebus ecclesiæ cunctisque aliis visitandis. Cap. XVI.

PRior Camaldulensis cum pervenit ad monasterium causa visitationis, ante omnia, quæ ad cultum divinum pertinent, sollicite procurare studeat, & totis viribus reformare. In primis altare, & quæ circa altare consistunt, diligenter consideret, & omnia reducat in statum laudabilem & honestum. Corpus Christi & vas, in quo servantur corporalia, sindones & scabellum, super quo manet sacerdos, cum Missam celebrat, sindones persusorios & offertorios, ciminilia, pixidem, in qua reponuntur hostiæ, & ipsas hostias, persusorium & ejus sindonem, ampullas, mistale & epistolare, & alios libros, planetam, admictum, camisum, stolam & manipulum, & paramenta alia universa, lampades & candelas, formas, & analogium, thuribulum, & sedilia, & post sedilia fratrum provideat ut aperta sint mundissima & ornata. Super altare semper sit benedicta palla, item abbissina sindon, super qua corporale in Missa

sa extendatur, & postmodum replicata super altare dimittatur. In alia quoque sindone munda sacramentale consistat, & in ea cum opus fuerit, deportetur. Egrediens de ecclesia claustrum inspiciat, si in scamnis & scabellis bene consistit ordinatum. Capitulum ante omnia si Cruce, scabellis, sedibus, disciplinis, salicum & cordarum tabula, & malleo honestissime decoretur. Dormitorium si lectis & stramentis lectorum, & supralectis, scabellis, sedibus & porticis, horologio, lampade & aliis necessariis adornetur. Refectorium denique, si Cruce, mensis, sedibus, scabellis, obbis, paropsidibus, sindonibus, linteis pro manibus tergendis, & analogio pro lectore, verribulis & aliis utensilibus universis redimatur.

De lectisterniis monachorum & conversorum visitandis. Cap. XVII.

STatuimus, quod lectisternia monachorum & conversorum propter peculiare opus prælati nostri ordinis quolibet mense studeant perscrutari, & pecuniam & res inordinatas, vel vestes, si quas invenerint, a possessoribus auferant, & eis imponant pœnitentiam regularem. Qui autem noluerit recipere pœnitentiam, & dictam pecuniam & vestes resignare suo prælato, vel cui jusserit ipse, ex hoc rei excommunicationis pœna mulctentur usque ad satisfactionem congruam & condignam.

De prælatis, ne jaceant in propriis cameris. Cap. XVIII.

STatuimus, quod nullus prælatus nostri ordinis de cetero in privata camera, nisi infirmitate, vel necessitate, aut dispensatione prioris Camaldulensis jacere præsumat; quod si contra fecerit, per priorem Camaldulensem dicta camera privetur, & graviter puniatur.

De societate prælatorum itinerantium. Cap. XIX.

STatuimus, quod prælati nostri conventus, quando equitant, vel extra monasteria sua vadunt, honestam societatem secum habeant, & qui monachum & conversum habere possunt, utrumque habeant, & qui habere non possunt, ad minus alterum eorum secum habeant. Ipsi autem prælati quando vadunt, vadant humiliter & honeste. Studeant praterea prælati in quadragesima majori & sollemnitatibus & dominicis diebus stabilitatem in se & suis subditis retinere. Fratres vero, qui diriguntur in via, si fieri potest, tales socios habeant secum, qui ordini nostro conveniant, & habitu & honestate sua ad ædificationem alios trahant.

De servientibus prælatorum venientium ad capitulum generale. Cap. XX.

QUoniam per servientes ad capitulum generale multa scandala sunt exorta, statuitur, ut nullus serviens veniens ad capitulum generale aliquid facere audeat, unde scandalum oriatur; quod si præsumpserit, a servitio totius ordinis inrevocabiliter expellatur.

De prælatis, ne subditos exasperent, & subditis, ne contra prælatos superbiant. Cap. XXI.

STatuimus, quod prælati non præsumant suos subditos absque justitia & causa rationabili molestare. Sed pœnitentias, quas eis inferre debent, non ex odio, sed ex caritate, & secundum monastici ordinis disciplinam eis inferre procurent. Si autem in hoc prælatus inventus fuerit culpabilis, per priorem Camaldulensem vel ejus visitatorem graviter secundum discretionis suæ arbitrium puniatur. Et subditi non præsumant contra prælatos suos calcaneum elevare, eis facto vel dicto aliquas injurias inferendo, sed eos tamquam patres & dominos studeant honorare. Subditi enim prælatos suos judicare non possunt. Ordo enim monasticæ disciplinæ servari debet, scilicet quod inferior a superiore judicetur, non superior ab inferiore. Subditus enim judicari debet a prælato suo, prælatus vero a priore Camaldulensi, vel suo visitatore. Nam etiamsi prælatus, quod absit, aliquando erret a tramite veritatis, non debet a suis subditis judicari, vel aliquas injurias sustinere, nec debent contra eum seditiones aliquas vel scandalum generare. Si in hoc vitio subditi inventi fuerint culpabiles, in graviori culpa ponantur. Sed si habent dicere contra prælatum suum, cum patientia sustineant usque ad adventum prioris Camaldulensis vel ejus visitatoris, & coram eo cum caritate proponant, quod justum & rationabile voluerint contra eum, & e contrario prælati contra subditos. Prior Camaldulensis vel ejus visitator non declinans ad dexteram vel sinistram, sed via regia incedendo, & stateram in manu portans inter prælatum & subditum absque acceptione personarum juste studeat judicare. Sciat enim prior Camaldulensis, quod eamdem legem, quam aliis facit, ipse servare tenetur; quoniam si fuerit privatus, jure potest ei dici: Patere legem, quam

quam ipse tuleris. Habeat etiam summum judicem inspectorem, ut sicut ipse alios judicat, ita sciat se a Domino judicari.

De stabilitate prælatorum. Cap. XXII.

PRælati dum in monasteriis sunt, nisi eos certa necessitas trahat, in claustris cum fratribus suis sub silentio maneant, ut quod ore prædicant, operis executione demonstrent; nec ipsi fratres sine licentia egrediantur e claustro; & si abbas reverti sperat ea die ad monasterium, prior vel custos claustri extra septa monasterii non det licentiam exeundi, nisi pro evidenti necessitate. Qui autem de claustro exierit sine licentia, prima vice corripiatur, idest moneatur in capitulo coram omnibus; secunda detur disciplina; III. fiat separatio a communione fratrum.

De sedibus prælatorum. Cap. XXIII.

SEdes abbatis & aliæ cornutæ fiant planæ, sicut sunt in Fonte-bono.

De abbate, monachis & conversis ne baptizent. Cap. XXIV.

ABbas vel monachus, vel conversus, qui infantem baptizare præsumpserit, & de sacro fonte susceperit, nisi forte in articulo mortis, quando præsbyter defuerit, omni sexta feria sit in pane & aqua usque ad sequens capitulum generale, nisi grandis infirmitas aliquam exegerit dispensationem; & in eodem capitulo abbas sive baptizans petat veniam super hoc.

De levi culpa. Cap. XXV.

LEvis culpa est, si quis mox ut signum factum fuerit, non relictis omnibus cum matura festinatione differat se præparare ad ecclesiam ordinate, & ad ecclesiam, quando debuerit, veniat. Si quis ad Gloriam primi psalmi non occurrerit, ad gradum altaris non satisfecerit. Si quis in choro male cantando vel legendo offenderit, & non statim coram omnibus humiliter satisfecerit. Si quis divino intentus officio magis oculo & motu irreligioso levitatem mentis ostenderit. Si quis de choro dum cantatur Evangelium, Benedictus, Te Deum laudamus, vel fratres curvi vel prostrati manent, exierit, vel in ipsum intraverit. Si quis ibi vel in dormitorio aliquid inquietudinis fecerit. Si in choro riserit, vel alios ridere fecerit. Si quis lectionem statuto tempore non prævideril. Si aliud cantare vel legere præsumpserit, quam communis consensus probat. Item levis culpa est, si dissolute ridens cachinnis, vel ludis, dictis vel factis alios ad ridendum excitaverit. Si oculos vagos per plateas vel vias eundo ad vanitates frequenter direxerit. Si in vigilia nativitatis Domini in principio capituli per negligentiam non affuerit, ubi pronuntiatis redemptionis exordiis corde & corpore gratias agat Deo redemptori. Si quis de via veniens eadem hora, si fieri potest, benedictionem accipere neglexerit, vel absque causa plus una nocte moraturus exierit. Si quis ad lectiones dormierit. Si temporibus statutis cum aliis lectionem auditurus non affuerit. Si libros interdictos legerit. Item levis culpa est, si ecclesiæ ornamenta negligenter tractaverit. Si quid utensilium fregerit vel perdiderit. Si indumenta vel alia data fratri vel concessa sine ipsius licentia per se alius acceperit. Si quis vestes suas aut libros loco suo non deposuerit honeste, vel negligenter tractaverit. Si quid utensilium fregerit vel perdiderit. Si quid cibi vel potus effuderit. Si liber, in quo legendum est, cujusquam defectu defuerit. Si quis dixerit aut fecerit aliquid, unde contristentur fratres. Si quis cibum vel potum absque benedictione sumpserit. Si quis in conventu hora, qua debet venire, distulerit. Si ad capitulum vel ad collationem non venerit, vel communi refectioni non interfuerit. Si quis commune mandatum dimiserit. Si quis eum, a quo reprehensus fuerit, eadem die quasi vindicando reprehendere præsumpserit. Si quis in reprehensione sua judicium fecerit. Si quis cum juramento vel ut in loquendo fieri solet, aliquid negaverit vel affirmaverit. Si quis turpem sermonem dixerit, vel quod gravius est, in usu habuerit. Si quis eorum, qui in officiis deputati sunt, in aliquo negligens repertus fuerit, ut sunt officiales, sacrista, camerarius, cellerarius, refectonarius, infirmarius in infirmis custodiendis & procurandis, & mortuis necessariis ministrandis, & ceteri in officiis suis, ut injunctum est eis. Si quis pro vestitu vel victu, vel qualibet alia re murmuraverit. Reprehensis vero supradictis & veniam petentibus injungantur septem psalmi, vel duo vel cum psalmo disciplina, vel amplius, secundum quod prælato videbitur expedire.

De gravi culpa. Cap. XXVI.

GRavis culpa est, si quis inhoneste in audientia secularium cum aliquo contenderit. Si frater cum fratre intus

tus vel foris lites vel contentiones habuerit. Si quis alicui fratrum obbrobrium dixerit. Si quis mendacium ex induſtria dixiſſe deprehenſus fuerit. Si quis culpam ſuam vel alterius defenderit. Si quis in reprehenſione ſua jurgium fecerit. Si quis in illum, a quo reprehenſus eſt, vel quemlibet alium maledicta ſeu verba inordinata & inreligioſa malitioſe invexiſſe deprehenſus fuerit. Si quis fratrum præteritam culpam, de qua ſatisfecit, improperaverit. Item gravis culpa eſt, ſi quis male de patribus, vel fratribus, vel domibus ſuis malitioſe evomerit, quæ teſtimonio fratrum ſuorum probare nequiverit. Si quis cum femina in loco ſuſpecto vel inhoneſto ſolus, vel de inhoneſtis loquutus fuerit. Si quis jejunia ab eccleſia inſtituta ſine cauſa & licentia fregerit. Pro hujuſmodi culpis & ſimilibus veniam petentibus & non reprehenſis tres dies in una hebdomada in pane & aqua dentnr jejunandi, & in illa hebdomada a menſæ participatione privetur; pſalmos autem, antiphonas in oratorio non imponat, nec lectionem legat. Poſt fratrum refectionem ſolus reficiat, ut ſi verbi-gratia fratres reficiunt hora VI. ille IX., ſi fratres nona, ille veſpertina. Diebus quoque ferialibus ante altare juxta gradus proſtratus jaceat, ſollemnibus vero maneat curvus juxta gradus in fine horarum operis Dei, videlicet quando dicitur Kirie eleiſon, uſque ad finem operis Dei, poſtea revertatur, & ſic faciat ſingulis diebus uſque ad ſatisfactionem completam. Reprehenſis vero una dies & una diſciplina ſuperaddatur. Præter hoc autem pſalmi & veniæ ſecundum quod diſcretioni correctoris viſum fuerit, pro qualitate culparum injungantur. Eadem pœna digni ſunt, qui poſtquam miſſi fuerint, vel ad petitionem ſuam iverint, ultra terminum ſibi aſſignatum moram fecerint malitioſe.

De graviori culpa, Cap. XXVII.

Gravior culpa eſt, ſi quis pro contumacia vel manifeſta rebellione inobediens prælato ſuo intus vel foris proterve cum eo contendere præſumpſerit vel auſus fuerit. Si crimen capitale commiſerit. Si quis procuraverit, quod ipſe vel alius eximatur a poteſtate ſui prælati. Si quis rem ſibi collatam receperit, de his, quæ prohibentur in regula recipi. Si reprehenſus fuerit, ſtatim ſponte ſurgat, & veniam petens ſceleris ſui immanitatem lamentabiliter proferat, & denudatus, ut dignam accipiat ſuis meritis ſententiam, vapulet, quantum prælato placuerit, & ſit omnium noviſſimus in conventu, ut qui culpam perpetrando non erubuit membrum fieri diaboli, ut reſipiſcat, ſequeſtretur a conſortio ovium Chriſti. In refectorio quoque ad communem menſam non ſedeat cum ceteris, ſed in loco, quem ſibi abbas providerit, ſolus manducabit. De qualitate autem & quantitate ciborum & potus ſit in poteſtate abbatis. Reliquiæ vero cibi & potus illius cum reliquiis aliorum non miſceantur, ut cognoſcat ſe ita ſequeſtratum a conſortio aliorum, quod privetur, niſi per pœnitentiam redeat ad conſortium angelorum. Ad canonicas horas & ad gratias poſt commeſtione ante hoſtium eccleſiæ tranſeuntibus fratribus jaceat, dum intrant & exeunt. Nullus audeat ſe jungere illi, vel aliquid mittere. Prælatus vero, ne in deſperationem poſſit labi, mittat ad eum, qui in graviori culpa eſt, ſeniores, qui commoneant eum ad pœnitentiam, provocent ad patientiam, foveant per compaſſionem, hortentur ad ſatisfactionem, adjuvent per ſuam interceſſionem, ſi viderit in eo humilitatem cordis, quibus etiam ſuffragetur totus conventus, nec renuat prælatus cum eo facere miſericordiam; & ſi videtur ei, denuo vapulet ad pedes ſingulorum, primo prælati, deinde utriuſque lateris ſeſſorum. Talis, quamdiu erit in hac pœnitentia, non communicet, nec veniat ad oſculum pacis, nec etiam imponat pſalmos aut antiphonas, vel aliquod officium in eccleſia exerceat; nec ulla committatur ei obedientia ante plenariam ſatisfactionem, & ſui prælati juſſionem. Eodem modo pœnitere debet, qui in peccatum carnis lapſus fuerit, & gravius ceteris puniri cenſemus. Si quis tale quod extra monaſterium commiſerit, frater qui cum eo eſt, ſtudeat exceſſum ejus quam citius prælato corrigendum intimare. Correctus autem ad locum, in quo tale quid commiſerit, non redeat, niſi ita religioſe fuerit converſatus, quod generale vel particulare capitulum illuc ipſum cenſeat reverſurum. Si vero hujuſmodi peccatum occultum fuerit, ſecretam, ſecundum tempus & perſonam, condignam agat pœnitentiam. Si quis per conſpirationem vel conjurationem, vel malitioſam concordiam adverſus prælatos ſuos manifeſte ſe erexerit, ſupradicto modo pœniteat, & de cetero in vita ſua ultimum locum ſui ordinis teneat, & vocem in capitulo niſi in ſuam accuſationem non habeat; neque ei aliqua obedientia injungatur ſine diſpenſatione ſui prælati. Si quis tamen fratres non malitioſe, ſed in veritate adverſus prælatum aliquid ha-

buerint, quod tolerari non debeat, nec deceat, prius inter se cum omni humilitate, reverentia & caritate de sua correctione admoneant. Quod si frequenter admonitus se corrigere neglexerit aut contempserit, priori Camaldulensi significent, vel ejus visitatori, cum ad eamdem domum visitandam venerit, causa manifeste indicetur, vel capitulo generali vel particulari significent. Aliter prælatum suum subditi infamare non præsumant.

De gravissima culpa. Cap. XXVIII.

GRavissima culpa est incorrigibilitas illius, qui nec culpas timet admittere, & pœnas recusat ferre. De quo præceptum est patris nostri beati Benedicti, ut abbas utatur ferro abscissionis, ut ait Apostolus: Auferte malum ex vobismetipsis; & iterum: Infidelis si discedit, discedat, ne una ovis morbida totum gregem contaminet; & Apostolus: Hæreticum hominem post correctionem adhibitam, & incorrigibilitatem patefactam devitare jubet, tamquam peccantem peccatum ad mortem, quia subversus est, qui hujusmodi est. Hic quidem habitu exutus & vestibus secularibus indutus exire cogendus est, & sicut a corde professionem abjecit, sic & acceptæ professionis insignia deponere compellatur, si tamen usque ad horam illam sani & integri sensus extiterit. Nemini vero aliter sub qualibet occasione umquam est danda materia recedendi, ne ordo & monastica disciplina veniat in contemptum, dum habitus religionis monasticæ despicitur ab indignis.

De modo intrandi gravem culpam. Cap. XXIX.

DUm aliquis gravi culpæ subjicitur, accipiat in ipso judicio disciplinam, deinde injunctam sibi pœnitentiam, subjiciat se gravi culpæ, ponens statim caputium in capite, & exeat de capitulo in locum, quem providerit ei abbas competere, deputeturque ei senex discretus ad solatium, qui eum consoletur & provocet ad humilitatem, ne eum amplior tristitia absorbeat, injungaturque pro eo in capitulo specialis oratio, ut sicut dicit Regula, oretur pro eo ab omnibus. Debet autem abbas attendere & corporis valetudinem, & culpæ modum; nam secundum hoc extenuari culpa debet vel gravari. Refectionem autem percipiat mensura & hora, quam providerit ei abbas competere, sicut in Regula continetur. Ad fores namque ecclesiæ prostratus jaceat in terra, dum fratres conventualiter intrant & exeunt ecclesiam habens caputium in capite. Quoties siquidem divinum celebratur officium, caputium in capite tenere, & prostratus in terra jacere minime compellatur. Cum autem in capitulo recipiendus fuerit, ad jussionem abbatis usque ad ingressum capituli caputium habeat in capite; quo deposito veniens ante abbatem prosternat se ante pedes ejus super genua, & super articulos manuum. Deinde ante priorem, & sic per singulos fratres, illis non inclinantibus, nec adjuvantibus ipsum, sed quiete manentibus. Quoties ante abbatem transierit, inclinet, & sic veniens stet, ante non petens veniam, donec jussus ab abbate eat sessum. Nec ponatur ea die in ordine suo, nec officium aliquod exequatur, usque ad jussionem abbatis, sed dum completur opus Dei tam in ecclesia, quam extra, prosternat se in terra in loco, in quo stat, donec jussus a prælato quiescat ab hac satisfactione.

De homicidis & percussoribus. Cap. XXX.

SI quis de ordine nostro homicidia perpetraverit, si personam nostri ordinis occiderit, teneatur sub arctissima custodia & durissima pœnitentia usque ad mortem. Quicumque laicam personam occiderit, si dolo vel malitia perpetraverit, carceri perpetuo mancipetur; si vero pro defensione suæ personæ vel ordinis hoc egerit, constitutione hujusmodi non ligetur; si vero mutilaverit, aut quocumque modo alium percusserit, secundum qualitatem culpæ mensura correctionis extendatur.

De iis, qui minantur incendium. Cap. XXXI.

QUi minantur incendium vel homicidium, vel improperant mortem alicujus alicui, mittantur Camaldulum cum literis continentibus veritatem.

De injuriis. Cap. XXXII.

STatuimus, quod si frater fratri facto vel dicto injuriam aliquam inferre præsumpserit, qui injuriam passus est, injurianti fratri contumeliose non respondeat, nec facto, nec dicto suam præsumat injuriam vindicare, sed propter Deum studeat tam corde, quam corpore patientiam conservare, & injuriam illatam ex corde dimittere debet. Ille vero, qui injuriam intulit, pro quantitate vel qualitate illatæ injuriæ a prælato suo puniatur. Et si aliquis de fratribus scit aliquem injuriam fratri suo fecisse, eum accusare in capitulo non moretur, & pro illa-

illata injuria, ſi levis eſt, ponatur in levi culpa, & ſi gravis, in gravi culpa ponatur, vel ſecundum qualitatem & quantitatem injuriæ magis vel minus juxta ſeniorum arbitrium puniatur. Si vero de verbis ventum fuerit ad verbera, ille qui verberavit, mittatur Camaldulum, & ejus culpa per literas prælati priori Camaldulenſi inſinuetur. Abſoluto autem ſecundum ordinem apud Camaldulum, ſi ejus exceſſus fuerit nimis enormis, gravior pœnitentia injungatur, quam pœnitentiam per ſuas literas prior Camaldulenſis ſuo prælato ſtudeat integraliter intimare.

De improperantibus. Cap. XXXIII.

STatuimus, quod ſi quis monachus per literas prioris Camaldulenſis in quovis monaſterio Camaldulenſis ordinis collocatus fuerit a prælato, ab omnibus aliis pro monacho ejuſdem loci, tamquam ſi ab initio in eodem profeſſionem feciſſet, & habitum monaſticum ſuſcepiſſet, habeatur. Et non præſumat aliquis, eo quod habitum ibidem receperit, aliis in eodem loco per literas Camaldulenſis prioris collocatis improperare, quod monachi non ſint, vel quod ſint advenæ, aut ſimilia. Quod ſi fecerit, pro prima vice recipiat diſciplinam, pro ſecunda ponatur in gravi culpa, pro tertia mittatur Camaldulum per priorem Camaldulenſem alibi collocandus, ut ſciat per experientiam, quod non ſolum illius loci, in quo recepit habitum, monachus eſt, verum etiam ordinis univerſi.

De Sortilegis. Cap. XXXIV.

QUi convictus fuerit, aut publice confeſſus de ſortilegio vel quolibet divinationis genere, quod fecerit, aut fieri conſenſerit, ſi monachus aut converſus eſt, ſex diebus in tribus hebdomadis continuis ſit in pane & aqua; & per annum, præter quam in paſcha, vel niſi egerit in extremis, ab altaris participatione ſuſpenſus, & omnium ultimus habeatur. Prælatis vero pœnitentia duplicetur.

De iis, qui pro creatione abbatis, vel ordinatione aliqua adeunt potentes. Cap. XXXV.

QUi pro abbatis creatione vel aliqua monaſterii ordinatione ſeculares adeunt, & auxilia eorum implorant, a domibus propriis eliminentur, nonniſi per priorem Camaldulenſem in capitulo generali reverſuri. Ille vero, pro quo petitio facta fuerit, ſi de ejus ſuggeſtione emanaverit, in ipſa domo nullatenus promoveatur in prælatum.

Ne quis recurrat ad auxilium ſecularium. Cap. XXXVI.

STatuimus, quod prælati vel ſubditi noſtri ordinis contra priorem Camaldulenſem, vel ejus viſitatorem pro correctionibus faciendis non recurrat ad auxilium, defenſionem vel confugium laicorum ſecularium aut clericorum. Idem de ſubditis contra prælatos ſuos. Qui autem hujuſmodi ſtatuti prævaricator extiterit, ad præceptum domni prioris Camaldulenſis vel ejus viſitatoris graviſſimæ diſciplinæ ſubdatur. Sed ne rigor monaſticæ diſciplinæ propter nimiam ſuperbiam, quam ſubditi exercent contra prælatos, prælati & ſubditi contra priorem Camaldulenſem vel ejus viſitatorem valeat enervari, volumus, quod ſi ſubditi contra prælatos ſuos, vel prælati ſubditi contra priorem Camaldulenſem machinationem vel ſeditionem aliquam facere præſumpſerint, ſi rebelles & incorrigibiles perſeveraverint, prælati ad cohibendam contumaciam ſubditorum, prior Camaldulenſis vel ejus viſitator ad refrænandam inſolentiam & contumaciam prælatorum & ſubditorum, ad brachium ſeculare poſſint habere recurſum; quia dignum eſt, ut quos Dei timor a malo non revocat, vel eccleſiaſticæ diſciplinæ ſeveritas revocare non poteſt, per poteſtates vel principis ſecularis potentiam a ſuis iniquitatibus refrænetur.

De eccleſiis, quæ reguntur per monachos. Cap. XXXVII.

IN eccleſiis vero ordinis noſtri, quæ reguntur per priores monachos, præcipimus, quod de cetero ipſi priores ſoli non maneant, ſed habeant ſolatium monachum vel converſum. Statuimus etiam, quod in eccleſiis, quæ conſueverant regi per monachum, & nunc reguntur per converſos, ipſis converſis amotis per priores monachos regantur, & etiam ipſi priores ſocium habeant, ut dictum eſt. Eccleſiæ quoque, quæ conſueverunt regi per presbyteros converſos, clericis ſecularibus non committantur.

Ne monachi vagentur per curtes. Cap. XXXVIII.

MOnachis, quibus clauſtrum propria debet eſſe habitatio, ad curtes quoties mittuntur, ire liceat, ſed non liceat diutius morari, niſi forte ad tempus neceſſitate cogente, & tunc abbate jubente.

De

De fugitivis, qui non revertuntur infra mensem. Cap. XXXIX.

OMnes fugitivi, qui modo extra ordinem sunt, vel a modo exierint, nisi infra mensem redierint, omnium, quos invenerint, ultimi semper erunt. Et monachi, si bis exierint, non promoveantur in prælatos, nisi cum eis dispensetur in capitulo generali per priorem Camaldulensem. Fugitivi vero, qui infra mensem redierint, ad minus sint per annum ultimi. Abbas autem ipsis licentiam cantandi & legendi poterit dare, cum viderit opportunum. Sacerdotes vero de seculo revertentes, si in seculo celebraverint, non celebrent, nisi cum eis dispensetur per capitulum generale. Qui autem aliquibus suaserint, ut exeant vel fugiant, in gravi culpa ponantur. Quando autem aliquis ponitur ultimus pro aliqua sua culpa, non cantet vel legat, nisi jussus ab abbate. Qui autem reverti voluerit, non recipiatur, nisi per priorem Camaldulensem vel ejus visitatorem in eremo.

De monachis exeuntibus de ordine. Cap. XL.

STatuimus, quod monachi, & conversi exeuntes de conventu recipiantur apud eremum Camaldulensem, & per priorem Camaldulensem in aliquo loco ordinis, ubi priori Camaldulensi placuerit, collocentur juxta modum criminis, ibidem pœnitentiam facientes, & pœnitentiæ modum per priorem Camaldulensem, ut in suis literis exprimetur.

De iis, qui exeunt ordinem per peregrinationem. Cap. XLI.

QUi per peregrinationem de ordine exeunt, vel quocumque genere medicinæ, pro fugitivis habeantur. Illi vero, qui faciunt se incidi vel abscindi pro calculo vel ruptura, in ordine ultimi sint omnium usque ad voluntatem prioris Camaldulensis, puniendi, prout placuerit ipsi priori.

De deprehensis in contagio carnis. Cap. XLII.

DEprehensi in manifesto contagio carnis ad aliam domum remittantur de cetero non reversuri, nisi de licentia capituli generalis. De fugitivis, qui uxorem duxerint, vel ex concubinis genuerint, idem fiat.

De iis, qui proprio vitio exeunt de ordine. Cap. XLIII.

MOnachi & conversi, qui cum infamia, vel vitio monasterium egrediuntur vel expelluntur, volumus, ut ad dictum monasterium non revertantur, nisi prius ita emendentur, quod postea sine infamatione in monasterio possint commorari.

De iis, qui removentur pro excessibus. Cap. XLIV.

SI monachus vel conversus pro excessu suo de uno monasterio ad aliud transmittitur, cogatur facere pœnitentiam in illo monasterio, ad quod transmittitur pro dicto excessu, secundum arbitrium domni prioris Camaldulensis vel ejus visitatoris.

De monachis vel conversis, si debeant removeri. Cap. XLV.

STatuimus, quod nec monachi, nec conversi nostri ordinis mutentur, nisi evidens necessitas intervenerit, vel occasio justa, quæ apud priorem Camaldulensem vel ejus visitatorem examinetur & ostendatur. Non removeantur sine prædictorum examinatione, nisi pro animoso & enormi excessu.

Quod non mutentur monachi & conversi nisi per priorem Camaldulensem. Cap. XLVI.

NUllus monachus vel conversus veniat, seu mittatur Camaldulum ad morandum ibi vel alibi sine licentia prioris Camaldulensis, qui autem venerit, nisi ad suum sine dilatione monasterium reverti voluerit, tamquam excommunicatus recipiatur, & tribus diebus in pane & aqua cum salis adjectione contentus carcerali custodiæ mancipetur. Si vero remissus fuerit ad suum monasterium, prælatus ejus sub pœna excommunicationis ipsum recipere teneatur, eidem sicut aliis suis fratribus provisurus.

De monachis & conversis non solvendis a professione. Cap. XLVII.

INhibetur districte, ne prior Camaldulensis monachum vel conversum a professione absolvat, nisi prius sibi constiterit quis ipsius professionem recipiat. Abbati vero, cui committitur, prædictus prior Camaldulensis potest mittere absolutum, si sic viderit expedire.

De conversis ne exeant septa monasterii.
Cap. XLVIII.

VOlumus & firmiter præcipimus, ut conversi extra septa monasterii absque licentia ire non præsumant.

De iis, qui secreta ordinis revelaverint extraneis. Cap. XLIX.

IN virtute Spiritus-sancti & obedientiæ præcipimus observari, ne quis causam depositionis prælati, vel excessum, vel correctionem, vel secretum capituli & ordinis, seu dissensiones fratrum, unde noster ordo possit turbari, vel infamari, audeat scienter extraneis revelare. Si quis vero contra fecerit, ultimus sit omnium, & omni feria VI. sit in pane & aqua usque ad adventum prioris Camaldulensis vel ejus visitatoris per ipsum gravius puniendum.

De iis, qui in prælatum ordinis nostri manum injecerint. Cap. L.

QUi in prælatum suum manus injecerint violentas, ad curiam mittatur absolvendus, & post reversionem suam conspiratorum sententiæ per omnia subjacebit.

De injectione manuum in socium.
Cap. LI.

NUllus prælatorum in aliquem fratrem manus injicere præsumat inordinate, sive contra constitutiones Camaldulenses. Quicumque fratrum manus violenter injecerit in alium, Camaldulum veniat satisfacturus; & si per viam hospitatus fuerit in aliquo monasterio, non intret ecclesiam, neque se ingerat conventui fratrum, sed prælato ejusdem loci, vel alicui idoneo fratri suam excommunicationem denuntiet. Quod si non fecerit, dum per alium cognitum fuerit, pœna sibi duplicetur.

De pœna conspiratorum. Cap. LII.

SI in aliqua domorum nostrarum conspirationem oriri contigerit, quod absit, prior Camaldulensis vel ejus visitator, postquam hoc cognoverit, ipsos conspiratores & auctores, vel magis culpabiles de ipsa domo eliminet penitus, sine spe reversionis, & in aliis domibus ordinis, ad quas missi fuerint, in gravi culpa recipiantur, & ultimi omnium permaneant usque ad nutum capituli generalis. Processu vero temporis potest prior Camaldulensis in capitulo generali concedere, ut qui sacerdos fuerit, in ecclesia sit ultimus sacerdotum. In hebdomada quoque semel accipiat disciplinam in capitulo; omni sexta feria sit in pane & aqua usque ad nutum capituli generalis, nisi grandis sollemnitas vel evidens infirmitas aliquam exegerit dispensationem. Qui verò forte exire noluerint, eis in monasterio manentibus non celebrentur divina, nec eis de bonis monasterii aliqua necessaria ministrentur. Nullus etiam eis injungatur in colloquio seu consortio. Qui vero auctoribus hujus mali se immiscuerint, & citius resipiscentes emendationi se non obtulerint, in ipsa domo sint in gravi culpa, & semel in hebdomada in capitulo recipiant disciplinam, & omni VI. feria sint in pane & aqua, & ultimi omnium usque ad nutum capituli generalis. Si vero in pertinacia sua permanserint, & exire, ut dictum est, noluerint, ad ipsorum expulsionem invocetur brachium seculare. Est an. . . apud nos specialis conspiratio contra ordinis disciplinam & majorum instituta confœderatio.

De non recipiendis excommunicatis.
Cap. LIII.

PRæcipimus sub pœna excommunicationis vel officii tam prælatis, quam subditis, quod non recipiant excommunicatos ordinis, nec cum eis habeant aliquam participationem.

De excommunicatione impetrantium contra ordinis instituta. Cap. LIV.

NUllus contra communia ordinis instituta privilegium, indulgentiam, seu literas quascumque quolibet modo postulet, vel obtentum tale quis audeat retinere, præter consensum prioris Camaldulensis; excommunicamus omnem tam conventum, quam personam, qui vel quæ contra venire præsumpserint.

De sententia excommunicationis.
Cap. LV.

ORdinamus & etiam præcipiendo mandamus, quod singulis annis in dominica Palmarum quilibet prælatus ordinis nostri in capitulo suo monachos & conversos proprietatem habentes excommunicet, & denunciet excommunicatos accensis candelis, cum ipso jure sint excommunicati, & in reos furti, & conspiratores, & priori Camaldulensi & suis prælatis rebelles, & de conventu sine licentia exeuntes. Idem faciat prior Camaldulensis de prælatis.

Explicit liber II. de Moribus.

IN-

INCIPIT LIBER III. CONSTITUTIONUM B. MARTINI III. PRIORIS CAMALDULENSIS.

De vestimentis, & stramentis lectorum. Cap. I.

QUilibet monachus habeat tres tunicas vel quatuor, duas cucullas & duo scapularia, pallium pelliceum vel de panno, duo paria caligarum sine pedulibus, pedules per se habeant, subtellares diurnos & nocturnos amplos quidem, tamen non nimis altos; unum pelicionem, scapulare pelliceum, & pelles, quas habere potuerit, non negamus. Cappas vero prælatis & aliis officialibus concedimus, quando pro utilitate monasterii diriguntur. Dum sunt in via, cappas deferre permittimus. Corrigias fixas ante omnes alias commendamus, sed qui pro necessitate fibulis uti voluerit, ligneis, corneis, osseis, dummodo non eburneas, habeant, & etiam ferreas & æreas non negamus. Omnes tamen quolibet artificio careant, & conserventur & claventur corrigiis. Cultellos depictos deargentatosque in ferro vel manubrio prohibemus; manubria vero lignea, cornea vel ossea sint, non tamen eburnea vel modo alio peregrina. Bursas prælatis & camerariis concedimus, & procuratoribus & sindicis, cum pro causis vel negotiis monasterii diriguntur. Sigilla tantum prælatis concedimus, aliis vero penitus denegamus. Stramenta lectorum habeant fratres, ut regula præcipit, videlicet fisconem plenum paleis, vel feno, capitale & coopertorium, sive lenam. Conversi vero scapularia stricta & usque ad genua habeant propter opera, aliis quoque temporibus habeant longiora & ampliora, sive cappas. Duas tunicas habeant usque ad mediam tibiam. Qui vero lineis non utuntur, quatuor tunicas habeant, duo paria caligarum & duo subtellarium; corrigias, cultellos, capellos, & stramenta lectorum, ut monachi. Prælati vero suis fratribus præfata omnia liberaliter studeant exhibere, & alia superflua omnia resecare. Negligentes vero in exhibendis necessariis & resecandis superfluis per priorem Camaldulensem vel ejus visitatorem graviter corrigantur, ut inreprehensibiles appareant vita, habitu & tonsura. Præfata autem omnia ordinate sint incisa, videlicet subtellares ampli & lati, ita quod genua non pertingant. Manicæ tunicarum monachorum & conversorum sint amplæ, ita quod clausum pugnum facile possit exire. Cappucia capparum & cucullarum non sint acuminata, nec ex parte acuminis nimis longa. Suturæ scapularium juxta regulam sint altitudinis unius unciæ, cucullæ duarum unciarum, & sit incisura recta & non sub gula fulcata. Manicæ vero cucullarum usque ad medium brachium replicentur. Cappæ in claustro nullatenus deportentur. Caligas lineas excepto quam infirmis crurium denegamus; monachi vero omni tempore cum fuerint sine cuculla, sint cincti singuli super scapularibus.

De qualitate vestimentorum. Cap. II.

LIcet per Dei gratiam fratres nostri ordinis generaliter ordinatis pannis utantur; si quis tamen de cetero tam protervus & contumax repertus fuerit, ut ultramontaneos pannos & alios peregrinos cardatos pannos de stamine forti, & pelles silvestres vulpinas & leporinas, capellos acu factos vel sub gula ligandos, nisi rotundos, duplellos, infulas lineas, osattos, subtellares suberatos, planellas & cibellos, floccos sine capuciis super scapulare, chirothecas, culcitreas in dormitoriis monachorum & conversorum, linteamina cultrasque tenere vel vestes, nisi albas & clausas, & calciamenta fibulata vel alia inordinata & cum becchetis habere, & prælatis per priorem Camaldulensem & subditis per suos prælatos cum dedecore auferantur, transgressorum nullam permutationem in pannis seu aliis reddituros, & per hebdomadam in gravi culpa ponantur. Cum capellanis vero conversis sui prælati possint secundum Deum & honestatem nostri ordinis dispensare. Si vero prælati in auferendis inordinatis vestibus subditorum suorum negligentes fuerint & remissi similiter, licet in suis indumentis innocentes existant, per hebdomadam in gravi culpa ponantur, secundum arbitrium prioris Camaldulensis vel ejus visitatoris, ut secundum magis & minus possint punire negligentias prælatorum & protervias subditorum.

De vestimentis clericorum & conversorum. Cap. III.

STatuimus & districte præcipimus, quod sacerdotes nostri conventus alba & clausa deferant indumenta & regulariter vivant, & præcipue illi, qui in conventu cum monachis, in ecclesia, in dormitorio, in refectorio & in aliis locis morantur, in vestimentis, in cibariis,

riis, & in omnibus aliis talem vitam ducant, ut veros conversos se esse demonstrent. Si vero contra hoc fecerint & admoniti non emendaverint, graviter puniantur. Si autem in sua contumacia perseveraverint a priore Camaldulensi seu suo visitatore graviter judicentur.

De stamineis pannis. Cap. IV.

OMne indumentum de staminea interdicimus præter linteamina, & in calidis locis scapularia dedalica tantum cum parvo filo nigro; conversis vero camiseas stamineas non negamus,

De opere manuum. Cap. V.

VIdentes apostoli & alii patres antiqui, & præcipue reverendus pater noster beatus Benedictus, quod otiositas inimica est animæ, sicut ipse dicit in regula sua, ipsi propriis manibus laboraverunt, & religiosis viris opera manuum exercere magnopere præceperunt. Ideo nos eorum vestigiis inhærentes firmiter ordinamus, quod fratres nostri conventus de cetero, secundum quod regula præcipit, studeant propriis manibus laborare. Et hoc dicimus tam in parvis monasteriis, quam in magnis. Tunc enim vere monachi sunt, si otiosi non maneant, sicut in regula continetur. Sed ne aliquis de dispositione locorum causari possit dicens, tale monasterium non esse apertum ad opera manuum exercenda, quia situm est in civitate, in aliquo castro vel villa, propterea constituimus, quod in illis monasteriis, quæ secundum dispositionem locorum aperta sunt ad exteriora opera, ea exercere non postponant. In illis vero domibus, quæ apertæ sunt ad exteriora opera manuum, interiora opera facere non obmittant; verbigratia omne opus, quod in claustro vel intra officinas licitas monasterii fratres honeste & licite possunt facere, non recusent, vel si scit scribere, scribat pro monasterio. Quilibet etiam faciat opus, quod novit, secundum quod a prælato suo sibi fuerit in locis congruis deputatum, & tempore opportuno. Qui vero opus sibi injunctum facere contempserit, eo die in pane & aqua jejunet. Si contumax fuerit, ponatur in gravi culpa.

De uniformitate ordinis. Cap. VI.

NUlli prælatorum vel subditorum liceat ordinem nostrum vel officium, vel consuetudinem nostri conventus in aliquo variare.

De monialibus, ne habeant proprium, & quibus confiteantur. Cap. VII.

MOniales ordinis nostri sine proprio vivant; capellanum vero non habeant, nisi conversum honestum; confessores nullatenus recipere audeant, nisi monachum vel conversum nostri ordinis, & tunc de licentia abbatissæ. Abbatissa vero & omnes moniales nostri ordinis loquantur de confessione per fenestram ad hoc deputatam, præter graviter infirmantes, & exceptis visitatoribus, cum quibus in capitulo loqui possunt. Si autem excommunicatæ fuerint, a priore Camaldulensi debeant absolvi, vel ab alio, cui commiserit vices suas. Quod si confessæ fuerint alteri personæ, quam ut dictum est, pro unaquaque vice jejunent in pane & aqua, & talis pœnitentia sit irrita & inanis.

De habitu monialium. Cap. VIII.

UNiversæ moniales nostri ordinis in singulis domibus habitum habeant uniformem, videlicet cucullam vel mantellum cum scapulari sine caputio, & scapularibus tempore laboris, & velaminibus semper nigris, & sint sine caputiis tam scapularia, quam cucullæ. Vestimenta autem illarum ita sint longa, ut pedes cooperiant, & per terram aliquatenus non trahantur, & manicæ tunicarum ita sint amplæ, ut pugnus clausus facile possit extrahi. Pannos de stamine forti & alios inordinatos, & superius prohibitos monialibus sicut & monachis prohibemus. Et quia abbatissæ capitulum generale non habent, nec ad ipsum vadunt, veniam de suis excessibus, tam in visitatione, quam alias, quotiens fuerint coram visitatore, vel de ejus præcepto repræhendantur & corrigantur.

De mulieribus, ne intrent claustrum monialium. Cap. IX.

INhibetur a capitulo generali; ne dominæ nobiles & aliæ mulieres in claustris vel dormitoriis monialium vel in infirmitoriis pernoctare de cetero permittantur.

De non intrando monasteria monialium. Cap. X.

NUllus frater nostri ordinis causa loquendi vel noctandi divertat ad monasterium monialium cujuscumque ordinis vel reclusas, nisi de abbatis sui licentia speciali. Qui contra venire præsumpserit, in visitatione veniam petat, & a visitatore graviter puniatur.

De

De non intrando claustrum monialium. Cap. XI.

NUllus præter visitatores claustra monialium ingrediatur, nisi fuerit tam reverenda persona & honesta, quod ei sine scandalo nequeat denegari. Nec pueri in claustris monialium doceantur, nec puellæ nisi novitiæ ad probationem receptæ.

De taxando numero monialium secundum facultates earum. Cap. XII.

STatuimus, ut secundum facultates monasteriorum monialium prior Camaldulensis taxet numerum omnium personarum ibi commorantium, & abbatissa sive moniales taxatum numerum non excedant, absque licentia prioris Camaldulensis. Quæ vero contravenerint, omni sexta feria sint in pane & aqua usque ad capitulum generale, in ipso capitulo per sufficientem nuntium veniam petituræ.

De mulieribus, quæ intrant claustrum monachorum. Cap. XIII.

MUlieres, necnon & moniales in aliquod claustrum monachorum nostri conventus non permittantur intrare, nisi in exequiis mortuorum, ubi non possent sine scandalo coerceri. Quod si quis prælatus consenserit vel subditus, si prohibere poterit, sit in gravi culpa per mensem.

Quod moniales observent præsentes constitutiones. Cap. XIV.

PRæcipimus, quod in monasteriis monialium præsentes constitutiones observentur, quemadmodum præcipimus in monachorum monasteriis observari, & in earum monasteriis capitulum quotidie celebretur. Præcipimus etiam, ut & quælibet monialium seu conversarum, si qua habet pecuniam, debeat eam assignare in manibus abbatissæ vel prioris Camaldulensis in utilitatem monasterii convertendam. Et ne aliqua monialium seu abbatissa aliquam inhonestam familiaritatem cum clerico vel laico intus vel extra præsumat habere, sed cum necesse fuerit loqui cum aliquo, talem societatem habeant, & in tali loco morentur, quod inibi nulla suspicio possit oriri. Si vero aliquando istam consuetudinem nostram non observaverit, & admonita se non emendaverit, prima vice ponatur in gravi culpa, & si sic se non emendaverit, in graviori culpa ponatur, quousque se emendet.

De juramento vitando. Cap. XV.

SI quis prælatus nostræ congregationis a modo juramentum fecerit sine inevitabili necessitate, vel magna utilitate monasterii, per mensem in gravi culpa ponatur. Quicumque de cetero abbas, monachus vel conversus privatas fidelitates vel juramenta credentiæ acceperit, vel perstiterit in detrimentum monasterii & ordinis, & periculum animarum suarum, per quindecim dies in gravi culpa ponatur.

De debito non contrahendo. Cap. XVI.

PRæcipimus expresse, quod majores prælati nostri ordinis de cetero non faciant debitum ultra quantitatem L. librarum; mediocres autem ultra quantitatem XXV. librarum; minores vero ultra quantitatem X. librarum; castaldi vero ultra quantitatem XL. solidorum, nisi pro solvendis tantummodo debitis jam antea contractis, vel alia magna & inevitabili necessitate, quam tamen teneatur prælatus ostendere priori Camaldulensi. Abbas, prior, cellerarius, necnon alii, quorum consilio contra præsumptum fuerint, a tempore factæ transgressionis ecclesiam non intrent, donec cum eis per priorem Camaldulensem dispensetur.

De debitis contractis. Cap. XVII.

PRælati cum suis conventibus priori Camaldulensi in capitulo generali scribant debita suorum domorum singulis annis, & causas etiam debitorum.

De non eundo ad mercatum. Cap. XVIII.

AD mercatum non vadant fratres nostri ordinis, neque aliquid comparent aut vendant, nisi quibus jusserit abbas. Responsa & negocia omnia, quæ fieri possunt utiliter per conversos, nequaquam per monachos fiant.

De rebus ecclesiæ non alienandis. Cap. XIX.

FIrmiter statuimus per veram obedientiam & Spiritus-sancti virtutem, & sub pœna excommunicationis, præcipientes districte prælatis & subditis nostri ordinis universis, quod nullam possessionem librorum vel thesaurorum ecclesiæ audeant alienare, vendere, vel pignori obligare, neque de novo infeudare, vel ad livellum dare, servum vel ancillam libertate donare, colonos & ascriptitios, fideles, seu perpetuos censuales liberare, affictus, census, decimas quoque & perpetuos redditus remittere, vel contractus aliquos in

in deterius commutare audeat sine manifesta utilitate monasterii, & prioris Camaldulensis licentia speciali. Si quis prælatus contrafecerit in aliquo prædictorum, suspensus ab officio moretur Camalduli secundum arbitrium prioris Camaldulensis. Fratres vero consentientes hujusmodi contractibus in graviori culpa alternatim per xv. dies commorentur. Alienationem quoque & contractum contra prædictum statutum factam, vel factum generali non approbante capitulo, irritam decernimus & inanem. Innovare vero livella antiqua & feuda secundum antiquam & laudabilem locorum consuetudinem non vetamus. Si quis autem prælatus vel subditus aliquid inde receperit, reddere monasterio compellatur.

De dilapidatoribus. Cap. XX.

STatuimus, ut si quis prælatorum nostri ordinis dilapidator suæ domus fuerit manifeste inventus, vel vitio carnis lapsus, seu priori Camaldulensi rebellis extiterit, & de prædictis convictus fuerit, vel palam sponte confessus, sine spe recuperationis ab officio suæ administrationis penitus amoveatur, & sibi alia pœna secundum modum culpæ injungi debeat a priore Camaldulensi.

De libris & privilegiis non retinendis. Cap. XXI.

LIbros & privilegia, & instrumenta Camaldulensis eremi cujuslibet monasterii seu ecclesiæ nostri ordinis, & quaslibet alias res ultra decem solidos valentes quæcumque persona nostri ordinis ultra duos menses tenere præsumpserit contra voluntatem nostram & cujuslibet prælati, ad quem pertinet, vel si scierit, non propalaverit infra duos menses, postquam sciverit domino rei vel suo certo nuncio, ipsam rem detinentem, & etiam scientem & non propalantem excommunicationis vinculo innodamus. Ad cautelam denique futurorum statuimus, ut in quolibet monasterio scrinium habeatur cum duabus clavibus & diversis, quarum unam prælatus teneat, & alteram fideli fratri commendet, & in eo scrinio privilegia & instrumenta omnia fideliter conserventur. In quo scrinio teneatur quaternus, & in eo scribantur privilegia, & chartæ, cum de scrinio extrahuntur, notando diem & personam recipientem, & scriptura, cum restituerit, deleatur.

De reis furti. Cap. XXII.

STatuimus, ut reis furti tres dies in pane & aqua imponantur, pro re, quæ valet a sex denariis usque ad XII., & sex dies imponantur pro re, quæ valet a XII. denariis usque ad solidos tres. Pro majori quantitate secundum discretionem prælati, & quantitatem furti pœniteat, & in utroque casu absolvatur, & qualibet die jejunii recipiat disciplinam.

De proprietariis. Cap. XXIII.

PRoprietatem pecuniæ juxta mandatum regulæ omnibus denegamus. Quicumque vero libros de seculo attulit, vel in monasterio fecerit, usum eorum habeat in vita sua, & in finem ad monasterium, ubi suscepit habitum, vel in quo librum vel libros fecit, revertantur, & hoc ipsum in eodem libro scribatur. Præcipimus universis prælatis & subditis per veram obedientiam & Spiritus-sancti virtutem, & sub pœna excommunicationis, ut qui sciverit aliquem fratrem nostri conventus pecuniam inordinate retinere, quam citius poterit sine malitia subditi suis prælatis studeant in capitulo intimare. Si vero de prælatis subditi sciverint aliquem enormiter pecuniam retinere, priori Camaldulensi studeant aperire. Si vero aliquis prælatus vel subditus contra prohibitionem superius scriptam totam prædictam pecuniam vel partem ipsius malitiose, ut monasterium ea fraudetur, alicui amico suo, vel etiam de consanguinitate sua contulerit, postquam hoc ad notitiam prælati de subdito, vel prioris Camaldulensis de prælato pervenerit, per xv. dies in gravi culpa ponantur.

De donis & literis. Cap. XXIV.

DE donis, literis, munusculis non donandis, nec recipiendis a quoquam hominum sine licentia sui prælati omnino vetatur, sicut in regula continetur. Transgressores ad minus in capitulo verberentur. Consideret autem abbas quantitatem, & modum donationis, & secundum hoc pœnam correctionis extendat.

De pecunia penes officiales non custodienda. Cap. XXV.

QUicumque officialis monachus vel conversus officii sui causa aliquam pecuniam habuerit, non penes se retineat, nisi modicum aliquid de abbatis sui licentia speciali, sed alteri fratri, cui prælatus jusserit, custodiendam committat, & de con-

consilio & consensu proprii prælati expendat. De receptis vero & expensis prælato & capitulo rationem semel in hebdomada, vel ad minus reddat in mense.

De fidejussione & custodia depositorum. Cap. XXVI.

NUllus de ordine nostro pro aliqua persona vel ecclesia nisi de ordine nostro fidejussorem se constituat; deposita vero non recipiantur; alicujus arcæ, vel aliquid suppellectilis, vel pecuniæ depositum intra septa monasteriis, nec in suis domibus admittatur.

De cavendis causis & negotiis secularium. Cap. XXVII.

CAveant prælati & subditi, quantum poterunt, causas & negotia secularium personarum stabilire vel procurare, & in domibus suis sint magis assidui; & divortia sive alia hujusmodi, quæ sine scandalo ordinis nequeunt procurari, per personas ordinis nostri nullatenus procurentur, nec intersint personæ ordinis placitis, nisi suis, aut aliorum de ordine.

De querelis infra ordinem terminandis. Cap. XXVIII.

QUando scandalum seu dissensiones, vel qualibet querelæ in ordine oriuntur, extra ordinem numquam exeant, sed intra ordinem & personas ordinis caritative & discrete ad ordinis unitatem sopiantur.

De seductoribus. Cap. XXIX.

NUllus prælatus per se vel per alium aliquem fratrem seducere præsumat, quod si fecerit, & seducto fratre careat, & in generali capitulo graviter puniatur.

De contentionibus & detractionibus. Cap. XXX.

QUicumque monachus vel conversus protervam correctionem cum prælato aut cum fratre suo fecerit, & verba furiosa dixerit, si sua sponte statim juxta mandatum regulæ satisfacere noluerit, in gravi culpa ponatur. Si quis detractor vel discordiæ seminator manifeste inventus fuerit, similem pœnam patiatur.

Quod nullus habeat de cetero duo Beneficia. Cap. XXXI.

NUllus prælatus vel subditus duo Beneficia audeat in nostro ordine retinere, nam secundo suscepto, intelligitur primo privatus.

De hospitibus tam nostri ordinis, quam alieni. Cap. XXXII.

STatuimus, ut fratres nostri ordinis, Vallis-umbrosæ, & sanctæ Crucis Fontis-avellanæ, quasi uno caritatis officio monachi cum monachis, conversi cum conversis hilariter & benigne suscipiantur a nostri ordinis prælatis & subditis universis. Idemque liceat prælatis ordinis nostri facere hoc prælatis & cunctis religiosis vicinis atque notis videlicet. Clerici quoque seculares, ut puta cathedrales canonici, & alii curam animarum habentes honorifice recipiantur in curia, & si curia non esset ad hoc apta & conveniens, & clerici essent honorabiles personæ, provideat prælatus super hoc, sicut sibi videbitur expedire. Laici vero secundum qualitatem eorum in curia honorentur. Volumus etiam, ut fratres nostræ congregationis & etiam religiosi prædicti in aliquo monasterio supervenientes, si presbyter est, ubique in ordine super aliis sacerdotibus collocetur, similiter diaconi super diaconibus, & sic de singulis in suo ordine præter eremitas Camaldulensis eremi pro reverentia prædictæ eremi quocumque sacro ordine fungantur, & præter subpriorem Fontis-boni, camerarium, & cellerarium ejusdem loci, quos in mensa abbatis volumus honorari. In qualibet ecclesia cujuslibet monasteriorum nostrorum præbeatur hospitalitas universis nostri conventus illuc accedentibus, sicut in ipso monasterio secundum possibilitatem ipsius. Quod si quis negligens in receptione prædictorum fuerit vel avarus, per hebdomadam in gravi culpa ponatur.

De modo loquendi cum hospitibus. Cap. XXXIII.

LIcet secundum beati Benedicti regulam, & prædecessorum nostrorum statuta, nulli hospiti vel advenienti sine licentia sit loquendum, nos tamen rigori aliquid subtrahentes statuimus, quod fratres nostri ordinis postquam in ecclesia oraverint, aquam benedictam receperint, & pacem inter se fecerint, cum omni caritate & modestia, de his, quæ necessaria fuerint, ad invicem colloquantur, pauca tamen & rationabilia verba ordinate sedentes, & non se more secularium amplexantes, sed eis necessaria studeant, prout cuique congruit, per se ac alios hilariter ministrare. Nullus tamen hospes ultra triduum in aliquo monasterio maneat, vel etiam teneatur, nisi inevitabili necessitate cogente. Post unam vero diem moretur in ordine suo, sicut alii fra-

fratres ejusdem domus, nec exeat pro aliqua causa de monasterio sine prælati illius loci licentia, dicatque negotium, pro quo vadit. Cum secularibus loqui officiales, & etiam alii cum licentia possint, familiaritatem vero ipsorum omnino devitent, ne forte propter hoc nostrum, quod absit, ministerium vituperetur.

De hospitibus & hospitalitate pauperum. Cap. XXXIV.

VOlentes, ut pauperibus hilariter & honeste in hospitali administretur, ita quod Deo ex hoc & hominibus merito placeamus, firmiter præcipimus, quod quilibet prælatus nostri conventus hospitale monasterii sui de lectisterniis & aliis necessariis, ita secundum possibilitatem studeat ordinare, quod pauperes advenientes & hospites recipi possint. Si vero hospitale non habet, secundum possibilitatem suæ domus ædificare quam citius non postponat prælatus. Præcipimus etiam, quod quilibet prælatus hospitale pauperum studeat visitare, & secundum suam possibilitatem eorum necessitatibus providere, ita quod non auditorem tantum, sed factorem auctoritatis evangelicæ se valeat demonstrare, qui dicit: Infirmus fui & visitastis me &c. Idem dicimus de monasterii officinis, ut si reparatione indigent, eas teneantur, quam citius poterunt, resarcire, & quod quilibet in monasterio suo lectisternia si non habet, emere teneatur, ita quod monachos & alios advenientes honeste valeat hospitari. Si vero in his, quæ dicta sunt, negligens fuerit inventus, a priore Camaldulensi vel ejus visitatore, graviter puniatur secundum quod sibi viderit expedire.

De eleemosynis. Cap. XXXV.

FIrmiter præcipimus & statuimus, quod prælati nostri conventus abundantius solito studeant pietatis opera exercere, nudos vestiendo, pauperes eleemosynis nutriendo, & quilibet prælatus nostri conventus singulis annis studeat aliquos pauperes secundum possibilitatem suæ domus vestire. Et quia tenemus magis nostris fratribus, quam aliis extraneis consilium & auxilium impertiri, ideo firmiter præcipimus, & etiam in Domino exhortamur, quatenus quando nuncii pauperum domorum nostrarum nostri conventus ad monasteria accesserint ditiora, ab eis adjutorium requirentes, eis studeant caritatis viscera aperire, & pro sustentatione dictarum domorum eis aliqua bona impendere non postponant, hoc generaliter in omnibus præcipimus observari, & maxime illis domibus volumus subveniri, qui in recipiendis subditis & prælatis nostri conventus die noctuque magnos sustinent labores & expensas.

De decima denariorum. Cap. XXXVI.

PRælati vero denarios decimarum pro pauperibus tenere possunt libere secundum bonam consuetudinem prædecessorum nostrorum.

De fratribus nostri ordinis, ubi debeant hospitari. Cap. XXXVII.

STatuimus, ut fratres nostri ordinis cum ad civitates, castra vel villas declinaverint, & in eis monasteria vel ecclesiæ nostri ordinis fuerint, in eis & non in aliis hospitentur, prælati vero prædictorum locorum eos caritative suscipiant, ipsos pro suis viribus honorandos. Si autem domus, ad quam declinaverit, fuerit pauper & tenuis, & res non habuerit, quibus eis sufficienter valeat providere, sermo bonus, caritas benigna, humanitas, hilaritas & fraterna compassio advenientibus pro divitiis computentur. Ubi autem domorum facultates non sufficiunt, ut puta in ecclesia sancti Michaelis de Arretio, ecclesia sancti Damiani de Bononia, & ecclesia sancti Petri in Castello, hospitium, lectos, & ea, quæ possunt, eis libere tribuant, & fratres advenientes ea, quæ debebant in secularium hospitio expendere, in præfatis nostris ecclesiis honeste sibi studeant ministrare.

De vitando scandalo. Cap. XXXVIII.

NUllus prior vel subprior occasione dandi fratribus necessaria, vel misericordias aliquas, vel aliqua alia occasione captata per se vel cum aliquibus fratribus scandalum contra suum prælatum facere præsumant. Quod si fecerit usque quater corripiatur, si non se emendaverit, ab officio suo privetur. Cum caritate tamen dicat pro utilitate fratrum, quæ ad suum officium pertinere videntur.

De cibariis indebite non petendis. Cap. XXXIX.

NUllus nostri ordinis expetere præsumat plura seu lautiora cibaria, quam regula præcipit, occasione alicujus consuetudinis, quæ dici potest merito corruptela. Si autem aliquid ex misericordia superappositum fuerit, cum gratiarum actione accipiatur; quod si aliquis tali occasione contra prælatum suum murmurare

murare præsumpserit, recipiat disciplinam.

De privatis cibariis. Cap. XL.

INhibemus, ne aliquis nostri ordinis pulmentum intus & extra monasterium recipere aut mittere præsumat, quod si fecerit, pro qualibet vice in pane & aqua jejunet.

De inventario faciendo. Cap. XLI.

QUilibet prælatus, cum assumitur ad officium prælaturæ, inventarium faciat de rebus monasterii universis, & de his fieri faciat publicum instrumentum.

De clericis non recipiendis. XLII.

NUllus clericus secularis in monasteriis nostri ordinis commoretur, vel ad titulum ipsius ordinetur, aut ei aliquod beneficium assignetur. Servitoribus autem clericis annualibus concedimus dari mercedem servitii sui, & in monasterio possint morari ad voluntatem abbatis, & alias non recipiantur.

De mulieribus non retinendis. Cap. XLIII.

STatuimus, ut de cetero mulieres in nostris monasteriis monachorum non recipiantur. Quæ autem receptæ sunt, extra septa monasterii commorentur.

De dimittenda meridiana. Cap. XLIV.

AB idibus septembris, ex quo incipit jejunium, dimittenda est meridiana, & solvitur silentium post Tertiam & Sextam, & exinde usque ad festum sancti Martini, exceptis diebus Dominicis & sollemnibus, quibus silentium continuum retinemus.

De iis, qui sine literis Camaldulum veniunt. Cap. XLV.

SI monachus vel conversus absque literis sui prælati de monasterio suo exierit, Camaldulum veniens non recipiatur ibidem, sed ad suum monasterium cogatur reverti, & secundum arbitrium domini prioris Camaldulensis, vel sui prælati satisfaciat, & ultimus in omni loco permaneat. Si vero cum literis sui prælati Camaldulum venerit, & inde ad idem vel ad aliud monasterium missus fuerit, ponatur in literis, qua die literas acceperit, & quæ vestimenta habuerit, & per quot dies ad monasterium, ad quod mittitur, ire poterit; postea non recipiatur, nisi evidenti occasione fuerit præpeditus. Si vero prior Camaldulensis alicui absenti fratri suas literas destinaverit, ut ad aliud monasterium properet moraturus, prælatus, de cujus monasterio exierit, per suas literas intimet prælato, ad quem dirigitur, omnia & singula indumenta, quæ sibi duxerit concedenda & diem, qua idem monachus iter arripuit, sibi dando societatem honestam, & expensas necessarias pro itinere peragendo.

Explicit liber Tertius Constitutionum de Moribus.

VETUS ORDO DIVINORUM OFFICIORUM
A B. MARTINO III.
PRIORE CAMALDULENSI

Compilatus anno M. CC. LIII. nunc primum typis editus

Ex duobus codicibus membranaceis bibliothecæ S. Michaelis prope Murianum Venetiarum.

Ad lib. XLI. n. 12. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, amen. Incipit liber divinorum officiorum Camaldulensis ordinis a venerabili patre domno Martino humillimo priore Camaldulensi, necnon religiosis viris ejusdem ordinis editus, qualiter per circulum anni divinum officium debeat celebrari. Sane præsentem libellum ad eruditionem novitiorum & elucidationem patentem præfatus prior sub certis rubricis distinguendo studuit diligentissime declarare, quatinus fratres labore sopito, quæ in ipsis extiterint, valeant facile invenire.

In heremo Camaldulensi sub anno Domini M. CC. LIII. in generali capitulo compilatum.

De officio primæ Dominicæ de Adventu. Cap. I.

ADventus Christi Dominica I. Sabbato præcedenti celebrato Virginis officio sacerdos hebdomadarius reverenter incipiat officium regulare. Deinde cantor imponat antiphonam *Regnum tuum Domine*; psalmum *Confiteantur &c.* Capitulum *Ecce dies veniunt*; ℟. *Missus est Gabriel*; ℣. *Dabit ei*, quibus subsequitur *Gloria Patri & Filio & Spiritui-sancto*, tantum, quod ita in omnibus versibus iteretur, cum dicitur *Gloria Patri*; hymnus *Conditor*; ℣. *Rorate*, qui mediocri voce dicatur, ut a choro eadem voce consone valeat responderi. Quod in omnibus aliis versiculis *Amen*; & *cum spiritu tuo*; & *Deo gratias*, observetur. Nota, quod hymni, responsorium *Veni ad liberandum nos*, ℣. *Rorate* ad Vesperum, & ℟. *Ostende*, ℣. *Emitte agnum* in Laudibus non mutantur per totum Adventum. Ad Magnificat antiph. *Ecce nomen Domini*. Et nota, quod omnis antiph. ad Magnificat & Benedictus in XII. lectionibus & VIII. ℟. debet incipi ab abbate; antiphona vero post Magnificat percantata incipiat abbatis armarius *Kyrie eleison* cum choro suo; chorus quoque prioris *Christe eleison* respondeat subsequenter, *Kyrie eleison* abbatis latere completuro in horis omnibus similiter peragendo. Ad hoc abbas suo constitutus in loco dicat cunctis audientibus *Pater noster*, quod in Laudibus & Vesperis ita fiat. Privatis vero diebus super formis dicatur. Si autem ii non fuerit abbas, prior claustralis in his & in aliis impleat abbatis officium. Et si non fuerit prior, armarius abbatis suppleat supradicta; & tandem armario prioris vel cuicumque majori existenti cum fratribus in conventu memoratis absentibus relinquatur. Dicto denique *Sed libera nos a malo*; hebdomadarius stans versus altare dicat *Dominus vobiscum*, deinde orationem *Excita*, in fine cujus addatur *Et filios tuos &c.* quod simile fiat in omnibus orationibus officii regularis. Dicta quoque oratione præfata dicatur *Qui vivis & regnas Deus*; ℟. *Amen*. Nota, quod antiph. de Cruce usque ad Purificationem, & sabbato Passionis usque ad sabbatum Sanctum dimittitur. Aliis vero diebus dicatur immediate post *Per Christum Dominum nostrum*, antiph. *Salvator mundi*, ℣. *omnis terra*, oratio *Perpetua quæsumus Domine*, quæ antiph. & oratio dicatur in Laudibus & Vesperis. Si vero fuerit festum, post primam orationem antiph. & oratio de festo dicatur. De sancta Maria antiph. *Ave regina cælorum*, quam dum cantor incipit, fratres ex latere secundi cantoris incurventur, ponentes articulos manuum super oras cucullæ, quod faciant ex latere primi cantoris existentes, cum dicitur *Ave Domina Angelorum*. Nullo quidem tempore canentes fratres incurvare se debent, nisi ad *Gloria Patri* super psalmos, & mensam, & ad ultimum versum hymnorum, penultimum versum hymni trium puerorum, & ad *Sanctus, Sanctus*, diebus ferialibus. Inclinamus tamen modeste cum dicitur *Memento salutis*; & *Quæsumus auctor*; *Da nobis hic Christe*; & *Fiat misericordia tua* Do-

Domine super nos in *Te Deum laudamus*, & aliis locis consuetis. Ferialibus autem diebus in Laudibus & Vesperis dicatur antiph. *Sancta Dei genitrix*, cum ℣. *Benedicta tu*, & oratio *Concede*. Sequitur antiph. de sancto Michaele *Sancte Michael*, ℣. *In conspectu*, oratio *Deus, qui miro ordine*. Habentes vero spetiale vocabulum vel altare dicant *Deus, cujus claritatis...*, postmodum antiph. de majori vocabulo ecclesiæ, quæ talis est *Sancte* N. *apostole, martyr, confessor, virgo Deo pretiose, adesto nostris precibus pius ac propitius*; ℣. quod congruat festo, oratio: *Infirmitatem*, deinde de sancto Benedicto, antiph. *Vir Domini Benedictus*, ℣. *Os justi*, oratio *Intercessio*. Demum antiph. de Sanctis *Salvator mundi*, ℣. *Lætamini*; oratio *Omnipotens Deus*. In Laudibus ant. *O quam gloriosum*. Ferialibus autem diebus in Laudibus & Vesperis antiph. *Sanctorum sicut aquilæ*, quæ antiphona cum versibus & orationibus suis per totius anni circulum non mutatur. Prædictis quidem antiphonis in sabbato sancto usque ad octavam pentecostes *Alleluja* semper addatur in fine. Post Vesperum fiat Mandatum quolibet die sabbati, prout inferius continetur. Nota, quod armarius abbatis debet stare in choro post abbatem, antiphonas, Responsoria, Te Deum laudamus, antiphonam ad introitum ecclesiæ, ad processionem, vel post, & in plenissimis sollemnitatibus... tonum cum aliis consuete nuntiare abbati, versum octavi ℟. cum eo cantare, psalmos incipientes a suo latere intonare, Kyrie eleison per horas diei & noctis incipere, ferialibus diebus ad Missam Kyrie eleison, Sanctus, Agnus Dei, antiphonas ad Benedictus & ad Magnificat inchoare.

De collatione ad Completorium. Cap. II.

Collationis tempore, si fieri non debet Mandatum, pulsetur in campanili per spatium psalmi quinquagesimi ad collationem campana. Tunc fratres omnes repositis libris, in quibus legerint, festinatione modesta, convenientes ubi soliti sunt collationem facere, post factam reverentiam sedeant ordinate. Ad hæc lector habita benedictione legat, donec abbas invenerit, ut finem faciat cum *Tu autem*. Abbati quoque dicenti *Adjutorium nostrum*, fratres stantes ad loca sua respondeant *Qui fecit cœlum & terram*, ituri postea in ecclesia ordinate. Pulsata vero a priore squilla de choro, ad abbatis nutum fratres omnes in oratione Dominica incurventur, fiatque confessio in hunc modum: *Confiteor Deo omnipotenti, beatæ Mariæ semper virgini, omnibus Sanctis & vobis fratribus, quia peccavi nimis cogitando, loquendo, operando & obmittendo, mea culpa; unde precor beatam virginem Mariam, omnes Sanctos & Sanctas Dei, & vos fratres, ut oretis pro me Dominum nostrum Jesum Christum. Misereatur vestri omnipotens Deus & dimissis omnibus peccatis vestris perducat vos ad vitam æternam*. Quem modum alii teneant universi, & sacerdotes ante Missam. Postea dicant Completorium psal. *Cum invocarem, Qui habitat, Ecce nunc*; hymnus *Te lucis*, dicendus est per totum annum tam diebus ferialibus, quam festivis, exceptis diebus ferialibus quadragesimæ majoris, in quibus dicitur *Christe, qui lux*; capitulum *Tu autem*, ℣. *Custodi*, quod Capitulum & versus omni tempore præcantetur, *Kyrie eleison, Pater noster*, & *Credo in Deum, Carnis resurrectionem*; deinde sonora voce dicatur oratio *Visita quæsumus Domine*, tunc abbas det benedictionem dicens *Benedicat nos omnipotens Deus, Pater, & Filius & Spiritus-sanctus, amen*, se inclinantibus fratribus ibique facientibus cruces. Dicto autem Completorio Virginis, vel etiam si dici non debet, abbas nihilominus personet jucunde antiph. *Salve regina misericordiæ*, sibi per suum armarium nuntiatam, ℣. *Ave Maria*, oratio *Concede nos famulos tuos*, quibus finitis accendant luminaria servitores. Dicta demum oratione ad nutum abbatis, quilibet dicat in loco suo *Pater noster* & *Credo in Deum*, & ad nutum surgentes abbatis genua ter flectant dicendo *Deus propitius esto mihi peccatori*. Confestim servitor ex latere abbatis accensa candela præcedat abbatem, suo choro ipsum sequente, quem abbatem sacrista cum lumine comitetur, donec veniat, ubi fuerit aqua sancta, quo servitor aspersorium abbati porrigat, osculans manus ejus. Aqua ergo data choro utroque exeunte ordinate, sacrista firmet ecclesiam. Insuper autem, qui porrexerit aspersorium abbati ipso reassumpto, præcedat abbatem cum lumine dormitorium aditurus. Fratres quoque cum caputiis eant in dormitorio ordinate, non declinantes ad dexteram vel sinistram. Servitor autem, qui fuerit ex choro prioris, cum alia candela præcedat priorem, & suum chorum dormitorii lampadem adcensurus. Nullus postmodum exeat sine licentia speciali.

De modo ſurgendi ad vigilias. Cap. III.

SUrgant ad vigilias fratres cum matura feſtinatione, matutinis horis horologio indicante. Cum invocatione ſanctæ Trinitatis, crucis ſignaculo ſe ſignantes dicturi *Domine labia mea aperies*, & pſal. *Deus in adjutorium meum intende*; *Kyrie eleiſon*, *Pater noſter*, Capitulum *Oſtende*, *Exurge Domine*, *Ave Maria*, oratio *Gratias tibi agimus Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui nos de tranſacto noctis ſpatio ad hanc horam ducere dignatus es, quæſumus, ut dones nobis hunc diem ſine peccato tranſire, quatenus ad veſperum & ſemper tibi Deo gratias referamus. Per. Amen.* Interim fratres vigilanter attendant, ut unuſquiſque ſtramenta reaptet ſui lectuli, & componat. Surgentibus itaque fratribus hæc obedientia prima indicitur pro digna honeſtate ſervanda, nimirum per ſacriſtam lumine ad neceſſaria naturæ accenſo fratres cum cucullis neceſſarium adeant alternatim, quippe ſine ipſis minus decenter tunc debitæ conſulitur honeſtati. Inſuper a parte anteriori operiant, in capite caputium profunde tenentes, ſeque ſumma cautela tuentes, ut ſedilia, ipſaque tota domuncula nitidiſſima conſerventur. Sacriſta vero ſurgens feſtinus præ ceteris cum candela eccleſiam adeat, peracturus ante valvas eccleſiæ gradusve altaris genuflexiones & orationes, prout inſpiraverit ei Deus. Ad hoc chori, pſalteriorumque accenſis lampadibus, pulſet in companili campanam minorem, fratribus interim abluentibus ſibi manus. Finitaque pulſatione ſquillæ, ſecundæque campanæ, duæ candelæ a duobus utriuſque chori minoribus accendantur. Delaturus autem lumen ante abbatem, ad egreſſum dormitorii tribus tintinibus pulſet ſquillam. Exeuntibus autem dormitorium fratribus præcedat lumen chori prioris, ſubſequente vero domno abbate ordinate, per clauſtrum euntibus, neque declinantibus ad dexteram vel ſiniſtram cum pſalmo *Ad te levavi*, ſecrete, lumen tamen ante chorum portans prioris, ante fores moretur eccleſiæ, donec ingrediantur eccleſiam omnes fratres. Ad introitum venientes eccleſiæ in limine ſe inclinent dicendo *Introibo Domine in domum tuam, adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo.*

De reverentia ante altare. Cap. IV.

ANte altare fratres cum reverentia conſtituti humiliter ſe inclinent, ſecuturi hoc ipſum, quotiens ante quodlibet altare tranſierint, reverenter tamen hora iſta tres genuas & venias faciant. Servitor igitur fratres cum candela præcedens accendat cereum coram majori altari ad honorem Virginis glorioſæ. Morantes fratres ad loca ſua in eccleſia ſtent verſis vultibus ad altare, donec pulſari campanæ deſtiterint. Poſt quarum pulſationem tres genuflexiones faciant ſuper formas, ſi dies fuerit ferialis; ſi XII. vero lectionum & poſt octavas, ſuper oras cucullæ manus ad nutum abbatis teneant, & dicant *Pater noſter*, & *Credo in Deum*. Sane nullus ſtrepitus ſit ibidem, unde impediatur tam præcipua, tamque ſacroſancta oratio, neque in tuſſi, neque in excreatione, vel in oſcitatione. Quod cum officium directaneum dicitur, obſervetur. Si quis autem fuerit in hujuſmodi vitioſus, aut eminus cedat, aut forinſecus remoretur. Et quia domus orationis præſertim chorus eſt, omni munditia conſervandum præcipimus, ut nullus expuere in choro audeat, nec in murum, ſed in terra poſt ſedes; tranſgreſſores autem acerrime puniantur. Hac quoque oratione incepta, nullus omnino, nec ipſe abbas ſe debet ingerere, ſed extra chorum orans penitus expectare cum ſurgentibus ſurrecturus, quod fiat ſemper, dum fratres curvi morantur, & evangelium decantatur. Qui vero prædictæ orationi non potuerint intereſſe, cum aliis præmiſſis tribus veniis coram altari majori dicant *Pater noſter* tantum, ad ſua loca humiliter perrecturi. Poſt vero orationem, quæ in nocte ſollemni modo & ad completorium dicitur, ſurgant omnes ad nutum abbatis. Facto igitur ſigno crucis hebdomadarius incipiat officium Virginis per totum annum taliter celebrandum.

De officio, & Miſſa beatæ Mariæ virginis, Cap. V.

BEatæ Mariæ virginis officium taliter celebretur. *Domine labia mea aperies, & os meum &c.* Invitatorium *Ave Maria*; *Venite exultemus*; hymnus *Quem terra*; antiph. ad nocturnum *Benedicta tu*; pſal. *Domine Dominus noſter*, *Cæli enarrant*, & *Domini eſt terra*, ſub eadem antiphona decantandi; ℣. *Diffuſa eſt gratia*; *Pater noſter*; *Et ne nos inducas in tentationem*; *Jube Domne benedicere*; Benedictio *Nos cum prole pia, benedicat virgo Maria.* Lect. *Sancta Maria virgo*; ℟. *Sancta & immaculata*; ℣. *Benedicta tu in*; lect. II. *Sancta Maria piarum piiſſima*; ℟. *Beata es Maria*; ℣. *Ave Maria*. *Jube Domne*. Benedictio *Per virginem*

nem

nem matrem &c. lect. III. *Sancta Dei genitrix* ℟. *Felix namque sacr.* ℣. *Ora pro populo*; hymnus *Te Deum laudamus*; ℣. *Benedicta tu in.* In Laudibus antiph. super psalmos *Gaude Maria*; capit. *In omnibus*, quod in Tertiis & Vesperis iteretur. ℟. *Ave Maria*; hymnus *O gloriosa Domina*; ℣. *Elegit eam*. Ad Benedictus antiph. *Sancta Maria succurre*, oratio *Deus, qui salutis*, in Tertiis & Vesperis frequentetur. Ad Primam antiph. *Dignare me*, psal. dominicæ diei: *Deus in nomine tuo*; *Benedixisti*, & *Laudate Dominum omnes gentes*. Aliis vero diebus *Deus in nomine*; *Beati immaculati*; Capit. *Et dixit mihi inhabita*; ℟. *Benedicta tu*; ℣. *Ave Maria*; oratio *Beatæ gloriosæ*; antiph. *Sancti Dei*; ℣. *Lætamini*; oratio *Ut tibi Domine quæsumus*; oratio ad Primam, Tertiam, Sextam, & Nonam Beatæ Mariæ, dicatur, cui semper addendum est, præter dies sollemnes, *& pacem tuam nostris concede temporibus*, ad Tertiam antiph. *In odorem*; ℟. *Specie tua*; ℣. *Benedicta tu*; ad Sextam antiph. *Benedicta a filio tuo Domina*; Capit. *Eradicavi*; ℟. *Adjuvabit eam*, ℣. *Sicut mirrha*, oratio *Famulorum*; ad Nonam antiph. *Pulchra es*, capit. *In plateis*, ℟. *Elegit eam*, ℣. *Speciosa*, oratio *Protege Domine*. Ad Vesperas super psalmos antiph. *Ante thorum*; psalmi: *Dixit*, *Laudate*, *Lætatus*, *Nisi*, *Lauda Jerusalem*; ℟. *Ave Maria*; hymnus *Ave maris stella*. ℣. *Elegit eam*; antiph. ad Magnificat *Sub tuum præsidium &c.* Ad Completorium *Converte nos Deus*; psal. *Domine quis habitabit*, *In te Domine speravi*, & *Levavi oculos*, hymnus *Memento salutis*; capit. *Ego mater*; ℟. *Diffusa est gratia*; ℣. *Benedicta tu*; antiph. *Beata mater*; Canticum *Nunc dimittis*; oratio *Concede quæsumus &c.* Missa quoque ab octava Resurrectionis usque ad initium quadragesimæ quolibet die sabbati more XII. lectionum devotissime celebretur. Evangelium igitur diebus paschalibus dicatur *Stabant juxta crucem*. Ab octava vero pentecostes usque adventum Domini, & ab octava epiphaniæ usque ad introitum quadragesimæ dicatur *Extollens vocem*. In adventu autem dicatur *Missus est Gabriel*, cum sequentia *Ave Maria*; officium *Rorate*; graduale *In sole posuit*; Alleluja *Prophetæ sancti*. Aliis autem temporibus dicatur Alleluja, *Ora pro nobis*; postcommunio *Ecce virgo concipiet*. Missa tamen de Cruce dicatur qualibet feria sexta prædictis temporibus, excepto adventu usque ad purificationem. Alleluja *Dulce lignum*. Excipiuntur tamen festa trium lectionum pro Missa de Cruce. Pro Missa vero beatæ Mariæ excipiuntur festa XII. lectionum, jejunia quatuor temporum, vigiliæ Sanctorum & sabbatum Sanctum pentecostes.

De Matutino primæ Dominicæ de Adventu. Cap. VI.

AD Matutinum primæ Dominicæ de Adventu hebdomadarius incipiat *Deus in adjutorium meum intende*, quod nimirum omnes horas debet incipere, quæ per abbatem non fuerint inchoandæ, orationes & capitula dicere, Missam vivorum prima hebdomada & secunda mortuorum cantare, benedicere mensam cum actionibus gratiarum, nisi cum abbas Missam cantaverit in conventu. In capitulo dicere *Pretiosa in conspectu Domini*, & alia officia consueta. Ut autem prædicta valeat rite peragere, præfationes, orationes, evangelia & alia omnia, quæ fuerint decantanda per ipsum, vigilanter studeat providere. Nam quod sibi dicimus, omnibus dicimus, vigilate, discite, providete vos, qui divinis officiis ceterisque bonis operibus jugiter exercemini, ut etiam non solum sicut stellæ in perpetuas æternitates in regno Domini fulgeatis, verum etiam eruditi rudes, & indoctos erudire, docere, atque instruere caritative curetis assidue bonis moribus & doctrinis bonorum laborum in cœlo recepturi a Domino mercem copiosam. Insuper cantor incipiat *Domine labia mea*, ter a fratribus repetenda. Cantor enim primas antiphonas nocturnorum, laudum & orationem diei debet incipere, primum ℟. in XII. lectionibus, parva responsoria, versiculos, *Deus misereatur*, in Laudibus hymnum, officia Missæ & *Benedicamus Domino*. Et cum incipit officium, ℟. *Kyrie*, *Sanctus* & alia hujusmodi solus ea debet incipere cantans libere primam partem cum eo ceteris fratribus cantaturis. *Cum invocarem* ad Completorium inchoet, & *Venite exultemus*; lectiones beatæ Mariæ, antiph. de Sanctis post Laudes & Vesperas & tres lectiones in vigiliis mortuorum dicere solus ipse. Dicto igitur psalmo *Domine quid multiplicati sunt*, euntes ad ultimum versum in chorum cantores, primus & secundus dicant invitatorium producentes ipsum usque ad medietatem, quod idem replicet chorus secundi cantoris medietatem reliquam consummante. Dictis autem duobus versibus primi cantoris chorus invitatorium inchoet, & antequam dicatur *Venite adoremus*, cantores inclinati dicant *Deus propitius esto mihi peccatori*. Fratres vero teneant inclinati, donec

donec *Venite adoremus & procidamus ante Deum, ploremus*, decantetur. Ceterum priusquam *Gloria Patri* cantores incipiant post *Venite*, sint libri aperti super analogiis, quæ analogia & libri cum dicitur *Benedicite omnia*, in Laudibus beatæ Mariæ præparentur a servitoribus vigilanter, & antiphonarium nocturnum pro antiphonis, cum fuerit opportunum, in alio parvo analogio psalterium teneatur, nec unquam liber libro superponatur aperto. Psalterium autem in Vigiliis, Laudibus & Vesperis vigilantissime a minoribus custodiatur vicissim, ita quod nullus in psalmis, hymnis & canticis valeat oberrare. Expleto itaque *Venite*, ad loca sua reversis cantoribus, cantor incipiat hymnum & antiph. *Domine in virtute tua*. Cum autem primus psalmus incipitur, sedeat chorus secundi cantoris, psalmo vero secundo incepto, chorus primi cantoris similiter sedeat devote, alio choro stante, quod in Matutinis, Laudibus, Prima & Vesperis observetur. Præterea in sedibus, quibus morari consueverunt, tamen sedeant, levantes sedes & inclinantes absque sonitu, nec se girent. Ceteræ autem antiphonæ a majoribus incipiantur in XII. lectionibus, in tribus vero a minoribus. Incipiens autem antiphonam primo versu psalmi præfato cum collaterali fratre inferiori se reverenter inclinent. Interea cum prior antiphonam incipit post primum versum psalmi, cum abbas vero, uterque chorus inclinet, quod idem faciant cum priore, absente abbate. Nullus tamen extra sedem suam antiphonam vel responsorium inchoet seu versum, neque responsorium dicat, sed prædicta omnia cordetenus studeat decantare. Quare summo studio addiscere procurent taliter universa, quod divinum officium memoriter valeant retinere. Quantumcumque tamen excellenter didicerint, ℟ia & antiphonas ad Benedictus & Magnificat cantaturi, ad analogia pergant inibi stantes universaliter, & cantantes viriliter & communiter, sicut jacet in libris. Ad ℟ia vero nocturnorum sedibus omnibus inclinatis, & antiphonario in prospera collocato doctiores juxta lampadem sedeant, ut inscios portare studeant, insciis humiliter & pacifice subsequentibus, non nisi discrete anticipantibus doctioribus. Expletis igitur antiphonis & psalmis primi nocturni cantor contra altare dicat, ℣. *Ex Sion species*. In secundo nocturno: *Memento nostri Domine*. In tertio *Domine Deus virtutum*. Præterea notandum est, quod versiculi nocturnorum totius anni dicuntur per horas diei, quorum duo primi diebus ferialibus iterantur; Resurrectionis hebdomada hac lege notulæ non inclusa. Fallit tamen hæc regula diversitate festivitatum imparium concurrentium una die, ut puta sanctæ Crucis & similium aliarum. Lecturus insuper lectiones coram altari majori, altari se reverenter inclinet, tenens brachium dexterum super sinistrum eundo & etiam redeundo. Attamen fratres remanentes in choro dicant *Pater noster*; abbas *Et ne nos*, & incipiantur a minoribus ex parte secundi cantoris in XII. lectionibus, quinta semper ex latere abbatis, nona ex latere prioris; octavam lectionem prior, & VIII. ℟ium abbas, XII. lectionem abbas, & XII. ℟ium prior canant. In tribus lectionibus autem feria II. IIII. & VI. prima lectio incipienda est ex latere abbatis. Tertia vero feria, quinta & sabbato ex latere prioris, ita quod minores feria II. & III. mediocres IV. & V. majores VI. & sabbato canant in ecclesia lectiones; cum autem lectio ex uno latere legitur; ℟. ex altero percantetur. A fratre dicto *Jube domne benedicere*, benedictionem capite inclinato suscipiat, quod faciat ubicumque dixerit *Jube domne*.

De Tu autem Domine, *&* Hæc dicit Dominus, *quando dici debeant?* Cap. VII.

TU *autem Domine*, dicat perficiens lectiones. *Hæc dicit Dominus*, tantum diebus ferialibus in propheticis lectionibus studeat decantare, Daniele propheta dumtaxat excepto. Lectiones itaque quatuor legantur de Isaja, qui legendus est omnibus diebus Dominicis & privatis usque ad vigiliam Nativitatis, præterquam in jejuniis quatuor temporum & Sanctorum festivitatibus ordinatis. Idem quippe propheta vel liber, qui legitur in ecclesia, legendus est eodem tempore ad mensam. Consumata igitur prima lectione, incipiatur primum ℟ium *Aspiciens*, a cantore primum ℣. *Quique terrigenæ*, subsequente, post finem cujus fratres alterius chori dicant tantum *Ite obviam ei, & dicite*. Tunc secundo ℣. a cantore finito jamdicti fratres solummodo prosequantur *Nuntia nobis, si tu es ipse*. Demum cantor III. versum dicat *Excita Domine*, prædictis postmodum fratribus perficientibus *Qui regnaturus es in populo Israel*. Verum per hebdomadam cum dicitur ℟ium *Aspiciens*; ℣. *Excita*, solummodo decantetur. Et nota, quod Dominicalia ℟ia & festiva, quæ diebus ferialibus sunt dicenda, a primo usque ad

ad ultimum percantentur, ita quod quatuor noctibus sufficiant ad canendum. Si vero historia XII. ℟ia non habuerit, & remanserit tantum unum, incipiatur a primo, remanentibus vero duobus a decimo inchoetur. Quod quidem in octavis & festis trium lectionum integre observetur, cum plura festa in una hebdomada historiam eamdem habentia celebrantur. Quando etiam frater hymnum incipit, antiphonam, ℟. seu ℣. dixerit, sociatus stare debet versus chorum, quando autem solum dicit versum, faciem habeat ad altare. Dicturus enim *Gloria Patri*, chorus unus dicat ipsam secrete, altero choro repetitionem canente. Secundi namque nocturni antiphonis, ℟iis & lectionibus, ut continentur in antiphonario & lectionario, decantatis dicantur Cantica *Domine miserere nostri*, quæ diebus XII. lectionum per totum annum dicuntur, præterquam in festis Apostolorum, Martyrum, Confessorum, & Virginum, in quibus *Vos Sancti Domini*, jugiter frequentantur. In dedicatione autem ecclesiæ, sancti Salvatoris & sanctæ Crucis festivitatibus consueta cantica repetuntur. Ad hæc dicantur quatuor lectiones de homilia Evangelii *Erunt signa*. Nota, quod evangelium, cujus homilia nocte legitur, cantari debet post *Te Deum laudamus*, & ad Missam, præterquam in IIII. Dominica de adventu, in nativitate Domini, octava epiphaniæ, ramis Palmarum & aliis paucis diebus prænotatis regula speciali. Alleluja quoque Dominicalia secundum regulam. Ad cantica & per horas diei diebus dominicis frequentatur. Preterea cum lectio XII. legitur, servitor præparet analogium coram altari, super quo ponatur missale cum stola, invento evangelio, igne cum thuribulo & incenso præparatis. Dicta vero XII. lectione candelam accensam cum stella servitor accipiat de manu abbatis, duos coram altari cereos accensurus. Ceterum cum dicitur *Sanctus*, ex parte abbatis in hymno *Te Deum laudamus*, chorus prioris devote inclinet; & choro abbatis similiter faciente, chorus prioris *Sanctus* decantet. Dicto namque versu *Cum devicto mortis aculeo*, missæ hebdomadarius veniens abbati devote innuat, ut procedat evangelium cantaturus.

De incenso ad Te Deum laudamus. Cap. VIII.

INcensum ad *Te Deum laudamus*, post perceptionem ℣. *Salvum fac populum tuum*, in thuribulum ponat abbas incensum, stola superposita collo ejus. Tribus igitur *Per singulos dies* canentibus ascendat cum libro ex sinistro latere ad altare, quem ponat apertum in medio jamdicti altaris. Altari ergo cum libro in modum crucis communiter incensato, reddat servienti thuribulum, qui analogium in modum crucis incenset. Abbas interea se devote ad orationem inclinet, librum deosculans & altare. Cum autem dicitur *Fiat misericordia tua Domine super nos*, abbas librum in sinistro brachio retinens, inclinantibus fratribus se inclinet, ex latere dextro ad analogium accedendo, librum superponens eidem. Tunc abbas a servitore accepta candela evangelium incipere studeat, imprimens evangelium cum pollice, signo crucis signaturus seipsum, osculato evangelio, stantibus cunctis cum reverentia & tremore. Abbate quoque dicente *In illo tempore*, confestim servitor incensum sibi tribuere non obmittat. Et est notandum, quod in principio cujuslibet evangelii dicendum est *In illo tempore*, illis dumtaxat exceptis, in quibus non *Sequentia*, sed *Initium* in primordio percantatur. Evangelio demum completo, & incenso a servitore recepto dicat abbas *Te decet laus*, completurus ipsum cum ministro sub silentio inclinatus. Fratres autem existentes in choro incipiente cantore perficiant *Te decet hymnus*; fratres ex alio choro canant *Tibi gloria Deo*, manentibus inclinatis, qui sunt ex latere primi cantoris, dicentes erecti *Patri & Filio cum Sancto Spiritu*, choro secundi cantoris inclinato manente. Ultimo cum dicitur *In secula seculorum amen*, erecti maneant universi, & oratione completa incipiat abbas *Deus in adjutorium meum intende*, & pulsentur omnia signa, si tamen fuerit hora brevis, sin autem, officio completo pulsentur. In Laudibus vero capitulum *Hora est jam*; oratio *Excita*, quæ Tertiæ & Vespere iteretur. Prima itaque oratione completa, hebdomadarius coquinæ partite dicat rectus in choro *Benedictus es Domine*, tribus vicibus, quod fratribus idem repetentibus accipiat benedictionem, tenens brachia super genua ordinate, quem subsequens ingrediens facta reverentia dicat *Deus in adjutorium meum intende*, tribus vicibus, quod ab omnibus repetatur. Eadem cum reverentia benedictione recepta, antiphonæ cum oratione decantentur. Lector enim mensæ debet semper choro primi cantoris existere, a choro secundi cantoris hebdomadario coquinæ fratribus serviente. Officio igitur consumato de ecclesia exeant ordinate, primus videlicet chorus prioris lumine prosequente, deinde cho-

chorus abbatis lumine subsequente. Porro si lux diei perfulserit, meditentur in claustris vel orent, alioquin in calefactorio cum silentio possunt manere, vel in dormitorio, si expedierit, conquiescant.

De hora Prima. Cap. IX.

HOra prima, cum fuerit in dormitorio, signum pulsetur. Parvo itaque intervallo transacto, sacrista præfatum signum percussionibus tribus tangat, ad quarum sonum fratres lotis manibus veniant ante fores ecclesiæ, pulsataque majori campana, hebdomadarius Missæ percurrat cum manubrio spongiæ vas quinquies Aquæ sanctæ. Ingressus itaque chorus prioris ecclesiam, chorus abbatis provide subsequatur; quem ordinem semper observent, nisi in exitu, cum fuerit capitulum celebrandum. In XII. vero lectionibus per totum annum, & jugiter a pascha usque ad kalendas octobris devote recipiant Aquam-sanctam, priusquam ad Primam ingrediantur ecclesiam; exceptis diebus dominicis, quibus aqua recipiatur in Tertia noviter benedicta. Deinde fratribus congregatis in choro Prima dicatur. Verum cum dicitur hymnus *Deum precemur*, se fratres inclinent suppliciter universi. Capitulum *Deus miserere* dicatur ad Primam in XII. lectionibus per totum adventum & quadragesimam. In festis autem diebus, & octavis per anni residuum *Regi* autem dicatur. Ferialibus autem diebus *Pacem & veritatem diligite*, assidue iteretur. ℣. *Exurge Domine* ad Primam dicitur per totum annum. Dicta itaque oratione Dominica cum symbolo, fiat confessio ab abbate, cui fratres discoopertis capitibus respondeant *Misereatur*, subsecuturo abbate *Remissionem*; prior autem Camaldulensis *Indulgentiam & remissionem* adjungit. Novitii vero morantes versus abbatem confessionem facientem humiliter se revolvant. Peracta igitur confessione diebus Dominicis cantor incipiat *Quicumque vult*, & in festis XII. lectionum, cum dicitur tertius psalmus, squilla in campanili pulsetur ad Missam matutinalem; & subdiaconus, cum psalmus secundus dicitur, alba se induat, & altaria honeste tergat & aptet. Hebdomadarius hebdomadæ præteritæ diebus Dominicis cum dicitur *Pater a nullo est factus*, & aliis XII. lectionum in tertio psalmo Primæ se præparet Missam matutinalem cum reverentia cantaturus. Officium vero Missæ cantor secundus incipiat *Kyrie eleison*; quando *Sanctus* & *Agnus Dei* ferialiter decantentur, *Credo in unum Deum*, dicatur. Post *Sanctus* autem Missas votivas se præparare studeant cantaturi.

De capitulo celebrando. Cap. X.

PRo capitulo celebrando dictis Missis privatis custos pulset squillam in choro vel in claustro, qua sonante lecturus ad capitulum cum regula juxta hostium capituli curvus moretur, donec ingrediantur in hunc modum, præcedente namque abbate cum choro suo, & priore cum suo humiliter subsequente. Ingressi nimirum faciem habeant versus Crucem, stantes ad loca sua & caputium in capitibus retinentes, & faciente signum abbate, reliqui sedeant ordinate. Tunc lector dicat peracta reverentia *Jube domne*; quamobrem benedictione recepta datale sequentis diei cum ætate lunæ, Sanctorumque natalitiis mediocri voce pronuntiet. Surgentibus ergo cunctis & faciem habentibus erga Crucem dicat *Pretiosa* sacerdos, cui respondentibus cunctis *Mors Sanctorum ejus*; hebdomadarius dicat *Sancta Maria*, dicturus *Deus in adjutorium meum*, cui conventus respondeat semel tantum, idem quotidie repetendo & adjungendo *Gloria Patri*, qua incepta super genua incurventur, ita manentes, donec oratio Dominica finiatur. Tunc Hebdomadarius incipiat versum *Respice*, quem omnes cum *Gloria Patri* sequantur. Inclinantibus autem fratribus dicatur oratio *Dirigere*, *& sanctificare*, & *Adjutorium nostrum in nomine Domini*, ℟. *Qui fecit cœlum & terram*. Tunc abbate sedente sedeant universi lectionem de illius die evangelio audituri. Diebus tamen ferialibus de regula sanctissimi Benedicti, tabulam futuræ diei pro tribus vel XII. lectionibus recitando. Fratres autem lecturi vel cantaturi, cum se nominari audierint, devote inclinent, provisuri studiosissime recitanda. Postea fratrum defunctorum anniversarium, si talis dies fuerit, nuntietur. Prius tamen brevia mortuorum, si ea legenda occurrerint, recitentur. Abbati demum *Requiescant in pace* dicenti, fratres respondeant omnes *Amen*; post *Benedicite*, *Deus* responsuri. De ordine pertractando. Ad hoc tabula tacta per priorem dicatur in capitulo *Benedicite*, si dies exposcerit, in monasteriis, quibus continuum silentium retinetur, deinde vadant in ecclesiam dicendo *Domine ne in furore*, *Credidi*, & *De profundis*, more XII. lectionum in ecclesia existentes. Dicta demum oratione Dominica super formis abbas ℣. prosequatur *A porta inferi*, oratio

tio *Quæsumus*, & *Deus indulgentiarum*, cunctis expectantibus in ecclesia, donec omnes campanæ pulsentur pro anniversariis memoratis. Postea vadant in claustrum, ab abbate, si solvendum silentium fuerit, *Benedicite* audituri, & tres psalmos etiam cantaturi. Quando vero brevia non leguntur, dicat abbas: Dicamus de ordine nostro, soluto silentio. Qui autem se cognoscit obnoxium, veniam petet prostratus. Interroganti namque abbati, quid dicis? respondeat: *Mea culpa*. Deinde surgens confiteatur humiliter sub una venia culpas suas, quam incipientes a senioribus faciant universi. Quapropter se caritative ad invicem adjuvantes de reatibus suis & excessibus accusent, & reprehendant seipsos vicissim in visceribus caritatis. Tunc enim proximum tamquam nos ipsos diligimus, cum ipsorum reatus corrigimus, reprehendimus, & quantum in nobis fuerit, emendamus. Fratres nostros taliter diligentes, quod errores eorum nullatenus diligantur, immo potius utiliter persequamur; facientes eos, & consentientes digni sunt morte. Error quoque, cui non resistitur, approbatur, quippe facientis procul dubio culpam habet, qui, quod potest corrigere, negligit emendare. Quilibet enim volens reprehendere alium, illius reprehendere atque nuntiare procuret excessus breviter & modeste, neque de sola suspicione alium reprehendat, ut puta nullus de auditu accuset, nisi dixerit nomen, a quo dicere audierit. Interea caveat quilibet, ne malum, quod ab alio audierit, alii referat excommunicationis pœna, & hoc contingat, in subditis & prælatis, & specialiter cum laicis, & qui contra hoc fecerit in scriptis, sit excommunicatus. Nullus, qui in capitulo aliquem in secunda p... reprehendat, sed in tertia; neque reprehensus ea die reprehensorem suum aliquatenus reprehendat. Major nempe non reprehendatur in capitulo. Nullus aliquem reprehendat sedendo, nisi prior, & abbatis armarius. Reprehensus autem rectus in loco suo contra Crucem inclinet, qui stans in medio toto corpore in latere dextro prostratus petat veniam in directum, partem cucullæ dextram superponendo sinistræ, pedemque sinistrum super dextrum humiliter imponendo, manum etiam dextram in modum crucis jungens super sinistram, caputque manibus superponens dicat humiliter: *Mea culpa*, surrecturus cum abbas dixerit ei: *Surge*. Illico dicat leniter reprehensor: Heri vel hodie male cantavit, vel hoc, vel illud contra ordinem perpetravit. Omnibus igitur, quæ contra reum dicenda sunt, caritative propositis, dicendo mea culpa continuo veniam petat reus. Si autem defendere præsumpserit culpam suam, iterum jussus veniam petat; prælato siquidem ipsum interrogante: Quid dicis? veniam denuo frater petat, donec fuerit prælati animus complacatus. Verum si placari nequiverit, nolens eum recipere, sed expulerit eum a fratrum consortio, talis prælatus in gravi culpa ponatur. Si tamen reprehensiones patienter susceperit, prælatus ei succincte proferat exhortationis alloquia, psalmos vel aliam pœnitentiam misericorditer imponendo. Disciplinam denique recepturus inibi se flexis genibus exuat ordinate cucullam, quam coram se honeste complicet & componat, devote disciplinam nudatus usque ad cingulum suscepturus, super vertice revoluto posteriore latere scapularis, passim mea culpa dicendo, sibi abbate indulturo & dicturo: Parcat vobis omnipotens Deus per misericordiam suam. In signum humilitatis disciplina recepta se flexum cingat & reinduat vestimenta, ipso, qui disciplinam tribuit, vel fratrum altero adjuvante. Recepta vero pœnitentia quilibet se frater inclinet, brachia super genua tenens in cruce. Dicente quidem abbate: Ite sessum, super oram cucullæ manus ponat terratenus, ad sedendum humiliter graditurus. Quo circa summopere cavendum est, ne quis in reprehensorem suum tenere audeat iram, vel rancorem servare, aut querulosa verba ferre. Hujusmodi quippe vitium superbiæ puniri graviter a nostris majoribus consuevit. Postremo orationibus consumatis liceat fratribus loqui de officio & ordine suo sedendo, tractaturis de utilitatibus monasterii suisque necessitatibus, prout utile fuerit & honestum. Profecto idipsum cum audientia & modestia faciant, ita quod uno loquente ceteri taciturnitati deserviant, non loquentes mixtis vocibus vel clamosis, pauca vel rationabilia verba suppressa voce loquendo. Cultus enim justitiæ silentium est; & in multiloquio peccatum est; non deesse probatur sententia sapientis.

De exeuntibus de capitulo sine licentia. Cap. XI.

UT exeat de capitulo aliqua necessitate urgente, si cui fuerit imperatum, non continuo reversuro, præmisso *Benedicite*, factaque ad Crucem reverentia cum capite inclinato secedat. Loquentibus autem in capitulo fratribus su-

ſupterveniens de foris, Crucique ſe incurvans, dicat *Benedicite*, factaque reverentia ſedeat in loco ſuo. Sed ſi de via longinqua venerit, prius confeſſionem faciat, & indulgentia recepta commendationis quoque fraternæ ſalutatione largita humiliter pergat ſeſſum. Ceterum ſuperveniente majore minor ſibi adſurgens humiliato capite cedat ei, quod ubique locorum faciant univerſi. Cum vero ad capitulum, legitur, nullus exire capitulum vel intrare præſumat. Finitoque capitulo dicatur *Benedicite*, in capitulo ab abbate, vel etiam in clauſtro, ſi XII. monachi non fuerint in capitulo vel in conventu. Demum vacent lectionibus aut pſalmis, & operentur etiam opportuna. Miſſæ quoque votivæ ſemper ante capitulum celebrantur. Neque tranſeat biduum aut triduum, quin ſacerdos quilibet dicat Miſſam, niſi pro cauſa rationabili manifeſta, qua ab ea duxerit deſiſtendum. Attamen ſi ſacerdos ſe indignum cognoverit, ſeniori ſuo confiteatur delictum, ut Miſſam digne valeat celebrare. Bis in hebdomada ſaltem confeſſionem facturus, a qualibet irregularitate ſi participaverit cum excommunicatis, vel aliter abſolvendus. Servitoribus enim juncturis ad Miſſam quinquaginta pſalmos duximus indulgendum. Contemnentibus autem vice qualibet detur in capitulo diſciplina.

De præparatione diebus Dominicis.
Cap. XII.

AD præparationem Miſſæ aquam & ſalem benedicendos quolibet die Dominico ſacriſta ſtudeat diligentiſſime præparare. Ad quam celebrandam, omnibus præparatis, pulſetur parvum ſignum ex more in clauſtro. Fratribus igitur lotis manibus ante fores eccleſiæ præſtolentur, ut congregentur in eccleſia majori pulſata campana. Sacriſta vero aſſumpto ſocio pulſet ad Miſſam omnia ſigna incipiens a minori; quod in omnibus fiat diebus ſollemnibus XII. lectionum & octavis, quibus Miſſam feſtive ſeu ſollemniter celebramus, diebus exceptis, quibus proceſſionem per clauſtrum facimus generalem. Tunc enim proceſſione peracta campanæ pulſentur, antequam Tertia inchoetur. Tertia beatæ Mariæ per hebdomadarium inchoata, ſacerdos in ſacrario, diaconus & ſubdiaconus in choro albis induantur. Deinde ſacerdos aſſiſtente cum Cruce diacono a ſiniſtris, & a dextris aliquo ſervitore cum ſale benedicat ſalem dicens *Adjutorium noſtrum in nomine Domini*. *Exorcizo te*.

Sanctificata ergo aqua incipiat cantor antiphonam *Aſperges me*. pſal. *Miſerere mei Deus*, & *ſecundum* &c. *Gloria Patri*. qui repetat *Aſperges me*, Iſta enim antiphona per totum annum diebus Dominicis, exceptis diebus paſchalibus, frequentatur. Interea ſacerdos aquam in circuitu altaris aſpergat, non deſuper, ſed altaribus, crucibus, & yconis præcedente ipſum ſervitore cum aqua. Aſperſa igitur aqua per eccleſiam, Crucem primitus, dictum abbatem, & alios fratres in locis ſuis aſpergat. Subſequenter ſacerdos coram altari dicat verſum *Oſtende*. Oratio *Exaudi*. Tunc cantor incipiat antiphonam ad initium proceſſionis *Sanctus Deus*; pſal. *Deus miſereatur*. In adventu autem antiph. *Spiritus-ſanctus in te*. ℣. *Quomodo fiet* &c. Servitor vero cum aqua officinas aſpergat & clauſtrum: Subdiacono quidem præcedente cum Cruce ſacerdos datis benedictionibus officinis revertatur ante fores eccleſiæ; fratres vero remanentes in choro cantent antiphonas & ℟. prout dies requirit. Verum cum generales proceſſiones facimus & ſollemnes, fratres ſubſequente abbate bini & bini per clauſtrum procedant canentes, ut diximus, quod dies expoſcit, facturi per clauſtrum quatuor ſtationes. Proceſſiones ſiquidem facimus generales in Purificatione, Aſſumptione Virginis, in ramis Palmarum, Reſurrectione, Aſcenſione, Pentecoſte, Dedicatione, majori vocabulo eccleſiæ, nec non in aliis ſollemnitatibus, quarum officia diebus dominicis celebrantur. In die quoque beati Marci & Rogationum proceſſiones fiant ex more. Cum autem ventum fuerit ad fores eccleſiæ, ſacerdos audientibus cunctis dicat orationem *Domine Jeſu Chriſte*, fratribus ſuper genua curvis morantibus; nam expleta oratione abbas incipiat antiphonam, ut dies expoſcit. Singulariter autem diebus Dominicis ab octava epiphaniæ uſque in ramos palmarum; & ab octava Pentecoſtes uſque ad Adventum Domini ad honorem majoris vocabuli antiphonæ decantentur. In Adventu vero ad introitum eccleſiæ antiph. *Virgo virginum*; ℣. *Rorate*. Dicto igitur *Kyrie eleiſon: Et ne nos inducas*, ſacerdos cunctis audientibus, dicat orationem *Viam Sanctorum*. Deinde cantatur Tertia, in tertio pſalmo ſubdiacono ſacerdoti capitulum præſentante.

De

De diacono & subdiacono, quando se induant dalmatica & tunicella.
Cap. XIII.

DIaconus dalmatica, & tunicella se induat, subdiaconus in tertio psalmo Tertiæ per totum annum in sollemnitatibus & XII. lectionibus. Ultimo cum dicitur *Benedicamus Domino*, sacerdos ante altare factis tribus veniis dicat *Deus propitius esto mihi peccatori*, subsecuturus orationem *Domine Jhesu Christe propitius esto mihi peccatori, & dona mihi de præteritis meis malis veniam, de præsentibus emendationem, & de futuris largiri digneris custodiam, ut dignus sim accedere ad sanctum altare tuum, & tractare & sacrificare gloriosissimum corpus & sanguinem tuum. Per Christum.* Ad hæc lotis manibus casulam de manu Diaconi sacerdos accipiat, qua induens dicat orationem *Indue me de ornamento* &c. Diaconus autem & subdiaconus eidem casulam componant & aptent honeste. Insuper dicto *Benedicamus Domino*, cantor incipiat officium Missæ post duas cum aliis adjuvantibus dictiones. Deinde sacerdos dicat *Adjutorium*, cum psal. *Judica me Deus*. Cantore itaque cum suo choro usque ad medium officium prosequente, chorus secundi cantoris incipiat vel dicat residuum. Et primo cantore versum usque ad medietatem dicente, partem decantet reliquam alter chorus. Sacerdos igitur præcedentibus diacono, subdiacono & acolyto, cum cantor incipit *Gloria Patri*, ad altare accedat, & .... in thuribulo misso incenso coram altari confessionem incipiat, diacono cum missali a dextris, & subdiacono astantibus a sinistris cum thuribulo. Confessione itaque peracta diaconus inveniat *Te igitur* in missali, cujus incensata Cruce subdiaconus incensum exhibeat sacerdoti, cui diaconus prædictam Crucem tribuat osculandam. Facta igitur indulgentia & orationibus consuetis ad altare, sacerdos ascendat, illi ministris astantibus & per eum devotissime osculandum. Continuo super altare apertum diaconus librum ponat, qui a subdiacono thuribulum recipiens cum incenso, & tribuat sacerdoti. Minister enim sacerdoti calicem, incensum, ampullam seu aliquid tribuens vel ab eo recipiens, manum sibi cum reverentia osculetur; quod etiam subdiaconus diacono facere non recuset. Sacerdos quidem incenset altare, prout in sollemnitatum vespere continentur, subdiaconus vero retro teneat oram planetæ, ne sacerdos impediatur incensans. Tandem recepto diaconus a sacerdote thuribulo incensum ei tribuat vel exhibeat, cujus anteriorem partem planetæ devotus exhibeat & reaptet. Diaconus nempe in circuitu altaribus infra chorum omnibus incensatis, subdiacono thuribulum tribuat. Cerei quoque accensi maneant semper ad Missam in candelabris post altare, nisi cum evangelium legitur a diacono diebus Dominicis & festivis.

De Gloria in excelsis Deo, *&* Credo in unum Deum, *quando dici debeant?*
Cap. XIV.

G*Loria in excelsis Deo* ab adventu Domini usque in noctem Nativitatis, & a Dominica Septuagesimæ usque ad Sabbatum sanctum, nisi consecratio vel majus vocabulum venerit, non cantetur. Aliis vero Dominicis & festis XII. lectionum dicitur; & infra octavas Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Resurrectionis, Pentecostes, Assumptionis & Nativitatis Virginis gloriosæ, & quandocumque *Gloria in excelsis Deo* cantatur, in fine dicitur *Ite Missa est*. Aliis autem diebus dicitur *Benedicamus Domino*. *Credo in unum Deum* dicitur diebus Dominicis, festis apostolorum, beatæ Mariæ cum suis octavis, per octavas Nativitatis, Paschæ, Pentecostes, in festo sancti Benedicti, sancti Michaelis, sancti Johannis-baptistæ, Decollationis ipsius, Circumcisionis, festis sanctæ Crucis, Omnium Sanctorum, sancti Salvatoris, Ascensionis, Dedicationis, majori vocabulo ecclesiæ, & in omnibus diebus, quando dicitur *Credo*, in Missa de Tertia dicitur & in Matutinali, si dicatur de ipso festo vel alio. In quadragesima vero non dicitur in Missa matutinali de jejunio *Credo*, licet dicatur in Tertia. Dicto namque *Gloria in excelsis Deo*, vel saltem *Kyrie eleison*, sacerdos osculato altari, & facto signo Crucis, & manibus elevatis volvat se versus fratres ex latere dextro, & dicat *Dominus vobiscum*, componens honeste manus suas in modum crucis ante pectus, diacono extra habente planetam a parte anteriori devote. Deinde sacerdos revolvat se versus altare, quod sic semper fiat, nec se giret, qui tantum unam orationem dicat, si Missa matutinalis post Primam fuerit celebrata. Igitur oratione finita subdiaconus orationem faciens reverentiam ante altare in medio ante se dicat epistolam a dextris altaris. Qua dicta factaque reverentia, sicut prius manus abbatis semper in XII. lectionibus osculetur, prioris Camaldulensis quotidie osculetur. Postea secundus & tertius cantor incipiat Gra-

duale; quod repetens primus cantor cum choro suo perducat ipsum usque ad medietatem, cujus ultima pars finiatur ex latere secundi cantoris. Illi autem, qui sunt in choro, usque ad medietatem, similiter dicant versum; alia vero in duas partes medietas dividatur, ita quod ultima pars finiatur ex parte secundi cantoris. Tunc illi, qui sunt in choro, repetito Graduali revertantur ad loca sua, repetitum vero graduale perficiat chorus primi cantoris usque ad medietatem, altera vero medietas finiatur ex parte primi cantoris. Quod cum Tractus canitur, numquam fiat; quod duo fratres de majoribus ante altare facientes reverentiam coram se incipiant *Alleluja*, quod repetat primus cantor cum choro suo usque ad medietatem. Aliam vero medietatem chorus secundi cantoris perficiat. Tunc prædicti duo fratres dicant ℣. usque ad medietatem, alia vero in duas partes medietas dividatur. Demum fratres, qui sunt in choro, repetant *Alleluja*, & dividatur in duas partes, prout in versu curavimus intimare.

De ministerio diaconi & aliorum.
Cap. XV.

MInisterium diaconi decernitur diligentissime peragendum; qui ante abbatem cum incenso veniens, subdiacono gestante thuribulum dicat *Dominus sit in corde tuo & in labiis tuis, ut competenter annunties evangelium pacis*, qui diaconus osculata manu abbatis librum accipiat de altari, quo per eum osculato dicat *Conforta me rex Sanctorum* &c. Subdiaconus antequam librum accipiat, ponat super analogium, prius ipsum incenset in modum crucis. Diaconus quidem cum dixerit post *Dominus vobiscum*, *Sequentia sancti evangelii*, librum cum pollice imprimat signo crucis, duobus ceroferariis cereis accensis ei a dextris assistentibus & sinistris. Tunc diaconus in fronte sibi faciens signum crucis, accepto de manu subdiaconi thuribulo, evangelium in modum crucis incenset. Cui subdiacono recepto thuribulo incensum ex latere dextro diaconi exhibeat reverenter, quando *In illo tempore*, decantatur. At vero post osculum evangelii sibi faciat signum crucis lecturus ipsum honeste; cui assistat post ipsum subdiaconus cum incenso.

De incenso dando post evangelium.
Cap. XVI.

INcensum dandum post evangelium subdiaconus studeat diacono exhibere, deinde Missam celebranti, tertio abbati, qui si deerit, det priori, quibus eotenus evangelium diaconus præbeat osculandum. Quod etiam fiat prælatis omnibus commorantibus infra chorum. In plenissimis autem sollemnitatibus dato incenso, & præsentato evangelio supradictis, duo ex servitoribus librum accipientes cantanti evangelium præbeant & incensum. Deinde fratribus, qui sunt in choro abbatis, & consequenter prioris. Præterea sacerdos alta voce dicat *Credo in unum Deum*, cui cantor incipiat, & respondeat *Patrem omnipotentem*, quem particulatim ceteri prosequentur. Diaconus interim in sinistro cornu altaris, & subdiaconus assistentes cum sacerdote, *Credo* dicant voce suppressa. Tunc diaconus & subdiaconus ablutis manibus celeriter properent ad officia sua. Diaconus autem explicet corporale dicturus orationem *Aures tuæ pietatis*. Verum cum fratres dicunt *simul adoratur*, continuo subdiaconus cum calice prope altare moretur. Ferialibus autem diebus dato incenso in principio evangelii sacerdoti, subdiaconus thuribulum servienti relinquens, calicem teneat post sacerdotem a dextra parte altaris. Dicto igitur *Credo in unum Deum*, revolutus dicat sacerdos *Dominus vobiscum*, cui diaconus inclinans non tangat hac hora planetam. Fratribus vero canentibus officium simpliciter sine versu, subdiaconus diacono calicem representet cum hostiis, quæ duobus ad communicandum sufficiant, & etiam si pluribus fuerit opportunum, uno sacerdote præbente aquam cum gausape sacerdoti. Accepta igitur aqua sacerdos de ipsa mittat in calicem dicens *Ex latere Domini nostri Jesu Christi*. Tunc levita elevans cum hostiis patenam cum calice devote offerat sacerdoti, subdiacono diacono calicem oblaturo. Sacerdos itaque patenam cum hostiis, & diaconus calicem retinentes curvi dicant orationem *Suscipe sancta Trinitas*; qua finita sacerdos crucem faciens cum patena ponat hostiam in altari in modum crucis, ordinando eamdem, etiamsi plures fuerint hostiæ consecrandæ. Sacerdote autem faciente crucem cum patena, diaconus cum calice faciat illud idem, dicendo utroque *In nomine Patris & Filii*. Tunc levita patenam accipiat de manu presbyteri, ipsam subdiacono porrecturus, & cooperto cum sudario calice diaconus ponat caute super pedem calicis manum dextram, manum sinistram dextro brachio superponens. Benedicente super utrumque presbytero, & dicente *In nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti*,

amen.

amen. *Sit signatum & consecratum* &c. similiter faciat super calicem dicens *Sanctifica quæsumus Domine hunc calicem* &c. Tunc junctis manibus presbyter dicat *Acceptum sit omnipotenti Deo sacrificium istud altari suo superimpositum*, diacono per singula respondente, *amen*.

De incenso altaris, & aliis servitiis faciendis. Cap. XVII.

CUm incenso servitore a dextris & subdiacono stantibus a sinistris, incensum in thuribulum presbyter mittat dicens *Per intercessionem sancti Michaelis*. Hinc igitur subdiaconus diacono thuribulum offerat ipsum exhibiturus continuo sacerdoti. Quod sacrificium ter incenset communiter oblationem puta in modum crucis, & calicem desuper dicat *Incensum istud a te benedictum* &c. ter quoque in circuitu calicis & hostiæ cautissime adjungendo *Dirigatur Domine oratio mea*. Incensaturus per medium altaris ad Crucem, atque ad angulum dextrum pariter & sinistrum dicendo *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum*. Deinde desuper medium altaris latere incipiens a sinistro reducat thuribulum ad latus dextrum in modum lineæ, deorsum thuribulum reducendo a capite dextro inter se & ipsum altare usque ad caput incensandum sinistrum. Tunc thuribulum reddat diacono exhibito sibi prius diacono incenso. Subsequenter sacerdos diacono accipienti dicat *Accendat in nobis Dominus ignem sui amoris & flammam caritatis æternæ*. Dato igitur incenso abbati diaconus majus altare circumeat incensando, aliis altaribus & yconis incensum daturus, quia infra chorum potest commode incensare subdiacono aptante planetam presbyteri condecenter. Abbati denique dato incenso, diaconus thuribulum subdiacono in choro exhibeat, quo diacono in choro exhibito, fratribus existentibus ex latere abbatis, & consequenter fratribus ex latere prioris incensum tribuat reverenter. Demum infirmis morantibus extra chorum, conversis etiam per versum tribuatur incensum. Ad hæc servitores aquam præbeant sacerdoti pro manibus abluendis hoc modo. Unus de servitoribus manutergium teneat manu sinistra, bacinum cum aqua manu dextra retinendo. Ex altera vero parte manutergium servitor dextra teneat, alio stante cum alio ciminile, in quo perfusam aquam recipiat de manibus sacerdotis, quæ ablutio non in profusorio, sed in alia parte projiciatur. Sacerdos autem abluens sibi manus vel tergens dicat orationem *Largire sensibus nostris*, vel aliam congruentem. Ubi taliter aqua dari non potest, ampullam cum gausape servitor accipiat & bacinum, in quo profundat aquam digitis sacerdotis, provisurus in offerenda, ut prius & post receptionem eucharistiæ semper ampullas cum manutergiis divisis deportet, quibus digiti sacerdotis detergantur. Nec ad hoc officium secus altare manutergium aliquod suspendatur, neque gradus altaris quis præsumat ascendere velato capite, vel manere. Abstersis igitur sacerdos manibus ante altare inclinatus hanc orationem dicat devote. *Domine Jesu Christe, qui in cruce passionis tuæ* &c. Erectus autem presbyter faciat crucem super utrumque dicens *Veni sanctificator omnipotens* &c. Deinde altari osculato & facto signo crucis revolvat se versus fratres inclinans aliquantulum dicens *Orate pro me fratres*. Mox cuncti fratres respondeant inclinati *Omnes sancti Dei orent pro te*. *Memor sit Dominus sacrificii tui, & holocaustum tuum pingue fiat*. Postea sacerdos elevatis manibus quasi usque ad auriculas devote & distincte secretellas prosequatur. Interim diaconus post sacerdotem, & subdiaconus cum patena cooperta recti maneant & intenti ad custodiam sacerdotis & altaris luminum. Dictis tandem secretellis osculetur sacerdos altare, & super utrumque signo crucis facto, seipsum signet, & ut supra diximus elevatis brachiis dicat *Per omnia secula seculorum*, præfationem, ut diei convenit, cantaturus. Cum autem dixerit *Gratias agamus*; & *adorant Dominationes*, tam ipse, quam totus conventus versus altare venerabiliter se inclinent. Dum autem cantor incipit *Sanctus*, fratres alterius chori curventur, & qui curvi manserunt, secundum *Sanctus* dicant erecti, sic enim per partes usque ad *Benedictus*, cantent, ita quod uno choro canente alter chorus maneat inclinatus, & cum dicitur *Benedictus*, totus conventus se signet habendo facies ad altare. Finito igitur *Sanctus* fratres prosternantur in formis diebus ferialibus & festivis. Diaconus insuper a dextris & subdiaconus a sinistris cum sacerdote inclinati dicant *Sanctus*, post sacerdotem sicut primitus permansuri. Postquam vero fratres perfecerint in choro *Sanctus*, Corpus Christi sanctissimum presbytero elevante venerabiliter manibus geminatis ita supra caput, quod omnes ipsum valeant contemplari, signo itaque tintinnabuli facto totus conventus flexis genibus & manibus elevatis Dominum & passionis memoriam mente revolvens dicat *Dominus meus*

meus & Deus meus . Ave principium meæ creationis , ave pretium meæ redemptionis , ave præmium meæ retributionis. Quibus dictis maneant ſuper formis uſque ad *Per omnia ſecula ſeculorum*, quod dicitur poſt *Pater noſter* diebus ſollemnibus & privatis vacantes orationibus, quas eis dignata fuerit divina pietas inſpirare. Sacerdote autem dicente *Per quem omnia*, diaconus manu pedem calicis teneat , ut ſupra, donec ſacerdos dixerit *Sanctificas*, *vivificas*. Tunc diaconus ambabus manibus cautiſſime ſudarium elevans ponat ipſum in latere dextro ſuper altare . Interea ſacerdos ſuper hoſtiam ponat ſummitatem ſiniſtræ ſuper calicis pedem , & diacono tenente manum ſuper ipſum pedem, ut ſupra, dicat *Per ipſum*, *& cum ipſo*, *& in ipſo*. Quando autem ſacerdos dicit *Tibi Deo Patri* , faciat tres cruces ex latere dextro calicis tangendo ſemel euchariſtiam in dextro latere calicis . Continuo diaconus calicem cautiſſime levet cum presbytero dicente *Per omnia ſecula ſeculorum* . Qui diaconus repoſito in loco ſuo calice, ſudario ipſum cooperiat, quando placuerit ſacerdoti . Sacerdos quidem manibus elevatis dicat *Oremus*, *præceptis ſalutaribus moniti* . Confeſtim diaconus oſculato altari, & dextro humero ſacerdotis revertatur poſt ſacerdotem. Dicto autem *Pater noſter*, diaconus patenam offerat ſacerdoti , cum quo ſibi faciat ſignum crucis in fronte ac pectore , deoſculans ipſum & dicens *Da propitius pacem in diebus noſtris*. Et corpore Dominico digitis accepto, poſitoque ſuper patenam diaconus diſco operiat calicem , manum ſuper pedem calicis retinendo, donec ſacerdos corpus Dominicum dividat in tres partes, cautiſſime ſuper ipſum dicens *Per eumdem* . Quibus duabus particulis ſuper patenam poſitis, tertiam digitis teneat ſuper calicem dicens *Per omnia ſecula ſeculorum* . Deinde ſacerdos ſignum faciat ter dicendo ſuper calicem *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum*. Diaconus quidem a dextris , & ſubdiaconus a ſiniſtris calicem coopertum ſudario cum presbytero dicant *Agnus Dei*.

De pace facienda. Cap. XVIII.

PAcis oſculum det ſacerdos diacono & ſubdiacono poſt tertium *Agnus Dei*. Dicta oratione *Domine Jeſu Chriſte*, & altare cum reverentia oſculato . Subdiaconus ergo pace recepta celebranti planetam extendat & aptet. Ad hæc diaconus pacem ſubdiacono donet dicens *Ad veram & perpetuam pacem perducat nos omnipotens Dominus*. Nihilominus tertio *Agnus Dei* ab utroque diebus Dominicis & ſollemnibus decantato, abbati & priori pax per ſubdiaconum tribuatur , ita quod abbati diaconus, & ſubdiaconus det priori , per quos fratribus detur ſibi aſſiſtentibus univerſis . Qui ſacerdos tamdiu differat ſuſcipere Corpus Chriſti, donec dixerit abbas in loco ſuo cunctis audientibus *Ad veniam & perpetuam pacem*, cui fratres *Amen* , reſpondeant inclinati ſuper oras cucullæ manus tenentes. Necnon ſacerdos ſuſtineat , donec facere poſſit confeſſionem abbas cum fratribus quinque vicibus infraſcriptis, videlicet in die natali Domini, in cœna Domini, in Reſurrectione, Pentecoſte, & feſto omnium Sanctorum . Qui autem converſis pacem offerat ſubdiaconus diebus Dominicis & ſollemnibus. Deinde præter illos , qui celebrarunt, omnes communicent tam monachi, quam converſi . Aliis vero temporibus in diebus Dominicis & pleniſſimis ſollemnitatibus monachi non celebrantes communicent . Interea ſacerdos ante altare ſe devote inclinet, orando ex intimo cordis affectu dicens *Domine Jeſu Chriſte*, *qui in cœna*, cum aliis orationibus tantis myſteriis congruis & aptis , & accepta patena Corpus Chriſti reverenter manu dextra ſumat dicet *Panem cœleſtem accipiam* , *& nomen Domini invocabo* . *In nomine Patris & Filii & Spiritus-ſancti* , *amen* . *Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti mundet me ab omni peccato*, *& conſervet animam meam in vitam æternam* , *amen* ; & ſic accipiat euchariſtiam . Et Corpore Chriſti ſumpto calicem tangat tribus vicibus cum patena , ita quod fratres audientes in choro flectant genua , dicendo hanc orationem *Hujus quæſumus Domine ſacramenti ſuſceptio fiat omnium peccatorum remiſſio*, *& cunctorum fidelium Chriſtianorum tam defunctorum*, *quam vivorum pia redemptio*. Proinde dicatur oratio pro domno priore Camaldulenſi & aliis noſtræ congregationis orationibus commendatis *Deus*, *qui juſtificas impium*, *& non vis mortem peccatoris* , *majeſtatem tuam ſuppliciter exoramus*, *ut me famulum tuum*, *& famulos & famulas tuas de tua miſericordia confidentes cœleſti protegas benignus auxilio*, *& aſſidua protectione*, *conſerves* , *ut tibi jugiter famulentur* , *& nullis tentationibus a te ſeparentur* , *per Chriſtum Dominum noſtrum*, *amen*. Mox fratres ad nutum ſurgant abbatis. Qui autem Miſſam non dixerint, & communicare voluerint, communicent.

De

De modo, quem tenere debent, qui communicandi sunt. Cap. XIX.

QUi communicandi sunt, coram altari congregati morentur majores ante minores; quorum quilibet, antequam recipiat Corpus Dominicum, positis manibus super oram cucullæ, tribus vicibus dicat *Domine non sum dignus*. Qui genua flectant devote juxta dextrum cornu altaris, honeste sacrosanctum mysterium recipiant, quibus sacerdos cum magna cautela porrigat Dominicum corpus dicens *Corpus Domini nostri Jesu Christi* &c. Ante pectus communicandi fratris duobus fratribus sindonem retinentibus reverenter, ut corpus Dominicum mundissime conservetur. Recepturus quidem sacramentum tantum dicat *Corpus Domini nostri Jesu Christi* &c. Hoc etiam prævideat presbyter, quod diacono & subdiacono primitus eucharistiam conferat. Accipientes denique calicem dicant *Calicem salutaris accipiam & nomen Domini invocabo*. Et quod ne sacerdos nimium differret perficere, sacrista communicandis alium calicem studeat præparare, ut commode valeant recipere Sanguinem Jesu Christi. At sacerdos cum suo calice honeste altaris officium exequatur. Confirmati demum dicant *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis; Deo gratias, amen*. Reverentes autem ante altare gratias devotissime agant Domino pro salutaribus muneribus jam perceptis. Sacerdos quidem sumptis mysteriis dicat secrete *Corpus tuum Domine, quod accepi* &c. & alias orationes, quas viderit expedire. Communicatis namque fratribus, abluat sacerdos patenam, quam lotionem sumat diaconus vel levita. Diaconus etiam, cum dicitur postcommunio, in dextro cornu altaris missale portet. Servitores autem cum gausape & ciminilibus sacerdotis digitis fundant aquam, ut in offerenda præmisimus, manutergio mutato cum bacino. Cum vero aqua funditur digitis sacerdotis, postcommunionem cantor incipiat. Quo completo, sacerdos revolutus ad fratres dicat *Dominus vobiscum*, diacono sibi trahente planetam. Fratres vero, dum consecrationis orationem vel alia dixerit alta voce, faciem habeant ad altare, nisi cum post *Sanctus* curvi morantur, vel in choro aliqua decantantur. Verumtamen cum in oratione de Spiritu-sancto, de Cruce, de Pace, vel cujuscumque Sancti nomen expresserit, inclinentur vel prosternantur, ut dies exposcit tam in Missa, quam in aliis divinis officiis; nam cum in fine sacerdos dixerit *Dominus vobiscum*, diaconus sibi planetam trahat & aptet. Quibus revolutis, versus altare dicat diaconus *Benedicamus Domino*. Cum vero dicitur *Ite Missa est*, faciem habeat ad conventum. Finita demum Missa, presbyter sonora voce dicat fratribus inclinatis *Benedicat vos omnipotens Deus, Pater & Filius & Spiritus-sanctus, amen*, diacono & subdiacono juxta dextrum cornu altaris morantibus inclinatis. Deinde lector mensæ facta reverentia coram altari dicat ter *Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam*. Tunc sacerdos post repetitionem tertiam, præmissis cap... subjungat orationem *Aufer*; ab hoc ultimo fratribus incipientibus Sextam beatæ Mariæ, sacerdos osculato altari dicat orationem *Placeat*, inclinatus, qui cum diacono, & subdiacono & servitoribus in sacrarium reversus exuat se, sua officia peragendo. Quod peracta Sexta beatæ Mariæ statim Sextam regularem suis decantent sedibus, in quibus manserunt ad Missam, quando refectio geminatur. Dum tamen Mandatum pauperum propter Sextam tunc dicendam impedimentum nullatenus patiatur; quod Mandatum quotidie fiat, ut inferius continetur. Ad Sextam cap. *Rorate cœli*, oratio *Conscientias nostras*. Ad Nonam cap. *Ecce virgo concipiet*, oratio *Prope esto Domine*; ad nocturnum cap. *Nolite ante tempus*, oratio *Excita Domine*. In Laudibus, Tertia & Vesperis capit. *Sobrie & juste*, oratio *Mentes nostras*. Quæ capitula cum orationibus præfatis horis per totum adventum quotidie repetantur. Ad Vesperum antiph. *Dixit Dominus* &c. capit. *Hora est jam*: ad Magnificat antiph. *Ne timeas*, oratio *Excita Domine*.

Quibus temporibus maneant fratres sine caputiis? Cap. XX.

FRatres sine caputiis in ecclesia recti morentur, cum dicitur officium Virginis gloriosæ, & *Te Deum laudamus*, evangelium, Benedictus & Magnificat, *Salve regina*, & Tertia regularis, cum Corpus Christi levatur a sacerdote, cum frater dicit aliquid in ecclesia solus, cum manserit ultra gradus altaris, cum adnuntiatur aliquid abbati vel priori, cum fit in choro confessio, cum dicitur: *Quicumque vult*, cum recipitur benedictio vel Aqua-sancta, cum uni sociatur vel duobus, qui dixerint versus, *Alleluja* vel hujusmodi. Quotiescumque enim fratres fuerint in conventu, in choro, in capitulo, in collatione, in parlatorio vel infirmaria honeste atque composite sic moren-

morentur, quod non cooperiant cum caputiis faciem, sed super sinistram teneant manum dextram, mansuri ubilibet, sessuri, & ambulaturi, defixis in terram obtutibus, & inclinato capite. Sane cum omnia bona opera placeant creatori, divinum officium, si cum devotione distincte fuerit celebratum, acceptum esse Deo, plurimum probatur & gratum; ideoque statuimus benigne mandantes, ut divinum officium a Kalendis octobris usque ad Pascha nocturno tempore punctatim & distincte dicatur, ita quod in puncto, antequam subsequens pars inchoetur, dici possit *Gloria tibi laus*. In horis vero diurnis præfati temporis fiant semper puncta, sed non fiat tanta mora in punctis, sicut in noctibus memoratis. In quadragesima tamen majori tam in die, quam in nocte divinum Officium punctatim & distincte dicatur, non solum directaneum, sed etiam regulare. A Pascha quidem usque ad Kalendas octobris nocturno tempore non ita prolixe, velut in hyeme, tamen punctatim & distincte, atque morose dicatur, sicut fieri diximus hyemalibus noctibus. Officium vero directaneum semper distincte ac aperte dicatur, ita quod nullus versum incipiat, nisi fratres existentes in alio latere compleverint suum versum, pariter ℣. incipientes, & pariter dimittentes, & ita stent omni tempore ad psallendum, ut vocibus concordent psallentium mentes fratrum. Scriptum est enim *Servite Domino in timore*; Paulus *Psallam spiritu, psallam & mente*; & David *In conspectu Angelorum psallam tibi*.

De feria secunda in Adventu. Cap. XXI.

FEria secunda in adventu Domini. Ad invitatorium *Regem venturum*, quod dici debet diebus ferialibus, donec invitatorium *Prope est jam Dominus* incipiatur antiph. *Rectos decet*; in Laudibus; antiph. *In illa die*, residuæ vero dicantur per horas diei, & sic de aliis Dominicarum Laudibus fiat per totum adventum. Ceteris autem temporibus Laudum psalmi cum prima tantum dicantur antiphona; reliquæ vero tam in festivitatibus, quam diebus aliis non habentibus antiphonis propriis per horas diei canuntur, quando propriæ per horas diei habentur, in Laudibus antiphonis propriis decantatis. Excipimus tamen, salutaribus monitis regulave informati, dies Dominicos & Paschales, in quibus regulariter sine intermissione canitur *Alleluja*, præterquam a septuagesima usque ad pascha. Benedictus & Magnificat antiphonæ, ut habentur in libris.

De secunda, tertia & quarta Dominica de Adventu. Cap. XXII.

DOminica secunda de adventu sabbato præcedenti capit. ad vesperum *Quæcumque scripta sunt*, quod capitulum cum oratione *Excita Domine*, in Laudibus, Tertiis & Vesperis repetatur præsenti Dominica. Antiphonæ vero & responsoria, sicut continentur in libris dicantur; lectiones quatuor de Isaja, quatuor de sermonibus & de homilia dicantur, prout in generali lectionario continentur. Dominica autem tertia in adventu sabbato præcedenti capitula, orationes & alia, prout continentur in libris. Dominica quarta de adventu sabbato præcedentis hebdomadæ, sicut continetur in libris, officium celebratur, antiphonæ vero majores videlicet *O sapientia* & ceteræ ante octavum diem vigiliæ nativitatis Dominicæ sunt inchoandæ ad Vesperum ab abbate, cujus sequenti nocte invitatorium *Prope est jam*; ipsa namque die, quo ipsum invitatorium incipit decantari. Si autem nativitas Domini venerit die Dominico, feria secunda invitatorium, ut supra. Superfluæ antiphonæ ad horam Primam & per horas diei colligendæ sunt, & sollicite requirendæ. Scilicet *Jerusalem respice* & ceteræ. In Laudibus antiph. *Ecce venit Dominus* &c. ad Benedictus *Egredietur virga*. Ad Primam antiphonæ & per horas diei dicantur, ut continentur in libris. Feria III. in Laudibus antiph. *Rorate cœli* & ceteræ, ut continentur in antiphonario. Feria IV. tres lectiones de homilia *Missus est Gabriel*; ℟ia *Clama in fortitudine*, quoniam hac die jejunia quatuor temporum inchoantur, unde versus

Vult Crux, Lucia, cinis & charismata die,
Ut det vota pia, quanta sequens feria.

secundum quam formam jejunia celebrantur; in Laudibus antiph. *Prophetæ prædicaverunt*; ad Benedictus antiph. *Missus est Gabriel*; per horas quidem diei antiphonæ dicantur de Laudibus Dominicalibus, ultima hebdomada recolligendo ipsas cum superfluis aliis. Prædicta & quarta feria hebdomadæ quartæ officium beati Thomæ integre celebretur. Dicto tamen *Per Dominum nostrum*, post orationem apostoli dicatur in Laudibus antiphona *Nolite timere*, cum versu *Sinite*. Præterea sciendum est, quod quocumque die venerit festum beati Thomæ, octava

die

die post festum Laudes, ante festum dicantur antiphonæ de Laudibus ipsius feriæ, antiphona autem quintæ feriæ de Laudibus juxta nativitatem Dominicam reservetur in suo die dicendam. Feria igitur quinta hebdomadæ quartæ in Laudibus antiph. *De Sion*; ad Benedictus antiph. *Vigilate animo*, per horas diei, ut habentur in libro. Sexta feria hebdomadæ tertiæ dicantur tres lectiones de homilia, & ℟ia *Præcursor* &c. in Laudibus & per horas diei antiphonæ de Laudibus Dominicalibus vel propriis recolligendo antiph. Laudum Dominicalium & per horas ultima Dominica de adventu. Sexta feria hebdomadæ quartæ dicantur tres lectiones de homilia, vel de Isaja, & ℟ia de historia *Canite tuba*. In Laudibus antiphona *Intuemini* & ceteræ; ad Benedictus antiphona de adventu; per horas diei, ut habetur in libro, dicitur. Sabbato autem vigiliæ celebraturi officium, quatuor temporum officium nequimus celebrare. Ideoque hebdomadæ tertiæ in sabbato præteritæ officium quatuor temporum congruentius concedimus celebrari. Sabbato ergo hebdomadæ tertiæ prædictæ dicuntur tres lectiones de homilia evangelii *Anno quinto-decimo*; ℟ia *Rorate*. In Laudibus antiphonæ *Constantes*. Ad Benedictus antiph. *Omnis vallis*. Ad Primam antiph. & per horas diei *Constantes* & ceteræ, ut habentur in antiphonario. Ad Missam officium *Veni*, & *Ostende*. Post *Kyrie eleison*, non dicatur continuo *Dominus vobiscum*, sed *Oremus*, subsequente mox diacono *Flectamus genua*, dicat *Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu-Christi, ex quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur*. Tunc levita facto modico intervallo dicat *Levate*. Conventus quoque surgens dicat *Ad te levavi animam meam* &c. *Salvum fac populum tuum*, sacerdote prosequente orationem *Deus, qui conspicis*.

De prophetiis dicendis. Cap. XXIII.

PRrophetiæ dicendæ incipiantur a minoribus ex parte primi cantoris; Graduale secundus cantor cum choro suo cantet; oratio: *Concede quæsumus*. Secunda prophetia *Lætabitur* ex parte secundi cantoris; oratio *Indignos nos*; prophetia *Super montem*, ex choro primi cantoris; Graduale *Domine Deus virtutum*, ex parte secundi cantoris; oratio *Præsta quæsumus*; prophetiæ *Angelus Domini*. A priore demum & abbatis armario hymni in choro dicantur *Benedictus es Domine*. Quando autem plures prophetiæ dicuntur, analogium debet esse juxta gradus altaris munda sindone coopertum; neque dicere debemus *Flectamus genua*, post *Dominus vobiscum*, nisi in majori quadragesima. Prædicto hymno igitur decantato sacerdos revolutus ad conventum dicat *Dominus vobiscum*; oratio *Deus, qui tribus*, epistola *Rogamus vos*; Tractus *Qui regis Israel*; evangelium *Anno quinto-decimo*. In præfato autem sabbato hebdomadæ quartæ, in quo vigilia Dominicæ celebratur, vel in quocumque die venerit, campanæ pulsentur, sicut in feria. Ad invitatorium duo fratres *Hodie scietis*; antiph. vero & psalmi feriales ad nocturnum dicantur; ℣. ℟. & antiphonæ, ut in antiphonario continentur; tres lectiones de homilia *Cum esset desponsata*, quæ a majoribus recitentur, ita quod abbas tertiam lectionem vel tertium ℟. cum suo armario cantet, vel, si dies poposcerit, hoc prior cum suo armario prosequatur. In secundo nocturno psalmi feriales cum *Alleluja* dicantur; capitul. *Deus pacis*; oratio *Præsta quæsumus*, postea fratres præcedente atque subsequente candela in dormitorium statim vadant. Intervallo igitur parvo facto tangatur signum in dormitorio tribus percussionibus a sacrista, & statim revertatur in ecclesiam ordinate. Ad hæc accensis duobus cereis coram majori altare pulsentur more XII. lectionum in campanili campanæ; ad Laudes dicta oratione Dominica hebdomadarius laudes incipiat matutinas, antiph. *Judæa & Jerusalem*, psalmi *Miserere mei Deus* &c. qui a majoribus incipiantur; fratribus quidem psalmum *Laudate* dicentibus, præparet ignem cum incenso servitor, qui accensa candela capitulum sacerdoti præsentet. Interim primus & secundus cantor coram altari præcedant breve ℟. cantaturi. Lotis vero manibus sacerdotis abbati repræsentet incensum; & dicto primo versu *Benedictus* cum servitore pergat officium incensandi; oratio *Deus, qui nos redemptionis*. Et dicto *Benedicamus Domino* a duobus, præcedentibus luminibus, vadant ad locum intervalli, qui vero volunt, in calefactorio cum silentio commorentur. At vero dum lux diei micuerit, pulsetur in dormitorio parvum signum, & squilla de choro pulsata feriali modo post Dominicam dicant Primam canentes hymnum. Egressi denique de ecclesia vacent lectionibus usque ad secundam, Missas votivas dicentibus, quicumque maluerint celebrare. Pulsatis vero signis horæ secundæ aquam recipiant benedictam fratres, & dicta oratione Dominica Tertia decantetur, & ad capitulum se præ-

parent ordinate. Lector vero benedictione recepta post datalem & Lunam dicat *Jesus-Christus filius Dei in Bethleem Judæ natus est*. Illico fratres omnes surgant de sedibus suis cadentes in facies suas, referendo gratias creatori, prout inspiraverit eis ipse. Abbate autem surgente pariter surgant omnes, & eo sedente sedeant; & lecto martyrologio, idest *Natale sanctæ Anastasiæ* &c. recitet lectionem de expositione evangelii *Cum esset desponsata*; tunc abbas soluto silentio, factaque breviter admonitione, dicat: *Fratres surgite, & confessionem facite generalem*. Tunc prior culpabilem se reddat pro omnibus, quibus abbas indulgentiam faciat generalem, injungens, ut dicant tres psalmos, in capitulo silentium soluturus.

De annuntianda tabula vigiliæ Nativitatis Domini. Cap. XXIV.

ANnuntianda tabula est sequentis diei ante Nativitatem Dominicam quarta die. Deinde annuntietur tabula Nativitatis Domini sub hac forma. In nocte Nativitatis Domini. Ad invitatorium talis, talis, talis. In primo nocturno cellerarius antiph. *Dominus dixit ad me* &c. Tertia die adnuntiatur tabula sequentis diei. Deinde tabula sancti Stephani. Sic. In primo nocturno antiph. *Stephanus* &c. In vigilia quoque nativitatis Domini lecta lectione in capitulo lector dicat *Hodie*; ad vesperum hebdomadarius antiph. *Rex pacificus*. psalm. *Laudate* &c. Sonante autem signo ad Nonam in claustro fratres congregentur ante fores ecclesiæ, & majori campana pulsata intrent ecclesiam Nonam dicturi. Incepta vero Nona beatæ Mariæ induant se omnes, qui Missam servituri sunt, puta sacerdos optimam casulam, diaconus dalmaticam & subdiaconus tunicellam. Omnibus igitur signis tactis cantor introitum incipiat in cuculla *Hodie scietis* &c. *Kyrie* dicatur more XII. lect. Et dicta collecta unus de subdiaconibus prophetiam incipiat in cuculla *Hæc dicit Dominus*. Mox alter subdiaconus dicat epistolam in tunicella *Paulus servus*. Qua lecta secundus & tertius cantor responsorium dicat in choro. Sed si dies dominicus fuerit, alii duo majores dicant alleluja. *Credo in unum Deum* non dicitur, nec præfatio ferialis. Expleta tandem Missa, factaque oratione Dominica dicant Nonam ituri comestum ante officium.

De vespere Nativitatis Domini. Cap. XXV.

CUstos accendat lampades, & omnia præparet, quæ fuerint præparanda. Tacto igitur signo claustri, omnia signa pulsentur. In ultima vero pulsatione fratribus omnibus in ecclesia congregatis, dictaque oratione dominica, hebdomadarius Missæ veniens ante abbatem innuat sibi, ut horam incipiat vespertinam. Tunc abbas facto sibi signo crucis dicat *Deus in adjutorium meum intende*, inchoet sollemniter & devote, cui totus conventus respondens *Domine ad adjuvandum me festina*, devote super genua se inclinet. Antiph. super psalmum *Rex pacificus*; Capitulum *Propter hoc sciet populus meus*, Responsorium *Verbum caro factum est* &c. sicut continetur in libris. Dictis igitur antiphonis in vigilia ad vesperum de sancto Michaele de .... & de sancto Benedicto procedant omnes ad altare beatæ Mariæ, canendo antiphonam *Nesciens mater*, duobus servitoribus præcedentibus cum duobus cereis accensis. Qua coram ipso altari cum processione cantata hebdomadarius dicat ℣. *Benedicta tu*. Oratio *Deus, qui salutis*. Deinde antiph. *Salvator* ℣. *Lætamini*. Oratio: *Omnipotens Deus nos* .... &c. & *Benedicamus Domino*. Qui ordo in die Nativitatis post vesperum fideliter observetur.

De vigilia Nativitatis Domini, quando venerit die Dominico. Cap. XXVI.

QUoniam hactenus disposuimus, qualiter agendum sit per totam hebdomadam, si sanctissima Nativitas die Dominico contigerit celebrari, amodo restat videndum, qualiter peragendum sit divinum officium in tertia hebdomada de adventu, cum præfata festivitas alio anno secunda feria celebratur. In I. .... jamdictæ II. III. IIII. & V. feriæ ac sabbato antiphonæ dicantur per ordinem, velut in tertia de adventu curavimus ordinare, cum die Dominico ipsa Nativitas sit ventura. Ad Primam namque III. VI. & IX. antiphonæ superfluæ decantentur, exceptis antiphonis designatis in antiphonario pro horis diei dicendis. Sabbato quatuor temporum officium, ut dictum est supra. Quando autem vigilia Nativitatis Dominicæ die Dominico venerit, sabbato præcedenti ad Vesperas capitulum *Gaudete*; Responsorium *Non auferetur*; hymnus *Conditor*, ℣. *Rorate*; Ad magnificat antiphona *Virgo virginum*; Oratio *Excita Domine*. In nocte ad invitatorium

torium *Hodie scietis*; hymnus *Verbum supernum*; antiphona *Deus in virtute tua*; ℣. *Ex Sion species*. Lectiones IV. de Isaia & quatuor de sermonibus, ut habentur in lectionario. Responsoria VIII. de historia *Canite tuba*. In secundo nocturno antiphona *Illuminatio mea* &c. ℣. *Memento*. In secundo nocturno ista dicantur Responsoria *Canite*; *Pater*; *Memento*, vel *Me oportet*; *Virgo* . . . In tertio nocturno ℟. *Non discedimus*; *Juravi*; *Intuemini*; *Ecce Dominus veniet*. Ad cantica antiph. *Ecce veniet desideratus*. ℣. *Hodie scietis*. Lectiones quatuor de homilia *Cum esset desponsata*. Responsoria *Sanctificamini hodie*; *Constantes*; *Sanctificamini filii*. Duodecimum ℟. *Nascetur vobis parvulus*. Post *Te Deum laudamus*, evangelium *Cum esset desponsata*. In Laudibus antiphona *Judæa*; psalmi *Dominus regnavit* &c. antiph. *Hodie scietis*; *Crastina die*; *Crastina erit*; *Annuntiate*. Capitulum *Paulus servus*; ℟. *Hodie scietis* &c. ut continetur in libris. Dicta quidem collecta *Deus, qui nos*, canatur antiph. de Dominica *Quomodo fiet istud*; ℣. *Emitte*; oratio *Excita*. Ad Primam antiph. *Antequam convenirent*. Missa matutinalis dicatur de Dominica; secunda oratio de vigilia; tertia beatæ Mariæ. Ad processionem canantur illa duo Responsoria, quæ remanserunt in nocte, videlicet *Modo veniet*; *Radix Jesse*. Ad introitum ecclesiæ antiph. *O virgo virginum*. Antiph. ad Tertiam *Joseph fili David*; Capitulum *Paulus*. Versiculi per horas diei dicantur de vigilia; epistola *Paulus*. Prophetia non dicitur propter diem Dominicum. Alleluja *Crastina*. Ad VI. & IX. antiphonæ de vigilia, & capitula & orationes. Tandem si Nativitas venerit III. IIII. V. VI. feria, vel sabbato divinum officium agatur per ordinem, prout superius apertissime continetur.

De officio Nativitatis Domini. Cap. XXVII.

NAtivitate Dominica sanctissima tertia hora surgendum est. Facta igitur trina oratione abbas incipiat *Deus in adjutorium*. Invitatorium *Christus natus*. hymnus, antiphonæ, responsoria, lectiones & alia, prout continentur in libris, dicantur. Cum incipiuntur homiliæ, stet conventus devote, donec dicantur *Et reliqua*. Lecto igitur evangelio dicatur hymnus *Te decet laus*. Cum vero dicitur *Per Dominum* post collectam *Deus, qui hanc sanctissimam noctem*, non pulsentur campanæ, sed cum processione vadant canendo antiphonam *Nesciens mater* ante altare beatæ Mariæ, si habetur; si vero non habetur, descendant in choro ante altare majus. Qua quidem antiphona decantata, & ℣. *Benedicta tu*, dicat abbas orationem *Omnipotens sempiterne*. Dicto vero *Benedicamus Domino* a duobus, abbas se exuat ornamenta. Continuo candelis accensis conventus in dormitorium eat, post parvum iterum alio pulsato signo horologii in ecclesiam reversurus. Inde majus signum in campanili pulset sacrista ad Missam; Duodecimam vero lectionem abbatem legentem prior ad armarium ejus præparet se ad Missam canendam, levita in dalmatica & subdiaconus in tunicella, & omnibus præparatis post pulsationem majoris campanæ omnia signa pulsentur. Cantor namque ex latere prioris incipiat introitum *Dominus dixit*; non tantum sit primus cantor. Iste quidem introitus & *Lux fulgebit*, solummodo bis cantatur. *Kyrie*, *Sanctus*, & *Agnus Dei* sollemniter decantentur. Interea prior intonet voce jucunda *Gloria in excelsis Deo*; quam cum dixerit, omnes cum gaudio manus ponant super oras cucullæ, laudes Deo reddentes cum gloria & honore. Et dicta oratione *Deus, qui hanc sacratissimam* legatur prophetia ex latere prioris ab aliquo non parato, qua finita subdiaconus legat epistolam *Apparuit gratia*; postea duo fratres dicant Graduale, & duo majores dicant *Alleluja*. Finita quoque Missa, cunctisque pulsatis campanis, abbas se revestiat, ut ad Vesperum, matutinales Laudes in loco suo sollemniter incepturus. In Laudibus antiphona *Ante luciferum*. Incenso autem altaribus & fratribus exhibito, post orationem dominicam, & *Per Christum Dominum nostrum*, dicatur antiphona de sancto Michaele, de vocabulo, de sancto Benedicto & *O Quam gloriosum est*. Dicto denique *Benedicamus Domino*, candelis accensis pergant cum silentio in calefactorium ordinate, vel etiam necessitate cogente in dormitorium requiescant; qui vero sustinere possunt, dormitionem post matutinum & maxime in aurora, ut nefas vitare debent, & custodientibus vigilias noctis super gregem suum Angelus cum luce apparuit, annuntians gaudium magnum eis, qui omni populo plenum gaudium noscitur præparasse.

De Missa de Luce. Cap. XXVIII.

AD Missam de Luce custos ante diluculum necessariis omnibus præparatis pulset majus signum in campanili, cum aurora polum duxerit expandendum, congregatis omnibus in choro ad nutum abba-

abbatis oratio dominica subcinatunr. Mox.... abbas....... Missam cum diacono & subdiacono cantaturus, omnibus campanis ut in nocte pulsatis. Cantor interea secundus vel tertius ex parte abbatis incipiat officium *Lux fulgebit*. Dicta etiam *Gloria in excelsis Deo*, dicat sacerdos orationem *Da quæsumus* & orationem beatæ Anastasiæ. Tunc unus ex fratribus ex choro abbatis prophetiam legat in cuculla *Spiritus Domini*. Mox subdiaconus epistolam subsequatur *Apparuit benignitas*, & a duobus in choro Graduale cantato *Alleluja* duo fratres de majoribus prosequantur. Post evangelium *Credo in unum Deum*, dicatur; in qua Missa consecrentur hostiæ, quibus communicent, qui majori Missæ non potuerint interesse. Finita igitur Missa conventus revertatur in claustrum. Cum vero fuerit hora Primæ in dormitorio signum pulset, & facto parvo intervallo sacrista tribus percussionibus horologii signum tangat, campanam postmodum pulsaturus. Ad hæc totus conventus lotis manibus aquam recipiat benedictam. Congregatis ergo cunctis in choro post orationem Dominicam Prima cantatur; antiphona *Lux orta*, & cetera per horas diei. Prima itaque percantata Missæ votivæ dicantur, aliis fratribus vacaturis in claustro. Deinde præcedente abbate pergant ad capitulum ordinate. Facto quoque sermone in capitulo consueto revertantur in claustrum, officialibus erga sua officia sollicitudinem impleturis vigilem & fidelem.

De Missa majori in Nativitate Domini.
Cap. XXIX.

AD Missam majorem hora congrua sacrista curare procuret. Post quam pulsationem fratres in ecclesia congregentur, factaque oratione Dominica induantur albis in choro. Si vero fuerit dies Dominicus, aquam aspergat hebdomadarius benedictam, fiatque processio in hunc modum; cantore quidem incipiente antiphonam *Hodie Christus natus est*, & sacerdote cum servitoribus Crucem & aquam sanctam deferentibus officinas benedicente. Post versum a cantore inceptum, videlicet *Natus est nobis*, procedat conventus, antiphonam a capite repetendo, alias antiphonas & responsoria ad idem pertinentia cantaturus. At ubi ventum fuerit ad fores ecclesiæ, dicta oratione *Domine Jesu Christe*, inchoet abbas antiphonam *Quem vidistis*, vel *Puer natus est nobis*. Et dicta oratione de Dominica *Viam Sanctorum* subsequitur. Si autem Dominica venerit infra octavam, eodem modo fiat processio. Verum si post octavam dies Dominicus venerit usque ad epiphaniam Domini, ad initium processionis dicatur antiphona *Quem vidistis*, vel *Puer natus est*. Tertia demum per abbatem incepta, hymnus, antiphona & alia dicantur, prout continetur in libris. Cantor itaque in choro existens indutus pluviali officium incipiat juxta analogium. *Gloria* namque *in excelsis Deo* cantata dicatur prophetia *Propter hoc sciet populus*, subdiacono epistolam continuo prosequente. Insuper Graduale a duobus in choro cantato, *Alleluja* in choro cantent alii tres majores. Evangelium *In principio* tantum ad Missam majorem cantatur; & epistola *Multifarie* per octavam nullatenus iteretur. Missæ vero prædictæ ante majus altare hodie tantummodo celebrentur; & si fuerit dies Dominicus, cum dicitur tertius psalmus ad Sextam, abbas cum servitoribus pergat in refectorium præparaturus fratribus, quæ fuerint præparanda. In die quoque Nativitatis Dominicæ, resurrectionis, pentecostes abbas in signum humilitatis & caritatis in mensa debet servitia fratribus exhibere, imitans illum, qui non venit ministrari, sed ministrare, salutiferum nobis relinquens exemplum, ut & nos ita facere desiderabiliter studeamus. Si vero non fuerit dies Dominicus, hoc idem abbas in tertio psalmo Nonæ exequi non obmittat. Paropsidibus tamen & vino fratrum mensis paratis, abbas reindutus cuculla pulset tintinabulum ad comedendum cum ceteris intraturis. Ad vesperum antiphona *Tecum principium* &c. quæ antiphonæ cum suis usque ad vigiliam epiphaniæ dicantur. Cum vero Dominicus dies occurrerit, quarto loco antiphona *Nato Domino*, cum psalmo *Laudate pueri* decantantur. Capitulum *Multifariam*. Dicto denique *Per Dominum nostrum Jesum Christum*, post collectam *Concede*, subsequatur antiphona sancti Stephani *Tum principatum tenens*, dicendo ipsam collectam solummodo *Dominus vobiscum*. Postremo sciendum est, quod a vigilia nativitatis Domini usque ad octavam epiphaniæ per omnes horas diei & noctis in fine hymnorum adduntur isti versiculi *Memento salutis*, & *Gloria tibi Domine*.

De festo sancti Stephani. Cap. XXX.

SAnti Stephani festivitatem sollemniter celebremus. Invitatorium *Christum natum*; hymnus *Mandatis Dei*; antiphonæ, lectiones & responsoria dicantur, ut in antiphonario & in lectionario

rio continetur. In Laudibus post orationem sancti Stephani dicatur antiphona de nativitate *Gloria in excelsis Deo*, cum oratione *Concede*, quæ dicantur usque ad octavam. In Vesperis antiphona *Hodie Christus*. Post Primam dicatur Missa matutinalis de Nativitate. Officium *Puer natus*. Secunda oratio de festo, tertia *Deus, qui salutis*. Ad Tertiam dicatur Missa sollemnis; III. VI. IX. & Vesperum, ut continetur in libris. In vesperis post orationem sancti Stephani dicatur antiphona de sancto Johanne *Diligebat*, ℣. *Valde honorandus*. Oratio *Ecclesiam tuam*. Demum antiphona de Nativitate &c.

In festivitate sancti Johannis.

SAncti Johannis festivitatem sollemniter celebremus. Invitatorium *Adoremus regem*; Antiphonæ, totumque officium dicatur, ut continetur in libris. Post orationem sancti Johannis in Laudibus dicatur antiphona *Gloria in excelsis Deo*, & de sancto Stephano *Patefactæ sunt*; oratio *Da quæsumus Domine*; antiphona cum oratione post Laudes & Vesperas usque ad octavam cantentur. Similiter pro beato Johanne iteretur antiphona *Johannes apostolus*, quæ est in secundo nocturno. Et pro Innocentibus antiphona *Ambulabunt*, cum orationibus suis. Post Primam dicatur Missa matutinalis de Nativitate; Officium *Puer natus*. Ad Tertiam celebretur Missa sollemnis; III. VI. IX. & Vesperum, ut continetur in libris. In Vesperis post orationem sancti Johannis dicatur antiphona de Innocentibus *Ambulabunt*; ℣. *Ex ore infantium*; oratio *Deus, qui hodierna die*.

In festivitate Innocentum.

INnocentum festivitas XII. lectionibus fiat. Invitatorium *Regem martyrum*; hymnus *Æterna Christi*. Alia omnia per horas diei & noctis dicantur, sicut habentur in libris. Post Primam dicatur Missa matutinalis de Nativitate. Officium *Puer natus*. Missa de Tertia & alia officia per horas diei dicantur, ut continetur in libris. In Vesperis post collectam Innocentum dicatur antiphona & oratio de sancto Thoma.

In festo sancti Thomæ.

De sancto Thoma XII. facimus lectiones. Invitatorium *Regem martyrum*, & alia omnia, sicut continetur in libris. Missa matutinalis dicatur de Nativitate. In Missa de Tertia una tantum dicatur oratio. Per horas quoque diei, ut jacet in libris. Officium *Celebrentur*.

De sequenti die post festum sancti Thomæ.
Cap. XXXI.

SEquenti die post festum sancti Thomæ signa pulsentur, sicut in XII. lectionibus, & officium beatæ Mariæ dicatur. Ad invitatorium sint duo *Christus natus est nobis*. Hymnus *Christe Redemptor*. Antiphonæ super psalmos *Verbum caro*; *Beatus venter*; *Inluxit nobis*; *Exultemus in Deo*; nec aliæ requirantur. ℣. de Nativitate, III. lectiones de homilia *Exiit edictum*. Responsoria *O regem cœli*; II. *O magnum mysterium*; III. *Quem vidistis*, cujus tertii ℟. versum duo fratres dicant in suis locis pariter stantes, non tamen abbas vel prior. In secundo nocturno antiphona *Alleluja* super psalmos dicatur. Capitulum *Paulus*; Oratio *Largire quæsumus Domine*. Dicto *Benedicamus Domino* a cantore in loco suo pergant in dormitorium ordinate, & facto parvo intervallo, sicut facimus in æstate, in horologio trina percussione signum pulsetur. Regressis autem in ecclesia fratribus more XII. lectionum omnia signa pulsentur, & duobus cereis coram majori altari accensis post orationem Dominicam dicantur Laudes. Antiphonæ super psalmos *Ante luciferum*, psalmi *Dominus regnavit* &c. Capitulum *Apparuit gratia*; ℟. breve *Benedictus, qui venit*, a duobus cantoribus dicatur. Antiphona ad Benedictus *Gloria in excelsis Deo*; & altaria incensentur. Oratio *Concede quæsumus omnipotens Deus, ut nos unigeniti*, post quam dicatur antiphona de sancto Stephano &c. *Benedicamus Domino*, a duobus cantoribus dicatur modo feriali. Ad Primam antiphona *Lux orta est*; & per horas diei, ut dictæ sunt in nativitate Domini. Missa matutinalis de Nativitate Domini dicatur. Officium *Puer natus est*; *Gloria in excelsis Deo*; Epistola *Apparuit gratia*; Evangelium *Exiit edictum*. In Tertia celebretur Missa cum diacono & subdiacono, ut dictum est in matutinali, excepto quod una tantum oratio decantetur. Ad Tertiam Capitulum *Apparuit gratia*. Oratio *Concede*.

In festo sancti Silvestri papæ.

De festo sancti Silvestri XII. lectiones facimus. Capitulum ad Vesperum *Ecce sacerdos*; ℟. *Amavit*, quod a duobus in choro dicatur; similiter & *Benedicamus Domino* tam in die, quam in nocte; cetera omnia, ut dictum in Nativitate confesso-

fessorum pontificum. Missa matutinalis dicatur de Nativitate; secunda oratio de sancto Silvestro, III. sancti Stephani, IV. de sancto Johanne, V. de Innocentibus. In tertia canatur Missa cum una oratione tantum.

De circumcisione Domini. Cap. XXXII.

CIrcumcisio Domini est taliter celebranda. In vigilia ad vesperum. Capitulum *Apparuit gratia*, & alia sicut in libris liquido continetur. Ad Primam antiphona *Quando natus*. In Missa matutinali dicatur oratio *Deus, qui nos nati*, II. sancti Stephani, III. sancti Johannis, IV. Innocentum, V. *Deus, qui salutis*; Epistola *Apparuit*; Evangelium *Postquam eum*, sine adjuncto. Missa quoque dicatur sollemniter. In Tertia cum una oratione tantum. Per horas diei antiphona de Laudibus canatur; capitula & orationes ut in manuali clarissime continetur. In Vesperis post orationem *Deus, qui nos*, canatur antiphona de sancto Stephano *Cum principatum tenens*. ℣. *Stephanus vidit*. Oratio *Da nobis quæsumus* &c. De octavis vero beatorum Stephani, Johannis & Innocentum fiant XII. lectiones. Invitatorium, hymnus, antiphonæ, ℣. lectiones dicantur more XII. lectionum, sicut in festis eorum. Cantores tamen post Circumcisionem non pergant ad canendum, præterquam ad *Venite*. Ad Missam quidem in hiis octavis *Credo in unum Deum*, congrue decantatur.

De officio: Dum medium silentium. Cap. XXXIII.

DE officio *Dum medium silentium*; qualiter sit agendum, est adtentissime providendum, si dies Dominicus venerit infra octavam Nativitatis Domini, vel etiam in octava. Ab octava igitur Nativitatis Domini usque ad Dominicam septuagesimæ ita studiosissime computari debent officia, evangelia &c. ut si licitum est, superabundetur, potiusquam deficiant tempore memorato. Denique si Dominicus dies in festivitate Innocentum venerit, totum officium fiat de festo Innocentum pro eo quod ipsa festivitas propriam historiam habere dignoscitur. Sabbato igitur præcedente ad vesperum dicta oratione de Innocentibus, antiphona de Dominica *Dum medium silentium* decantetur. ℣. *Tecum principium*; Oratio *Omnipotens sempiterne Deus* &c. de Nativitate vero non dicatur antiphona vel oratio, cum infra octavam supradicta oratio *Omnipotens* canitur, quia de Nativitate satis fit mentio in oratione prædicta, ubi dicitur *In nomine dilecti filii tui mereamur semper bonis operibus abundare*. Si autem festivitas beati Thomæ Dominica venerit, sabbato ad Vesperum dictis antiphona *Tecum*, & ceteris cum psalmis sequitur capitulum de Dominica *Quanto tempore*. Ad Magnificat antiphona *Dum medium silentium*; Oratio *Omnipotens sempiterne Deus dirige*; deinde antiphona de Innocentibus & oratio, & sic antiphona de sancto Thoma *O gemma martyrum*; post quam dicatur de sancto Stephano &c. Invitatorium *Regem martyrum*; totumque officium in primo & in secundo nocturno de martyre celebretur. Ad cantica antiphona *Parvulus filius*; ℣. *Notum fecit*. IV. Lectiones de homilia evangelii *Erat Joseph & Maria*. Responsoria *Nesciens virum*; *O regem cœli*; *O magnum mysterium*; *Quem vidistis*. In Laudibus antiphona *Ante luciferum*, sub qua dicatur psal. *Dominus regnavit*. Capitulum *Quanto tempore*. Responsoriolum *Benedictus, qui venit*, breviter dicatur; hymnus *A Solis*; ℣. *Verbum caro*; Ad Benedictus antiphona *Erat Joseph*; Oratio *Omnipotens*. Deinde antiphona de sancto Thoma, de sancto Stephano &c. Ad Primam antiphona *Lux orta*. Missa matutinalis de sancto Thoma; Officium *Lætabitur justus*; prima oratio de festo, secunda de Dominica, III. de sancto Stephano, IV. de sancto Johanne, V. de Innocentibus; Epistola & Evangelium de festo. Ad Tertiam antiphona de Nativitate *Hodie*. Missa de Nativitate celebretur; Officium *Dum medium silentium tenerent*; Oratio *Omnipotens* tantum; Epistola *Quanto tempore*; Evangelium *Erat Joseph* &c., ut habetur in libris. Ad VI. & ad IX. antiphonæ, capitula, ℣. & oratio, ut supra. Ad Magnificat, antiphona *Puer Jesus*. Post orationem dicatur de festo sancti Thomæ, deinde de sancto Stephano & ceteris. Et est sciendum, quod si III. kalendas januarii Dominica venerit, sabbato præcedenti ad vesperum recitatur capitulum *Quanto tempore*. ℟. *Verbum caro*; hymnus *Veni*; ℣. *Tecum*. Ad Magnificat antiphona *Dum medium*, post quam dicantur antiphonæ & orationes de sancto Stephano &c. Invitatorium *Christus natus*; hymnus *Christe*; psalmi Dominicales; antiphonæ primi nocturni *Verbum caro*; *Natus est nobis*, & *Beatus venter*. In secundo nocturno antiphonæ *Illuxit*; *Exultemus*, & *Propter nimiam*. Ad cantica antiphona

Par-

Parvulus filius; ℣. ℟. de Nativitate. Octo lectiones de sermonibus Nativitatis dicantur. Responsoria incipiantur a primo. IV. lectiones de homilia *Erat Joseph.* In Laudibus antiphona *Ante Luciferum*; psalmi *Dominus regnavit*; capitulum *Quanto tempore*; ℟. breve *Benedictus*; hymnus *A Solis*. Ad horas antiphonæ *Erat Joseph.* Oratio, ut supra. Deinde antiphonæ & orationes de sancto Stephano &c. Ad Primam antiphona *Lux orta*; & per alias horas diei antiphonæ de Nativitate. Missa matutinalis de Dominica; Officium *Dum medium silentium*, I. oratio de Dominica, II. sancti Stephani, III. sancti Johannis, IV. Innocentum; epistola *Quanto tempore*; evangelium *Erat*; & sic terminentur. In Tertia dicatur Missa de Dominica cum una oratione tantum. Et si a Nativitate Domini usque ad septuagesimam Dominicalia officia defecerint, & Dominici dies superabundarent, totum officium hac die fiat de Nativitate, de Dominica vero nihil dicatur. Epistola *Apparuit gratia*; evangelium *Exiit edictum*; per horas diei omnia de Nativitate dicantur.

De festo sancti Silvestri si in Dominica venerit. Cap. XXXIV.

IN festo sancti Silvestri si, dies Dominicus venerit, octo lectiones & ℟ia fiant de festo, residuæ antiphonæ, lectiones, ℟ia, ut dictum est in festo sancti Thomæ. Si Circumcisio in Dominica venerit, totum officium fiat de Circumcisione. Sabbato vero præcedente dicta oratione de Circumcisione canatur antiphona *Dum medium*. ℣. *Tecum*; Oratio *Omnipotens*, & cetera de Sanctis. In Laudibus canatur similiter antiphona *Erat Joseph*, ℣. *Verbum*; oratio *Omnipotens*. Missa matutinalis de Dominica celebretur; Officium *Dum medium*, prima oratio de Dominica, vel *Omnipotens*, II. de Circumcisione, III. sancti Stephani, IV. sancti Johannis, V. Innocentum. Epistola *Quanto*; evangelium *Erat*. Ad Tertiam Missa de Circumcisione celebretur sollemniter. Post Vesperas dicta oratione Circumcisionis canatur antiphona *Puer Jesus*, ut supra. Et hæc, quæ dicta sunt de Dominica, serventur tantum illis annis, quibus dies Dominici multum deficiunt. Et licet die Dominico, ut supra diximus, quod sit magis conveniens officium *Dum medium silentium*, infra octavam Domini decantari, tamen si necessitas immineret, post *Dum medium*, post octavam congrue reservetur; videlicet si dies Dominicus inter octavam epiphaniæ venerit, & Dominicalibus officiis deficientibus dies Dominici abundarent; unde si dies Dominicus venerit post octavam, & in eadem Dominica festum XII. lectionum occurrerit, taliter divinum officium celebretur. Sabbato ad vesperum dictis antiphonis & psalmis de festo sequitur capitulum de Dominica: *Quanto tempore*; ℟. *Verbum caro*. Ad Magnificat, antiphona *Dum medium*; Oratio *Omnipotens*; postea dicatur de festo, & sic de aliis festis. Invitatorium, IX. lectiones cum ℟iis dicantur de festo. Ad cantica antiphona *Alleluja*; homilia *Erat Joseph*. In Laudibus psalmi *Dominus regnavit* &c. sub antiphona *Alleluja*; & per horas diei antiphona canatur. In Missa matutinali prima oratio de festo, II. de Dominica, III. *Deus, qui salutis*. Ad Tertiam capitulum *Quanto tempore*; oratio *Omnipotens*. Missa cum una oratione canatur, & si Dominicalibus officiis deficientibus Dominicæ abundarent, & festum XII. lectionum venerit in prædictis diebus Dominicis, totum officium fiat de festo.

De vigilia Epiphaniæ. Cap. XXXV.

EPiphaniæ vigilia, invitatorium *Christus natus*, feriali modo canatur, totum officium fiat per ordinem, ut habetur in libris, excepto quod hymnus *Hostis Herodes*, sine adjuncto *Enixa*; in primo nocturno, ℣. *Omnis terra*; in secundo nocturno ℣. *Omnes de Saba*; in III. nocturno ℣. *Vidimus stellam*, repetatur per horas diei quotidie usque ad octavam; quorum duo primi ad nocturna per octavam dicantur. Ad Benedictus, ℣. *Ab Oriente*; ad Magnificat, ℣. *Reges Tarsis*. Infra octavam capitulum in nocturno *Inundatio*; oratio *Præsta quæsumus*. Ad Sextam capitulum *Et ambulabunt gentes*; oratio *Deus, qui*. Ad Nonam capitulum *Filii tui*; oratio *Omnipotens sempiterne Deus*, & sic fiat per totam octavam. Per octavam autem ad nocturna hæ suprascriptæ quotidie repetantur *Vidimus*; *Tria sunt*; *Admoniti*; *Venient*; nec in psalmis aliæ requirantur. In Laudibus per octavam psalmi *Dominus regnavit* & alii dicantur sub antiphona scilicet *Ante Luciferum*. Ad Benedictus antiphona *Hodie cœlesti*. Ad Vesperum antiphonæ *Tecum*; *Redemptionem*; *Exortum*; *Stella*. Ad Magnificat antiphona *Cœli aperti*. In vigilia vero epiphaniæ ad Vesperas dicantur antiphonæ, tres primi psalmi cum antiphonis suis, IV. loco antiphona *Stella ista* cum ps. *De profundis*. In die epiphaniæ dicantur

ad

ad Vesperum antiphona *Tecum*, & duæ sequentes cum psalmis suis IV. loco dicatur antiphona *Stella ista*; ps. *Laudate pueri*. A die autem Nativitatis Domini usque ad octavam epiphaniæ, & a die resurrectionis usque ad octavam pentecostes, & per octavas totius anni in Vesperis psalmi sub una tantum dicantur antiphona, excepto a Nativitate Domini usque ad octavam epiphaniæ, quo tempore dicantur, ut superius est expressum. Psalmi vero de Laudibus sint *Dominus regnavit* &c.

De officio infra octavam Epiphaniæ.
Cap. XXXVI.

INfra octavam epiphaniæ invitatorium *Christus apparuit nobis*, duo cantores in choro decantent. Responsoriuncula & *Benedicamus Domino* in Laudibus & Vesperis similiter in choro canantur; antiphonæ super psalmos hæ quotidie repetantur *Vidimus*; *Tria*; *Admoniti*; & *Venient ad te*. Lectiones de epistolis Pauli; ℟a de epiphania. In secundo nocturno antiphona super psalmos *Alleluja*; capitulum *Inundatio*; Oratio *Præsta*. In Laudibus antiphona *Ante luciferum*; ps. *Dominus regnavit*; ad Benedictus & ad Magnificat antiphonæ *Vox de cœlo*; *Cœli aperti* & aliæ, quæ super psalmos non canuntur in nocte. In Missa officium, orationes, epistola, evangelium & præfatium more XII. lectionum dicatur. Ad Sextam capitulum *Filii tui*; oratio *Omnipotens sempiterne Deus fidelium*. Si dies Dominicus infra octavam venerit, sabbato præcedenti ad Vesperum capitulum *Obsecro vos*; quod capitulum, Laudibus, Tertia & Vesperis iteretur. Ad Magnificat antiph. *Fontes aquarum*, Oratio *Vota quæsumus*; deinde antiphona de epiphania *Ab oriente*; ℣. *Vidimus stellam*; oratio *Deus, qui hodie*; invitatorium *Christus apparuit*; hymnus & ℣. sicut continetur in epiphania; antiphonæ super psalmos *Vidimus*; *Tria*, *Admoniti*; Psal. *Deus in virtute* &c. In secundo nocturno antiphonæ *De cœlo*; *Afferte*; *Venient*. Lectiones de epistolis Pauli, quæ leguntur usque in septuagesimam tam in ecclesia, quam ad mensam. Ad cantica antiphona *Stella ista*. Homilia *Cum factus esset Jesus*. In Laudibus antiph. *Ante Luciferum*, sub qua dicatur psalmus *Dominus regnavit* &c. antiph. ad Benedictus *Cum factus esset*; oratio *Vota*; deinde antiph. *Hodie cœlesti*. ℣. *Omnes de Saba*; oratio *Deus, qui hodier...* Ad horas diei canantur antiphonæ sicut in epiphania. In Missa matutinali officium *In excelso*; prima oratio de Dominica, II. de epiphania, III. *Deus, qui salutis*; epistola *Obsecro*; evangelium *Cum factus esset*; præfatio de epiphania. Hora Tertia ad initium processionis antiphona *Hodie cœlesti sponso*; ℣. *Mare vidit & fugit*, deinde ℟. *Tria sunt*. Ad introitum ecclesiæ antiph. *Stella ista*; ℣. *Vidimus stellam*. Ad Missam officium *In excelso* cum una oratione tantum &c. ut supra. Ad Magnificat antiph. *Fili quid fecisti*. Oratio *Vota*; deinde antiphona *Ab Oriente*; ℣. *Vidimus*; oratio *Deus qui hodierna* &c.

De Dominica si venerit in die Epiphaniæ.
Cap. XXXVII.

SI dies Dominicus venerit in die epiphaniæ, nihil dicatur de Dominica; si Dominica septuagesimæ venerit XV. vel XIV. kalendas februarii, aut ita quod mittenda sit historia psalmorum infra octavam epiphaniæ, hoc modo fiat officium, videlicet antiphona *Tecum*; IV. *De Fructu*; psal. *Memento*; capitulum *Benedictus qui*. Ab octava epiphaniæ usque ad quadragesimam, & ab octava pentecostes usque ad adventum diebus Dominicis & ferialibus ad Vesperum decantetur ℟. *Deus, qui sedes*; hymnus *O lux*, ℣. *Vespertina*; ad Magnificat antiph. *Esurientes*; oratio *Omnipotens sempiterne Deus, qui cœlestia* &c. deinde de epiphania *Ab oriente*; ℣. *Reges Tarsis*; oratio *Deus qui hodierna*; invitatorium *Christus apparuit nobis*; hymnus *Christe redemptor*; antiphonæ, psalmi, ℣. sicut in Dominica, quæ est infra octavam epiphaniæ, diximus; lectiones VIII. de epistolis Pauli: ℟ia *Domine in ira tua* &c. Ad cantica antiphona *Alleluja*; homilia *Nuptiæ factæ sunt*: in Laudibus antiph. *Alleluja*; psal. *Dominus regnavit*, capitulum *Benedictio*, hymnus *Hostis Herodes*; ad Benedictus antiph. *Nuptiæ*; oratio ut supra. Ad Primam antiphona & per horas diei super psalmos *Alleluja*; capitulum, ℣. orationes, ut in epiphania. Missa matutinalis de Dominica; officium *Omnis terra*; oratio *Omnipotens sempiterne*; epistola, evangelium & alia, ut habentur in libris. In Tertia celebretur Missa cum una oratione tantum; Officium *Omnis terra* &c. Ad Vesperum antiph. *Tecum*; IV. *Stella*, psal. *Laudate*; capitulum *Benedictus*; ℟. *Omnes de Saba*; hymnus *Veni rex*, ℣. *Reges Tharsis*. Ad Magnificat antiph. *Deficiente vino*; oratio ut supra; deinde antiphona *Ab oriente*; ℣. *Vidimus stellam*; oratio *Deus, qui hodierna*, & nota, quod quoties cum necesse fuerit, taliter officium dicitur, dicatur officium

officium *Dum medium silentium*, Dominica infra octavam Nativitatis; Officium *In excelso throno* dicatur; post octavam Nativitatis, Officium *Omnis terra*; infra octavam epiphaniæ Officium *Adorate* dicatur; infra hebdomadam post octavam epiphaniæ tantum necessitate urgente orationes, epistolæ & evangelia superflua dicantur ante septuagesimam per hebdomadam, si commode potest dici; quando scilicet historia psalmorum mitti non potest, nisi infra octavam epiphaniæ tantum, Dominica vero in octava occurrente sabbato, capitulum *Benedictus*. ℟. *Omnis qui*, hymnus *O lux*; ℟. *Vespertina*; antiphona *Esurientes*; postea *Baptizato*, oratio *Deus cujus*. In noct. usque ad cantica de octava dicatur. Primæ antiphonæ *Afferte*; *Christo datus*, *Veterem*; *Aqua parvulorum*, *Baptizatur*. In secundo nocturno antiph. *Omnes gentes*; *Peccati*, *Te qui in spiritu*; *Baptista*. Capitulum........ ad cantica & per horas diei antiphonæ *Alleluja*; evangelium post *Te Deum laudamus*; *Factum est cum baptizaretur omnis populus*; oratio de Dominica. Ad Vesperum antiph. *Dixit Dominus* &c. Missa de Dominica. In Tertia celebretur Missa nativitatis de octava cum istis orationibus. Dicatur prima oratio de octava, secunda de sancto Hilario, III. *Deus, qui salutis*. Dicta quoque oratione Vesperi canatur antiphona *Tribus miraculis*; ℣. *Regis Tarsis*; oratio ut supra. Est sciendum, quod quando pascha venerit X. Kal. madii, vel ita quod Dominici dies post octavam epiphaniæ superabundent, & festivitates XII. lectionum non occurrerint diebus Dominicis, Missa de Trinitate celebretur. Et si alia Dominica non haberetur, dicatur homilia de Trinitate. Si vero ferialibus diebus festum non fuerit; feria II. Missa de Angelis, feria III. de Trinitate, feria IIII. pro peccatis, feria V. de pace, feria VI. de Cruce, sabbato de sancta Maria dicatur, & iste ordo per totum annum servetur. Cum Dominica non habet officium proprium, vel cum non fit mentio aliqua de eadem, sequenti die lunæ post octavam debemus incipere ℟. ferialia *Quam magnificata* &c. aliis diebus ℟. cujuslibet feriæ canituri, festivitate aliqua non occurrente. Proximo autem sabbato canitur ad vesperum ℟. *Deus, qui sedes*. Dominica sequenti ex ordine historiam, *Domine ne in ira tua*, canendo, dummodo ante septuagesimam Dominicus dies occurrat. Notandum est, quod quando mittitur historia, mittitur Dominicis diebus, vel Sanctorum festivitatibus. Sabbato seu vigilia unum ℟. de historia canitur, & de Dominica tantum antiphona cum oratione dicatur, Missa quoque matutinalis de Dominica celebretur. ℟. vero historiæ Dominicæ cum non possint die Dominico decantari, per hebdomadam, & quando processio decantententur. Præterea cum mutatur historia Dominica die, & sabbato præcedenti fuerit sollemnitas, totum Vesperum de sollemnitate dicatur. Expleta demum oratione, antiphona & oratio de Dominica decantetur. Si vero talis sollemnitas fuerit, de qua IIII. lectiones de Dominica dicantur, & aliquo festo XII. lectionum, octo propriæ lectiones dicantur, ut puta in festo sanctæ Crucis, & similiter dicta oratione de sollemnitate, secundo loco dicatur de Dominica, tertio loco de prædicto festo duodecim lectionum. Et si contigerit, quod in dicta secunda feria festum XII. lectionum venerit propriam habens historiam, in proxima tertia feria mutetur. Si autem sollemnitas propriam non habuerit historiam, & octo lectiones fiant de festo XII. lectionum, homilia cum sequenti officio sollemnitati plenius reservata. Missa matutinalis de festo similiter celebretur. Diligenter quoque providendum est, quod si ab octava epiphaniæ usque ad septuagesimam, vel ab octava pentecostes usque ad adventum Domini plures sint Dominici dies, quam officia Dominicalia, & in prædictis diebus Dominicis festum XII. lectionum occurrerit, totum officium de festo facimus, nullam habentes de Dominica mentionem. Si vero festivitates non occurrerint in prædictis diebus abundantibus, præsertim in octavis beati Johannis-baptistæ aliorumque Sanctorum XII. lectionum celebrari de ipsis octavis, & officia Dominicalia reservari, nullam de Dominica faciendo mentionem.

De officio Dominicæ post epiphaniam & pentecosten. Cap. XXXVIII.

Dominica post octavam epiphaniæ sabbato præcedenti ad vesperum capitulum *Benedictus Deus*, Responsoriolum *Magnus*; hymnus *O lux*; ℣. *Vespertina*; antiph. ad Magnificat *Esurientes*, usque ad septuagesimam diebus sabbatorum, oratio propria; invitatorium *Venite exultemus*, vel *Præoccupemus faciem*; hymnus *Primo dierum*; antiphona *Domine in virtute* &c. cum psalmis dominicalibus. In primo nocturno ℣. *Adjutor meus esto*; in secundo nocturno *Ego dixi*; In III. nocturno *Ab occultis*; lectiones & ℟. ad Benedictus & ad Magnificat antipho-

phonæ, ut habentur in libris. Ad cantica antiphona *Alleluja*, *De Sion*. In Laudibus antiph. *Alleluja*, *Dico vobis*; pſalm. *Miſerere mei*, & iſtæ antiphonæ Dominicales, ℣. *Alleluja de Sion*; *Alleluja*, *Dico vobis* &c. diebus Dominicis ab octava pentecoſtes uſque ad ſeptuageſimam decantantur. Capitulum *Benedictio & claritas*. ℟. *Hæc eſt dies*; hymnus *Æterne rerum*, ℣. autem *Deus miser*.. diebus Dominicis & ferialibus decantetur, antiphona & oratio de Dominica, ut ſupra, dicatur. Ad Primam dicto *Pater noſter* in ſedilibus ſuis hebdomadarius incipiat *Deus in adjutorium*, antiphona *Alleluja Ortus cum*; capitulum *Regi autem*; ad Tertiam capitulum *Deus caritas eſt*. Ad Sextam capitulum *Alter alterius*; oratio *Fac nos*. Ad Nonam capitulum *Empti enim*; oratio *Ut tuam*, quæ orationes per hebdomadam iterentur. Ad Veſperum antiphona *Dixit Dominus* &c. capitulum *Benedictus*. ℟. *Quam magnificata ſunt*; hymnus *Lucis*; ℣. *Dirigatur*, antiphona & oratio, ut continetur in libris. In ferialibus vero diebus invitatorium *Dominum Deum noſtrum*; hymnus ad nocturnum *Conſors*; antiphonæ, ℣. pſal. lectiones & ℟. ut continentur in libris. Æſtivo autem tempore dicitur parva lectio uſque ad feſtum omnium Sanctorum, unaquaque die ſua lectio, quam breve ℟. ſeq. *Deus in nomine tuo*, *Alleluja*. *Benedixiſti*; capitulum *Vigilate*; oratio *Salva nos*. Et mortuorum officio celebrato vadant ad intervallum; æſtivo autem tempore ſtatim in eccleſiam revertantur, Matutinas Laudes cum pſalmis ferialibus cantaturi ſub una tantum antiphona. Feria II. *Miſerere mei*. Feria III. *Secundum magnam*. Feria IV. *Amplius*. Feria V. *Tibi ſoli*. capitulum *Nox præceſſit*. ℟. *Deus exaudi*; hymnus *Splendor*. ℣. *Deus miſereatur*; ad Benedictus antiphona: *In ſanctitate*; oratio *Emitte*, in Laudibus, ... & Veſperis iteranda. Ad Primam antiphona uniuſcujuſque feriæ; ad Tertiam antiphona *Adjuva me*; pſal. *Lucerna*; Capitulum *Sana me Domine*; ad Sextam antiphona *Aſpice*; pſal. *Mirabilia*; ad Nonam antiph. *Fiat manus*; pſal. *Vide*, capitula & orationes, ut in Dominicis diximus. Ad Veſperum antiphonæ & pſalmi conſueti. Capitulum *Benedictus Deus*; ℟. *Adjutorium noſtrum*; hymnus *Lucis creator*; ℣. *Dirigatur*; ad Magnificat antiphona *Magnificemus*, quæ uſque ad ſeptuageſimam, Dominicis & ſabbatis exceptis quotidie decantetur. Feria vero III. & deinceps per totam hebdomadam ad Tertiam antiph. *In domum Domini*. Ad Sextam antiph. *Miſerere noſtri*. Ad Nonam antiph. *Beati omnes*.

De Dominicis Septuageſimæ, Sexageſimæ & Quinquageſimæ. Cap. XXXIX.

SEptuageſimæ Dominica ſabbato præcedenti, ℟. *In principio*. Ad Magnificat antiph. *Dixit Dominus ad Adam*; oratio *Preces populi*. Cantor ſtans in loco ſuo dicat alta voce *Benedicamus Domino*, *Alleluja*. Nota, quod nec *Gloria*, nec *Ite Miſſa eſt*, nec *Alleluja* non dicitur, nec ſequentiæ, nec in feſtis, nec in feriis, & uſque ad ſabbatum Sanctum non dicitur *Alleluja*. Invitatorium, hymnus, antiphonæ, verſus, pſalmi conſueti; lectio parva cum aliis utriuſque nocturnis de Geneſi. *Simile eſt regnum cœlorum*. ℟. *In principio*. Ad cantica antiph. *Sic erunt*. In Laudibus antiph. *Omnis*, prout in antiphonario continetur. Capitulum *Benedictio*, ℟. *Adjutor*. Ad Benedictus antiph. & per horas diei, ut continentur in libris. Capitulum ad Primam *Regi*, Ad Veſperum ℟. *Spes mea*. Ad Magnificat antiph. *Dixit pater*; aliæ vero, quæ ſequuntur per totam hebdomadam ad Benedictus & ad Magnificat decantentur, & ſic fiat uſque ad caput jejunii. Nota, quod Geneſis legitur in dominicis diebus & ferialibus in eccleſia uſque ad caput Quadrageſimæ. Ad menſam vero lectis homiliis totum legatur eptaticum uſque in Dominicam paſſionis.

Sexageſimæ Dominica ſabbato præcedenti ad veſperum ℟. *Ponam arcum*. Ad Magnificat antiph. *Dixit Dominus ad Noe*; oratio *Deus*, *qui conſpicis*. Invitatorium, lectiones, ℟. & antiphonæ, ut continentur in libris.

Quinquageſimæ Dominica ſabbato præcedenti ad veſperum ℟. *Dum ſtaret*. Ad Magnificat antiph. *Pater fidei*; oratio *Preces noſtras*. Invitatorium, lectiones, ℟. & antiphonæ, prout continentur in libris.

De feria quarta capite jejunii. Cap. XL.

JEjunii capite, ſcilicet quarta feria, & deinceps uſque in Dominicam paſſionis legantur tres lectiones de homilia uniuſcujuſque feriæ cum tribus ℟. Dominicalibus. Ad noctur. Capitulum *Vigilate*, quod uſque ad ſabbatum repetatur. Poſt *Kyrie eleeiſon* dicatur *Miſerere mei Deus*, omnibus horis uſque ad ſabbatum ſanctum. In Laudibus capitulum *Convertimini*; oratio *Præſta*; ad Benedictus antiph. *Cum jejunatis* &c. & ad Magnificat,

cat, & deinceps ſicut in antiphonario continetur. Ad III. VI. & IX. capitulum, ℣, & orationes feriales. Ad Veſperum capitulum *Inter veſtibulum*. Cum vero fuerit hora Nona pulſetur ſignum in clauſtro. Tunc ſacerdos cum aliis ad Miſſam ſervituris, ablutis manibus præparent ſe, & pulſata majori campana congregentur cum ceteris in choro, ſicut facere ſolent in feſtis XII. lectionum, & facta oratione Dominica fratres foras dicant Nonam beatæ Mariæ, & ſacerdos induatur alba, deinde veniat ante altare cum ſtola & manipulo, ſubdiacono præcedente. Tunc dicant ſtantes pſalmum *Miſerere mei Deus*, & incurvati dicant orationem Dominicam, & ſacerdos ſurgens dicat capitulum *Oſtende nobis Domine*, & voce mediocri ſuper cineres. Orationibus dictis in tono aſpergat cineres aqua ſancta, & incenſentur. Tunc pergens abbas ante altare cinerem prius a ſacerdote ſuſcipiat, cui cinerem ipſe præbeat ſubſequenter, & omnibus cinerem. Sacerdos præbeat dicens *Recordare frater, quia cinis es, & in cinerem reverteris*. Frater quoque cinerem ſuſcipiens devote dicat: *Hujus cineris aſperſio ſit mihi quæſo Domine remedium ſalutare*. Cum autem ſacerdos cinerem ceperit ſuper capita fratrum ponere, cantor incipiat antiphonam: *Exaudi nos*. ℣. *Salvum me fac*. Antiph. *Immutemur*, & *Inter veſtibulum*, quibus expletis dicat ſacerdos hanc orationem *Concede nobis*. Poſtea cantor incipiat officium *Miſereris omnium Domine*. Interea ſacerdos ad altare aſcendens tres venias faciat ſuper ſcabellum altaris, lotiſque manibus ſe caſulam induat cum ſervitore, atque ſubdiacono ante altare confeſſionem facturus. Et ſciendum, quod a dicta IV. feria debet incipere poſt *Dominus vobiſcum*, & dicere *Flectamus genua*, poſt penultimam orationem, cum dicitur *Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum filium tuum. Oremus. Humiliate capita veſtra Deo*; & tunc totus conventus devote ſe in formis inclinet, quouſque oratio finiatur morando proſtratus. Hoc tamen diebus Dominicis non agatur. Tractus *Non ſecundum*, cantatur feria II. IV. & VI. uſque ad feriam ſecundam hebdomadæ Sanctæ. Cum vero dicitur: *Adjuva nos Deus*, totus conventus proſternatur ſuper formas. Primus cantor cum ſuo choro dicat primum verſum, ſubcantor cum ſuo choro ſecundum; tertius vero dividatur in duas partes, & hoc in tractibus ferialibus obſervetur. Tractus autem XII. lectionum per partes cantetur, ita quod primus cantor cum ſuo choro per medietatem verſus canat, chorus ſecundi cantoris verſum conſumet viciſſim, dummodo tres canentes in qualibet parte conſiſtant. Si autem quinque tantum canentes fratres fuerint, ſimul canant Tractum, ℟. officia & alia hujuſmodi, exceptis pſalmis, hymnis & canticis ceteriſque hujuſmodi, quæ ſimul incongrue cantarentur. Hac denique die incipitur præfatio *Corporali jejunio*, quæ diebus ferialibus uſque in Cœna Domini decantatur. Expleta denique Miſſa pulſetur ad Nonam & abbas cum fratribus revertatur ad loca ſua. Et dicta oratione Dominica Nona cantatur, & ſic Miſſa dicatur V. VI. & ſabbato.

De prima Dominica Quadrageſimæ.
Cap. XLI.

QUadrageſimæ prima Dominica Sabbato præcedenti ad Veſperum Capitulum *Hortamur*, quod in Laudibus & ad Tertiam repetatur, hymnus *Aures ad noſtras*, qui dicatur ſabbatis & Dominicis uſque in ſabbatum paſſionis; ℣. *Angelis ſuis*, quod quotidie ad Veſperum uſque in Paſſionem ſimiliter iteretur. Ad Magnificat antiph. *Tu autem cum oraveris*; oratio *Deus, qui eccleſiam tuam*; invitatorium *Non ſit vobis vanum*; antiphonæ & pſalmi Dominicales, ℣. in primo nocturno *Scuto circumdabit*; in ſecundo nocturno, ℣. *In manibus*; ℣. in III. nocturno *Super aſpidem*, quod uſque ad paſſionem Domini repetatur. Lectiones & ℟. ut habentur in libris. In Laudibus antiph. *Cor mundum* &c. Capitulum *Hortamur*; ℟. *Participem*; ℣. *Deus refugium*; ad Benedictus antiph. *Ductus eſt*. In Miſſa quoque matutinali tres orationes dicantur; in Miſſa de Tertia una tantum, & præfatio ferialis. Ad Veſperum ℟. *Ab omnia via mala*; ℣. *Angelis ſuis*. Prædicta ℟. Dominicalia, quæ cum ſuis verſiculis uſque in paſſionem Domini non mutentur. Feria II. in quadrageſima invitatorium *Dominum Deum noſtrum*; tres lectiones de homilia tertia; ℟. *Ecce nunc* &c. In ſecundo nocturno antiphonæ & pſalmi feriales. Capitulum *Anima, quæ peccaverit*; oratio *Pacem nobis*, quæ oratio cum prædicto capitulo dicitur uſque in Dominicam paſſionis in ſecundo nocturno ferialibus diebus. In Laudibus capitulum & Tertia & Veſperis *Derelinquat*, orationes propriæ; ad Sextam capitulum *Clama*, oratio *Ad hoſtes*; ad Nonam capitulum *Frange*, oratio *Deus, qui juſte ira* ... uſque ad paſſionem Domini repetantur Dominicis diebus. In Laudibus, Tertiis & Veſperis, capitula

propria decantando, & etiam sabbatis ad vesperum. In Laudibus antiph. *Miserere mei Deus*; hymnus *Jam Christe*; post *Benedicamus Domino*, dicatur continuo Prima, & Missa mortuorum celebrata, fratres privatas Missas dicant, totusque conventus usque ad Tertiam in claustro precibus vacet. Hora vero Tertia pulsetur signum in claustro, & post momentum in campanili ad Tertiam. Tunc fratres lotis manibus & aqua sancta recepta in ecclesia unanimiter congregentur; & Tertia decantata pergant ad capitulum ordinate, ubi capitulum de Regula intentis auribus recitetur, quod incipit *Licet omni tempore*; eidem addito; *In quadragesimæ vero diebus* &c. Denique mortuorum psalmis dictis abbas librum regulæ cum psalterio suscipiat de manu prioris, tribuens ipsi priori cunctisque fratribus psalteria, singillatim provisurus, quod taliter antiqua psalteria conserventur, & denuo alia conscribantur. Quod unusquisque psalterium hodie possit recipere, ipsumque Domino quotidie decantare. Fratres igitur de capitulo exeuntes ad sedem suam pergant psalmis devotissime vacaturi. Claustrum quoque jugiter clausum a portario bene custodiatur, ita quod summum silentium & quies in eo sit semper, cessante omni strepitu & rumore. Hac etiam die post capitulum sacrista cum idoneo socio Cruces cooperiat & iconas. Silentium feria II. IV. & VI. inviolabiliter observetur, ita quod etiam de ordine in capitulo non tractatur, sed dictis psalmis mortuorum conventus in claustrum cum summo silentio studeat remeare. Sexta vero feria confessionem faciamus generalem, disciplinas humiliter suscepturi. Aliis vero diebus in capitulo de ordine tractetur, satisfactiones fiant & reprehensiones cum fervore caritatis. Silentium tamen semper inviolabiliter observetur, ita quod loqui non debeant sine licentia speciali. Post Sextam fiat Mandatum pauperum, ut superius est distinctum. Hora congrua pulsetur ad Nonam & totus conventus in ecclesia unanimiter congregetur. Nona regulariter cantatur. Nona denique sanctæ Mariæ incepta sacerdos cum servitoribus se induat, & Missam devote studeant celebrare. Dicto denique *Sanctus*, pulsetur squilla in campanili usque ad *Agnus Dei*. Et dicta Missa, pulsatisque campanis officium dicatur beatæ Mariæ, & post momentum regularis hymnus *Audi benigne*, qui usque ad Passionem diebus ferialibus repetatur. Et post mensam secundam pulsetur hora congrua ad vigilias mortuorum in claustro, & postmodum squilla in choro, & dicatur vesperum mortuorum cum vigiliis; deinde vadant ad bibendum.

In secunda, tertia, quarta Dominica in quadragesima, & Dominica Passionis. Cap. XLII.

Secunda Dominica in quadragesima, sabbato præcedenti ad Vesperum, capitulum *Rogamus vos*, quod in Laudibus, Tertiis & Vesperis repetatur. ℟. *Ecce odor*; ad Magnificat antiph. *Quam bonum est*; oratio *Deus qui conspicis*; invitatorium *Ploremus*; ℟. & omnia alia, ut in libris continetur; lectiones ut sunt in lectionario. In sabbato istius hebdomadæ dicatur III. ℣. *Pater peccavi in cœlo*; ℣. *Quanti*.

Tertia Dominica in quadragesima sabbato præcedenti ad Vesperum, Capitulum *Imitatores*, quod in Laudibus, Tertiis & Vesperis repetatur; ℟. *Dixit Judas*; ad magnificat antiphona *Dixit autem*; oratio *Quæsumus omnipotens*; invitatorium *Populus Domini* &c. ut habetur in libris; lectiones ut habentur in lectionario.

Quarta Dominica in quadragesima sabbato præcedenti, ad Vesperum capitulum *Scriptum est*, quod in Laudibus, Tertiis & Vesperis repetatur, ℟. *Stetit Moses*; ad Magnificat antiph. *Nemo te*; oratio *Concede*; invitatorium *Hodie si vocem* &c, ut habentur in libris; lectiones, ut sunt in lectionario.

Passionis Dominica Sabbato præcedenti ad Vesperum capitulum *Attende Domine*; ℟. *Usquequo*; ℣. *Qui tribulant*. Quo dicto non dicatur *Gloria patri*, usque in pascha. In ℟ & invitatoriis non cantatur, sed a capite ℟. repetatur, quod semper fiet, quando solet in ℟. *Gloria* decantari. In officiis vero dicimus ad Missam semper *Gloria patri*; hymnus *Vexilla*; ℣. *Eripe me*. Et sciendum, quod hymnus, versiculi, ℟. usque in cœnam Domini non mutantur. Ad Magnificat antiph. *Animæ impiorum*; oratio *Quæsumus omnipotens Deus*; invitatorium *Quadraginta*, & dicatur sicut in aliis Dominicis diebus. Dicto igitur toto Venite, cantores reincipiant invitatorium *Quadraginta*, canentes primam partem, videlicet *Quadraginta annis proximus fuit*, sed illi, qui sunt ex parte primi cantoris dicant aliam partem, scilicet *generationi huic*; residuum dicant, qui sunt ex parte secundi cantoris scilicet *& dixi semper hi errant corde*. Postea incipiat cantor hymnum *Pange lingua*; ℣. in primo nocturno *Intende animæ meæ*. In secundo nocturno *Erue*; in III. nocturno *De ore leonis*.

leonis. Hac die ponitur Jeremias usque ad pascha quotidie tam in ecclesia, quam ad mensam; antiphonæ, ℞ia & alia omnia, ut habentur in libris. In Laudibus & per horas diei antiphonæ, ut continentur in libris.

Secunda feria passionis, invitatorium *Dominum Deum nostrum*. In secundo nocturno capitulum *Sicut ovis*; oratio *Tua passio*; capitulum *Tu autem Domine*. In Laudibus, Tertiis & Vesperis cum orationibus propriis. Ad Sextam capitulum *Domine demonstrasti*; oratio *Auge fidem*; ad Nonam capitulum *Deus omnis*; oratio *Adesto nobis* usque in cœnam Domini non mutatur. Ad Tertiam hymnus *Dei fid...* Ad Sextam *Qua Christus hora*. Ad Nonam *Ternis terroris miseris*; qui hymni usque in cœnam Domini diebus ferialibus decantentur.

De Dominica palmarum. Cap. XLIII.

PAlmarum Dominica sabbato præcedenti ad Vesperum; Capitulum *Hoc enim sentite*, quod in Laudibus, Tertia & Vespere decantetur; ℞. *Fratres mei*, ad Magnificat antiphona *Clarifica me pater*; oratio *Omnipotens sempiterne*; invitatorium *Ipsi vero*, & dicatur eodem modo, sicut dictum est in Dominica passionis. Cantores autem dicto *Venite* usque ad *Ipsi vero*, dicant primam partem invitatorii, scilicet *Ipsi vero non cognoverunt vias meas*. Qui sunt ex parte primi cantoris dicant aliam partem scilicet *Quibus juravi in via mea*. Chorus secundi cantoris perficiat consequenter *Si introibunt in requiem meam*. Lectiones, Responsoria, ut continentur in libris. Ad Tertiam induantur albis abbas & hebdomadarius, qui benedicat aquam, diaconus & subdiaconus, facta & aspersa aqua sancta fratribus, hebdomadarius ad benedicendum officinas pergat, præcedente subdiacono cum Cruce, & converso cum aqua sancta, fratribus in choro canentibus ℞ia ipsius diei, donec sacerdos cum servitoribus revertatur. Perveniens autem sacerdos ad hostium ecclesiæ dicat orationem *Domine Jesu Christe*, cunctis audientibus. Inde canatur antiphona majoris vocabuli consueta. Postea hæc oratio *Viam Sanctorum*, & Tertia decantetur inchoante abbate, & ornamentis omnibus præparatis, scilicet aqua sancta, Cruce, candelabris, thuribulo, tabulis evangeliorum, palmis & ramis olivarum, abbas præmisso quinquagesimo psalmo cum oratione Dominica & capitulo *Ostende nobis Domine*, incipiat benedictiones dicendo mediocri voce sicut ad Missam *Dominus vobiscum*, decurrens per singulas orationes, per *Dominum nostrum Jesum Christum*, usque in finem, & ad omnes orationes dicat *Oremus*; expletis tandem orationibus aut benedictionibus, & aqua sancta & incenso desuper missis, prior det palmam cum oliva abbati, & abbas det priori, daturus fratribus universis. Verum si abbati laboriosum esset omnibus exhibere, adjuvetur per hebdomadarium & priorem. Cum autem ceperint distribui olivæ, cantor incipiat antiphonam *Pueri Hæbreorum*, cum versibus psalmi *Laudate pueri*, quotiens opus fuerit, repetatur. His expletis ita cum processione ab ecclesia exeant ordinate, præcedentibus aqua sancta, Cruce, candelabris, thuribulo cum incenso, & diacono evangeliorum tabulas deferente, procedentes per claustrum IV. faciant stationes, cantantes antiphonas *Sex dies*, *Cum audisset* & ceteras, ut in processionariis continetur. Cum autem venerit ante januam ecclesiæ dicatur a cunctis *Gloria laus*, abbate incipiente. Duo autem fratres infra ecclesiam cantent *Israel es tu*, habentes facies versus fratres, quando dicunt *Israel es tu*; In quolibet versu fratres faciant veniam super tapetia unus versus alium, & a choro semper repetatur *Gloria laus*, venerabiliter inclinante. Quibus finitis abbas incipiat ℞. *Ingrediente Domino*, ipsum sine versu perficientibus fratribus universis. *Kyrie*, *Sanctus* & *Agnus Dei* sollemniter dicantur. Tractum tres cantent in choro usque ad medietatem versus; medietatem primi versus perficiente choro primi cantoris, medietatem vero secundi versus consumante choro secundi cantoris. Diaconus interea sine salutatione passionem Domini legat, aqua, candelabra vel incensum in principio non portentur. Diacono autem incipiente *Altera autem die*, quousque in finem, sicut evangelium est legendum. Subdiaconus thuribulum sibi offerat cum incenso, duobus acolytis candelabra substentantibus ordinate. Dicta offerenda totus conventus abbati celebranti palmas offerat & olivas. Post refectionem quoque generaliter totus conventus dormitum pergat; hoc usque in pascha nullatenus iterando. Hora Nona tangat custos signum in dormitorio, ut surgentes fratres lotis manibus sonante majori campana dicturi in ecclesiam Nonam congregentur. Qua dicta, pulset refectonarius cymbalum, & ad bibendum fratres pergant, & sic facientes per totam æstatem usque ad idus septembris usque ad Vesperum in claustro sessuri, & pulsatis campanis

panis horam canant in ecclesia vespertinam.

Feria secunda, tertia & IV. Invitatorium *Dominum Deum nostrum*. In Laudibus & per horas diei antiphonæ, ut in antiphonario continentur. Feria III. ad capitulum pronuntientur nomina mortuorum, sollemniter celebretur. Feria IV. Laudes & Missa pro defunctis canantur. In Missa de Nona sacerdos dicat *Oremus*; *Flectamus genua*, non præmisso *Dominus vobiscum*; & oratione completa legatur prophetia; deinde Graduale secundus cantor cum ceteris canat, & sic sacerdos dicto *Dominus vobiscum*, prosequatur orationes alias ordinate. Tunc altera prophetia more epistolæ decantata, Tractum primus cantor incipiat decantare. Post datalem autem & Lunam dicat lector *Dominus noster Jesus Christus cœnavit cum discipulis suis*. Et dicta Missa dicatur Vesperum beatæ Mariæ.

De feria V. in Cœna Domini.
Cap. XLIV.

CŒna Domini media nocte surgendum est, & campanæ pulsentur, sicut in XII. lectionum, & dicto officio beatæ Mariæ a cunctis. Tantum duabus candelis coram altari, sicut faciendum est duabus sequentibus noctibus, cantor incipiat antiphonam *Zelus domus tuæ*, fratribus omnibus procidentibus super formas, quod faciant in Laudibus & in principiis horarum regularium. Et sciendum, quod his duabus noctibus non mutatur cantoria, sed antiphonæ tam nocturnorum, quam Laudum his tribus diebus a cantore incipiendæ sunt; & postmodum a majoribus, sicut in XII. lectionum per ordinem decantentur. Lamentationes, lectiones, ℟ia quinta & sexta feria dicantur more solito, ita quod abbas sextum ℟ium, & nonam lectionem dicat, priore vero sextam lectionem & nonum ℟ium cantaturo. His vero diebus non dicitur *Deus in adjutorium*, ad officium regulare, nec *Gloria* in fine psalmorum; lector non debet petere benedictionem ad legendum, nec dicere *Tu autem Domine*, sed ex ipsa lectione fiat terminatio; nec dicimus *Benedicamus Domino* in fine horarum regularium; & ante orationes non dicimus *Dominus vobiscum*, nec in fine *Per Dominum*; sed tantum *Amen*. Extinctis omnibus luminaribus, quæ sunt in ecclesia, præter unam candelam, provideat sacrista, cum dicitur *Laudate Dominum de cœlis*, ut unam candelam accensam bene abscondat, & abbate incipiente antiphonam *Traditor autem*, candela, quæ remanserit accensa, extinguatur. Finita autem ad Benedictus flectant fratres genua super formas dicentes *Kyrie* III.; *Pater noster*, & *Miserere mei Deus*; collecta *Respice quæsumus Domine*, quæ his tribus diebus dicatur horis omnibus; Officium in cœna Domini, parasceve & sabbato Sancto ita dicatur, quod unus chorus alteri distincte valeat respondere; quod fiat in capitulo & refectorio. Omnibus his diebus Dominicum corpus de altari nullatenus elevetur, & accensis luminaribus pergant in dormitorium ordinate; deinde quoad potuerint orationi & contemplationi vacare procurent. Debiles autem conquiescant sibi. Cum autem cœperit dies illucescere, faciat custos minus signum in dormitorio, surgantque omnes, & pergant in ecclesiam; & facta oratione Dominica super formas, dicant Primam sine hymno; psal. *Deus in nomine tuo*; *Beati immaculati*, usque ad *Legem pone*. His psalmis finitis dicant ℣. *Christus factus est*; & mox flectant genua dicendo *Kyrie*; *Pater noster*; *Credo in*; & abbas faciat confessionem; & dicta Prima sanctæ Mariæ, sicut dicitur in Dominico die, dicantur psalmi pœnitentiales cum litaniis sine *Gloria* cum orationibus suis, & sic fiat sequentibus duobus diebus. In hora vero Tertia dicatur psalmus *Legem pone*, usque *Defecit*. Ad Sextam vero *Defecit*, usque *Mirabilia*. Ad Nonam *Mirabilia*, usque *Ad Dominum*. Officium sanctæ Mariæ his tribus diebus dicatur per horas diei, sicut facimus diebus Dominicis. Post Primam autem vacent lectioni usque Tertiam; hora vero Tertia pulsato signo vadant in ecclesiam, & dicta Tertia pergant ad capitulum ordinate; lector autem post datalem & Lunam dicat *Dominus noster Jesus Christus crucifixus est a Judæis*; & natale sanctorum &c. Postea dicatur *Pretiosa* &c. Lectio *Convenientibus vobis in unum*; & dicta lectione, abbas dicat *Benedicite*; & post exhortationem tractetur de ordine. Deinde fiat confessio generalis a priore, postquam abbas injungat pœnitentiam trium psalmorum. In sequenti vero die parasceve sine confessione aliqua in capitulo recipiant disciplinam; & tunc abbas cum fratribus tractet de officiis divinis faciendis, & de Mandato faciendo, prout melius viderint expedire. Hac die celebrato capitulo abbas dicat *Benedicite* in capitulo, si non solvitur silentium in claustro; sin autem dicat *Benedicite* in claustro, & in claustro maneant usque ad Sextam & præparentur ea, quæ præparanda

randa sunt ad Mandatum honestissime faciendum.

De Mandato pauperum in Cœna Domini.
Cap. XLV.

MAndatum pauperum unusquisque, prout melius potest, circa Sextam cum timore Dei devotissime faciat secundum qualitatem & positionem locorum. Introductis autem pauperibus in locum, qui fuerit constitutus, dicta Sexta abbas cum fratribus ordinet se in choro, sicut in Tertiis XII. lectionum; factoque signo, dictaque oratione Dominica abbas dicat *Adjutorium nostrum*, & fratres respondeant *Qui fecit cœlum & terram*; & incipiente abbate psal. *Miserere mei Deus*, fratres vadant in claustrum, ubi sunt pauperes congregati, præcedente choro prioris. Ut autem fuerint ante pauperes congregati, prosternant se coram eis, adorantes in eis filium Dei vivi. Dicta vero oratione Dominica dicat abbas prostratus *Et ne nos*; respondeant fratres prostrati *Sed libera* &c. Deinde capitulum *Ostende*; oratio *Actiones*; Et abbas exutus cuculla linteo se præcingat, sedentibus fratribus ordinate, & lavet pedes pauperibus, quibus quidem ipse voluerit, XII. videlicet secundum possibilitatem domus, & tergat pedes illorum, & obsculetur. Similiter unusquisque tribus pauperibus pedes lavet. Incipiente autem abbate pedes lavare, cantor incipiat antiph. *Dominus Jesus postquam* &c. Ad totum autem officium omnes fratres item esse debent, & antiphonas diligenter cantare, nisi aliquis esset infirmus. Lotis quidem pedibus omnium pauperum abbas abluat sibi manus, & sic præbeat manibus pauperum, quorum laverat pedes, ceteris hoc similiter peracturis. Et ablutis manibus pauperum prior pulset tabulam tribus percussionibus, & dicant omnes *Benedicite*; & abbas dicat *Potum sanctæ caritatis benedicat dextera Dei Patris*; Respondeant omnes *Amen*, conversis ciathos plenos vino tenentibus. Tunc abbas panes & denarios tribuat pauperibus, quorum pedes laverat, manu pauperum obsculata. Sicque faciant suis pauperibus universi, quorum laverint pedes. Tunc statim abbas accipiat ciathum, præbeatque potum illis pauperibus, reverenter ceteris fratribus peracturis. Et peracta pauperum bibitione, fratres induant se cucullis, & faciant veniam coram pauperibus dicentes hunc versum *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui*, usque *Dextera tua*. *Gloria patri*; *sicut erat* &c. *Kyrie*; *Pater noster*; capitulum: *Ostende*, *Tu Mandasti mandata tua*; *Tu lavasti pedes discipulorum tuorum*; *Opera manuum tuarum ne despicias*; *Dominus vobiscum*; *Oremus*. *Adesto Domine officiis nostræ servitutis, quoniam tu pedes lavare dignatus es tuis discipulis, ne despicias opera manuum tuarum, quæ nobis retinendo mandasti, ut sicut hic a nobis exteriora abluuntur inquinamenta, sic ad te omnium nostrum interiora laventur peccata, quod ipse præstare digneris, qui cum Patre & Spiritusancto* &c. Fratres respondeant *Amen*. Tunc abbas incipiat psalmum *Miserere mei Deus*, & vadant omnes in ecclesiam, ut venerant, ordinate. Et dicto psalmo procidant super prosperas in locis pristinis dicentes *Kyrie*; *Pater noster*. Quo finito dicat abbas capitulum *Ostende nobis Domine misericordiam tuam*; *Dominus vobiscum*; Oratio *Omnipotens sempiterne Deus dirige actus* &c. *per Dominum*; *Benedicamus Domino*; *Deo gratias*, & fratres in claustrum redeant ordinate.

De Missa Cœnæ Domini hora Nona.
Cap. XLVI.

HOra Nona tacto signo in claustro fratres præparent se ad Missam; pulsato autem signo in campanili fratres omnes in choro congregati pro modulo feriali post orationem Dominicam dicant Nonam dicturi Nonam Virginis subsequenter. Deinde servituri ad Missam se præparent, & diacono induto dalmatica, & subdiacono tunicella pulsatis omnibus campanis cantor incipiat officium *Nos autem gloriari*, juxta XII. lectionum modulum decantandum. In qua Missa *Gloria in excelsis Deo*, non dicitur, neque *Credo*, post unam vero dumtaxat orationem, videlicet *Deus, a quo & Judas*; sequitur epistola *Convenientibus vobis in unum*; & Graduale *Christus factus*, a duobus fratribus decantandum; evangelium *Ante diem festum*; officium & præfatio, ut habentur in libris. Ad pacem & communionem omnes accedant. Hac tamen die tot consecrentur oblatæ, quot & tunc in ipsa Missa, & sequenti die omnibus sufficiat ad sumendum. Finita igitur Missa, tabula in claustro pulsetur ad Vesperum. Ex tunc usque in diem sabbati Sancti ad Missam campanarum pulsatione suspensa; fratres vero ferialiter existentes in choro post Vesperum beatæ Mariæ dicant Vesperum regulare cum antiphona *Calicem* interea voce mediocri a cantore. Ad Magnificat antiphonam dicat abbas *Cœnantibus* &c. At ubi peractum fuerit Vesperum, pulsata ter

tabula

tabula loco tintinabuli fratres lotis manibus vadant in refectorium ad edendum. Et abbas stans ad mensam suam pulsetur tabula, fratribus quoque subsequentibus *Benedicite*; & *edent pauperes*, sine *Gloria*. Abbas post *Et ne nos*, benedicat pulmentum sine *Per Dominum nostrum*. Ad hæc lector sine benedictione incipiat de homilia ipsius diei, & epistolæ Pauli expositione, scilicet *Convenientibus vobis*, & sumpta comestione lector ad nutum abbatis, sine *Tu autem Domine*, lectioni finem imponat, antepenultimam sillabam producendo. Fragmentis postremo collectis, mensæ mundator ex latere abbatis porrigat ei tabulam tacturo eam modeste; & post ℣. *Memoriam fecit*, sine *Gloria* succinendum dicat abbas *Agimus*, & responso a fratribus *Amen*, abbas incipiat *Miserere mei Deus*, mediocri voce sine *Gloria* decantandum pergens in ecclesiam cum fratribus ordinate usque ad horam Mandati in claustro regulariter moraturus.

De Mandato fratrum in Cœna Domini.
Cap. XLVII.

MAndati peragendi hora post vinum in refectorio præparatum, tabula tacta tribus vicibus a priore, fratres vadant in refectorium ad bibendum convenientes in unum, postea conversi, & tacta tabula XII. vicibus a priore, & aqua etiam a servitoribus præparata, domnus abbas præcinctus linteo, pedibus prioris & fratrum lateris abbatis ablutis, pedes ex latere prioris existentium fratrum lavet, conversorum postea loturus. Lotione vero expleta ad suam sedem regressi abbatis per manum præsentis hebdomadarii humiliter incurvati tergantur. Interea domnus abbas manutergio & aqua recepta in scapulari per ordinem abluit, aquam tribuat fratrum manibus abluendis, post hæc reindutus cuculla suam revertatur ad sedem. Quibus peractis duo ceroferarii & aliis cum analogio albis induti, diaconum cum libro, & subdiaconum cum thuribulo albis præcedant indutos, & ad locum perveniant ordinatum. Misso itaque incenso in thuribulo ab abbate, subdiaconus incenset analogium in modum crucis; mox diaconus posito libro super analogium incipiat *Ante diem festum*, cui incipienti subdiaconus thuribulum porrigens cum incenso, ut librum incenset diaconus, reassumpto thuribulo incensum eidem diaconus tribuat reverenter. Cum vero dixerit diaconus *Cum recubuisset iterum*, quo in loco sedeant fratres lectionem diligentissime auscultantes. Paratis demum in refectorio præparandis, cum dicitur *Surgite eamus hinc*, in refectorium ordinate eant, post chorum prioris chorus abbatis, & post albis indutos abbas sequatur. Abbate vero faciente signum ante mensam suam cuncti sedeant ordinate. Deinde abbas & prior exuti cucullis, lotisque ciathis post nutum armarii sedentis ad mensam abbatis, aquam percipiant de ciathis reimplendo ipsos vino, & stantibus eis cum vino ante mensam abbatis, & benedictionem ab armario data, unusquisque choro suo vinum reverenter propinet; nam abbas obsculans manum armarii porrigat ei vinum obsculanti manum abbatis, qui recepto ciatho descendat exhibiturus vinum coram priore, utrinque peracta reverentia monachis ex latere suo existentibus & conversis. Reverentia denique ab ambobus peracta priori ad locum suum in cuculla reverso conferat abbas potum. Domnus vero abbas in medio refectorii in sede servitoris sine cuculla existat, donec lotione peracta diaconus cum aliis albis indutus iverit ad mensam abbatis; tunc abbas surgens præbeat vinum diacono & aliis ad mensam abbatis albis indutis. Abbati vero prior vinum tribuat. Sumpto tandem potu, abbas tangat tabulam; & dicto ab abbate *Adjutorium nostrum*, fratres omnes in ecclesiam revertantur, qui post pulsationem tabulæ Completorium dicta oratione Dominica, factaque confessione ab abbate dicatur Completorium, psal. *Cum invocarem*; *In Te Domine*; *Qui habitat*; *Ecce nunc*; & *Nunc dimittis*; *Kyrie* &c. Data benedictione ab abbate dicatur Completorium beatæ Mariæ. Deinde abbas tangat ter tabulam sedis suæ dicens cum aliis *Pater noster*, & *Credo*. Completorio namque finito, sacrista, diaconus & subdiaconus albis induti & discalciati altaria discooperiant reverenter dicendo *Diviserunt sibi vestimenta mea* &c. cum VII. psalmis specialibus & etiam litaniis, incensantes altaria, eaque aspergendo aqua benedicta, & recolligendo pulverem de altaribus in vase congruo & honesto, in profusorium cum reverentia recondendum, reversuri post hæc in dormitorium, ut sibi cum ceteris requiescant.

De feria VI. *parasceve*. Cap. XLVIII.

PArasceve nocte media surgendum est, Sacrista per claustrum, & per infirmariam, & per dormitorium & omnia loca, ubi fratres morantur, pulset tabulam, ut ad ejus pulsationem possint omnes

nes ad officium convenire. Dicto igitur *Pater noster*, & *Credo in Deum*, dicatur officium beatæ Mariæ, post cantor incipiat antiphonam *Adstiterunt*, reliquis antiphonis a majoribus decantandis. Dictis autem & psalmis Laudum cantor dicat, ℣. *Christus factus est*, post dicat abbas antiphonam ad Benedictus *Posuerunt*; & cetera omnia fiant, sicut diximus in v. feria. Cum autem fuerit hora Prima pulset custos tabulam, ut in nocte dictum est. Mox fratres in ecclesia dicant Primam, sicut dictum est in cœna Domini. Finita Prima incipiat abbas psalterium, & cuncti vadant in capitulum legentes totum psalterium sine *Gloria*. Qui autem indiguerint, sedeant per intervalla surgentes; quod psalterium raro & morose cum devotione dicatur, ita quod una pars chori prius compleat suum versum, quam altera assumat; & hoc dicimus, quia *maledictus*, *qui facit opus Dei negligenter*. Finito psalterio fratres flectentes genua dicant sub silentio Dominicam orationem; capitulum *Et veniat*; oratio *Respice*, sine *Per Dominum nostrum*. Hora Tertia pulsata tabula dicturi Tertiam in ecclesia congregentur; postea vadant in capitulo, & qui lecturus est, post datalem & Lunam dicat *Dominus noster Jesus Christus quievit in sepulcro*; & dicto *Pretiosa* &c. sacerdos dicat *Adjutorium nostrum* &c. Finita lectione de Regula, scilicet tertium Humilitatis, fratres sine confessione recipiant disciplinam, & sic exeant de capitulo psalmis & orationibus vacaturi. Post Tertiam ponat custos ante altare Crucem munda sindone coopertam, ut ipsam fratres valeant adorare. Hora Nona celebrata induantur albis ad officium servituri, mox inchoet subdiaconus prophetiam *Hæc dicit Dominus*, sine titulo, deinde tractum *Domine audivi*. Altare sit tantum una sindone coopertum, & lectorium similiter. Tunc sacerdos indutus sindone vel casula pergat ad altare dicturus orationem sine salutatione *Deus*, *a quo & Judas*; sequatur alia lectio tono epistolæ decantanda; tractus *Eripe me*. Tunc legatur passio; de incenso & lumine fiat, ut dictum est in prius. Expleta passione sacerdos inchoet orationes *Oremus*, *Dilectissimi nobis*, sicut in missali habentur, prætermittentes *Flectamus genua*, solummodo pro Judæis. Finitis orationibus sacerdos & levita deponant in sacrario planetam, stolas & manipulos; deinde cum aliis fratribus discalceatis extrinsecus ad loca sua in ecclesiam revertantur. Interea duo diaconi albis induti post altare canant antiphonam *Popule meus*, crucem venerabiliter sustentantes, duobus in choro albis induti respondentibus *Agios* &c. tunc alii de choro flectentes genua respondeant *Sanctus Deus* &c. duobus in choro existentibus flectentibus genua; illi autem duo crucem aliquantulum in antea deferentes versum canant *Quia eduxi te per desertum*; duobus respondentibus *Agios*; & chorus *Sanctus Deus*, sustentantes vero Crucem, accedant pene juxta altare, canendo hunc versum *Quid ultra debui facere*, duobus præfatis respondentibus *Agios*, & choro *Sanctus Deus*, tenentes autem Crucem discooperiant ipsam ante altare inchoando antiphonam *Ecce lignum crucis*; psal. *Beati immaculati in via*, per omnes versus antiphona repetita; qua incepta cuncti procidant in facies suas. Sint autem tapetia strata, super quæ albis induti faciant orationem, quæ sic fiat; primo abbas solus, deinde illi duo, qui sustentaverunt Crucem, postea illi duo, qui cantaverunt *Agios*, albis induti; post hæc prior & armarius abbatis, & sic per ordinem bini & bini, ita quod unus ex choro abbatis, & alter ex choro prioris existant usque ad ultimum conversorum dicentes *Pater noster* & *Credo in Deum*. Tunc autem Crux a fratribus adorata deportatur a diacono ad locum suum canente antiphonam *Super omnia ligna*: & continuo sacrista Crucem discooperiat & iconas; deinde recalceati sibi manus abluant ad Missam præcipue servituri, sacerdos quidem planeta, levita stola & manipulo, & subdiacono cum thuribulo indutis; post confessionem factam sine collecta ponat diaconus librum super altare, extendat cum reverentia corporale. Ad altare quoque sacerdos existens a latere dextro, aqua missa in vinum non consecratum, ponat hostiam sacratam super patenam, quam diaconus offerat sacerdoti, qui offerens una cum diacono super corporale ponat. Sacerdos autem misso incenso in thuribulo, & calice incensato, post manuum ablutionem Crucem faciat super utrumque dicens *Oremus*, *præceptis salutaribus moniti*, cum oratione Dominica, & respondentibus aliis fratribus *Sed libera nos a malo*, sacerdos post orationem dicat: *Libera nos quæsumus Domine*, dicat in tono *Per omnia secula seculorum*, cui tantum respondeatur *Amen*. Et pacis osculo non collato, sacerdos missa particula hostiæ in vinum non consecratum communionem assumat. Ad hæc communicatis, qui communicare voluerint, pulsetur tabula ad

ad Vesperum. Illico fratribus congregatis in choro post orationem Dominicam & officium Virginis cantor incipiat antiphonam *Cum his, qui oderunt* &c. post officium consummatum tabula tacta tribus percussionibus a priore, ut dictum est in cœna Domini, fratres lotis manibus pergant in refectorium super mensis discoopertis cibum sumpturi, videlicet panem & aquam cum adjectione salis, leguminum & pomorum sobrie comedentes. Sumptaque comestione post *Miserere mei Deus*, & gratiarum solitas actiones, in claustrum de ecclesia reversi vacent lectionibus aut psalmis. Hora vero collationis tabula pulsata in claustro, fratribusque congregatis in unum legat unus ad collationem; qua finita sine *Tu autem Domine*, abbas audientibus fratribus dicat *Adjutorium nostrum*, cui fratres respondeant *Qui fecit cœlum & terram*, vadant in ecclesiam Completorium cantaturi, & postea in dormitorium revertendo sibi solito conquiescant.

De officio in sabbato sancto. Cap. XLIX.

SAbbato sancto media nocte surgatur, & omnibus paratis, ut in parasceve curavimus ordinare. Cantoria sit ex latere prioris, ita quod prima & III. lamentatio ex latere abbatis decantentur. Prior ℟ium tertium solus dicat, & VI. lectionem; & abbas VI. ℟ium similiter dicat solus, alia ℟ia, antiphonæ & lectiones ordinate dicantur. Hac enim nocte armarius abbatis IX. lectionem, & armarius prioris IX. Responsorium studeant decantare. Ad Benedictus abbas antiphonam *Mulieres*, omnibusque peractis, ut in V. feria diximus. Fratres volentes in dormitorium reverti, conquiescant sibi. Lucescente autem diluculo, pulsata in dormitorio tabula per sacristam, dicatur Prima. In qua, & per omnes alias horas usque ad Nonam dicatur *In pace in idipsum*. Postea fratres in claustro usque ad Tertiam vacent lectioni aut psalmis. Hora vero Tertia post pulsationem tabulæ & assumptionem aquæ benedictæ dicta oratione Dominica dicant Tertiam; & facto signo ab abbate vadant ad capitulum ordinate. Omnibus in capitulo constitutis lector sine Benedictione annuntiet datalem & Lunam dicturus: *Dominus noster Jesus Christus surrexit a mortuis secundum carnem & natura sua* &c. Mox lector adnuntiet tabulam resurrectionis Dominicæ, dicens: Ad Missam hodie dompnus prior dicet prophetiam. Quibus peractis, & dicto *Benedicite* ab abbate tractetur de ordine atque divinis officiis, fiantque correctiones, ut abbati visum fuerit expedire. Demum fratres dicto in capitulo *Benedicite* ab abbate in claustrum vadant sua officia peracturi; & sacrista procuret altaria præparare. Cum vero fuerit hora Nona pulsata tabula fratres in ecclesia congregati dicant Nonam. Quando autem dicitur Nona beatæ Mariæ sacerdos alba & pluviali, diaconus dalmatica, subdiaconus tunicella, cantor & duo servitores ad Missam induantur. Dicto autem officio beatæ Mariæ, incipiente abbate ps. *Miserere mei Deus*, vadant omnes cum processione ad benedicendum ignem, præcedentibus aqua Sancta, Cruce, atque thuribulo cum incenso. Cum autem ventum fuerit ad locum, ubi ignis accensus, dicta oratione Dominica cunctis audientibus ab abbate, capitulum *Et veniat super nos misericordia tua Domine*, dicatur oratio *Oremus* tantum, *Domine Jesu Christe, cui*; *Per Dominum nostrum* addatur. Abbas vero aspersa aqua super ignem, & de ipso posito in thuribulo, in quo mittat incensum, & incenset ignem, ex quo diaconus accendens candelam, quam tenet, & ingrediatur ecclesiam incipiendo *Lumen Christi*, congrua voce, ut ipsam usque tertio semper congrue valeat exaltare. At ubi diaconus ad locum venerit constitutum, recommendata candela sacristæ, intonet *Exultet jam angelica turba cœlorum*. Qua expleta dicat alta voce *Dominus vobiscum*, qui eam persequens, donec veniatur prope ubi dicitur *Consecratus*, versus cereum faciat signum Crucis; & ante quam dicatur *Suscipe sancte pater hujus incensi*, abbate incensum ponente in thuribulum delatum eidem a subdiacono, diaconus in modum crucis infigat in cereum quinque grana incensi, diacono subdiaconus thuribulum præbeat incensaturo cereum cum dixerit *Suscipe sancte pater*. Cum vero dicitur *Ignis*, accendit, accepta candela incipiat accendere cereum, ipsum sacrista juvante unam postea lampadem accensuro. Consecratione igitur cerei consummata diaconus in vestiario exuat se dalmatica atque stola; tunc prior ante se facta reverentia incipiat *In principio* tantum, licet pronuntiandum sit lectio talis & talis in ceteris posteris prophetiis. Dicente quidem prophetiam priore, sacerdos sacris indutus ad altare ascendens, quem præcedat sine stola diaconus, sine confessione librum superponat altari ad sedendum iturus cum levita sibi, ut expedit, vel serviente. Prima itaque lectione finita dicat sacerdos orationem *Deus*, *qui mirabili*-

biliter; sequitur alia lectio dicenda cum ceteris a majoribus, sicut in utroque choro resident ordinati. Tractus *Cantemus* &c. a duobus in choro fratribus decantetur *Deus, cujus antiq....* Lectio *Apprehendent septem*. Tractus *Vinea facta est*; oratio *Deus, qui ad . . .* Lectio *Hæc est hæreditas*: *Attende cœlum*; oratio *Deus, qui ecclesiam*. Tunc sacerdos casula exutus, & stola cum diacono ad locum suum eat in choro. Post hæc duobus in choro incipientibus litanias omnes insimul studeant respondere. Cum autem dicitur *Propitius esto*, sacerdos in sacrario casula optima exornatur, dalmatica diaconus, ferens librum, confessionem faciant ad altare. Tandem litaniis expletis cantor incipiat alta voce *Accendite*, confestim omnes lampades, duoque candelabra custos accendat. Mox cantor cuculla indutus sollemniter personet *Kyrie* proprium, quod habetur, duobus acolytis ad altaris servitia præparatis. Et facta confessione ad altare, incensatoque altari, sacerdos intonet voce jucunda *Gloria in excelsis Deo*. Continuo pulsentur omnia signa. Tunc omnes flectentes genua respondeant *Et in terra pax hominibus*, deinde Oratio *Deus, qui hanc*; epistola *Si consurrexistis*, qua expleta duo cantent *Alleluja*; *Confitemini*, sine repetitione, postea duo alii subsequentes incipiant] Tractum *Laudate*; ante evangelium non portetur lumen, sed solum thuribulum cum incenso. *Credo in unum Deum* non dicitur, nec offertorium, nec *Agnus Dei*, nec Postcommunio. In fine vero Missæ dicat diaconus *Ite Missa est, Alleluja*, quod dicatur usque in octavam pentecosten. In festis XII. lectionum dicitur *Benedicamus Domino, Alleluja*, in Laudibus, Tertiis & Vesperis. Missa igitur expleta, omnia signa pulsentur. At sacerdos alba indutus & pluviali, & cum subdiacono sine tunicella reversus in chorum, pulsatis campanis omnibus ordinate, accensis cereis ad altare, atque post orationem Dominicam dicto officio beatæ Mariæ incipiat sollemniter *Deus in adjutorium*, cantore subsequente *Alleluja*. *Crucifixus*, psalm. *Confiteantur* &c. Nota, quod a die resurrectionis usque ad octavam pentecostes in XII. lectionum & diebus ferialibus semper dicitur *Alleluja, Crucifixus*, ad Vesperum. In primo nocturno *Alleluja, Stetit*; in secundo nocturno *Alleluja, Oportebat*; in tertio nocturno *Alleluja, Et ecce terræmotus*. Ad Primam *Alleluja*, ad Tertiam *Alleluja, Stetit*, & *Oportebat*. Ad nocturnos quotidie repetatur capitulum *Si consurrexistis*; ℟. *Angelus Domini*; ℣. *Jesum*; hymni *Ad cœnam*; *Rex æterne*; & *Aurora*, dicantur quotidie usque ad Ascensionem, præterquam in festis Sanctorum. ℣. *Exurge gloria mea*; ℟. *Exurgam diluculo*. Ad Magnificat antiph. *Vespere autem*; oratio *Deus, qui hanc*, postea dicantur antiphonæ de Sanctis, ut dictum est in Adventu. Nota, quod a pascha usque ad octavam pentecosten, ℣. dicitur hoc modo *Surrexit Dominus vere*, tantum; ℟. *Et apparuit Petro, alleluja*; & sic de ceteris versibus, præter in versibus Primæ atque Completorii, & in versiculis de suffragiis. Præterea omnibus horis in finem hymnorum addatur *Quæsumus auctor*; & *Gloria tibi Domine*, usque in Ascensionem. Insuper cereus benedictus ardeat, donec dies resurrectionis Dominicæ fuerit celebrata.

De officio primæ Dominicæ Resurrectionis.
Cap. L.

RESurrectionis Dominicæ nocte octava hora surgendum est. Pulsatis igitur signis omnibus ordinate, post officium beatæ Mariæ incipiat abbas solemniter *Deus in adjutorium*; invitatorium *Alleluja*; hymnus *Rex æterne*; antiphonæ supradictæ cum psalmis Dominicalibus; ℟. lectiones & alia, ut continentur in libris. Nota, quod a die resurrectionis usque in Ascensionem diebus Dominicis dicitur in primo nocturno; ℣. *Surrexit Dominus vere*; in III. *Gavisi sunt discipuli*; salvo quod ℣. *Hæc dies quam fecit Dominus*, ut dictum est superius, infra octavam frequentatur. In Laudibus antiph. *Alleluja. Et ecce terræmotus*; psalm. *Dominus regnavit* &c. usque in octavam pentecosten quotidie repetendi. Capitulum *Expurgate*; responsoriolum *Surrexit Dominus de sepulcro*; ℣. *Hæc est dies*. Ad Vesperum responsoriolum *Surrexit Dominus vere*; ad Benedictus antiph. *Et valde mane*; oratio *Deus, qui hodierna die*. Missa matutinalis dicatur cum una oratione tantum. Circa namque Tertiam, sacerdote, diacono & subdiacono albis indutis, dictaque Tertia beatæ Mariæ, post benedictionem aquæ sanctæ, cantor incipiat antiph. *Vidi aquam*, quæ dicatur usque in pentecosten. Ad initium vero processionis antiph. *Alleluja, Magnificemus*, per claustrum vero dicatur *In die resurrectionis* &c. ut habentur in libris. Ad introitum ecclesiæ antiph. *Propter lignum*; ℣. *Surrexit Dominus de sepulcro*. Dicta Tertia cantor incipiat officium *Resurrexi*, & alia omnia per horas diei, ut habentur in libris. Ad Vesperum psal. *Dixit Dominus* &c. usque ad octa

vam pentecosten decantandi, festis Sanctorum exceptis. Præterea si festivitas trium lectionum hac hebdomada venerit, post Benedictus & Magnificat dicant antiphonam & orationem, & ad Missam matutinalem collectam. Si autem festum XII. lectionum a IV. feria hebdomadæ sanctæ usque ad IV. feriam Resurrectionis, in ipsa IV. feria Resurrectionis celebretur hoc modo. Nam dicta oratione III. feriæ Vesperorum antiphona & oratio de festo dicatur; sequenti die facimus XII. lectiones de festo de Resurrectione in Laudibus, in Vesperis antiph. canituri. Missa quoque matutinali de Resurrectione cantata reliquum officium de festo dicatur; qui ordo per Resurrectionis & pentecostes totam hebdomadam observetur. Si autem festum beati Marci venerit infra Resurrectionis hebdomadam, semper post octavam Resurrectionis in secunda feria celebretur, ipso enim mane celebrantur litaniæ majores.

De feria secunda & tertia Resurrectionis, Cap. LI.

SEcunda & tertia feria pulsatis ante nocturna omnibus signis, sicut in die Resurrectionis; Invitatorium *Surrexit Dominus*, lectiones *Venite & revertamur* &c. usque in pentecosten privatis diebus dicantur, & orationes quotidie iterentur. Nota, quod a Resurrectione Domini usque ad Ascensionem privatis diebus hæc capitula & orationes quotidie dicantur. Ad nocturnum Capitulum *Virtute magna*; oratio *Deus, qui nos fecisti*. In Laudibus, Tertiis & Vesperis capitulum *Deus pacis*; oratio *Præsta quæsumus omnipotens Deus, ut qui gratiam*. Ad Sextam capitulum *Epulemur*; oratio *Da quæsumus omnipotens Deus, ut qui per hæc paschalia festa*. Ad Nonam capitulum *Christus resurgens*; oratio *Concede quæsumus omnipotens Deus, ut festa paschalia* &c. Infra octavam vero Resurrectionis in Laudibus, Tertiis & Vesperis capitulum & orationes propriæ decantentur. Finitis tamen vigiliis, accensisque luminaribus vadant fratres ad requisita naturæ diebus privatis usque ad Kalendas novembris similiter peracturi. Post parvum quoque intervallum tribus factis in dormitorio tintinibus in ecclesiam revertantur. Pulsatisque omnibus signis, & accensis cereis, coram altari dicantur Laudes sollemniter matutinæ, psalm. *Dominus regnavit* &c. Cum autem dicitur *Laudate Dominum de cœlis*, servitor thuribuli cum igne atque incenso præparet ad altaria incensanda per totam Resurrectionis hebdomadam. In Laudibus & Vesperis fiat idem; antiphona ad Benedictus *Jesus se junxit*, ad Magnificat *Qui sunt* &c. per totam hebdomadam, capitula & orationes, ut sunt in libris. Hora Prima post lotionem manuum & receptionem aquæ sanctæ, pulsata campanilis campana, fratres congregati in choro dicant Primam, Missam matutinalem continuo cantaturi. Postmodum celebratis Missis votivis, & signo pulsato in claustro faciant fratres Capitulum & solvantur, comesturi post Sextam & usque ad Nonam circa octavam horam pulsandam post prandium in suis lectulis pausaturi. Dicta vero Nona intervallum faciant, donec vinum fuerit præparatum; & euntibus fratribus post bibitionem ad capitulum, tabulaque pulsata tribus percussionibus a priore dicant *Deus in adjutorium meum intende*, iterandum a conventu, ab abbate dicatur adjuncto *Gloria Patri*, manentibus fratribus super genua curvis, & hoc quando silentium est solvendum; quando vero de gratia dicere *Benedicite* voluerit abbas, non in Capitulo, sed in claustro hoc faciat. Deinde auscultentur lectiones, cum fuerint auscultandæ. Ad capitulum autem hac hora non imus in XII. lectionibus, in octavis, quas more XII. lectionum celebramus, sextis feriis, vel quandocunque silentium fuerit retinendum. Post Vesperum vero sumpta cœna usque ad collationem vacent lectionibus aut psalmis. Præterea Missa matutinalis hac hebdomada cum una oratione tantum dicatur. Per octavas quidem & XII. lectiones Missa canatur ad Tertiam ceteris vero diebus ab octava paschæ usque in Kalendis octobris post pulsationem signi claustralis tangatur modice in campanili una de minoribus campanis tali videlicet hora, qua elevato corpore Christi in secreta, pulsetur ad Tertiam usque ad *Pater noster*, & plus vel minus, prout celeritas vel tarditas poposcerit celebrantis. Cetera omnia, ut continentur in libris. Ad Tertiam capitulum & oratio, ut in Laudibus. Missa de Tertia dicatur sollemniter; Graduale a duobus; *Alleluja* a tribus; epistola & evangelium, ut habentur in libris canantur &c. Feria IV. V. VI. & sabbato pulsentur signa, ut in XII. lectionibus. Præterea invitatorium, responsoriolum, & *Benedicamus Domino*, duo in choro decantent. Ab hoc sabbato in Laudibus ℣. *Dicite in nationibus*; per horas diei versiculi nocturnorum; ad Vesperum ℣. *Mane nobiscum*, dicatur.

De Dominicis post Pascha. Cap. LII.

Dominica prima post pascham. Sabbato præcedenti ad Vesperum capitulum *Omne, quod natum est, vincit*; ℟. *Ego sum vitis*; ad Magnificat antiph. *Cum esset sero*; oratio *Præsta quæsumus*; invitatorium *Alleluja*, sicut in Resurrectione a duobus dicatur; lectiones de apocalypsi legantur usque ad Dominicam tertiam post pascha, ut habentur in lectionario; ℟. *Dignus es Domine* &c. ut in antiphonario continetur; lect. IV. de homilia *Cum esset sero*; XII. ℟. *Veniens a Libano*, vel *In diademate* his tribus Dominicis percantatur; ad Magnificat antiph. *Multa quidem*. Feria II. post octavam paschæ ad nocturnum invitatorium *Alleluja*, feriali modo a cantore usque in ascensionem Domini, & Dominicis diebus a duobus in choro, sicut in Resurrectione dicatur. Ad Benedictus feria II. & V. antiphona *Surgens Jesus*; feria III. & VI. antiph. *Ite, nuntiate*; feria IV. & sabbato antiph. *Et recordatæ sunt*, quæ antiphonæ dicantur usque ad V. Dominicam paschæ. Ad Magnificat antiphonæ per totam hebdomadam de evangelio *Cum esset sero*. Similiter fiat II. III. IV. hebdomada paschæ, ut de cujuslibet Dominicæ evangelio Dominicæ antiphonæ decantentur.

Dominica secunda post pascham. Sabbato præcedenti ad Vesperum capitulum *Christus passus est*; ad Magnificat antiphona *Hæc autem*; oratio *Deus, qui in filii tui*; ℟ia sicut dictum est in Dominica prima post Resurrectionem dicantur; homilia *Ego sum pastor*; oratio ut supra; ad Magnificat antiph. *Et alias*; ad Benedictus *Ego sum pastor*.

Dominica III. Sabbato præcedenti ad Vesperum capitulum *Obsecro vos*; ad Magnificat antiph. *Sicut novit*; oratio *Deus, qui errantibus*; ad Benedictus antiph. *Modicum*; oratio ut supra ad Vesperum, ad Magnificat antiph. *Mulier cum parit*.

Dominica IV. post pascha. Sabbato præcedenti ad Vesperum capitulum: *Omne datum optimum*; ℟. *Viderunt te*; ad Magnificat antiphona *Iterum autem*; oratio *Deus, qui fidelium*; in nocte legantur de epistolis Jacobi; VIII. ℟ia *Si oblitus* &c., homilia de evangelio *Vado*; ad Benedictus antiph. *Vado ad eum*; ad Magnificat antiph. *Ego veritatem*.

Dominica V. Sabbato præcedenti ad Vesperum capitulum *Estote factores*; ad Magnificat antiph. *Ille clarificabit me*; oratio *Deus, a quo bona*; VIII. lectiones legantur de epistolis Johannis *Quod erat ab initio*; homilia de evangelio *Amen dico vobis*; ad Benedictus antiph. *Usquemodo*; ad Magnificat antiphona *Ecce palam*.

De officio Rogationum. Cap. LIII.

Rogationum tribus diebus lectio parva *Venite*; & feria II. ad Benedictus antiphona *Petite*; feria III. *Omnis, qui petit*. In his tribus diebus silentium non est solvendum. Pulsata vero Tertia omnes congregentur in ecclesiam in locis ferialibus Tertiam decantantes, capitulum *Confitemini*; oratio *Præsta quæsumus omnipotens Deus*; qua dicta collocentur in ultimis locis, & incurvati dicant *Pater noster*; deinde cantor incipiat antiphonam *Exurge Domine*, sonantibus squillis de choro. Finita antiphona ℣. *Propitius esto*, & *Pater noster*. Feria II. & IV. psal. *Deus misereatur*; feria IV. *Deus in adjutorium*; ℣. *Et veniat*; sequitur oratio *Mentem familiæ tuæ*; tunc antiphonam *De Jerusalem* cantor incipiat, quam cum ceteris antiphonis fratres per claustrum euntes bini & bini decantent. Cum autem pervenerint ante hostium ecclesiæ, antiphona majoris vocabuli per abbatem incepta, fratres canentes ingrediantur ecclesiam. Deinde hebdomadarius ad honorem Sancti dicat ipsius ℣. *Ora pro nobis beate* N.. dicturus *Dominus vobiscum*, cum venerit ante altare cum oratione mediocri voce. Statimque duo fratres ante altare litanias breves dicant; quibus finitis celebretur Missa de litaniis, & ita fiat his tribus diebus. Officium *Exaudivit*, & alia omnia, ut continentur in libris. Missa de litaniis ferialiter celebretur. Si autem festivitas XII. lectionum his tribus diebus venerit, processio cum aliis prædictis officiis post Primam, ut diximus, celebrentur, Missa de festo in Tertia reservata. Si autem festum trium lectionum occurrerit, in nocte fiant III. lectiones de festo, & secundo loco in Missa oratio festi dicatur.

De Ascensione Domini. Cap. LIV.

Ascensionis vigilia invitatorium *Alleluja*; ad Benedictus antiph. *Clarifica me pater*; ad Tertiam vero capitulum & oratio de litaniis, Missa de vigilia dicatur; officium *Omnes gentes*; secunda oratio de litaniis, & in ista Missa duo dicantur *Alleluja*; primum proprium, secundum de ascensione; epistola & evangelium de vigilia; ad Vesperum capitulum *Primum quidem*; responsorium: *Omnis pulchritudo*; hymnus *Hymnum canamus*. Nota, quod *Hymnum canamus* ad vespe-

Vesperum, *Jesu nostra* ad nocturnum, *Æterne rex* ad Laudes canantur ab ascensione usque ad pentecostem. ℣. *Ascendo ad patrem meum*; ad Magnificat antiph. *Pater manifestavi*; oratio *Adesto Domine*; in nocte invitatorium *Alleluja*, *Christum Dominum*; in primo nocturno ℣. *Elevata est*; in secundo nocturno ℣. *A summo cœlo*; in tertio nocturno ℣. *Ascendit Deus in jubilatione*; in Laudibus capitulum *Primum quidem*, quod cum oratione, *Concede*, usque in octavam in Laudibus, Tertiis & Vesperis repetantur; ℟iolum *Ascendit Deus in jubilatione*, *alleluja alleluja*; ℣. *Ascendo ad patrem meum*, cum prædictis versiculis nocturnorum usque in pentecostem non mutantur, lectionum responsoriis decantatis, ut continentur in libris. Ad Benedictus antiph. *Ascendo*; in fine hymnorum per horas diei dicantur, ℣. *Da nobis illuc*, & ℣. *Gloria tibi Domine*, *qui scandis*. Post Tertiam fiat processio, ad cujus initium dicatur antiph. *O rex gloriæ*. *Quam Dominus excelsus terribilis super omnem terram*; & postmodum ℟ia de ascensione per claustrum, antiph. *Ascendo*; ad introitum ecclesiæ decantando. Officium Missæ post antiphonam continuo sollemniter cantor incipiat, alia omnia prosequens cum ceteris ordinate; officium *Viri Galilæi*, infra octavam est solummodo decantandum; feria vero VI. post octavam dicatur Missa de Cruce.

De feria VI. *post Ascensionem Domini*, *& deinceps*. Cap. LV.

SExta feria post ascensionem, & deinceps usque pentecostem invitatorium *Ascendit Christus in altum*, *alleluja*, dicat cantor in loco suo. Post lectionem brevem, ℟. *Ascendo ad patrem meum*; ad nocturnum capitulum *Johannes quidem*. Nota, quod ab ascensione Domini usque ad pentecostem hoc capitulum & orationes quotidie repetantur. Ad nocturnum capitulum *Johannes*; oratio *Præsta quæsumus omnipotens Deus*, *ut illuc*; in Laudibus, Tertiis & Vesperis oratio *Concede quæsumus omnipotens Deus*, *ut qui hodie*; ad Sextam capitulum *Et convescens*, oratio *Deus cujus filius in alta*; ad Nonam capitulum *Videntibus illis*, oratio *Adesto Domine super*. Post octavam antiphonæ in Laudibus, Tertiis & Vesperis capitulum *Unicuique nostrum*; oratio *Tribue quæsumus*; ad Benedictus antiphona *Euntes in mundum*; Missa de Tertia cum quinque orationibus decantentur.

Dominica post ascensionem sabbato præcedenti ad Vesperum capitulum *Estote prudentes*, quod cum sua oratione in Laudibus, Tertiis & Vesperis repetatur. Ad Magnificat antiph. *Illi autem*; oratio *Omnipotens sempiterne Deus fac nos*; postea antiph. de ascensione *Pater manifestavi*, & oratio *Concede*. In nocte invitatorium *Alleluja*, *Christum Dominum*; lectiones de actibus apostolorum perlegantur ad mensam ab ascensione usque ad octavam pentecostes; ℟ia de ascensione, versiculi & responsoriola. Ad Benedictus antiph. *Cum venerit*; & dicta oratione canatur antiphona *Ascendo ad patrem*, ℣. *Ascendit Deus in*; oratio *Concede*. Si feria VI. vel sabbato post octavam festum aliquando venerit, non fiat collecta de ascensione.

De vigilia Pentecostes. Cap. LVI.

PEntecostes vigilia ad Benedictus antiphona *Clarifica me pater*; ad capitulum dicat lector *Spiritus sanctus paraclitus super discipulos descendit*, & natale sanctorum plurimorum &c. cum hora fuerit quasi Nona pulsato parvo signo, & post majori campana fratres in ecclesia congregati canant Nonam hac die. Officium pene agendum est, ut in sabbato sancto. Cum autem dicitur officium beatæ Mariæ, sacerdos, & diaconus & subdiaconus induantur albis. Consecratio cerei & benedictio ignis non fiat. Antequam sacerdos de sacrario procedat, prior pronuntiet lectionem ante altare super lectorio sindone cooperto. Prima lectio libri Genesis *Tentavit Deus*; interea sacerdos sacris vestibus exornatus præcedente levita sine stola faciat sicut in sabbato sancto dictum est, dicens orationem *Deus*, *qui in Abrahæ*. Prima lectione finita, per armarium denique secunda lectione præcantata tractus canatur *Attende cœlum*, a duobus in choro, oratio *Deus*, *qui nos a te*; lectio III. *Apprehendent*, oratio *Deus*, *qui nos*; tractus *Vinea*; IV. lectio *Audi Israel*; tractus *Sicut cervus*; oratio *Concede quæsumus*; & dictis litaniis cantor alta voce personet *Accendite*; mox accendantur omnia luminaria, & pulsentur omnia signa, & dictis *Kyrie*, sicut in sabbato sancto sacerdos dicat *Gloria in excelsis Deo*; oratio & epistolæ, ut habentur in libro. *Alleluja*, *Confitemini* a duobus in choro canatur; tractus similiter a duobus *Laudate Dominum*; ante evangelium non portetur lumen, sed incensum solum; *Credo in unum Deum*, non dicitur, offertorium *Emitte*; *Agnus Dei* dicitur. Expleta Missa vadant ad comedendum. Hora vesperti-

pertina pulsentur omnia signa sollemniter, & dicto Vespere beatæ Mariæ, abbas horam incipiat vespertinam. Capitulum *Dum complerentur*, ℟. *Repleti sunt omnes*; hymnus *Jam Christe* ad Vesperum, *Veni creator* ad nocturnum; *Beata nobis gaudia* in Laudibus usque in octavam dicantur, ℣. *Spiritus Domini replevit*; ad Magnificat antiph. *Non vos relinquam*; oratio *Præsta quæsumus*; invitatorium *Alleluja, Spiritus Domini replevit*; hymnus *Veni creator*, quem incipiente abbate his tribus diebus totus conventus humiliter se inclinet, ℣. *Emitte spiritum tuum* in primo nocturno; in secundo ℣. *Confirma hoc Deus*; in tertio *Loquebantur variis linguis apostoli* usque in octava iterentur; lectionum ℟. ut continentur in libris; in Laudibus capitulum *Cum complerentur*; oratio *Deus, qui hodierna*, quæ in Laudibus, Tertiis & Vesperis repetantur. Responsoriolum *Spiritus Domini replevit*, ℣. *Spiritus-sanctus procedens*. Post Missam matutinalem dicatur in Tertia Missa sollemniter. Ad initium processionis dicatur *Alleluja, Hodie omnis*, ℟. *Jam non dicam vos servos*, & ℟. *Spiritus Domini replevit totam*; ad introitum ecclesiæ antiph. *Veni sancte Spiritus*. ℣. *Spiritus Domini replevit*; oratio *Viam Sanctorum*. Et dicta Tertia Missa sollemniter celebratur; & per hymnos omnes horarum ultimus versus *Hic Christe nunc paraclitus*. Et *Gloria Patri Domino*. Nota, quod a nocturno capitulum *Caritas Dei*; oratio *Auge*; in Laudibus, Tertiis & Vesperis capitula & orationes propriæ; ad Sextam capitulum *Factus est repente*; oratio *Præsta quæsumus*; ad Nonam capitulum *Apparuerunt illis*; oratio *Sancti Spiritus Deus corda nostra* per totam octavam dicantur. Ad Vesperum ad Magnificat antiph. *Alleluja, Hodie cum*. Si vero festum trium lectionum venerit in die pentecostes, oratio tantum in Missa matutinali de ipso dicatur. Si autem per totam hebdomadam festum trium lectionum venerit, in Laudibus, & Vesperis antiphona de festo dicatur, & in Missa matutinali collecta fiat pro ipso; verum si festum XII. lectionum ocurrerit in die pentecostes, vel secunda vel tertia feria, mutandum est in IV. feriam, & si a feria IV. usque sabbatum dictum festum XII. lectionum occurrerit, de festo fiat totum officium, antiphona cum oratione de pentecoste Laudibus & Vesperis, & Missa matutinalis canatur, Missa de festo in Tertia reservata.

De Feria secunda post pentecostem.
Cap. LVII.

Secunda & tertia feria pulsentur omnia signa sollemniter; invitatorium *Repleti sunt omnes*; lectio brevis *Benignus est enim*; Responsoriolum *Spiritus-sanctus procedens*, ℣. *Apostolorum pectora* &c. Finitis nocturnis vadant ad intervalla, & omnia fiant, sicut in resurrectione curavimus ordinare. Capitula & orationes in Laudibus & Vesperis, antiphonæ ad Benedictus & ad Magnificat, Missa matutinalis & de Tertia per totam hebdomadam dicantur, ut continentur in libris. Feria IV. pulsentur campanæ ad nocturna, sicut dictum est in hebdomada paschæ. De quatuor vero temporibus, quæ in hac hebdomada veniunt, dicimus, quod ad Tertiam Missa dicatur de paschate; Missa matutinalis de quatuor temporibus celebrata, in ea genua non flectendo. Sabbato pro hymno trium puerorum canatur *Alleluja* ad Benedictus a duobus in choro; post epistolam vero *Alleluja*; *Laudate* a duobus in choro similiter decantetur. Ad Missam de Tertia per totam hebdomadam diaconus dalmatica, & subdiaconus tunicella induantur, Responsoriolum & *Benedicamus Domino* a duobus in choro canantur.

De prima Dominica post pentecostem.
Cap. LVIII.

Dominica prima post pentecostem sabbato præcedenti ad Vesperum, antiphona *Regnum tuum* &c. capitulum *Benedictus*; ℟. *Deus, qui eripuit*. Cantor in loco suo canat ad Magnificat antiphona *Loquere Domine*. Nota, quod antiphonæ cujuslibet historiæ usque adventum Dominicis diebus, Sanctorum, & ferialibus percantantur. Invitatorium *Venite exultemus*; hymnus *Nocte surgentes*; ad nocturnum *Ecce jam noctis* in Laudibus dicuntur usque in kalendas octobris Dominicis diebus, lectiones VIII. de libro regum; nam libri regum usque in kalendas augusti leguntur diebus Dominicis; ad Missam quoque legitur liber regum post homiliam, tum capitula libri paralipomenon e vestigio recitantur. ℟ia *Deus omnium* &c. Ordines autem officiorum Dominicalium & ferialium requirantur in Dominica post epiphaniam. Sciendum est, quod si superabundarent orationes, epistolæ, evangelia in ferialibus diebus, per hebdomadam dicantur ad Missam. Diligentissime tamen providendum est,

est, quod ab octava pentecostes usque ad adventum officia & dies Dominicales ita numerentur, quod non superabundent, nec etiam deficiant, quod fieri congrue potest. Si abundantibus officiis pro festivitatibus Dominicæ nullatenus dimittantur, deficientibus autem officiis festivitates XII. lectionum, quæ occurrerint Dominicis diebus, celebrentur in ipsis, & de Dominicis nulla mentio habeatur. Præterea si feria IV. venerint Kalendæ cujuslibet mensis, mittenda est historia Dominica præcedenti; Si autem V. vel VI. feria vel sabbato Kalendæ concurrerint, mittenda est historia Dominica subsequenti, kalendis novembris exceptis, quoniam semper in kalendis ipsis historia *Vidi Dominum* mittenda. Die autem sabbati proxime futuro non dicatur aliquod ℟ium de historia *Vidi Dominum*, sed solum responsoriolum *Magnus Dominus noster*.

De Dominica prima mensis augusti & reliquis. Cap. LIX.

Dominica prima mensis augusti sabbato præcedenti ad Vesperum, ℟. *Emitte Domine*, antiphona *Sapientia ædificavit*; oratio ut habetur in libro; lectiones VIII. de parabolis Salomonis, Philonis, & Jesu filii Sirach, in ecclesia Dominicis diebus & ad mensam quotidie usque ad Kalendas septembris leguntur, ℟ia *In principio*.

Dominica prima mensis septembris sabbato præcedenti ad ℣. ℟. *Antequam comedam*; ad Magnificat antiphona *Cum audisset Job*, lectiones VIII. de Job ℟ia *Si bona* &c. Quod ponitur in ecclesia & ad mensam usque in Dominicam circa medium septembris.

Dominica circa medium septembris sabbato præcedenti ad Vesperum, ℟. *Omni tempore*; ad Magnificat antiphona *Peto Domine*; lectiones VIII. de Tobia; ℟ia *Peto Domine* &c. Tobias quidem, Judith & Esdras leguntur usque in Kalendis octobris tam in ecclesia, quam ad mensam.

Dominica secunda circa medium septembris ad Vesperum ad Magnificat antiphona *Adonai*; lectiones VIII. legantur de Judith; primum ℟. *Adonai*, dicatur; ℟ium *Peto Domine* non dicatur; VIII. tamen ℟ium semper dicatur *Tribulationes*. In exaltatione quidem sanctæ Crucis jejunium inchoantes, & dimittimus meridianam exceptis diebus Dominicis. Et facto capitulo in mane solvitur silentium usque ad Nonam, nisi esset festum XII. lectionum, vel feria VI. & nisi XII. monachi existerent in conventu.

Dominica circa finem septembris lectiones VIII. de Esther. Si vigilia sancti Matthæi venerit in aliqua die IV. temporum non celebretur Missa de vigilia, sed de IV. temporibus, tamen secunda oratio de vigilia semper dicatur.


Dominica prima mensis octobris sabbato præcedenti ad vesperum ℟. *Tua est potentia*; ad Magnificat antiphona *Adaperiat Dominus*, Lectiones VIII. de libris Machabeorum; nam libri Machabeorum leguntur usque in Kalendas novembris tam in ecclesia, quam ad mensam; hymnus *Primo dierum* ad nocturnum; in Laudibus *Æterne rerum* canuntur Dominicis diebus usque in adventum Domini, & ab octava epiphaniæ usque in Dominicam passionis; a Kalendis quoque octobris apparente aurora pulsetur signum prolixe in dormitorio semel, & facto parvo intervallo sacrista tangat squillam de choro, ut fratres ad Primam valeant congregari, & dicta Prima defunctorum Missa canatur; & post *Sanctus*, præparent se fratres, qui Missas votivas canere possunt. Alii vero fratres in claustrum usque ad secundam vacent lectioni vel psalmis. Hora quoque secunda, pulsato signo in claustro, lotis manibus ante fores ecclesiæ totus conventus conveniat, ut pulsata squilla in campanili aquam recipiant. In ecclesia igitur congregati præmissa oratione Dominica dicant Tertiam. Deinde Missa per hebdomadarium celebrata prior pulset squillam de choro, & vadant ad capitulum ordinate. Factis igitur satisfactionibus & correctionibus abbas dicat *Benedicite*, lectiones auscultentur; & in XII. vero lectionibus post Missam.

Post Kalendas novembris ponantur Ezechiel, Daniel & XII. minores prophetæ diebus Dominicis & ferialibus tam in ecclesia, quam ad mensam; ℟. *Vidi Dominum sedentem*, & mittitur in festo omnium Sanctorum; nam si dies Dominicus venerit, non mutatur historia, sed ℟. *Adaperiat Dominus*, cum ceteris dicantur, ut in festo omnium Sanctorum *Vidi Dominum* inchoetur. Sequenti vero die III. lectiones dicere incipimus diebus ferialibus usque in cœnam Domini. Facientes intervallum VII. psalmorum post nocturna, dictis vigiliis & Laudibus mortuorum usque in purificationem beatæ Mariæ. Si festum omnium Sanctorum venerit in sabbato, sequenti Dominica dicantur VIII. lectiones de principio Ezechielis; si autem alia feria fuerit, incipiantur

tur

tur lectiones, ubi sunt signatæ in lectionario, feriales, Dominicalibus pro Dominicis diebus reservatis. Post Primam lectio dicatur secundum ℞. de historia *Vidi Dominum*, scilicet *Aspice*. Alia vero ℞. per hebdomadam usque Dominicum diem per ordinem decantentur. In sabbato præsentis hebdomadæ ℞. tantum *Magnus Dominus noster* subsequendo; ad Magnificat antiphona *Vidi Dominum*, quam hac die ad Magnificat inchoamus. Quinque ℞. responsoriolum post XII. per hebdomadam cantaturi, scilicet secunda feria primum ℞. *Indicabo*; secundum *Genti peccatrici*; III. *Qui cælorum*; tertia feria reincipiatur *Qui cælorum*; secundum *Docebo te*; III. *Civitatem istam*. Et si duo tantum ℞. contigerint remanere, ab alio manente juxta illa duo ℞. inchoentur; si vero unum tantum remanserit, relinquatur.

De sancta Trinitate sollemnitatem plenissimam facimus Dominica proxima videlicet ante adventum Domini, cujus officium, prout plenissime continetur in libris, modulatis vocibus decantamus, Missam ipsius per hebdomadam, si festum non fuerit, celebrantes.



Divinorum Officiorum Camaldulensis Ordinis Liber II.

De sollemnitatibus plenissimis atque plenis. Cap. I.

SOllemnitatum plenissimarum sollemne capitulum, sollemni deliberatione præhabita, facere sollemniter disponentes, lectorem in primis duximus commonendum, ut ipsum assidue legat & ruminet diligenter, quia in eo utilitas multa reperitur, & non solum, quæ in plenissimis, verum etiam in sollemnitatibus plenis, necnon festis XII. lectionum dicentur, poterit divinis officiis & honestis moribus informari. In vigilia itaque sollemnitatis post Nonam sacrista sollicite procuret altaria palliis ceterisque ornamentis devotione debita sollemniter exornare; candelabra cum cereis coram cunctis altaribus ponat; pavimentum secus altaria, si potest, tapetis, & etiam sub gradibus, & sextoriis decorando, lampadibus quoque nitidis & ablutis, novis lychnis & oleo lucido caute refectis. Ad Vesperum hora congrua mature signum tangat, tintinabula chori post modicum pulsaturus. Pulsatis demum campanis omnibus in campanili sollemniter, iterum duo tintinabula chori tangantur, & accenso cereo coram altari majori ad honorem beatæ Mariæ, si ejus debeat officium celebrari. Signum faciat abbas, & totus conventus, ad orationem Dominicam incurvetur, & ad nutum abbatis pariter consurgendo, & sic fiat in omnibus canonicis horis pro tempore, idest diebus festivis super genua incurventur, ferialibus autem super formis genibus prosternantur. Officio igitur beatæ Mariæ per hebdomadarium inchoato, & usque ad hymnum dicto, sacrista coram altari unum, & coram altari majori duos cereos accendere non obmittat. Expleto denique officio beatæ Mariæ, veniat hebdomadarius ante abbatem, & altari facta reverentia humiliter, ac abbati, sibi devote innuat, ut divinum officium debeat inchoare, quod in matutino & Vesperis observetur. Ad ipsum reverenter inclinans, facto sibi signo crucis, horam incipiat vespertinam, faciem habentibus fratribus ad altare; & incepto *Gloria Patri*, totus conventus devote super genua, donec finitus fuerit, maneat inclinatus. Et a cantore antiphona incepta psalmum armarius vel prior intonet; ipsi quidem semper psalmos debent a suo latere intonare. Post secundum psalmum servitor igne accenso pro thuribulo, & secundo servitore assumpto, manibus ablutis induere se alba procuret celeriter, ita quod abbati capitulum hora congrua repræsentet. Quo incepto cantores primus, secundus & tertius procedant in choro, priore cantore in medio existente, nisi fuerit ibi prior; & dicto capitulo ℞. sollemniter inchoent, quod per chorum primi cantoris reinceptum usque ad repetitionem canatur; choro secundi cantoris repetitionem usque in finem viriliter consummante. Tunc per cantores ℣. cantato repetitionem chorus secundi cantoris repetat consequenter. Interea cantores genibus cum brachiis inclinatis inter se *Gloria Patri* sollemnizando dicant, vel canant. Deinde chorus secundi cantoris a capite usque ad repetitionem ℞. decantato, chorus primi cantoris ipsum perficere non retardet. Præterea dicto capitulo servitor reverenter abbatem præcedens aquam suis manibus devote tribuere, ipsumque sacerdos vestes induere vigili sedulitate cum secundo servitore studeat adjuvare. Nullus tamen nisi sacerdos abluere audeat in ecclesia sibi manus, quarum ablutio per aquæductus meatum derivanda extra ecclesiam ordinetur. Et subdiaconus assumpto thuribulo, & alter servitor incenso ante abbatem revertantur

tur in chorum, abbatis armario incenſi vaſculo præſentato; thuribulum autem cum igne ſubdiaconus ad analogium ſui chori ſuſpendens, ad ſuum locum cantaturus cum aliis revertatur. Præterea dum ℞. in choro cantatur, ſacriſta ſedem abbatis munda ſindone non differat exornare; & ſic ſemper ornetur in Laudibus, Tertiis & Veſperis, non ſolum ſedes abbatis, ſed etiam prioris vel armarii, cum indutus pluviali officium inceperit aliquis prædictorum vel etiam aliorum. Cum vero abbas vel aliquis ſacerdos per chorum ſacris veſtibus indutus tranſierit, ſibi reverentiam exhibeant univerſi. Et nota, quod in omnibus ſollemnitatibus tres prædicti cantores canere debent in choro *Venite*; ℞. in Laudibus & Veſperis, parva vel magna, & *Benedicamus Domino* in cucullis; armarius quidem abbatis antiphonas, ℞. *Deum laudamus*; & in ſollemnitatibus pleniſſimis antiphonarum tonum, aliaque conſueta debet abbati nuntiare, ℣. octavi reſponſorii cum eo cantare, *Kyrie eleiſon* per horas diei & noctis inchoando; ferialibus diebus ad Miſſam *Kyrie eleiſon*, *Sanctus* & *Agnus Dei*; antiphonas ab Benedictus & Magnificat ſollicitus nihilominus inchoando.

Armarius abbatis antiphonam devote nuntians ſibi vas cum incenſo repræſentet eidem a dextris, & ſervitor aſſiſtat cum thuribulo a ſiniſtris. Abbate igitur incipiente antiphonam armarius cum ſuo choro uſque ad medium cantet, choro prioris medietatem aliam proſequente. Si vero fuerit antiphona magna, in quatuor dividatur, ſemper choro prioris finem antiphonæ proſequente. Abbas incenſum in thuribulo ponat, dando benedictionem cum ſigno vivificæ crucis, Magnificat incepturus; & primo verſu finito cum eo profunde totus conventus inclinet, armario contra ſervitorem, & ſervitore contra armarium inclinante; qui armarius vas incenſi ſecundo tribuat ſervitori. Tunc abbas aſcendat ad altare a parte ſiniſtra, & ſervitor ad dexteram cum incenſo, quem ſibi devote offerens dexteram fimbriam pluvialis, donec incenſaverit, teneat reverenter. Si autem abbate præſente *Deus in adjutorium* alte inceperit, & vas incenſi repræſentet inceptor, cum altaria fuerit incenſanda. In Veſperis autem & Laudibus hoc modo ſacerdos incenſet altaria. Primo videlicet in modum lineæ, deinde ſuperius in medio altaris, & ſic in dextero cornu, poſtmodum in ſiniſtro ipſum thuribulum in capite altaris præferens, ut a parte ſiniſtra uſque in dextram lineam faciat per longitudinem condecenter. Demum in circuitu altaris incenſans altaribus ceteris infra chorum exiſtentibus, crucibus & iconis thimiama præbeat reverenter. Deinde abbas revertatur in chorum, tribuens incenſum priori, armario & ſervitori reſtituendo ſibi thuribulum, qui choro abbatis & poſtmodum choro prioris incenſum tribuat ordinate. Cum autem dicitur *Gloria Patri*, nullus per chorum tranſire præſumat; nec ipſum etiam intrare vel exire cum dicitur evangelium, *Te Deum laudamus*, *Magnificat* & *Benedictus*, vel fratres inclinati morantur. Antiphona vero poſt Magnificat, ut diximus, decantata, dicat abbas cunctis audientibus *Pater noſter*, ſervitore coram abbate librum cum oratione devotione debita retinente; antiphona demum de Cruce ſeu alia inchoata pergat abbas cum ſervitoribus ſe ad exuendum, reliquas orationes hebdomadario proſequente. Abbas tamen indutus ſacerdotalibus indumentis revertatur in chorum, ſecuturi hoc ipſum cantores poſt *Benedicamus Domino*, ut poſt *Deo gratias* cum toto conventu facta reverentia in clauſtrum exeant ordinate. In nocte vero ſignis pulſatis, ut in Veſperis diximus, dicatur *Pater noſter*, & *Credo in Deum*, neque ſit ibi ſtrepitus &c. Abbas officium inchoet, ut in Veſperis eſt expreſſum. Cantores autem cum incipitur *Domini eſt ſalus*, vigilanter procedant in chorum, invitatorium vocibus altiſonis incepturi uſque in finem ipſum pariter decantandum. Per chorum autem ſecundi cantoris medietate prima invitatorii decantata, & medietatem reliquam chorus primi cantoris expleat conſequenter, ſic alternatim invitatorium cantaturi. Cantore autem primo incipiente *Venite*, poſt primam dictionem ſecundus cantor, & tertius cum eodem primum & ſecundum verſum ad finem perducant; ſimiliter cantore ſecundo incipiente *Quoniam Deus magnus*, reliquos verſus omnes pariter incipiant & decantent. Incipiente quoque pſalmos, hymnos & alia dictis duabus dictionibus cito fratres unanimiter ſtudeant adjuvare. Invitatorio poſt *Gloria Patri* a cantoribus repetito revertantur ad loca ſua, & primus cantor hymnum incipiat ſuum officium impleturus. Poſt primum nocturnum cantor dicat ℣. voce mediocri; ℞. ſemper duo fratres canant; IV. VIII. & XII. ℞. a capite poſt *Gloria* repetantur. Abbate denique lectionem XII. inchoante, & ſacriſta præparet ornamenta, inveniat evangelium, cetera, quæ ſuum depoſcunt officium, peracturus. Servitor quoque igne accen-

ſo &

ſo & manibus ablutis alba induatur, & finita XII. lectione ſtellam recipiat de manu abbatis facturus alia ſervitia opportuna, præparando abbati ornamenta ſollemnia, ignem cum incenſo & aquam pro abluendis manibus abbatis.

Abbate autem cum incipitur ℣. XI. ℞ii eunte ad legendum ſurgant fratres de ſedibus inclinati, & dicto tertio *Sanctus* in *Te Deum laudamus*, abbas confeſtim manibus ablutis induat ſe ſollemniter decenter, & cum dicitur ℣. *Salvum fac ſervum tuum*, mittat incenſum in thuribulum; & incepto ℣. *Per ſingulos dies*, abbas miſſale retinens ante pectus ad altare aſcendat ex parte ſiniſtra, ponens miſſale in medio altaris apertum, præmiſſis ceroferariis, ſubdiacono ſecedente juxta cornu dextrum altaris cum thuribulo & candela, & poſita ſtella cum candela in capite dextro altaris devote incenſum offerat ſacerdoti; qui ſignum crucis ſuper miſſale faciens altare incenſet, pro ut in Veſperis eſt expreſſum. Et recepto thuribulo, ſubdiaconus ad altare ab abbate analogium in modum crucis incenſet. Evangelio denique lecto, & completis omnibus revertatur in ſacrarium, depoſiturus planetam & ſtolam; & pluviali indutus redeat ad locum ſuum. Et ne replicata nimium faſtidium generarent, multa diximus obmittenda, quæ in adventu ceteriſque locis ſcripturis plenum recolimus annotata. Lector igitur ſtudioſus librum totum ſtudioſe perlegat & rimetur, & ipſum in armario pectoris diligentiſſime recondendo, & ſic inveniet omnia facile; quod ſi perficere, quod invenerit, per effectum operis voluerit obſervare, coronam felicitatis æternæ ſecure poterit expectare. Et dicta oratione poſt *Te decet laus*, pulſentur campanæ, ſi fuerit hora brevis; ſin autem officio completo pulſentur. Cum dicitur *Laudate Dominum*, præparet ſervitor cum igne thuribulum & incenſum, & cum dicitur ultimum *Laudate*, ſervitor accenſa candela capitulum repræſentet abbati vel alteri, qui evangelium dixerit, induto ſacris veſtibus in loco ſuo; & ſi ex choro abbatis fuerit, maneat juxta locum abbatis, ſi vero fuerit ex choro prioris, in loco prioris exiſtat. Abbate vero abſente prior in loco ſuo moretur, ſacerdote albis induto, & juxta ipſum priorem morante, dummodo fuerit ex latere ſuo. Interea cantores expleto Capitulo ℞. canant, & facta reverentia revertantur ad loca ſua. Et hymno incepto ſubdiaconus præparet thuribulum cum incenſo. Secundus quoque ſervitor accenſa candela veniat cum ſubdiacono ante abbatem, & dicto ℣. antiphonam abbati armarius nuntiet, vas incenſi coram eo retinens. Fratribus quoque inceptam antiphonam ab abbate cantantibus mittat incenſum in thuribulum abbas facturus circa præſentem materiam & incenſum, prout in Veſperis curavimus declarare. Officio denique conſummato in dormitorium redeant ordinate; quibus autem dat Deus virtutem & fortitudinem, ſtudeant hac hora in eccleſia, capitulo & in ipſo dormitorio devotiſſime contemplationi, meditationi & orationi, flectentes genua ſua cum Paulo ad patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, & puras manus levantes ad ipſum, ut elevatio manuum noſtrarum fiat ſacrificium veſpertinum. Verum quia neceſſitas non habet legem, neceſſitate urgente conquieſcant in nomine Jeſu Chriſti. Cum vero fuerit hora Prima, ſonet ſignum in dormitorio; antiphona ad Primam & capitulum, quæ diei congruant. Cantor enim hymnum inchoet per tonum *Veni creator*; & ita dicatur *Nunc ſancte*, atque *Te lucis* ſollemnitatibus univerſis. Ad Sextam vero & Nonam per tonum *Verbum ſupernum*, exceptis diebus a nativitate uſque in octavam epiphaniæ; & a reſurrectione uſque in octavam pentecoſtes, necnon in ſollemnitatibus beatæ Mariæ cum ſuis octavis, quibus hymni prædicti juxta proprietatem dierum dictorum congrue decantentur. Finita denique Prima dicantur Miſſæ votivæ, & ſic pergant ad capitulum ordinate, in quo fiat ſermo per abbatem, vel cui duxerit injungendum. Expleto denique ſermone totus conventus revertatur in clauſtrum, pſalmis & lectioni vacaturus. Cum vero tres ſollemnitates tribus diebus continuis celebrabuntur, ſicut in nativitate Domini ceteriſque ſimilibus, in media ſollemnitate, ut puta die ſancti Stephani, tractamus de ordine, de noſtris exceſſibus, in capitulo noſmetipſos humiliter accuſantes. Reprehenſionibus & ſatisfactionibus finitis, redeant in clauſtrum conventus, pſalmis, hymnis & canticis ſpiritualibus vacaturi; officiales vero pergant ad officia ſua, peragentes ea fideliter & prudenter. Refectonarius autem plenis & pleniſſimis ſollemnitatibus menſas fratrum bina ſindone ſtudeat exornare, binaque miſericordia fratres camerarius vel abbas caritate gemina ſtudeat recreare. Hora igitur congrua ſacriſta pulſet ad Miſſam parvum ſignum in clauſtro, & fratribus in eccleſia congregatis dicatur oratio Dominica, & incepta Tertia beatæ Mariæ, vel

vel si non est dicenda, dicta oratione Dominica fratres in choro induantur albis, abbas vero Missam canіturus in sacrario sacris vestibus indutus ad sedem propriam revertatur. Si vero sollemnitas die Dominico venerit, hebdomadarius indutus pluviali benedicat aquam, qua ordine aspersa fiat processio generalis; & dicta Tertia cantor indutus pluviali stans in choro juxta analogium officium inchoet tribus vicibus decantandum, & cum dicitur *Gloria Patri*, abbas cum diacono & subdiacono ad altare procedens exequitur suum ordinem, sicut diximus in adventu. In penultimo *Kyrie* cantor annuntiet sacerdoti *Gloria in excelsis Deo*, & obsculato abbatis humero, & altare, ad analogium revertatur in chorum, & dicta oratione pronuntiet epistolam. Post Graduale *Alleluja* dicatur a tribus majoribus, & alternatim canatur sequentia diebus, quibus fuerit decantanda. Et Missa, ut diximus, consummata, fratres exuant se paramenta ipsa, honeste aptantes & complicantes, disco operiendo analogia in choro existentia, ornamenta eorum diligentissime plicaturi. Interea præparatis omnibus, quæ præparanda sunt, ad mandatum pauperum faciendum tabula pulsetur; abbas cum hebdomadario faciat mandatum, quod omnibus diebus sollemnitatum XII. pauperibus facere debet abbas. Peracto mandato pulsetur ad Sextam, & dicantur Sexta & aliæ horæ diei cum officiis & aliis ordinate. Ad Vesperum tandem abbas sacris vestibus exornatus suum officium exequatur, luminaribus ceterisque in ecclesia sollemniter decorata, ut superius curavimus adnotare. Dictis autem Vesperis sacrista cum servitoribus ecclesiæ seu aliis idoneis altarium ornamenta diligentissime complicet & reaptet, ea sollicitudine vigili recondendo in sacrario seu alio tutissimo loco; ita quod ad laudem Dei, decus & decorem ecclesiæ integraliter valeant perpetuo conservare. Prælati quoque pro Dei honore cura vigili studio, se procurent thesaurum ecclesiarum annuatim totis viribus augmentare, ut decorem domus Dei se diligere zelo ferventissimo comprobentur, provisuri, ut in libris, calicibus, crucibus, thuribulis argenteis, festivis & sollemnibus planetis, pluvialibus, dalmaticis, tunicellis atque palliis altarium, ceterisque ornamentis ecclesiæ Dei sollemniter maneant decoratæ; in his æmulantes devotionem ditissimam Salomonis in templo, vel saltem Mosaicam pro tabernaculo in deserto.

Sollemnitatibus quoque plenis officia sollemniter fiant altarium ornamentis, replicationum officiorum in Missis, ℟. in Vesperis & nocturnis, antiphonæ ad Benedictus & Magnificat non fiant. Ad Missam induantur albis abbas, diaconus, subdiaconus & cantor solummodo. In Laudibus & Vesperis in cucullæ habitu venerando altaria incensentur. Abbas autem cum suo armario & tertio sibi fratre propinquo VIII. ℟. suo loco decantent non solum in sollemnitatibus plenissimis, verum etiam & in plenis. Prior quoque XII. ℟. canere similiter non obmittat.

De festo sancti Andreæ & quibusdam aliis,
Cap. II.

SAncti ANDREÆ vigilia matutinum de vigilia celebratur. Ad Missam officium *Dominus secundum magnam*; secunda oratio de martyribus; epistola *Benedictio Domini*; evangelium *Stabat Johannes*. Ad Vesperum capitulum *Corde enim*; ℟. *Mox ut vocem*, & cetera ℟. antiphonæ & lectiones, ut habentur in libris. Officium Missæ *Mihi autem*; epistola *Corde creditur*; evangelium *Ambulans Jesus*; capitulum, & orationes & alia omnia tam diei, quam noctis, ut in libris habentur. Ad Vesperum super psalmos IV. antiphonæ de primo nocturno, & ita dicantur in quolibet festo proprias habente antiphonas, nisi specialiter aliæ in antiphonario requirantur, paschalibus & nativitatis Domini diebus exceptis. Si festum aliquod Dominica vel secunda feria vigiliam habens occurrerit, sabbato præcedenti Missa de vigilia celebretur.

De sancta BARBARA tres lectiones facimus, epistola *Sapientia*; evangelium *Simile est regnum cœlorum thesauro*.

Beati NICHOLAI festum plena sollemnitate percolitur. Officium agatur in omnibus, prout in natali unius confessoris pontificis continetur; epistola *Omnis pontifex*; evangelium *Homo quidam peregre*.

Sancti AMBROSII festum XII. lectionibus honoramus, ita quod VIII. lectiones fiant de sancto Ambrosio; antiphona ad cantica de sancto Savino cum toto sequenti officio celebretur, antiph. ad Benedictus & Magnificat, & Missa matutinalis dicatur de sancto Ambrosio. In Tertia vero de beato *Savino* Missa devote celebretur. In Missa matutinali epistola *Ecce sacerdos*; evangelium *Vos estis lux mundi*. In Missa vero de Tertia epistola *Ecce Sacerdos*; evangelium *Vigilate*.

Beati

Beati ZENONIS festivitas XII. lectionibus colitur, epistola *Plures facti sunt*; evangelium *Homo quidam peregre*.

De sancto SYRO tres fiant lectiones; epistola *Testificor*; evangelium *Vigilate*.

De sancto DAMASO III. lectiones facimus; epistola *Dedit Dominus*; evangelium *Sint lumbi vestri*.

Sanctæ LUCIÆ festum XII. lectionibus decoratur. Ad Vesperum ℟. *Rogavi*; ad Magnificat & ad cantica antiphona *In tua patientia*. In nocte primum ℟. *Lucia*; VIII. *Rogavi*; XII. *Grata*; in Laudibus & ad Magnificat antiphonæ propriæ, & alia omnia fiant, sicut in natali virginis continetur; epistola *Qui gloriatur*; evangelium *Simile est regnum cœlorum decem*.

Beati THOMÆ festum plena solemnitate percolimus. Ad Magnificat in utroque Vespere antiphona *O Thoma Didime*; ad cantica antiphona *Mitte manum*; ad Benedictus antiphona *Quia vidisti*; epistola *Beatus homo qui*; evangelium *Thomas unus*, & cetera omnia, sicut in natali unius apostoli.

De sancto PAULO primo eremita & sancto HILARIO commemorationes facimus in Laudibus, Vesperis atque Missa.

De sancto FELICE in Pincis III. lectiones facimus; epistola *Dedit Dominus confes.*. evangelium *Sint lumbi*.

Sancti MAURI festum XII. lectionibus decoratur. Hymnus *Beatus Maurus*, qui in Laudibus & Vesperis repetatur, & alia omnia fiant, sicut in natali unius confessoris non pontificis continetur; epistola *Beatus vir, qui suffert*; evangelium *Ecce nos reliquimus*.

De sancto MARCELLO papa III. lectiones facimus; epistola *Plures*; evangelium *Homo quidam nobilis*.

De sancto ANTONIO III. lectiones facimus; epistola *Beatus vir, qui inventus*; evangelium *Ecce nos reliquimus*.

De sanctis MARIO, MARTHA & sociis III. lectiones facimus. Ad Magnificat antiphona *Hæc est vera fraternitas*; epistola *Ii sunt viri misericordiæ*; evangelium *Cum audieritis prælia* &c.

Beati SEBASTIANI festivitas XII. lectionibus colitur; antiphonæ, ℟ia, prout in antiphonario continentur. Alia omnia fiant, sicut in natali unius martyris. Ad Missam officium *Intret in conspectu*; oratio *Deus, qui per beatos Sebastianum & Fabianum*; epistola *Sancti per fidem*; evangelium *Descendens Jesus*. Præterea de sancto FABIANO in Laudibus & in utroque Vespere antiphona cum oratione cantetur. Nunc de illis festivitatibus est dicendum, quarum una sequitur aliam, sicut sancti Sebastiani & sanctæ Agnetis. De iis enim, qui in lectionibus vel aliis proprietates habere videntur, æquali diligentia celebrantur. Hoc modo agendum est; celebrata quidem festivitate prima usque ad capitulum vespertinum; mox capitulum sequentis festivitatis dicatur cum officio suo toto, & dicta oratione cantor incipiat antiphonam festivitatis prioris; hæc ratio tenenda est, si proprietates in officiis habeant, sive non, & æqualiter celebrentur. Ceterum si festivitas sollemniter celebratur, & sequentis festivitas non fuerit ita sollemnis, toto Vespere de primo Vespere cantato, antiphona cum oratione sequentis festi dicatur. Si vero secunda feria sollemnis fuerit, expletis antiphonis de Dominica super psalmos, capitulum cum aliis omnibus de ventura sollemnitate dicatur, antiphonam cum oratione Dominicæ post orationem sollemniter cantando. Verum si festum simplex fuerit XII. lectionum, totum Vesperum de Dominica celebratur, & sequentis festi antiphona finaliter decantetur. Sabbato autem festivitate hujusmodi XII. lectionum usque ad capitulum celebrata, de sequenti Dominica, mox capitulum cum aliis omnibus consummamus, antiphonam festi, post collectam Dominicæ cantaturi. Sunt præterea festivitates aliæ, utputa sancti Stephani, & similiter, quas ut superius diximus, ritu dissimili celebramus.

De sancta AGNETE XII. lectiones facimus. Ad Vesperum capitulum *Qui gloriatur*; ℟. *Dexteram meam*, & cetera ℟ia & antiphona Primæ, capitulum vero & orationes, hymni, ℣. & alia opportuna fiant sicut in natali virginis continetur; epistola *Confitebor tibi*; evangelium *Simile est regnum cœlorum decem virginibus*.

De sancto VINCENTIO III. lectiones facimus; epistola *Beatus vir*; evangelium *Nisi granum*.

De sancta EMERENTIANA III. lectiones facimus; epistola *Sapientia vincit malitiam*; evangelium *Simile est regnum cœlorum*.

Conversionem sancti *Pauli* XII. lectionibus honoramus. Ad Vesperum capitulum *Saulus*; ℟. *Ibat igitur*, alia ℟ia, lectiones, antiphonæ, hymni, ℣. capitula & orationes, sicut in ipsius historiis & apostolorum natali plenius continetur. epistola *Saulus*; evangelium *Dixit Simon Petrus*.

De festis sanctæ AGNETIS secundo

XII.

XII. lectiones fiant. Ad Magnificat antiphona *Stans a dextris ejus*. Lectiones III. reperientur in festo beatæ Agnetis *Igitur beata*; primum ℟. *Dextram meam*; secundum *Induit me*; III. *Pulchra facie*. In Laudibus antiphona *Induit me*. Ad Benedictus antiphona *Congaudete mecum*. Ad Primam antiphona *Christus circumdedit me*; ad Tertiam *Anulo suo*; oratio propria; epistola *Domine Deus meus exaltasti*; evangelium *Simile est regnum cœlorum decem*.

De sancto GEMINIANO III. lectiones facimus; epistola *Testificor*; evangelium *Nemo accendit*.

De sancto SEVERO III. lectiones facimus; epistola *Omnis pontifex*; evangelium *Vigilate ergo, quia nescitis*.

De sancta BRIGIDA III. lectiones facimus; epistola *Qui gloriatur*; evangelium *Simile est regnum cœlorum thesauro*.

De Purificatione beatæ Mariæ & de quibusdam aliis festis Sanctorum.
Cap. III.

PURIFICATIONEM BEATÆ MARIÆ VIRGINIS sollemnitate plenissima celebramus. In vigilia ad Vesperum capitulum *Ecce ego mitto*; ℟. *Accepit*, & cetera ℟ia, antiphonæ, ℣. hymni, capitula & orationes, ut continentur in libris. Si Purificatio venerit die Dominico, pulsatis campanis, congregatisque fratribus in choro dicatur *Pater noster*. Hebdomadarius itaque cum aliis fratribus albis indutus benedicat officinas, fratribus in choro canentibus ℟ia de festo, quousque sacerdos ad hostium ecclesiæ revertatur, & dictis orationibus, antiphonis & ℣. pertinentibus ad processionem, Tertiam inchoante abbate sollemniter decantetur. Sacrista vero studeat præparare candelas in choro super prosperas juxta gradus altaris, accenso cereo juxta illas. Dicta igitur Tertia statim abbas quinquagesimum psalmum incipiat; post cujus *Gloria* dicatur ℟. *Kyrie*; *Pater noster*; capitulum *Ostende*; *Dominus vobiscum* in tono dicat abbas voce mediocri. Candelas denique benedictas aspergat aqua sancta, consequenter incenset, orationem *Exaudi quæsumus Domine* persequendo. Mox prior ex cereo prædicto accenso cum sacrista candelas benedictas accendat, quarum primam abbati tribuat, & abbas ei candelam exhibeat, & fratribus universis. Cantor, autem cum inceperint candelæ accendi, incipiat antiphonam *Lumen ad revelationem*, canticum *Nunc dimittis*, per omnes versus dicti cantici antiphonam repetendo *Lumen*, quousque candelæ omnibus distribuantur. Distributis itaque candelis processionem faciant in hunc modum. Præmissis itaque aqua sancta, cruce, candelabris, thuribulo cum incenso, diacono evangeliorum tabulas deferente, priore claustrali beatæ Mariæ iconam venerabiliter deportante, fratres bini & bini cantantes per claustrum *Ave Maria gratia plena Dominus tecum* &c. faciant autem IV. stationes, abbate omnes processionaliter subsequente. Cum venerint ante hostium ecclesiæ duo fratres infra ecclesiam habentes faciem versus altare dicant antiph. ℟. *Accepit*, aliis fratribus finales notas perficientibus consequenter. Quibus finitis incipiat abbas antiphonam *Cum inducerent*. Demum ingredientes in ecclesiam sonantibus campanis Missam procurent sollemniter celebrare; officium *Suscepimus*; epistola *Ecce ego mitto*; evangelium *Postquam impleti sunt*, candelæ dicto officio ab omnibus offerantur. Ad Vesperum antiphonæ super psalmos *Tecum principium*; psalmi *Dixit*, & ceteri; IV. antiphona *De fructu*; psal. *Memento*; ad Magnificat antiphona *Hodie beata virgo*.

Sanctæ AGATHÆ festum XII. lectionibus colitur. Ad Vesperum ℟. *Vidisti*; antiphonæ & ℟ia sicut sunt in antiphonario, cetera sicut in natali virginum continetur. Epistola *Confitebor*; evangelium *Simile est regnum cœlorum thesauro*.

De festo sancti BLASII III. lectiones facimus, epistola *Plures*, evangelium *Vigilate*.

Beatæ SCHOLASTICÆ festum XII. lectionibus honoramus. In vigilia & in utroque Vespere & ad cantica antiphona *Sanctimonialis*; VIII. ℟. *Cumque sanctus Benedictus*; ad Benedictus antiphona *Simile est*.

De sancto VALENTINO III. lectiones. Epistola *Beatus vir, qui inventus*; evangelium *Si quis vult*.

In Cathedra sancti PETRI XII. lectiones facimus. In utroque Vespere capitulum *Petrus*; & oratio *Deus qui beato*, in Laudibus & Vesperis iteranda. ℟. *Si diligis me*; hymnus *Exultet*, ℣. *Tu es Petrus*, antiphona *Tu es Pastor*. In nocte invitatorium *Regem apostolorum*; hymnus *Æterna Christi*; in primo nocturno antiphona *In omnem terram*, & cetera ℟ia *Simon Petre*. In secundo nocturno antiphona *Majorem caritatem*, *Tollite jugum*; *Vos amici*; *Jugum enim*; *Beati pacifici*; *Tradent enim*; lectiones, ut habentur in lectionario. Ad cantica antiphona *Dixit Simon*; IV. lectiones de ho-

homilia evangelii *Venit Jesus*. In Laudibus antiphona *Ego pro te*; psalmi *Dominus regnavit* &c. ℟. *Exaltent eum*; hymnus *Exultet*; ℣. *Tu es Petrus*; ℟. *Et super*. ℣. dicantur in Vesperis; antiphona ad Benedictus *Simon Johannis*. Ad Missam officium *Statuit*; oratio de festo; epistola *Petrus*; evangelium *Venit Jesus*. Ad Sextam capitulum *Benedictus Deus*; oratio *Deus, qui beatum*. Ad Nonam capitulum *Statuit*; oratio *Omnipotens*: Ad Vesperum antiphona *Juravit*; psalmi *Dixit* &c. Ad Magnificat antiphona *Simon Bar-jona*.

Sancti MATHIÆ apostoli sollemnitatem plenam devotissime celebramus. Officium ita agatur, ut in natali unius apostoli, præter quam in secundo nocturno; ubi dicitur *Lux orta*, dicatur antiphona *Dum steteritis*, & epistola *Exsurgens Petrus*; evangelium *Hoc est præceptum meum*.

De sanctis FAUSTINO & JOVITA III. lectiones facimus. Epistola *Reddidit Deus*; evangelium *Videte, ne quis*. Et est sciendum, quod quando festum sancti Mathiæ in anno venerit bisextili, posteriori die noscitur celebrandum.

De sancto Gregorio papa, & de quibusdam aliis Sanctis. Cap. IV.

BEati GREGORII festum sollemnitate plena percolimus. Ad Vesperum capitulum *Collaudabunt* ℟. *Ecce vere*; cetera omnia, ut habentur in natali unius confessoris pontificis & doctoris. Epistola *Dedit Dominus*; evangelium *Nemo accendit*.

Sancti BENEDICTI festum sollemnitate plenissima celebramus. In vigilia ad Vesperum capitulum *Beatus vir*; ℟. *Domine non aspicias*; cetera omnia fiant sicut in natali confessoris non pontificis; epistola *Beatus vir, qui suffert*; evangelium *Ecce nos reliquimus*.

In ANNUNTIATIONE BEATÆ MARIÆ VIRGINIS ad Vesperum capitulum *Locutus est Dominus*; ℟. *Ave Maria*; cetera omnia, ut continentur in libris. Nota, quod si aliqua festivitas venerit in cœna Domini, & deinceps usque ad Tertiam feriam, non est celebranda, sed quarta feria post pascha. Si autem festivitas beati Marci venerit infra præfatos dies, vel infra hebdomadam resurrrectionis, semper in secunda feria post octavam dictæ festivitatis celebretur; quia ea die debent celebrari litaniæ majores.

De sanctis TIBURTIO & VALERIANO III. lectiones facimus. Ad Magnificat antiphona *Cæcilia virgo*; epistola *Lingua sa....* evangelium *Ego sum vitis vera*.

Beati GEORGII festum XII. lectionibus honoramus. In vigilia ad Vesperum capitulum *Justus*; ℟. *Gloria & honore* cum *Alleluja*, hymnus *Deus tuorum*; ℣. *Mag.....* ad Magnificat antiphona *Filiæ Jerusalem*, quæ dicitur in omnibus festis, præterquam in vigiliis. Invitatorium *Alleluja, Regem martyrum*: hymnus *Martyr Dei*; in primo nocturno antiphona *Alleluja stabunt*, ut supra; lectiones, ut habentur in lectionario. In primo nocturno ℟. *Beatus vir*; *De ore prudentis*; *In diademate capitis*; *Tristitia vestra*. In secundo nocturno ℟ia *In Sanctis suis*; *Docete filios*; *Candidi facti sunt*; *Vidi civitatem*. In III. nocturno ℟ia *Sancti & justi*; *Filiæ Jerusalem*; *Vox exultationis*; *Isti sunt sancti*. Ad Missam officium *Protexisti*; epistola *Justus cor suum*; evangelium *Ego sum vitis vera*, & cetera, ut habentur in libris. Et est sciendum, quod a resurrectione Domini usque in octavam pentecosten in festis unius martyris & confessoris ad Missam nulla officia, nisi *Protexisti* dici debent. In plurimorum festis officium *Sancti tui Domine*, vel *Ecce sicut oculi*, his exceptis, quæ propria habent officia. A die quoque resurrectionis usque ad octavam pentecostes tam in ferialibus diebus, quam in aliis, primum *Alleluja* dividitur, atque ℣. & in XII. lectionibus *Alleluja* secundum, in ferialibus diebus *Alleluja* secundum nullatenus dividatur. Si vero aliquod festum trium lectionum a resurrectione usque ad pentecostem venerit, dicantur tria ℟ia de historia *Beatus vir*; si vero venerit festum plurimorum martyrum, dicantur *Pretiosa* &c.

Sancti MARCI festum XII. lectionibus honoramus. In vigilia ad vesperum capitulum *Similitudo quatuor*, quod cum oratione sua in utroque Vespere vel & Tertiis iteretur. ℟. *In omnem terram*; hymnus *Exultet cœlum*; ad Magnificat antiphona *In medio*; oratio *Deus, qui beatum Marcum*. Invitatorium *Regem apostolorum*. In primo nocturno ℟ia *Beatus vir*; *Decore...*, *In diademate*; *Qui vicerit*. In secundo nocturno *Virtute magna*; *Tristitia*; *Vidi portam*; *Cibavit*; homilia *Ego sum vitis*. In III. nocturno ℟ia *Isti sunt agni*; *Vidi civitatem*; *Candidi*; *In medio*. Ad Missam officium matutinale *Exaudivit* &c. ut habentur in libris. Missa de Tertia de festo dicatur. Ad Magnificat antiphona *In medio*, cetera de evangelistis. Qualiter fienda est pro-

processio post Primam respice supra in Rogationibus. Epistola *Similitudo*; evangelium *Ego sum vitis, vos palmites*.

Beatorum PHILIPPI & JACOBI in vigilia ad Vesperum capitulum *Stabunt*, quod cum oratione sua in Laudibus, & Tertiis & Vesperis iteretur. ℟. *Vidi portam*. Ad Magnificat antiphona *Non turbetur*; lectiones, ut in lectionario continentur. ℟ia in primo nocturno *Virtute magna*; *Tristitia*; *Pretiosa*; *Vidi portam*. In II. nocturno ℟ia *Lux perpetua*; *Ibant gaudentes*; *Docete*; *Tradiderunt*. In III. nocturno homilia evangelii *Non turbetur*. ℟ia *Isti sunt agni*; *Vidi civitatem*; *Candidi*; *Vox e..* ad Benedictus antiphona *Ego sum via*; cetera, ut continentur in libris. Ad Sextam capitulum *Videntes*; oratio *Deus, qui es Sanctorum*. Ad Nonam capitulum *Isti sunt viri*; oratio *Adesto*. Ad Magnificat antiphona *Si manseritis in me*.

De sancto VITALE III. lectiones facimus. Epistola *Justus si morte*; evangelium *Ego sum vitis vera*.

De inventione sanctæ Crucis, & de quibusdam aliis festis. Cap. V.

IN SANCTÆ CRUCIS INVENTIONE sollemnitatem plenam facimus. In vigilia ad Vesperum capitulum *Mihi autem*, quod cum oratione sua in utroque Vespere vel Tertiis iteretur. ℟. *Hoc signum*. Hymnus *Vexilla*; ℣. *Per signum Crucis*. Ad Magnificat antiphona *O Crux benedicta, quia in te*; oratio *Deus, qui...* deinde antiphona de Sanctis *Filiæ Jerusalem*; ℣. & oratio *Deus misericors*; invitatorium *Alleluja Regem martyrum*, VIII. lectiones & VIII. ℟ia de ..... ut superius est expressum. Ad cantica antiphona *Alleluja*, psal. *Domine audivi*, qui dividitur in tres glorias, scilicet *pro iniquitate*; *egressus es*; ℣. *Per signum Crucis*, IV. lectiones de homilia *Erat homo*, ℟ia *Hoc signum*; hymnus *Impleta sunt*; ℣. *Per signum*. Ad Benedictus antiphona *Helena sancta dixit*; deinde antiphona de Sanctis; *Alleluja, Ego sum*. Missa matutinalis cum officio *Exclamaverunt* de sanctis dicatur, cum *Gloria* & *Credo*; epistola *Justi autem*; evangelium *Ego sum*. Ad Tertiam indutis alba sacerdote, diacono & subdiacono, quando dicitur tertius psalmus Tertiæ, sacrista ponat analogium paratum ante altare, super quo ponatur Crux a fratribus adoranda; & dicta Tertia fratres ordinent se in choro, abbas & diaconus a dextris, & subdiaconus a sinistris; & ceteri post ipsos curvi morantes in ordine suo dicant antiphonam *Crucem tuam*; *Pater noster*, & *Credo* interim canatur; psalmus *Deus misereatur nostri*, donec Crux a fratribus fuerit adorata, erigatur in aliquem excelsum locum a diacono incipiente antiphonam *Super omnia ligna*. Qui ordo observetur de adoranda Cruce in ejus exaltatione, deinde dicatur Missa, officium *Nos autem gloriari*; epistola *Confido*; ℣. *Adoramus te*; oratio *Adesto*. Ad Nonam capitulum *Quicumque volunt*; ℣. *Salva nos Christe*; oratio *Deus, qui nos*. Ad vesperum *Alleluja Crucifixus*; psalmi *Dixit Dominus* &c. ℟. *Hoc signum*; hymnus *Vexilla*; ℣. *Per signum*. Ad Magnificat antiphona *O Crux splendidior*; deinde oratio & antiphona *Filiæ Jerusalem*.

Beati JOHANNIS ANTE PORTAM LATINAM festum XII. lectionibus celebramus. In vigilia ad Vesperum capitulum *Qui timet Deum*; ℟. *In omnem terram*; hymnus *Exultet*; ℣. *Annuntiaverunt*. Ad Magnificat antiphona *In ferventis*; oratio *Deus qui*; invitatorium *Regem apostolorum*; hymnus *Æterna Christi*; antiphona *Alleluja*, ut supra; lectio VIII. de vita ipsius scilicet *Secunda post Neronem*; ℟ia *Valde honorandus est* &c. cum adjectione *Alleluja*; homilia *Dixit Jesus Petro sequere me*; ad Benedictus antiphona *Occurrit*; capitulum & orationes, ut habentur in libris in festo sancti Johannis evangelistæ. Ad Missam officium *In medio*; epistola *Qui timet Deum*; Alleluja primum *Hic est discipulus ille*; Alleluja secundum *Ecce puer meus*; evangelium *Dixit Jesus Petro*. Ad Vesperum capitulum & oratio, ut supra; ad Magnificat antiphona *In ferventis olei*.

Sancti MICHAELIS INVENTIONEM sollemnitate plena percolimus. In vigilia ad Vesperum capitulum *Factum est prælium*, & cetera ut habentur in libris. Ad cantica *Domine miserere nostri*. In ℟iis, antiphonis addatur *Alleluja*; epistola *Factum est*; evangelium *Accesserunt discipuli*.

In festo sanctæ CHRISTINÆ III. lectiones facimus. In vigilia ad Vesperum capitulum *Qui gloriatur* & cetera, ut in natali virginum continetur; epistola *Sapientia*; evangelium *Simile est regnum cœlorum thesauro*.

De sanctis NEREO, ACHILLEO & PANCRATIO III. lectiones facimus. Epistola *Justorum animæ*; evangelium *Ego sum vitis*.

De sancta POTENTIANA III. lectiones facimus. Epistola *Qui gloriatur*; evangelium *Simile est regnum cœlorum decem*.

De

De sancto EUSTASIO III. lectiones. Epistola *Expectatio justorum*; evangelium *Cum audieritis*; ad Magnificat antiphona *Hæc est vera*.

De sancto URBANO papa III. lectiones facimus. Epistola *Beatus vir, qui inventus est sine*; evangelium *Vigilate*.

De sancta PETRONILLA III. lectiones facimus. Epistola *Sapientia*; evangelium *Simile est regnum cœlorum*.

De sancto VIRIANO XII. lectiones facimus. Omnia fiant, sicut continentur in libris in natali plurimorum martyrum. Epistola *Reddidit Deus*; evangelium *Attendite a fermento*. Ad Vesperum capitulum *Sancti per fidem*; oratio propria; ad Magnificat in utroque Vespere *Hæc est vera fraternitas*.

De sanctis MARCELLINO & sociis III. lectiones facimus. Epistola *Justorum animæ*; evangelium *Descendens Jesus de monte*.

De sanctis LAURENTINO & PERGENTINO III. lectiones facimus. Ad Magnificat antiphona *Hæc est vera*; epistola *Scimus quoniam*; evangelium *Loquente Jesu ad turbas*.

Beatorum JUSTI & CLEMENTIS festum XII. lectionibus veneramur, quod semper celebretur IV. feria post pentecostem, vocabulum tamen habentes secunda feria post pentecostem celebrent. Ad Vesperum Capitulum *Ii sunt viri misericordiæ*. ℟. *Qui cives*; hymnus *O confessores*; ℟. *Lætamini*. Ad Magnificat antiphona *O quam felix*; oratio *Adsit nobis*; qui vero non habent festum proprium, feria IV. dicta oratione de feria, dicatur antiphona de festo, & oratio, invitatorium *Regem confessorum*; hymnus *O confessores*. Ad nocturna & per horas diei dicatur *Alleluja*, psalmi de Confessore; ℣. *Justorum animæ*; lectiones fiant, sicut in lectionario continentur. Primum ℟. *Duo fulgentia*; *In Sanctis tuis*; *Lux perpetua*; *Qui cives*. In secundo nocturno, ℣. *Justi autem*; ℟. *Panis oblatus*; *Docete*; *Vidi civitatem*; *Isti sunt duo*; ℣. *Exultent justi*; ℟. *Hæc est via*; *Sancti & justi*; *Sint lumbi vestri*; *Justus & Clemens*; evangelium *Ego sum vitis*. In Laudibus capitulum *Ii sunt viri*; ℟. *Exultet*; hymnus *Audite nam consilium*; ℣. *Lætamini*; ad Benedictus antiphona *Ego sunt vitis*; oratio *Adsit nobis*, quæ oratio cum suo capitulo dicatur in utroque Vespere & Tertia. Ad Sextam capitulum *Fulgebunt*; oratio *Populum tuum*. Ad Vesperum ℟. *Justi autem*; hymnus *O confessores*; ℣. *Lætamini*; ad Magnificat antiphona *Angelice*. Officium Missæ

Sancti tui Domine; oratio *Adsit*; epistola *Ii sunt viri*; evangelium *Ego sum vitis*.

De sancto Barnaba apostolo & de quibusdam aliis Sanctis. Cap. VI.

SAncti BARNABÆ apostoli festum XII. lectionibus honoramus. In vigilia ad Vesperum capitulum *Beatus homo*. Hymni, antiphonæ, ℣. psalmi & ℟. sicut in natali unius apostoli continetur &c. Epistola *Erant in ecclesia, quæ erat Anticchiæ prophetæ & doctores*; evangelium *Designavit*. Si autem infra octavam pentecostes venerit, ad nocturna & per horas diei *Alleluja* dicantur. In primo nocturno ℟. *Beatus vir*; *De ore prudentis*; *In diademate*; *Repleti sunt*. In secundo nocturno ℟. *Jam non dicam*; *Disciplinam*; *Ite in orbem*; *Loquebautur*. In tertio nocturno ℟. *Spiritus-sanctus*; *Procedens*; *Ego sum vitis*. Et si præfatum festum venerit in Dominica pentecostes, sive secunda vel tertia feria, de prædicto festo fiat officium IV. feria post pentecostem; evangelium *Designavit*.

De sanctis BASILIDE, CIRINO, NABORE & NAZARIO III. lectiones facimus. Epistola *Reddidit*; evangelium *Videte ne quis*.

De sanctis VITO & MODESTO III. lectiones facimus. Epistola *Justorum animæ*; evangelium *Cum audieritis*.

De sanctis MARCO & MARCELLIANO III. lectiones fiant. Ad Magnificat antiphona *Clarissimis igitur viris* ℟. ut in festivitate sancti Sebastiani; tertium ℟. *Clarissimis viris*. Ad Benedictus antiphona *Sebastianus dixit Marcelliano*; oratio propria; epistola *Lingua sapientum*; evangelium *Cum venerit filius hominis*.

Sancti ROMUALDI festum plena sollemnitate percolimus. In vigilia ad Vesperum capitulum *Beatus vir*; cetera ut habentur in natali unius Confessoris. Lectiones octo fiant de martyribus, & Missa matutinalis, epistola *Expectatio*; evangelium *Hæc mando vobis*. Quarta lectio de beato Romualdo. Et Missa de Tertia, epistola *Beatus vir*, evangelium *Ecce nos*.

Beati JOANNIS-BAPTISTÆ festivitatem sollemnitate plena celebramus. In vigilia & festo antiphonæ, ℟. ℣. & cetera, ut continentur in libris.

Infra octavam sancti JOHANNIS-BAPTISTÆ invitatorium *Regem præcursoris* a cantore dicatur in loco suo. Hymnus *Ut queant laxis* usque *Ceteri tantum*. In primo nocturno antiphonæ *Ad omnia*; *Ne timeas*; *Misit Dominus*; *Ecce*

ce dedi, cum psalmis ferialibus quotidie repetantur. Lectio brevis scilicet: *Hæc dicit Dominus formans me ex utero servum sibi. Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ab extremis terræ. Reges videbunt & consurgent principes & adorabunt Dominum Deum tuum, & sanctum Israel, qui & glorificavit te. Tu autem Domine miserere nobis.* ℞. *Fuit homo missus a Deo.* Capitulum ad nocturnum illud, quod dicitur ad Sextam cum oratione sua. In Laudibus antiphonæ *Elisabeth*; psalmi *Dominus regnavit* &c. Capitulum *Audite insulæ*; ℞. *Ecce dedi verba mea*; hymnus *Ceteri tantum*; ℣. *Erit enim*; ad Benedictus antiphona *Apertum est os Zachariæ*; oratio *Deus, qui præsentem*. Per horas diei antiphonæ, quæ remanserunt de Laudibus. Capitula, ℣. & oratio per horas diei, ut dictum est in festo ejusdem. Missa dicatur de festo cum subdiacono tantum. Ad Vesperum antiphonæ super psalmos *Priusquam te formavi*; psalmi; *Dixit*; *Beatus*; *Laudate*; & *Credidi*. Capitulum, hymnus, ℣. & oratio, ut supra. Nota, quod si dies Dominicus infra octavam venerit, vel festum XII. lectionum, totum officium de Dominica sive de festo fiat, & antiphonæ & oratio de sancto Johanne dicantur. Si autem festum XII. lectionum in octava sancti Johannis vel Dominica venerit, octo lectiones de octava fiant, cetera alia de festo fiant, aut de Dominica. Et si infra octavam festum trium lectionum venerit, tres lectiones fiant de festo; antiphonæ & oratio de sancto Johanne, proviso tamen quod antiphonæ & hymni de sancto Johanne ad nocturna dicantur, ut superius est dictum, scilicet *Dominus ab utero*; & post Missas dicantur omnia de sancto Johanne.

De sanctis JOHANNE & PAULO tres lectiones facimus. Epistola *Benedictus Deus*; evangelium *Videte ne quis vos*. Alia sicut habentur in libris.

De festo apostolorum Petri & Pauli, & quibusdam aliis. Cap. VII.

BEatorum apostolorum PETRI & PAULI festum sollemnitate plena celebramus. In vigilia Missa dicatur ad Tertiam. Officium, ut habetur in libris. Prima oratio de vigilia, secunda de festo, III. sancti LEONIS papæ, de quo facimus in nocturno tertiam lectionem, reliquæ feriales. Ad Vesperum capitulum *Petrus quidem*; ℣. *Si diligis me*; hymnus *Exultet*; ℣. *Tu es Petrus*; ad Magnificat antiphona *Tu es pastor*; cetera ut habentur in libris. Post Vesperas fiat commemoratio de sancto PAULO; antiphona *Bonum*; ℣. *In omnem terram*; oratio *Deus, qui multitudinem*; invitatorium *Regem apostolorum*; cetera, ut habentur in libris. In Vesperis quatuor antiphonæ de primo nocturno. Ad Magnificat antiphona *In regeneratione*; oratio ut supra; postea de sancto JOHANNE, & de sancto PETRO, antiphona *Beatus Petrus*; & de sancto MARTIALE antiphona *Dum steteritis*.

In octava sancti JOHANNIS-BAPTISTÆ XII. lectiones facimus. Ad Vesperum capitulum *Priusquam te formarem*; ℞. *Reges videbunt*; hymnus *Ut queant laxis*; ℣. *Erit enim*; ad Magnificat antiphona *Ingresso*; oratio *Concede*. Postea dicatur de sancto PAULO & de sancto MARTIALE, postea de sancto PETRO. In nocte & in die fiet officium, ut supra diximus in natali ipsius; oratio de octava *Concede*. Per octavam apostolorum invitatorium, *Regem apostolorum*; hymnus; *Æterna Christi*; ad nocturna antiphonæ *Petrus*; *Inseparabilis*; *Gloriosi*; *In regeneratione*, quæ quotidie per hebdomadam repetantur; lectio brevis, scilicet *Ii sunt viri misericordiæ, quorum justitiæ oblivionem non acceperunt, cum semine eorum permanent bona, hæreditas sancta nepotes eorum. Tu autem.* ℞. *Isti sunt duæ olivæ & duo candelabra*; ℣. *Lucentia ante Dominum*; *Gloria*. In secundo nocturno antiphona *Alleluja*; capitulum *Ibant apostoli*; oratio *Beatorum apostolorum*. In Laudibus, Tertiis & Vespere capitulum *Jam non estis*; oratio *Deus, qui hodierna die*. Ad Sextam capitulum *Ibant*; oratio *Sanctorum apostolorum*. Ad Nonam capitulum *Nam quos præscivit*; oratio *Adesto*. Ad Vesperum antiphonæ super psalmos *Petrus*; psalmi *Dixit*; *Laudate*; *Credidi*; *In convertendo*. In festis tamen eorum & octavis IV. psalmi *Domine probasti*. In octava apostolorum XII. lectiones facimus, & omnia fiant de historia plurimorum apostolorum; capitulum *Ii sunt viri*; evangelium *Dixit Jesus*. Si infra hanc octavam dies Dominicus venerit, vel festum XII. lectionum vel trium, omnia fiant, sicut infra octavam sancti Johannis-baptistæ diximus faciendum.

De sanctis PROCESSO & MARTINIANO tres facimus lectiones; epistola *Stabunt justi*; evangelium *Descendens Jesus de*.

De sancta FELICITATE & filiis ejus III. lectiones facimus; epistola *Mulierem fortem*; evangelium *Loquente Jesu*.

De sanctis NABORE & FELICE III. lectiones facimus, epistola *Reddidit Deus*;

Deus; evangelium *Attendite a fermento*.

De sanctis QUIRICO & JULITTA III. lectiones facimus; epistola *Benedictus Deus*; evangelium *Videte ne quis*.

Beatæ MARGARITÆ festum XII. lectionibus honoramus. In vigilia ad Vesperum capitulum *Qui gloriatur*; reliqua fiant de communi virginis; epistola *Qui gloriatur*; evangelium *Simile est regnum cœlorum thesauro*.

De sancta PRAXEDE virgine III. lectiones facimus; epistola *Confitebor*; evangelium *Simile est regnum cœlorum decem*.

De sancta Maria Magdalena & de quibusdam aliis. Cap. VIII.

BEatæ MARIÆ MAGDALENÆ festum XII. lectionibus honoramus. In vigilia ad Vesperum capitulum *Mulierem fortem*; ℟. *Mariæ Magdalenæ*; hymnus *Felix*; ℣. *Dimissa sunt*; antiphona ad Magnificat *In diebus illis*; oratio *Largire nobis*; invitatorium *Laudemus Dominum*; hymnus *Magdalenæ præco*; *Quem terra*. In I. nocturno antiphona *Maria stabat*, psal. *Domine Dominus*; antiph. *Surgens Jesus*; psal. *Cœli*; antiph. *Mulier quid ploras*; psal. *Domini est terra*; antiph. *Specie tua*; psal. *Eructavit*; antiph. *Adjuvabit eam*; psal. *Deus nostrum*; antiph. *Læva ejus*; psal. *Magnus*. ℣. *Diffusa est*; Lectio *Rogabat Jesum quidam*, cujus inceptio talis est: *Et muneratur bona peccatrix* &c. ℟ia *Dum transisset*; *Diffusa est*; *Specie tua*; *Angelus Domini*. In II. nocturno antiph. *Venit Maria*; psal. *Benedixisti*; antiph. *Dum esset rex*; psal. *Fundamenta*; antiph. *Mittens Jesus*; psal. *Cantate*; ℣. *Specie tua*. ℟. *Magdalena*; *Dilexisti*; *Pulcra facie*; *Tulerunt Dominum*. Ad cantica antiph. *Maria ergo*; cantic. *Vox sancti*. ℣. *Adjuvabit eam*. Homilia *Rogabat Jesum*; ℟. in quatuor temporibus mensis septembris sexta feria. ℟. *Induit me*; *Propter veritatem*; *Veni electa* & *Valde mane*. In Laudibus antiph. *Noli flere*; capitulum *Mulierem fortem*. ℟. *Adjuvabit*; hymnus *Felix o felix*; ℣. *Dimissa sunt ei*. Ad Benedictus antiph. *Tulerunt*; oratio *Largire*. Ad Primam *Veni sponsa Christi*; Ad Tertiam antiph. *Quid molesti estis*. Ad Missam officium *Gaudeamus*; oratio propria; epistola *Mulierem*; ℟. *Dilexisti*; Alleluja *Diffusa est*. Evangelium *Rogabat Jesum*. Offertorium *Filiæ regum*; postcommunio *Optimam partem*. Ad Sextam antiph. *Media nocte*; capitulum *Fallax gratia*; oratio *Deus, qui beatæ Mariæ*. Ad Nonam antiph. *Et ingressæ*; Capitulum *Accinxit*; oratio *Beatæ Mariæ*. Ad Vesperum quatuor antiphonæ de primo nocturno.

Sancti APOLLINARIS festum XII. lectionibus facimus. Ad Vesperum capitulum *Nemo militans Deo*; ad Magnificat antiph. *Surge accipe*; oratio propria; cetera omnia, sicut continentur in natali unius martyris pontificis; epistola *Nemo militans Deo*; evangelium *Ite ecce ego mitto vos*.

Beati JACOBI apostoli plena sollemnitate festum percolimus. In vigilia ad Vesperum capitulum *Misit Herodes*, quod dicatur in Laudibus, Tertiis, & Vesperis; ℟. *Fuerunt*; hymnus *Exultet*; ℣. *Annuntiaverunt*. Ad Magnificat antiph. *Sede... autem*; ℟. in quarta feria in secunda hebdomada quadragesimæ in utroque Vespere decantanda; oratio *Esto Domine*; antiphona de sancto CHRISTOPHORO. Cetera sicut in natali unius apostoli; epistola *Jam non estis*; evangelium *Accessit ad Jesum*.

De sancto PANTALEONE III. lectiones facimus. Epistola *Justum deduxit*; evangelium *Si quis venit ad me*.

De sanctis NAZARIO & CELSO III. lectiones facimus. Epistola *Expectatio justorum*; evangelium *Cum audieritis*.

De sanctis FELICE, SIMPLICIO, FAUSTINO & BEATRICE III. lectiones facimus. Epistola *Justi autem*; evangelium *Attendite a fermento*.

De sanctis ABDON & SENNEN III. lectiones facimus. Epistola *Spectaculum facti*; evangelium *Descendens Jesus de monte*.

Sancti PETRI IN VINCULIS festum XII. lectionibus facimus. In vigilia ad Vesperum capitulum *Petrus quidem*; ℟. *Si diligis*; hymnus *Exultet*; ℣. *Tu es Petrus*; ad Magnificat antiphona &c. ut habentur in libris. Epistola *Misit Herodes*; evangelium *Venit Jesus in partes Cæsareæ*.

De sancto STEPHANO episcopo & martyre tres lectiones facimus. Epistola *Ecce sacerdos*; evangelium *Homo quidam nobilis*.

De inventione corporis beati STEPHANI III. lectiones facimus. Epistola *Reddidit Deus*; evangelium *Nihil opertum*.

Beati SISTI festum XII. lectionibus celebramus. Ad Vesperum capitulum *Sancti per fidem*. Cetera ut habentur in natali plurimorum martyrum. Epistola *Ecce sacerdos*; evangelium *Cum audieritis prælia & seditiones*.

Sanctorum DONATI & HILARIANI festum XII. lectionibus honoramus. Ad Vesperum capitulum *Sancti per fidem* &c. ut in natali plurimorum martyrum. Epistola *Justi autem*; evangelium *Cum audieritis*.

De sanctis CYRIACO, LARGO & SMARAGDO III. lectiones facimus. Epistola *Rememoramini*; evangelium *Convocatis Jesus*.

Beati LAURENTII festum XII. lectionum. Ad Vesperum capitulum *Qui parce seminat*. ℞. *Quo progrederis*; hymnus *Deus tuorum*; ℣. *Magna est* &c. ut habentur in libris tam diei, quam noctis. In vigilia ad Missam officium *Dispersit* de vigilia, & ceteræ per ordinem. Epistola *Confitebor*; evangelium *Si quis vult post me*.

De beato TIBURTIO festum III. lectionum. Epistola *Beatus vir*; evangelium *Si quis venit*.

De sanctis HIPPOLYTO & CASSIANO XII. lectiones facimus. Omnia, ut in natali plurimorum martyrum. Epistola *Justorum animæ*; evangelium *Videte ne quis vos*.

De assumptione beatæ Mariæ & de quibusdam aliis. Cap. IX.

IN beatæ MARIÆ VIRGINIS ASSUMPTIONE præcedenti vigilia Missa dicatur sine *Gloria* & sine *Credo*. Ad Vesperum capitulum &c. ut habentur in libris. Ad Missam officium *Gaudeamus*; ℣. *Exaltata*. Per octavam celebretur officium, ut per octavam resurrectionis post tertiam feriam paschæ cum una lectione brevi, scilicet: *Vidi speciosam, sicut columbam descendentem desuper rivos aquarum, cujus odor inestimabilis erat nimis in vestimentis ejus, & sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum & lilia convallium. Viderunt eam filiæ Sion, & beatissimam prædicaverunt, & reginæ laudaverunt eam. Tu autem*. ℞. *Ave Maria*. In I. nocturno eæ antiphonæ super psalmos repetantur, scilicet *Paradisi*; *Sicut myrrha*; *Hæc est*, *quæ*; *Speciosa*; psalmi feriales; lectio prædicta brevis. In II. nocturno *Alleluja*; capitulum & orationes, quæ dicuntur ad Sextam. In Laudibus antiph. *Assumpta est*; psalm. *Dominus regnavit* &c. capitulum *In omnibus requiem*; ℞. *Exaltata es*, quæ per octavam in Vesperis repetantur; ℣. *Elegit eam*. Ad Benedictus antiph. *Quæ est ista*; oratio *Veneranda*, quæ oratio cum capitulo supradicto per octavam in Laudibus, Tertiis & Vesperis repetantur. Ad Tertiam ℣. *Exaltata es*. Ad Sextam capitulum *Quasi cedrus*; ℣. *Benedicta tu*; oratio *Deus qui hodierna die*. Ad Nonam capitulum *In plateis*, vel *sicut myrrha*; oratio *Concede nos*. Ad Vesperum antiph. super psalmos *Exaltata es*; psalmi *Dixit*; *Lætatus*; *Nisi*; & *Memento*. Ad Magnificat antiphona *Hodie Maria* &c. Si autem infra octavam festum trium lectionum venerit, totum fiet officium de octava; antiphonæ & orationes de festo. Insuper Vesperis & Laudibus decantatis, si dies Dominicus infra octavam venerit, & deficientibus Dominicalibus officiis, Dominici dies abundent, totum officium de beata Virgine celebretur, nulla facta de Dominica mentione. Si vero officia Dominicalia supersunt, & Dominici dies deficiunt, sabbato dictis psalmis cum antiphona beatæ Mariæ, capitulum, Benedictus Dominus, & omnia postmodum de Dominica celebrentur, post orationem Dominicæ, antiphona & oratio beatæ Mariæ cantetur; invitatorium & totum officium usque ad octavam de beata Maria celebretur, & Missa matutinalis post Primam.

De sanctis AGAPITO & TIMOTHEO & SIMPHORIANO III. lectiones. In Vesperis & Laudibus capitulum *Sancti per fidem*; & epistola eadem; evangelium *Convocatis Jesus*.

Beati BARTHOLOMÆI apostoli plena sollemnitate percolimus. Omnia fiant, ut in natali unius apostoli. Epistola *Jam non estis*; evangelium *Facta est contentio*.

De sanctis GENESIO & sociis ejus III. lectiones. Epistola *Justorum*; evangelium *Descendens Jesus de monte*.

De sancto AUGUSTINO festum XII. lectionibus honoramus, cujus totum officium fiat sicut in natali unius Confessoris pontificis & doctoris. Epistola *Dedit*; evangelium *Nemo accendit lucernam*.

De sancto HERMETE martyre antiphona & oratione in Vesperis & Laudibus decantata, dictis antiphonis, & psalmis in Vesperis sancti Augustini, dicatur capitulum de decollatione sancti Johannis-baptistæ *Expectatio*; ℞. *Johannes-baptista*; hymnus *Non fuit vasti*, qui in Laudibus & Vesperis repetatur; cetera ut habentur in libris. De sancta SAVINA antiphona & oratio in Vesperis & Laudibus; epistola *Expectatio*; evangelium *Misit*; pro beata Savina epistola *Sapientia*; evangelium *Simile est*.

De sanctis FELICE & ADAUCTO III. lectiones facimus. Epistola *Reddidit*; evangelium *Loquente Jesu ad turbas*.

De sancto ÆGIDIO III. lectiones faci-

facimus. Epistola *Beatus vir, qui inventus est*; evangelium *Ecce nos reliquimus*.

De nativitate beatæ Mariæ & de quibusdam aliis. Cap. X.

BEatæ MARIÆ NATIVITATEM plenissima sollemnitate celebramus. Ad Vesperum capitulum *Egredietur*; ℟. *Beatissimæ*, & cetera prout continentur in libris.

De sancto GORGONIO commemoratio fiat. In Laudibus, Missa & Vesperis per octavam beatæ Mariæ officium celebretur eo modo, quo diximus in assumptione. Ad nocturna igitur super psalmos eæ antiphonæ quotidie repetantur *Sicut lilium*; *Favus distillans*; *Emissiones tuæ*; *Fons hortorum*. Psalmi feriales & lectio brevis *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & agnitionibus meis adimplemini; Spiritus enim meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel & favum; memoria mea in generationibus seculorum. Tu autem*. ℟. *Dignare me*. ℣. *Da mihi virtutem*. *Gloria*. Ad Vesperum antiphonæ super psalmos *Ecce tu pulcra es*; psalmi *Dixit* &c.

De sanctis PROTO & HYACINTHO commemoratio fiat in Laudibus, Vespere & Missa. Alia omnia, sicut in sanctis Agapito, Timotheo & Simphoriano.

Sanctæ CRUCIS EXALTATIONEM plena sollemnitate percolimus. Ad Vesperum dicatur officium directaneum beatæ Mariæ; antiphonæ super psalmos *Ecce tu pulcra*; psalmi *Dixit*; capitulum *Mihi autem*; ℟. *Hoc signum*; hymnus *Vexilla*; ℟. *Per signum*; ad Magnificat antiphona *O crux bona*; oratio *Deus, qui unigeniti*; quod capitulum cum oratione in Vesperis, Laudibus & Tertiis repetatur; deinde antiphona & oratio de Sanctis; postea antiphona & oratio de Nativitate beatæ Mariæ. In primo nocturno invitatorium *Regem martyrum*; hymnus, antiphonæ, ℣. lectiones VIII. & ℟ia de Martyribus. Ad cantica antiphona *Dulce lignum*; cantica *Domine audivi*; homilia *Nunc judicium est mundi*; ℟. *Dulce lignum* &c. In Laudibus antiphona *O magnum*. Cetera omnia fiant, prout continentur in libris. Missa matutinalis de Sanctis; officium *Sacerdotes Dei*; secunda oratio de Cruce; tertia *Supplicationes*. Epistola *Justi autem*; evangelium *Attendite a fermento*: Hora Tertiæ Missa de Cruce sollemniter dicatur, & adoretur Crux, sicut in inventione sanctæ Crucis.

De sancto NICOMEDE III. lectiones facimus. Epistola *Justum deduxit*; evangelium *Si quis vult post me venire*.

De sancto MAMILIANO III. lectiones facimus. Epistola *Beatus vir, qui suffert*; evangelium *Ecce nos*.

De sanctis LUCIA, GEMINIANO atque EUFEMIA III. lectiones facimus. Epistola *Sancti per fidem*; evangelium *Ecce ego nunc*.

Sancti MATTHÆI apostoli festum sollemnitate plena recolimus. In vigilia ad Missam officium *Ego autem sicut oliva*; oratio *Da nobis quæsumus omnipotens Deus*; epistola *Beatus homo*; evangelium *Cum exiret*. Ad Vesperum capitulum *Similitudo quatuor animalium*. Cetera omnia sicut in natali unius apostoli & evangelistæ continetur.

De sanctis MAURITIO & sociis suis III. lectiones facimus. Epistola *Sancti per fidem*; evangelium *Videte ne quis*. Dicta autem oratione sancti Matthæi dicatur antiphona de sanctis *Hæc est vera*.

De sanctis COSMA & DAMIANO III. lectiones facimus. Epistola *Justorum animæ*; evangelium *Cum audieritis*.

In DEDICATIONE SANCTI MICHAELIS plenam sollemnitatem peragimus. In vigilia ad Vesperum capitulum *Factum est prælium*; ℟. *In conspectu*. Cetera omnia fiant sicut continentur in libris.

Beati HIERONYMI festum XII. lectionibus celebramus. Dicta oratione sancti Michaelis sequitur antiphona de sancto Hieronymo *Iste est*. Cetera omnia fiant, sicut in natali unius confessoris doctoris non pontificis continetur. Epistola *Dedit Dominus confessionem*; evangelium *Nemo accendit*.

De festo sanctorum MARCELLI & APULEII tres lectiones facimus. Missas ad honorem sancti MARCI pontificis continentes; secunda oratio de Sanctis; epistola; ECCE SACERDOS; evangelium VIGILATE. In Laudibus, & Vesperis commemoratio de præfato pontifice facienda.

De sancta REPARATA III. lectiones facimus. Epistola *Qui gloriatur*; evangelium *Simile est regnum cœlorum thesauro*.

De sanctis DIONYSIO & sociis suis III. lectiones facimus. Epistola *Lingua sapientium*; evangelium *Loquente Jesu ad turbas*.

De sancto CALIXTO III. lectiones facimus. Epistola *Beatus vir, qui inventus*; evangelium *Nisi granum*.

De sancto CERBONIO III. lectiones facimus. Epistola *Ecce sacerdos*; evangelium *Sint lumbi vestri*.

De

De sancto GALLO III. lectiones facimus. Epistola *Dedit Dominus*; evangelium *Ecce nos reliquimus*.

Sancti LUCÆ evangelistæ festum XII. lectionibus honoramus. Omnia fiant, sicut continetur in natali unius apostoli & evangelistæ. Epistola *Similitudo quatuor*; evangelium *Designavit*.

De sancto HILARIONE III. lectiones facimus. Epistola *Beatus vir, qui suffert*. Evangelium *Ecce nos*.

De sancto MINIATE cum sociis suis III. lectiones. Epistola *Sancti per fidem*; evangelium *Loquente Jesu ad turbas*.

Beatorum apostolorum SIMONIS & JUDÆ festum plena sollemnitate recolimus. In vigilia officium ad Missam *Judicant Sancti*; oratio *Concede quæsumus omnipotens Deus*; epistola *Justorum animæ*; evangelium *Ego sum vitis*. Ad Vesperum capitulum *Jam non estis*. Cetera omnia fiant, sicut in natali plurimorum apostolorum continentur. Epistola *Scimus quoniam diligentibus*; evangelium *Convocatis Jesus*.

De sancto GERMANO III. lectiones. Epistola *Plures facti sunt*; evangelium *Vigilate*. Ad Vesperum ad Magnificat antiphona *Pater sanctus*; tertium ℟. in nocte *Pater Sanctus*. Reliqua in festo sancti Benedicti.

De festo omnium Sanctorum & de quibusdam aliis. Cap. XI.

OMNIUM SANCTORUM festum plenissima sollemnitate percolimus. In vigilia officium ad Missam *Timete Dominum*; oratio *Dominus Deus noster*; finalis *Omnipotens sempiterne Deus, qui vivorum*; epistola *Ecce ego Johannes*; evangelium *Descendens Jesus*. Ad Vesperum super psalmos antiphona *In consilio justorum*; psal. *Confitebor*; cetera omnia, sicut continentur in libris. Dictis orationibus omnium Sanctorum dicant sancti CÆSARII & de Cruce tantum; finaliter dicatur *Benedicamus Domino*.

De sanctis VITALE & AGRICOLA III. lectiones facimus. Epistola *Expectatio justorum*; evangelium *Cum audieritis*.

De sancto LEONARDO confessore XII. lectiones facimus. Epistola *Beatus vir, qui inventus*; evangelium *Vos estis lux mundi*.

De sanctis QUATUOR CORONATIS III. lectiones facimus. Epistola *Sancti per fidem*; evangelium *Hæc mando*.

Sancti SALVATORIS festum plena sollemnitate peragimus. In vigilia ad Vesperum capitulum *Mihi autem*; ℟. *Hoc signum*; ad Magnificat antiphona *Salvator mundi*, quæ antiphona ad Benedictus similiter decantetur; oratio *Majestatem*; deinde antiphona de sancto THEODORO cum sua oratione. Invitatorium *Regem martyrum*; hymnus, antiphonæ, & psalmi, ℣. octo lectiones de vita ipsius, & ℟ia, sicut in natali unius martyris continetur. Ad cantica antiphona *Dulce lignum*; cantica *Domine audivi*; ℣. *Adoramus te Christe*; homilia *Nunc judicium est mundi*. ℟ia *Dulce lignum* &c. lectiones tres de passione imaginis. In Laudibus antiph. *O magnum*; psal. *Dominus regnavit* &c. Per horas diei fiant, prout in Exaltatione studuimus annotare. Missa matutinalis de sancto *Theodoro*; officium *In virtute*; prima oratio de festo; secunda de sancto Salvatore, III. beatæ Mariæ, & ad hanc Missam *Gloria in excelsis* & *Credo* dicitur. Epistola *Justum deduxit Dominus*; evangelium *Nolite arbitrari*.

Sancti MARTINI festum plena sollemnitate percolimus. In vigilia ad Vesperum capitulum *Ecce sacerdos*; ℟. *Domine si adhuc*; hymnus *Rex Christe*; ℟. *Ora pro nobis*. Ad Magnificat antiphona *O beatum virum*; deinde antiphona & oratio sancti MENNÆ. Invitatorium *Regem confessorum*; hymnus *Rex Christe*, qui dividitur in duas partes. Antiphonæ, psalmi, ℣. lectiones & ℟ia, prout continentur in libris. Ad Missam officium *Statuit*; prima oratio de festo, secunda de sancto Menna, tertia de sancta Maria; epistola *Ecce sacerdos*; evangelium *Vigilate quia*.

Beati FRIGDIANI festum XII. lectionibus honoramus. Epistola *Ecce sacerdos*; evangelium *Vigilate*. Omnia fiant sicut in natali confessoris.

Sanctæ CÆCILIÆ festum XII. lectionibus facimus. In vigilia ad Vesperum capitulum *Qui gloriatur*; ℟. *O beata Cæcilia*. Hymnus, psalmi, ℣. lectiones, ℟ia, prout in libris plenius continetur. Ad Missam officium *Loquebar*; epistola *Qui gloriatur*; evangelium *Simile est regnum cælorum*.

Beati CLEMENTIS festum XII. lectionibus honoramus. Ad Vesperum psalmi & antiphonæ de sancta Cæcilia; sequitur capitulum de sancto Clemente *Justus cor suum*; ℟. *Dedisti Domine*. Ad Magnificat antiphona *Invenerunt*, & ad cantica iteretur, deinde antiphona & oratio de sancta Cæcilia. Sequitur antiphona & oratio de sancto COLUMBANO. Post hæc antiphona & oratio de sancta

Felicitate. Invitatorium *Regem martyrum*; antiphonæ, ℣. psalmi, lectiones, ℟ia, ut in natali unius martyris continetur, excepto quod primum ℟ium dicatur *Oremus omnes*; octavum *Orante*; duodecimum *Dedisti*. In Laudibus *Orante sancto Clemente*; psal. *Dominus regnavit*; ad Benedictus antiph. *Dum iter ad mare cepisset*; deinde antiph. de sanctis Columbano & Felicitate. Ad Missam officium *Dicit Dominus*; prima oratio de festo, secunda de sancto Columbano, tertia de sancta Felicitate; epistola *Ecce sacerdos magnus*; evangelium *Nibil est opertum*.

De sancto Chrisogono martyre tres lectiones facimus. Epistola *Memor esto Dominum*; evangelium *Si quis venit*.

Sanctæ Catharinæ festum xii. lectionibus celebramus. Epistola *Confitebor tibi Domine rex*; evangelium *Simile est regnum cœlorum thesauro*.

De sancto Prospero antiphonas & orationem in Vesperis & Laudibus recitantes.

De sancto Jacobo Interciso iii. lectiones facimus. Epistola *Spectaculum*; evangelium *Si quis vult*.

De festis sanctorum plurimorum Apostolorum & aliorum plurimorum. Cap. XII.

In festivitate plurimorum Apostolorum. In vigilia ad Vesperum capitulum *Jam non estis*; ℟. *Fuerunt*; hymnus *Exultet*, finiendus cum *Deo Patri*; ℣. *Adnuntiaverunt*. Ad Magnificat antiph. *Dum steteritis*; oratio propria, quæ dicatur cum prædicto capitulo in utroque Vespere, Laudibus & Tertia. Invitatorium *Regem apostolorum*; hymnus *Æterna Christi*; antiphonæ, ℣. lectiones, ℟ia, ut in antiphonario & lectionario continentur. Ad cantica antiphona *Gaudete*; ad Sextam capitulum *Ibant apostoli*; oratio *Beatorum apostolorum*. Ad Nonam capitulum *Nam quos præscivit*; oratio *Adesto*. Ad Missam officium *Mihi autem*; ℟. *Nimis honorati sunt*. Alleluja. *Te gloriosus*; & Alleluja *Nimis*; offertorium *In omnem terram*; postcommunio *Vos qui secuti*, vel *Ego vos*. Ad Vesperum super psalmos antiphona *Virgam* &c. In festivitatibus autem habentibus propria officia, ℟ia, & antiphonæ, ut sunt, postea decantentur.

In natali unius Apostoli. In vigilia ad Vesperum capitulum *Jam non estis*; oratio propria, quæ cum prædicto capitulo in Laudibus, Tertia & Vespere repetantur. Ad Sextam capitulum *In fide*; oratio *Da nobis*. Ad Nonam capitulum *Statuit*; oratio *Beati apostoli*. Invitatorium, hymnus, antiphona, ℟ia, lectiones & officia die noctuque sicut in natali plurimorum apostolorum plenius continetur. Ad Vesperum super psalmos antiph. *Juravit*; psalmi *Dixit* &c.

In natali Evangelistarum. In vigilia ad Vesperum capitulum *Similitudo*, oratio propria cum prædicto capitulo in Laudibus, Tertia & Vespere decantanda. In sancto autem Johanne dicitur capitulum *Qui timet Dominum*; hymnus, antiphonæ, ℣. psalmi & ℟ia, ut dictum est in apostolis; iv. tamen ℟. *Qui vicerit*; viii. *Cibavit*; xii. *In medio ecclesiæ*. In sancto tamen Marco dicitur *Protexisti*; Alleluja; *Cæli enarrant*, & Alleluja primum *Ad Sion*. Ad Sextam vero & ad Nonam dicitur capitulum & orationes mutatis nominibus, sicut in sancto Johanne evangelista. Ad Magnificat antiphona *In medio ecclesiæ*.

In natali plurimorum Martyrum. In vigilia ad Vesperum capitulum *Sancti per fidem*; ℟. *Sancti tui Domine*; hymnus *Rex gloriose*; in Laudibus, & in utroque Vespere tam in tribus, quam in xii. lectionibus decantandus, in cujus fine semper dicatur *Deo patri*; ℣. *Mirabilis*. Ad Magnificat antiphona *Gaudent in cœlis*, vel *Hæc est via*. Et si fuerit sollemnitas dicatur *Gloria martyrum*; oratio propria, quæ si non habetur, dicatur *Deus, qui sanctis tuis* cum prædicto capitulo in utroque Vespere, Laudibus & Tertia concinenda. Invitatorium *Regem martyrum*; hymnus *Æterna Christi*; antiphonæ, psalmi, ℣. lectiones, & ℟ia, ut in antiphonario & lectionario continentur. In Laudibus antiphonæ *Justorum animæ*; ℟. *Exultent justi*; ad Benedictus antiphona *Fulgebunt*; vel si frequentes festivitates occurrerint, dicatur *Nolite timere*. Ad Missam officium *Sapientiam Sanctorum*; ℟. *Justorum animæ*; Alleluja *Sancti tui Domine florebunt*, vel alia *Sancti tui Domine*, vel alia *Hæc est vera*; offertorium *Lætamini*, vel *Mirabilis Deus*; postcommunio *Justorum animæ*. Item officium *Intret in conspectu*; ℟. *Anima nostra*; *Alleluja*, ut supra; offertorium *Lætamini*; postcommunio *Anima nostra*. Diebus tamen paschalibus decantentur officia *Sancti tui Domine*; *Protexisti*, & alia congrua martyribus, & aliis festivitatibus in eisdem. Ad Sextam & ad nocturnos in tribus lectionibus capitulum *Fulgebunt*; oratio *Deus qui per gloriosi*. Ad Nonam capitulum *Lingua sapientium*; oratio *Concede quæsumus omnipo-*

nipotens Deus ad eorum; Ad Vesperum super psalmos antiph. *Virgam*; psalmi *Dixit* &c. & si propriæ non habentur ad Magnificat antiphonæ, dicantur, *Isti sunt sancti*, *qui pro testamento*, vel *Isti sunt sancti martyres*. Et si fuerit sollemnitas *Absterget Deus*. Et nota, quod in omnibus festis duodecim lectionum vel trium secunda antiphona de Laudibus dicatur ad Primam.

In natali unius MARTYRIS. Ad Vesperum capitulum *Justus cor suum*; ℟. *Gloria & honore*; hymnus *Deus tuorum* terminandus cum *Deo Patri*, qui semper in tribus & in duodecim lectionibus in Laudibus & in utroque Vespere decantetur. ℣. *Magna est*; ad Magnificat antiphona *Iste sanctus*, vel *Hic vir despiciens*; oratio propria, quæ si non habetur, dicatur *Votivos* cum prædicto capitulo in utroque Vespere, Laudibus & Tertia decantanda. Invitatorium *Regem martyrum*; hymnus *Martyr Dei*; antiphonæ, ℣. psalmi, lectiones & ℟ia, prout in antiphonario & lectionario continentur. Ad Benedictus antiphona *Qui vult venire*. In festo vero trium lectionum *Qui odit*. Ad Sextam & ad nocturnum capitulum in tribus lectionibus *Justum deduxit*; oratio sancti martyris. Ad Nonam capitulum *Beatus vir, qui in sapientia*; oratio *Adesto Domine populo tuo*; ad Magnificat antiphona *Hic est vere martyr*. Ad Missam officium *Lætabitur justus*; ℟. *Justus ut palma*, Alleluja, *Posuisti*, Alleluja, *Lætabitur*; offertorium *Gloria & honore*; postcommunio *Magna est*; item Officium *In virtute*; ℟. *Beatus vir*, Alleluja, ut supra; offertorium *In virtute tua*; postcommunio *Posuisti Domine*.

In natali CONFESSORUM PONTIFICUM. In utroque Vespere, Laudibus & Tertia capitulum *Ecce sacerdos*; ℟. *Amavit eum*. Si fuerit sollemnitas *Ecce vere*; hymnus *Iste confessor* in tribus & in duodecim lectionibus in Laudibus & in utroque Vespere decantandus; ℣. *Ecce sacerdos*. Ad Magnificat antiphona *Euge serve*. Si fuerit sollemnitas *Clementissime*; oratio propria, quæ si non habetur, dicatur *Da quæsumus omnipotens Deus, ut qui beati*. Invitatorium *Regem confessorum*; hymnus *Jesu corona celsior*; antiphonæ, psalmi, ℣. lectiones, ℟ia, prout in lectionario & antiphonario. Ad cantica antiphona *Sunt lumbi*; in Laudibus antiphona *Ecce sacerdos*; capitulum *Talis est* ..... ℟. *Justum deduxit*; ad Benedictus antiph. *Similabo eum*. Si fuerit sollemnitas *O quam venerandus est*. Ad Missam officium *Statuit*; ℟. *Ecce sacerdos*; Alleluja *Inveni*, Alleluja *Tu es sacerdos*; offertorium *Inveni*; postcommunio *Beatus ille servus*. Ad Sextam & ad nocturnum in tribus lectionibus capitulum *Benedictionem*; oratio *Misericordiam tuam*. Ad Nonam capitulum *Statuit ei Dominus*; oratio *Exaudi Domine preces*. Ad Vesperum super psalmos antiphonæ *Juravit*; psalmi *Dixit* &c. ad Magnificat antiphona *Amavit eum*. Si fuerit sollemnitas *Infunde*.

In natali CONFESSORUM NON PONTIFICUM. In vigilia ad Vesperum capitulum *Beatus vir, qui suffert*; ℟. *Amavit*; hymnus *Iste confessor*; ℣. *Os justi*; ad Magnificat antiphona *Euge*; oratio propria, quæ si non habetur, dicatur oratio *Omnipotens sempiterne Deus, qui nos sancti*, cum prædicto capitulo in utroque Vespere vel Tertia decantanda. Invitatorium *Regem confessorum*, & ℟ia, sicut in antiphonario plenius designatur; hymnus & ℣. ut supra in natali pontificum; lectiones, ut in lectionario continentur. In Laudibus antiph. *Euge serve*; ℟. *Justum deduxit*; ℣. *Os justi*; ad Benedictus antiph. *Similabo eum*. Ad Missam officium *Os justi* vel *Justus ut palma*; Alleluja, *Amavit*; Alleluja, *Beatus servus*; offertorium *Veritas mea*, vel *Gloria & honore*; postcommunio *Domine quinque*, vel *Amen dico*. Ad Sextam & ad nocturnum in tribus lectionibus capitulum *Beatus vir, qui in sapientia*; oratio *Da nobis quæsumus omnipotens Deus, ut qui beati*. Ad Nonam capitulum *Beatus vir, qui inventus*; oratio *Adesto Domine*. Ad Vesperum super psalmos antiph. *Virgam*; psalmi *Dixit* &c. Ad Magnificat antiph. *Amavit eum*. In duodecim vero lectionibus possunt dici antiph. ad Magnificat *Clementissime*, & *O quam vere*, tam in vigilia, quam in festo. In festis vero trium lectionum in nocturno ista ℟ia decantentur *Euge*; *Amavit*; & *Magnificavit*.

In natali CONFESSORUM DOCTORUM. In vigilia ad Vesperum capitulum *Collaudabunt*; ℟. *Amavit*; hymnus *Iste confessor*; ℣. *Ecce sacerdos*. In sancto vero HIERONYMO, ℣. *Os justi*; ad Magnificat antiph. *Iste est, qui ante Deum*; oratio propria cum prædicto capitulo in utroque Vespere & Laudibus decantanda. Invitatorium *Regem confessorum*; hymnus, antiphonæ, ℣. psalmi, ℟ia, ut in antiphonario continentur, excepto quod in duodecimo loco dicitur ℟. *Iste est, qui ante Deum*. Ad cantica antiph. *Collaudabunt multi*, cantato

tato quoque ℟. *Iste est*; in festis trium lectionum tertio loco & antiphona *Collaudabunt*, ad Benedictus in tribus lectionibus decantatur. Homilia *Nemo accendit*. Officium ad Missam *In medio ecclesiæ*, cetera omnia fiant, ut supra. Quatuor autem doctores minores sunt isti: Sanctus HILARIUS, sanctus LEO, sanctus REMIGIUS & sanctus PROSPER.

In natali VIRGINUM. In vigilia ad Vesperum capitulum *Qui gloriatur*; hymnus *Jesu corona virginum* in tribus & duodecim lectionibus, Laudibus & in utroque Vespere decantandus, in cujus fine semper dicatur *Deo patri*; ℣. *Elegit eam*; ad Magnificat antiphona *Accinxit*; oratio propria, quæ si non habetur, dicatur *Deus, qui nos*, cum prædicto capitulo in utroque Vespere, Laudibus & Tertia decantanda. Invitatorium *Regem virginum*; hymnus *Virginis proles*; antiphonæ, psalmi, ℣. lectiones, ℟ia prout in antiphonario continentur. Ad Benedictus antiphona *Simile est*; in tribus vero lectionibus *Inventa bona*. Ad Missam officium *Loquebar*; ℟. *Propter veritatem*. Alleluja *Diffusa*; Alleluja *Specie tua*; Alleluja *O quam pulcra*; offertorium *Offerentur*; postcommunio *Simile est*. Item officium *Vultum tuum*, ℟. *Dilexisti*, alleluja, ut supra; offertorium *Filiæ regum*; postcommunio *Quinque prudentes*. Ad Sextam & ad nocturnum in tribus lectionibus capitulum *Æmulor enim*; oratio *Deus, qui nos annua*. Ad Nonam capitulum *Confitebor tibi Domine*; oratio *Da quæsumus omnipotens Deus, ut qui*. Ad Vesperum super psalmos antiph. *Ante thorum*; psalmi *Dixit &c.* ad Magnificat antiphona *Accinxit*. In omnibus Sanctorum & Sanctarum Dei festivitatibus propria dicantur officia; si vero propria non inveniuntur, tam nocturnis, quam diurnis horis, quam in celebrationibus Missarum uniformiter prædicta decantentur, nec ab aliquibus varientur, ut via regia gradientes ad illum vinculo caritatis copulati pervenire possimus, qui dicit, una est Columba mea, perfecta mea, immaculata mea, formosa mea, electa genitricis suæ non habens varietatem, maculam, neque rugam.

De CONSECRATIONE ECCLESIÆ pleniffimam sollemnitatem facimus. In vigilia ad Vesperum capitulum *Vidi civitatem*; ℟. *Fundata est*; hymnus *Urbs beata* totus; ℣. *Benedic Domine*; ad Magnificat antiphona *Zachæe*; oratio *Deus, qui nobis*, cum prædicto capitulo in utroque Vespere, Laudibus & Tertiis decantanda, cetera omnia fiant, prout in libris plenarie continetur. Si feria quarta festum trium lectionum occurrerit, epistola & evangelium ipsius feriæ, præcedenti feriæ tertiæ decantentur. Epistola vero Dominicalis & evangelium feria tertia & quinta cantantur, & feria quarta epistola ferialis & evangelium, nisi festum aliquod impediret. Ceteris autem feriis epistola seu evangelium feriale per anni cursum nequaquam legantur, cum in ipsis de angelis, de cruce atque gloriosa Virgine debeant officia frequentari. Ab adventu autem usque ad purificationem potest ferialis epistola sexta feria recitari. In festis trium lectionum finitis in vigilia psalmis ad Vesperum capitulum, ℟. hymnus, ℣. antiphona ad Magnificat & oratio de festo dicantur. Invitatorium de festo ferialiter cantatur. Hymnus vero & psalmi feriales cum suis antiphonis decantantur. ℣. antiphonæ lectiones & ℟ia, orationes, antiphonæ, in Laudibus de festo canuntur. Ad Primam antiphona de festo. Si vero Missa in Tertia celebratur, antiphonæ, capitulum, ℣. orationes de festo dicantur. Post Missam vero de festo nihil fiat; de quo festo tamen fiant tres lectiones. Si festum lectiones, ℟ia, & orationes proprias habuerit, decantentur; sin autem communes dicantur. Cum autem non inveniuntur de festo propriæ lectiones, de sermonibus pertinentibus ad festum dicantur. Temporibus quoque, quibus libri Novi Testamenti leguntur in ecclesia, possunt in festis trium lectionum ex ipsis libris recitari congrue lectiones, ut puta in epiphania usque ad septuagesimam de epistolis Pauli; ab octava resurrectionis usque ad ascensionem de Apocalypsi vel epistolis canonicis, & postmodum de actibus apostolorum usque in pentecosten; de libris autem Veteris Testamenti non consuevimus in aliquibus festis facere lectiones.

De ordine Præfationum. Cap. XIII.

PRæfatio de Nativitate Domini nocte ipsius Nativitatis Domini incipit decantari, & quotidie usque in epiphaniam Missis conventualibus, & purificatione Virginis gloriosæ percantetur. Præfatio epiphaniæ usque in octavam ipsius cantatur quotidie. Præfatio quadragesimæ a capite jejunii usque in quartam feriam hebdomadæ sanctæ diebus ferialibus iteretur. Præfatio resurrectionis sabbato Sancto cantatur hoc modo *Te quidem Domine omni tempore, sed in hac potissimum nocte gloriosius prædicare*; per octavam autem dicatur *Sed in hac potissimum die*. Verumtamen

tamen per octavam dicitur *Te quidem Domine omni tempore, sed in hoc potissimum gloriosius prædicare*, quæ omnibus diebus XII. lectionum usque in ascensionem Domini concinatur, inventione Crucis excepta, in qua propria ipsius Crucis præfatio præcantatur. Præfatio ascensionis usque in sextam feriam post octavam ejusdem ascensionis canatur. Præfatio pentecostes a sabbato præcedenti quotidie cantatur usque in sequens sabbatum inclusive. Præfatio de Trinitate dicatur quotiens ejus Missa cantatur, ab octava epiphaniæ usque in Dominicam septuagesimæ, & ab octava pentecostes usque ad adventum omnibus Dominicis diebus tam in matutinali Missa, quam Tertiæ, quando Missas de Dominica celebramus. Si vero festum fuerit duodecim lectionum prædictis diebus Dominicis, in quibus agatur officium de festo solummodo, præfatio Trinitatis non canitur, sed communis, vel si de festo præfatio propria reperitur. Si autem dictis diebus Dominicis festum occurrerit, de quo octo lectiones dicantur, & quatuor de Dominica, Missa matutinalis de festo cum feriali præfatione cantetur. In Missa Dominicali præfatio Trinitatis hora Tertia percantatur. Præfatio de Cruce in inventione ipsius, exaltatione, imaginis Dominicæ passione, & Missis matutinalibus post Primam, & semper cum Missa de Cruce dicitur, replicetur. Præfatio beatæ Mariæ tribus ejus sollemnitatibus & octavis, & quandocumque ipsius Missa canitur, decantetur. Præfatio apostolorum omnibus festis ipsorum & evangelistarum atque sancti Barnabæ cum octava beati Petri & Pauli cantetur; excipiuntur tamen festa beati Johannis-evangelistæ, Philippi & Jacobi, & Marci, cum inter dies paschales venerint, in quibus præfationes nativitatis, resurrectionis, & interdum ascensionis & pentecostes proportionaliter percantantur. Præfatio ferialis denique vel communis omnibus aliis Dominicis diebus festivis & ferialibus replicetur, quibus aliquam dictarum præfationum non descripsimus decantari.

De ordine orationum Missæ per totum annum, quæque & quo ordine orationes ad Missam in adventu dicuntur.

Cap. XIV.

In diebus Dominicis in adventu prima oratio de Dominica, II. *Deus cui omne*, III. beatæ Mariæ. In festis trium lectionum in Dominica: I. oratio de Dominica, II. de festo, III. *Deus, qui de beatæ Mariæ*. In festis XII. lectionum: I. oratio de festo, II. de Dominica, III. *Deus, qui de beatæ Mariæ*. In duobus festis quinta die: I. oratio de majori festo, II. de minori, III. *Deus, qui de beatæ Mariæ*. In ferialibus diebus feria secunda: I. de angelis, II. de Dominica, III. *Deus, qui de beatæ Mariæ*, IV. *Mentes nostras*, V. *Omnium Sanctorum*. Feria tertia: I. de Dominica, II. *Deus, qui de beatæ*, III. de pace, IV. *Omnipotens mitissime*, V. *Omnium Sanctorum*. Feria quarta: I. de Dominica, II. *Deus, qui de beatæ Mariæ*, III. *Exaudi*, IV. *Ure igne*, V. *Omnium Sanctorum*. Feria quinta: I. de Dominica, II. *Deus, qui de beatæ Mariæ*, III. *Mentes nostras*, IV. de sancto Benedicto, V. per totum annum dicitur, nisi festum XII. lectionum fuerit, *Omnium Sanctorum*. Feria sexta: I. de adventu, II. *Deus, qui de*, III. *Omnipotens mitissime*, IV. propria, V. *Omnium Sanctorum*. Sabbato: I. de sancta Maria, II. *Deus cui*, III. *Omnium Sanctorum*. In festis trium lectionum ferialibus diebus: I. oratio de festo, II. de Dominica, III. *Deus, qui de*, IV. & V. ut supra in ferialibus diebus, finale tamen non mutetur. In diebus Dominicis a nativitate Domini usque ad purificationem: I. oratio de Dominica, II. *Deus, cui omne cor*, III. *Deus qui salutis æternæ*. Si autem die Dominico festum venerit, secundo loco dicatur de festo. In natali Domini: Ad Missam de aurora, & matutinalem in festo Omnium Sanctorum duæ tantum dicantur orationes. In die sancti Stephani tres orationes dicantur, tertio loco: *Deus, qui salutis*. In die sancti Johannis: I. de sancto Johanne, II. de nativitate, III. de sancto Stephano. In festo Innocentium: Prima &c. V. loco dicatur: *Deus, qui salutis*. In die sancti Thomæ: Quinta oratio de Innocentibus. In vigilia sancti Silvestri: Prima dicatur de Nativitate, V. loco: *Deus qui salutis*. In sancto Silvestro: Prima oratio de sancto Silvestro, II. de Nativitate, III. de sancto Stephano, IV. de sancto Johanne, V. de Innocentibus. In circumcisione Domini: I. oratio de circumcisione, II. de sancto Stephano, III. de sancto Johanne, IV. de Innocentibus, V. *Deus qui salutis*. Si autem dies Dominicus venerit

nerit in vigilia epiphaniæ I. oratio dicatur de Dominica, II. de vigilia, III. *Deus qui salutis*. IN DUOBUS FESTIS XII. LECTIONUM INFRA OCTAVAM: I. oratio de majori festo, II. de minori, III. *Deus qui salutis*. IN OCTAVA SANCTI STEPHANI: I. de festo, II. de sancto Johanne, III. de Innocentibus, IV. *Deus, qui salutis*. IN OCTAVA INNOCENTIUM: I. de Innocentibus, II. *Deus, cui omne cor*, III. *Deus qui salutis*. IN VIGILIA EPIPHANIÆ: I. de vigilia, II. *Deus qui salutis*, III. & IV. de feria, V. *Omnium Sanctorum*. INFRA OCTAVAM, I. de epiphania, II. *Deus cui omne*, III. *Deus qui salutis*. IN FESTO TRIUM LECTIONUM IN OCTAVA: I. de epiphania, II. de festo, III. *Deus qui salutis*, IV. de feria, V. *Omnium Sanctorum*. IN FESTIS XII. LECTIONUM AB OCTAVA EPIPHANIÆ USQUE AD PURIFICATIONEM: I. de festo, II. *Deus cui omne*, III. *Deus qui salutis*. IN DUOBUS FESTIS QUINTA DIE: I. de majori festo, II. de minori, III. *Deus qui salutis*. IN FERIALIBUS DIEBUS feria secunda: I. de angelis, II. de Dominica, III. *Deus qui salutis*, IV. *Mentes nostras*, V. *Omnium Sanctorum*. SABBATO: I. de sancta Maria, II. *Deus, cui omne*, III. *Omnium Sanctorum*.

IN DOMINICIS ET FERIALIBUS DIEBUS A PURIFICATIONE USQUE AD SEPTUAGESIMAM, ET AB OCTAVA PENTECOSTES USQUE AD ADVENTUM: I. de Dominica, II. de Trinitate, III. Beatæ Mariæ. FERIA SECUNDA: I. de Angelis, II. de Dominica, III. *Mentes nostras*, IV. de congregatione, V. *Sancte Dei*. FERIA TERTIA: I. de Dominica, II. *Omnipotens mitissime*, III. de pace, IV. de vocabulo, V. Beatæ Mariæ. FERIA QUARTA: I. de Dominica, II. *Ure igne*, III. pro congregatione, IV. *Exaudi*, V. *Sancte Dei*. FERIA QUINTA: I. oratio de Dominica, II. *Mentes nostras*, III. de pace, IV. de sancto Benedicto, V. Beatæ Mariæ. FERIA SEXTA: I. oratio de Cruce, II. *Omnipotens mitissime*, III. de pace, IV. propria, V. *Sancte Dei*. IN FESTIS TRIUM LECTIONUM; FERIA SECUNDA: I. de festo, II. de angelis, III. de Dominica, IV. *Mentes*, V. *Sancte Dei*. FERIA TERTIA: I. de festo, II. de Dominica, III. *Omnipotens mitissime*, IV. de vocabulo, V. Beatæ Mariæ. FERIA QUARTA: I. de festo, II. de Dominica, III. *Ure igne*, IV. *Exaudi*, V. *Sancte Dei*. FERIA QUINTA: I. de festo, II. de Dominica, III. *Mentes nostras*, IV. de sancto Benedicto, V. Beatæ Mariæ. FERIA SEXTA: I. de festo, II. de Cruce, III. *Omnipotens mitissime*, IV. pro papa, V. *Sancte Dei*. SABBATO: I. de sancta Maria, II. de festo, III. Omnium Sanctorum. IN FESTIS DUODECIM LECTIONUM A PURIFICATIONE USQUE AD ADVENTUM DOMINI. Prima de festo, II. *Deus, cui omne*, III. Beatæ Mariæ, vel *Sancte Dei*. IN DOMINICIS DIEBUS A SEPTUAGESIMA USQUE AD OCTAVAM PENTECOSTES: I. de Dominica, II. *Deus cui omne*, III. Beatæ Mariæ. IN FERIALIBUS DIEBUS A SEPTUAGESIMA USQUE AD QUADRAGESIMAM. FERIA SECUNDA: I. de angelis, II. de Dominica, III. *Mentes nostras*, IV. de congregatione, V. *Sancte Dei*. FERIA TERTIA: I. de Dominica, II. *Omnipotens mitissime*, III. de pace, IV. de vocabulo, V. Beatæ Mariæ. FERIA QUARTA: I. de Dominica, II. *Ure igne*, III. *Exaudi*, IV. de congregatione, V. *Sancte Dei*. FERIA QUINTA: I. de Dominica, II. *Mentes*, III. de pace, IV. de sancto Benedicto, V. Beatæ Mariæ. FERIA SEXTA: I. de Cruce, II. *Omnipotens mitissime*, III. de pace, IV. pro papa, V. *Sancte Dei*. SABBATO: I. de sancta Maria, II. *Deus cui omne*, III. Omnium Sanctorum. IN FESTIS TRIUM LECTIONUM. FERIA SECUNDA: I. de festo, II. de angelis, III. de Dominica, IV. *Mentes*, V. *Sancte Dei*. FERIA TERTIA: I. de festo, II. de Dominica, III. *Omnipotens mitissime*, IV. de sancto Benedicto, V. Beatæ Mariæ. FERIA QUARTA: I. de festo, II. de Dominica, III. *Ure igne*, IV. *Exaudi*, V. *Sancte Dei*. FERIA QUINTA: I. de festo, II. de Dominica, III. *Mentes*, IV. de sancto Benedicto, V. Beatæ Mariæ. FERIA SEXTA: I. de festo, II. de Cruce, III. *Omnipotens mitissime*, IV. pro papa, V. *Sancte Dei*. SABBATO: I. de sancta Maria, II. de festo, III. Omnium Sanctorum. IN FERIALIBUS DIEBUS IN QUADRAGESIMA. FERIA SECUNDA: I. de feria, II. de angelis, III. *Mentes*, IV. de congregatione, V. *Sancte Dei*. FERIA TERTIA: I. de feria, II. *Omnipotens mitissime*, III. de pace, IV. de vocabulo, V. Bea-

v. Beatæ Mariæ. Feria quarta: i. de feria, ii. *Ure igne*, iii. *Exaudi*, iv. de congregatione, v. *Sancte Dei*. Feria quinta: i. de feria, ii. *Mentes nostras*, iii. de pace, iv. de sancto Benedicto, v. Beatæ Mariæ. Feria sexta: i. de feria, ii. de Cruce, iii. *Omnipotens mitissime*, iv. de papa, v. *Sancte Dei*. Sabbato: i. de feria, ii. de sancta Maria, iii. *Ure igne*, iv. de congregatione, v. Omnium Sanctorum. In festis trium lectionum in quadragesima. Feria secunda: i. de feria, ii. de festo, iii. de angelis, iv. *Mentes*, v. *Sancte Dei*. Feria tertia: i. de feria, ii. de festo, iii. de angelis, iv. *Mentes*, v. *Sancte Dei*. Feria quarta: i. de feria, ii. de festo, iii. *Ure igne*, iv. *Exaudi*, v. *Sancte Dei*. Feria quinta: i. de feria, ii. de festo, iii. *Mentes*, iv. de sancto Benedicto, v. Beatæ Mariæ. Feria sexta: i. de feria, ii. de festo, iii. de Cruce, iv. *Omnipotens misericors*, v. *Sancte Dei*. Sabbato: i. de feria, ii. de festo, iii. *Concede*, iv. *Ure igne*, v. Omnium Sanctorum. Feria sexta de passione: i. de feria, ii. *Omnipotens misericors*, iii. de pace, iv. pro papa, v. *Sancte Dei*. Si vero festum fuerit ea die, dicatur i. oratio de feria, ii. de festo, iii. *Omnipotens misericors*, iv. pro papa, v. *Sancte Dei*. In octava resurrectionis et pentecostes. Intra octavam resurrectionis & pentecostes per singulos dies una tantum dicatur oratio. Si autem festum fuerit trium lectionum, tres dicantur orationes, i. de octava, ii. de festo, iii. Beatæ Mariæ, vel *Sancte Dei*. Si autem festum duodecim lectionum venerit, Missa matutinalis dicatur, in qua fiant tres orationes; i. de octava, ii. de festo, iii. finalis. Ad Tertiam vero Missa de festo dicatur cum una tantum oratione de festo. In ferialibus diebus ab octava resurrectionis usque ad ascensionem Domini. Feria secunda: i. de angelis, ii. de Dominica, iii. *Mentes nostras*, iv. de congregatione, v. *Sancte Dei*. Feria tertia: i. de Dominica, ii. *Omnipotens misericors*, iii. de pace, iv. de vocabulo, v. Beatæ Mariæ. Feria quarta: i. de Dominica, ii. *Ure igne*, iii. de pace, iv. de congregatione, v. *Sancte Dei*. Feria quinta: i. de Dominica, ii. *Mentes nostras*, iii. de pace, iv. de sancto Benedicto, v. Beatæ Mariæ. Feria sexta: i. de Cruce, ii. *Omnipotens misericors*, iii. de pace, iv. pro papa, v. *Sancte Dei*. Sabbato: i. de sancta Maria, ii. *Deus cui omne*, iii. Omnium Sanctorum. In festis trium lectionum. Feria secunda: i. de festo, ii. de angelis, iii. de Dominica, iv. *Mentes nostras*, v. *Sancte Dei*. Feria tertia: i. de festo, ii. de Dominica, iii. *Omnipotens misericors*, iv. de vocabulo, v. beatæ Mariæ. Feria quarta: i. de festo, ii. de Dominica, iii. *Ure igne*, iv. *Exaudi*, v. *Sancte Dei*. Feria quinta. i. de festo, ii. de Dominica, iii. *Mentes nostras*, iv. de sancto Benedicto, v. Beatæ Mariæ. Feria sexta: i. de festo, ii. de Cruce, iii. *Omnipotens misericors*, iv. de pace, v. *Sancte Dei*. Sabbato: i. de sancta Maria, ii. de festo, iii. Omnium Sanctorum.

Feria secunda totius anni semper Missa angelorum dicitur, nisi festum seu alia justa causa impediat, & tunc oratio angelorum secundo vel tertio loco dicatur quotidie. Dominicales orationes de adventu usque ad sabbatum dicantur & in Missa matutinali; & si sollemnitas fuerit Dominicalis, oratio autem ab octava epiphaniæ usque ad cinerem, & ab octava pentecostes usque ad adventum per totam hebdomadam dicatur, præter feria sexta & sabbato, & duodecim lectionum. Dominicales autem orationes in quadragesima diebus Dominicis tantum dicantur. Dominica oratio ab octava resurrectionis usque ad ascensionem per totam hebdomadam dicatur, præter sextam feriam & sabbatum & in duodecim lectionibus. In letaniis autem & quatuor temporibus anni Dominicales non dicantur. In ferialibus autem diebus, si oportuerit, dicatur oratio pro iter agentibus, pro infirmis, pro serenitate & pluvia, vel alia causa, dimissis de illis de mediis orationibus ad libitum, finales tamen non mutentur. Feria tertia, nisi festum duodecim lectionum fuerit, dicatur oratio pro majori vocabulo ecclesiæ. Vocabulum tamen habentes beatæ Mariæ, beati Michaelis & sancti Salvatoris, has orationes dicere minime teneantur, cum eædem in qualibet hebdomada per totum ordinem celebrentur. Similiter oratio beati Benedicti quinta feria decantetur ab octava epiphaniæ usque ad septuagesimam, & ab octava pentecostes usque ad adventum, Dominicis diebus oratio de Trinitate dicatur. Si vero festum fuerit, secundo loco dicatur de festo, & tertio loco beatæ Mariæ. In Dominicis diebus si fuerit festum,

stum, de quo octo lectiones facere debeamus, ad Missam matutinalem de festo cantandam, prima oratio de festo, II. de Trinitate, III. beatæ Mariæ. Præfatio de Trinitate non dicitur, nisi ad Missam de Dominica. Si tamen habet festum proprium præfatium, dicatur, alioquin feriale cantetur. Si vero prædictis diebus Dominicis festum fuerit, de quo duodecim lectiones facere debeamus, & non de Dominica, prima oratio de festo, II. *Deus cui omne*, III. beatæ Mariæ vel *Sancte Dei*. Si vero plura festa fuerint, tunc oratio beatæ Mariæ dimittatur, & orationes ad festa pertinentes dicantur. Preterea si una die plura festa occurrerint duodecim lectionum, ita quod octo lectiones fiant de uno festo, & quatuor de alio; Missa matutinalis de uno, & Missa de majori festo in Tertia celebretur. Cum autem diebus Dominicis, vel duodecim lectionum diversa officia non habentur, Missa matutinalis vel dicatur, vel dimittitur juxta discretionem prælati, dummodo Missæ votivæ quotidie devotione debita frequententur.

De orationibus ad præparationem Missæ, cum sacerdos abluit sibi manus. „ Ablue Domine manus meas & cor meum, „ ut Sancti Spiritus templum effici merear. “

Flectendo genua ante altare. „ Domine Jesu Christe propitius esto mihi „ peccatori, ut dones mihi de præteritis „ malis meis veniam, de præsentibus emendationem, & de futuris largiri digneris custodiam, ut dignus sim accedere „ ad sanctum altare tuum, & sanctificare verum corpus & gloriosum sanguinem tuum. Qui &c. “

Quando se expoliat dicat. „ Exue me „ Domine veterem hominem cum actibus suis, & indue me novum hominem, qui secundum Deum creatus est „ in justitia sanctitatis & veritatis. “

Ad amictum. „ Pone Domine galeam „ salutis in capite meo ad expugnandas „ & superandas omnes diabolicas fraudes. “

Ad camisum. „ Indue me Domine vestimento salutis & intellectu spirituali. “

Ad cingulum. „ Præcinge Domine lumbos mentis meæ, & circumcide vitia „ cordis mei. “

Ad manipulum. „ Da mihi Domine „ manipulum gratiæ tuæ in manibus meis „ ad extergendas maculas cogitationis „ meæ, ut sine pollutione valeam nomen tuum laudare. “

Ad stolam. „ Stola justitiæ circumda „ Domine cervicem meam, & ab omni corruptione peccati purifica mentem meam. “

Ad planetam. „ Indue me Domine „ vestimento salutis, & intellectu spirituali. “ *Vel dicat*. „ Indue me Domine ornamento humilitatis, caritatis „ & pacis, ut undique munitus virtutibus bonis possim resistere hostibus mentis & corporis. “

Ad incensum. “ In nomine Patris, & „ Filii & Spiritus-sancti, amen. Benedicatur incensum istud, & acceptabile „ fiat in odorem suavitatis.

Ad introitum Missæ dicat. „ Adjutorium nostrum &c. Judica me Deus &c. „ Confitemini Domino. Deus tu conversus vivificabis. Ostende nobis Domine. Propitius esto de peccatis. Ab occultis. Domine exaudi. Dominus vobiscum. Oremus. “

Cum stat ante altare. „ Aufer a nobis Domine cunctas iniquitates nostras, „ ut ad sancta sanctorum puris mereamur mentibus introire. “

Quando osculatur altare. „ Oramus te „ Domine, ut per merita sanctorum tuorum, quorum hic sunt reliquiæ, mihi „ digneris omnia peccata mea indulgere. “

Benedictio diaconi. „ Dominus sit in „ corde tuo & in labiis tuis, ut competenter annunties evangelium pacis.

Diaconus osculans altare. „ Conforta „ me rex Sanctorum principatum tenens, „ & da sermonem rectum & bene sonantem in os meum ad annuntiandum sanctum evangelium pacis. “

Diaconus quando displicat corporale. „ Aures tuæ pietatis mitissime Deus inclina precibus meis, & gratia sancti „ Spiritus illumina cor meum, ut tuis „ mysteriis digne ministrare, teque æterna caritate diligere merear. “

Quando ponit aquam in calice. “ Ex „ latere Domini nostri Jesu Christi sanguis & aqua exisse perhibetur, & ideo „ pariter commiscetur, ut misericors Deus „ utrumque ad medelam animarum & „ corporum nostrorum sanctificare dignetur. “

Quando presbyter offert calicem. „ Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem. „ quam tibi offero pro me misero peccatore servo tuo, & pro omnibus fidelibus tuis vivis & defunctis, ut vivis „ proficiat ad salutem mentis & corporis, & defunctis prosit ad salutem animarum, amen. “

Benedictio calicis & hostiæ. „ In nomine Patris, & Filii & Spiritus-sancti, amen. Sit signatum & consecratum & benedictum hoc sacrificium, „ amen. “

Be-

Super hostiam. „ Sanctifica quæsumus
„ Domine hanc oblationem, ut nobis
„ unigeniti filii tui corpus fiat. “

Benedictio super calicem tantum. „ Sanctifica quæsumus Domine hunc calicem, ut nobis unigeniti tui sanguis fiat. “

Benedictio super utrosque. „ Acceptum sit omnipotenti Dei sacrificium istud. “

Cum ponit incensum in thuribulo. „ Per intercessionem sancti Gabrielis archangeli stantis a dextris altaris incensi dignetur Dominus incensum istud benedicere, & in odorem suavitatis accipere. “

Cum incensat. „ Incensum istud a te benedictum ascendat ad te Domine, & descendat super nos misericordia tua. “

Cum presbyter dat incensum diacono. „ Accendat in nobis ignem sui amoris, & flammam caritatis æternæ. “

Quando abluit sibi manus. „ Concede mihi omnipotens Deus, ita manus meas lavare, ut puro corde possim Dominicum corpus & sanguinem tractare. “

Cum abstergit digitos. „ Abstersorum Sanctorum tuorum Domine luctibus, & lacrymis, nostri cordis maculas absterge quæsumus omnium vitiorum. “

Cum benedicit hostiam cum calice. „ Veni sanctificator omnipotens æterne Deus, & benedic hoc sacrificium tibi præparatum. “

Inclinans se aliquantulum. „ Domine Jesu Christe, qui in cruce passionis tuæ de latere tuo sanguinem & aquam, unde tibi ecclesiam consecrares, manare voluisti, suscipe hoc sacrificium altari tuo superpositum, & concede clementissime, ut pro redemptione nostra totiusque mundi in conspectu divinæ majestatis tuæ cum odore suavitatis ascendat. Veni sanctificator omnipotens. “

Volvens se ad populum. „ Orate pro me fratres, ut meum propitius & vestrum suscipiat Deus sanctum sacrificium. “

Quando ponit partem corporis in Sanguinem. „ Fiat hæc commixtio & consecratio corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi omnibus nobis sumentibus salus mentis & corporis, & ad vitam æternam capessendam præparatio salutaris, amen. “

Quando communicat alios dicat. „ Corpus Domini nostri Jesu Christi mundet te ab omni peccato, & conservet animam tuam in vitam æternam, amen. “

Ad pacem. „ Domine Jesu Christe, qui dixisti discipulis tuis, pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis, ne respicias peccata mea, sed fidem ecclesiæ tuæ, eamque secundum tuam voluntatem pacificare, purificare & adunare digneris. Habete vinculum caritatis & pacis, ut apti sitis semper mysteriis Christi. Pax Christi & ecclesiæ semper abundet in cordibus nostris. “

Post communionem dicat: „ Quod ore sumpsimus Domine, pura mente capiamus, & de omni munere temporali nobis fiat remedium sempiternum. Corpus tuum Domine, quod accepi, & sanctus sanguis, quo potatus sum, adhæreat visceribus meis, ut non sit mihi ad judicium & condemnationem, sed proficiat ad perpetuam salvationem & ad remedium animæ meæ. “

Item dicat, antequam sacerdos sumat corpus Christi. „ Domine Jesu Christe filii Dei vivi, qui ex voluntate Patris cooperante Spiritu-sancto per mortem tuam mundum vivificasti, libera me per hoc sacrum corpus & sanguinem tuum a cunctis iniquitatibus & a cunctis malis meis, & fac me tuis obedire mandatis, & a te nunquam in perpetuum liberari aut separari. “

Post Missam dicat. „ Placeat tibi sancta Trinitas obsequium servitutis meæ, & præsta, ut hoc sacrificium, quod oculis tuæ majestatis indigne obtulimus, sit te miserante propitiabile. Per.

De Infantibus qualiter nutriantur.
Cap. XV.

INfantes ad ordinem nostrum suscepti sunt taliter instruendi. Excitati enim noctu a suis custodibus, post naturæ necessitatem, cæteros fratres dormitorium exeuntes cum custodia & lumine prosequantur. Qui siquidem stantes in choro ad abbatem facies habeant & priorem, nisi horarum principiis, quibus donec *Gloria Patri & Filio* finiatur, & cum dicitur a sacerdote Capitulum, donec *Gloria* brevis ℟ii terminetur, habere debent facies ad altare, necnon generaliter, quandocumque fratres ad altare habent obtutum, iidem habeant cum eisdem; in duodecim vero lectionibus ad Tertiam existentes ex parte abbatis revoluti versus chorum prioris, & ex parte prioris morentur versus chorum abbatis, se ad *Gloria Patri* non girantes, immo ad altare tantummodo inclinantes. Fallentes tamen in ecclesia ipsi iidem palmatorium magistro deferant, manus extensuri, ut pœnitentiam recipiant humiliter de delictis. In scamnis majorum nec sedendo, nec ali-

aliquid faciendo vel dicendo, nisi de sui magistri licentia speciali, exceptis ecclesiæ atque refectorii servitiis necessariis sollicite peragendis, prævaricantes gravissime puniantur. Quorum interest ℣, brevia ℟ia in Laudibus & Vesperis, *Benedicamus Domino*, antiphonas de Sanctis, lectiones in vigiliis defunctorum in ecclesia dicere & ad capitulum nuntiare super iis, qui majoris sunt capacitatis, per abbatis vel magistrorum providam prudentiam sit provisum.

Novitii, qui recipiuntur ad probationem, scapulari non cincto cum caputio possunt uti, & coronam portare in capite, cum inceperint, tunc in ordine nostro mansuri. Recipiendi tamen protestentur, utrum semper religiose vivere voluerint, an probare, si vitam monasticam potuerint tolerare; & si divinum officium nesciunt, & apti sunt ad discendum, instanter addiscant, quibus nisi ita didicerint, ut cantoriam facere possint, habitus nullatenus conferatur per biennium, vel etiam triennium expectantibus, cum ceteris non sessuris & lecturis pro fratribus suis ad mensam, uno post primum annum probationis dumtaxat pulmento reficiantur, donec ita didicerint, quæ in ecclesia perficere possint, cordetenus facere cantoriam, Missæ, officio hac notula non incluso; & hæc non solum ad recipiendos, sed ad receptos infra biennium extendatur.

De iter agentibus. Cap. XVI.

DIrigendi fratres in via, infirmitate gravi quam labore depressi, beatæ Mariæ atque regulare officium cum timore divino studeant celebrare, consumandum per infirmarium vel alium ad hoc idoneum. Illi, qui gravius infirmitate corporea fatigantur, in quorum historialibus capitula, orationes & alia divina officia, & Dominicalia, festiva, puta natalis Domini, epiphaniæ, festivitatum beatæ Mariæ, resurrectionis, ascensionis, & pentecostes natalis apostolorum, martyrum, confessorum atque virginum, cum aliis congruis brevissime componantur. Cetera, quæ majora historialia possint habere, omnimode commendamus, exorantes in Domino, ut cum fratres iter inceperint, primo dicant *Adjutorium nostrum in nomine Domini*, ℟. *Qui fecit cœlum & terram*. *Deus in adjutorium*, denuo repetendo *Gloria Patri*; psal. *Beati immaculati*, usque ad *Legem pone*; antiphona *In viam pacis, & salutis & prosperitatis dirigat nos omnipotens Deus, & angelus Domini bonus, qui fuit cum Tobia, & Jacob, comitetur nobiscum, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis, ut iter, actus, & negotia nostra laudabiliter & prospere peragere valeamus, & perveniamus ad propria claritatis æternæ; Amen; Benedicamus Domino* &c.

De opere manuum. Cap. XVII.

A pascha usque ad kalendas octobris fratres, si expedierit, ad manuum opus pergant. Sonata igitur tabula per priorem tribus percussionibus, fratres exuti cucullis conveniant ante capitulum ordinate, quorum quolibet in suo ordine persistente, abbas incipiat *Deus in adjutorium meum intende*, ter ab omnibus repetendum, cui adjuncto *Gloria Patri*, dicatur *Kyrie eleison*; *Pater noster*; *Et ne nos*; *sed libera nos a malo*. Deinde abbati dicenti *Adjutorium nostrum* &c. *Qui fecit cœlum & terram*. Abbate denique incipiente psal. *Miserere mei Deus*, ejusque chorus chorum prioris præcedat ex ordine; qui dimissa in claustro custodia ad opera manuum ita pergant. Et finito *Miserere mei Deus* cum *Gloria*, dicantur psalmi *Deus in nomine*; *Miserere mei Deus, miserere mei*; *Deus misereatur nostri*; *Deus in adjutorium*; & *Beati immaculati in via*, donec ad locum perveniant operandi. Quibus stantibus ordinate abbas dicat *Kyrie eleison*; *Pater noster*. Capitulum *Et veniat*; oratio *Actiones nostras* &c. *Dominus vobiscum*; *Benedicamus Domino*; ℟. *Deo gratias*, a quibus, nisi abbas eis de misericordia solverit, silentium teneatur, locuturis tantum necessaria & redolentia gravitatem. Custos autem, qui domi remanserit, hora Tertiæ pulset in campanili signum, quod fratres audientes opere dimisso ad claustrum redeant ordinate, dicendo psalmos, incipiente abbate psalmum *Verba mea*; *Domine dilexi*; *Credidi*; *De profundis*; *Voce mea*; *Deus exaudi*. Quibus reversis ad claustrum dicat abbas *Benedictus es Domine*, ter a fratribus repetendum, *Gloria Patri*; *Kyrie eleison*; oratio Dominicalis; Capitulum *Et veniat* &c. *Dominus vobiscum*; ℟. *Et cum spiritu tuo*. Oremus. *Omnipotens sempiterne Deus dirige* &c. Postea fratres pergant ad officia sua, Missam & Tertiam, si expedierit, cantaturi. Si vero locus laborandi procul distat, in tantum quod horis competentibus non possit rediri ad monasterium, remanens frater pro custode pulsare studeat omnes horas, dum tamen duo domi remaneant, qui possint divina officia celebrare. Fratres autem in laborandi loco

loco pergant officium suum cum genuflexionibus & aliis congruentiis peragendis, directe tamen dicant, Quod si eos comedere in agro vel prato contigerit, silenter vescantur, uno eorum legente, post comestionem æstivo tempore aliquantulum quieturi.

De officio infirmorum & sacra unctione. Cap. XVIII.

INfirmitate corporea frater cœlitus visitatus correptione divina correptus creatorem suum studeat cognoscere de suis cunctis excessibus, ab abbate, vel alio ipsius auctoritate præfecto absolutionem cum instantia petiturus. Qua percepta cum psalmo *Miserere mei Deus*; & si expedierit disciplina, confiteatur universaliter distinguendo per ordinem suorum omnium circumstantias peccatorum, si quid & ipse proprii, vel alii pro eo habuerint, prælato suo celeriter & integra redditurus rationem, & ipse sicut pater discretus suam licentiam sibi concedat habere. Quod si cœlesti manu gravius visitatus sollemnius confiteri voluerit, pulsata per priorem tabula in claustro, fratres vestiti cucullis silenter in ecclesiam pergant, ubi aqua benedicta, cruce, candelabris & incenso paratis, sacerdos alba indutus & stola, librum deferens cum ceteris egrediatur ecclesia, canendo septem psalmos cum antiphona abbate incipiente primum. Quorum egressus taliter ordinetur. Primo frater deferens aquam sanctam, secundo crucem, tertio deferentes candelabra, quarto incensum, quinto manutergium cum ciminilibus plenis aqua, sexto deferens oleum sacrum, septimo sacerdos, quem infantes cum magistris sequuntur, octavo ceteri fratres, & ultimo domnus abbas. Pervento igitur ad locum infirmi, consummatisque psalmis cum litaniis, sacerdos voce sonora dicat *Pater noster*; Capitulum, *Salvum fac servum tuum*; *Mitte ei Domine*; *Nihil proficiat*; *Esto ei Domine*; *Domine exaudi*; *Exurge Domine*; oratio *Omnipotens & misericors Deus*. Quibus expletis abbas infirmum interroget, utrum sacram voluerit recipere unctionem; cui frater infirmus respondeat volo, & sic confessionem faciat coram cunctis dicens *Confiteor Deo* &c. Cui respondeant fratres *Misereatur*. Tunc infirmus Crucem ab abbate sibi porrectam cum reverentia osculetur, ab abbate primo, & postea a cunctis fratribus per ordinem, & infantibus pacis osculum recepturus. Tunc sacerdos inungat infirmum, dicta oratione *Omnipotens sempiterne Deus, qui per beatos*; dicens: *Per istam unctionem & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid peccasti per visum*. Cui fratres respondeant. *Amen*. Idem per singulos sensus corporis peracturus, in pectore per ardorem libidinis, & in pedibus per incessum. Post unctionem vero cum panis medulla lotis manibus sacerdotis, unus fratrum habens parum stupæ nitidæ inuncta loca corporis abstergat ex ea, comburenda in igne pro tantæ reverentia unctionis. Fratres namque, dum linitur infirmus, psalmos dicant *Deus in nomine*; *Deus misereatur nostri*; & *Deus in adjutorium*, quibus, si expedierit, addatur psalmus *Beati immaculati*. Dum unctio consummatur, tunc sacerdos dicat *Pater noster*, capitulum, & oratio ut supra.

De communione infirmi. Cap. XIX.

INfirmus interrogatus, utrum communionem recipere voluerit respondeat: Volo, humiliter & devote. Tunc sacerdos corpore Christi delato, & unus fratrum cum lumine assistens infirmum communicet, loco fratribus adhuc morantibus in eodem. Sacerdos quidem porrigens infirmo viaticum dicat *Corpus Domini nostri* &c. dicturus post communionem eam orationem *Domine sancte pater*, dicendo *Benedictio Dei Patris omnipotentis, & Filii & Spiritus-sancti, amen*. Post hæc fratres redeant in claustrum cum psalmo: *Miserere mei Deus*, abbate incipiente; quibus, si fas fuerit, solvatur silentium ab abbate. Infirmo igitur ad exitum propinquante, etiamsi cibum sumpserit illo die communicando, corpus Dominicum offeratur, quatuor vel quinque fratribus ejus exitum observantibus per vices, dicentibus litanias, psalmos, quatuor Dominicales passiones. In spiritus vero emissione, qualiscumque hora fuerit, tabulam pulset custos infirmorum, ut in unum fratres singuli congregentur, *Credo in Deum*, simul dicentes, ℟. *Subvenite Sancti Dei*, communiter in circuitu stando lectuli cantaturi, cantu insciis alias preces fundentibus, atque psalmos. Sacerdos dicat super eum *Proficiscere anima Christiana*, cum aliis subsequendis, Cruce, aqua sancta, & thuribulo ad caput & pedes, postquam fratres custodire infirmum inceperint, preparatis. In spiritus tamen emissione pulsentur omnia signa tribus vicibus, & duobus fratribus præparatis cum aqua calida loturis & composituris corpus, vestiendo ipsum cum tunica & cuculla, cingulo, caligis & pedulibus, super quo fiant vigiliæ defunctorum. Quando vero corpus componitur, psalterium de-

decantetur. Corpus quidem monachi a monacho, conversi a converso, laici a laico abluendum noscitur, & etiam componendum. Loto itaque corpore, atque composito in feretro cum cooperimento, asperso aqua, & incensato dicantur orationes *Deus, qui justis; Delicta juventutis*, cum capitulo *In memoria*. Deinde cum corpore pergant cum aqua sancta, & incenso & aliis, ut superius duximus exprimendum. Ultimo defuncti corpus, quod quidem a cunctis fratribus, responsorium *Subvenite* canentibus quatuor fratribus, in ecclesiam deferatur, duobus fratribus quatuor cereos portantibus ante corpus cum luminaribus, fratribus feretrum præcedentibus universis, atque sonantibus omnibus campanis, donec corpus in ecclesia requiescat. Tunc dicantur vigiliæ atque Missa a prælato cum diacono & subdiacono in choro; & a cunctis sacerdotibus, si tempus permiserit, privatæ Missæ cantentur, duobus cereis ad pedes ejus positis, & duobus ad caput. Si autem ita sero expiraverit, quod eo die non sit sepulturæ tradendum, per totam noctem non desinat psalmodia.

De nocturnis & vigiliis defunctorum. Cap. XX.

NOcturnæ vigiliæ taliter a fratribus sunt agendæ. Nam peracturi vigilias scribantur in tabula per priorem, ut collatione finita coram fratribus recitentur. Post Completorium autem fratres in ipsa vigilia designati psalmos incipiant, vigiliam consummando, ut cum secunda vigilia venerit, unus ex eis in dormitorium pergens cum lumine secundæ vigiliæ fratres excitet moderate, quod idem in tertiis vigiliis est faciendum. Ceterum si media nocte expiraverit, ante Tertiam, si ante Sextam, bis fratribus edentibus, ante prandium sepeliatur. Si vero semel reficiunt, donec major Missa cantetur, corpus sepulturæ nullatenus est tradendum, in qua & ad Missam, quando ad Sextam reficitur, collecta pro defuncto dicitur; semper tamen si commode fieri potest ante capitulum sepeliatur. Verumtamen quacumque hora migraverit, sine Missa nullatenus tradatur sepulturæ, nec cibus ab aliquo fratrum sumatur, donec corpus humetur, si congrue fieri potest; quod providentiæ abbatis duximus committendum. In mane vero dicta Missa dicatur Vesperum mortuorum.

De faciendis collectis juxta feretrum defunctorum. Cap. XXI.

PUlsata squilla de choro tam monachi, quam conversi conveniant juxta feretrum. Tunc datis cereis cunctis fratribus a sacrista, abbas cum diacono & subdiacono albis indutis & pluviali solus dicat *Kyrie*; cui responso per fratres *Christe eleison*, reiteret, & insimul fratres subsequenter *Kyrie*, *Pater noster*, plane. Capitulum *In memoria æterna; Pretiosa in conspectu; Non intres; Requiem æternam*; oratio *Non intres*, quibus reverenter peractis, & misso ab abbate incenso in thuribulum, cantor incipiat *Subvenite*, quod dicentibus fratribus abbas cum diacono ad altare pergat incensaturus ex more altare; qui reversus ad feretrum, incensata Cruce atque corpore modo Crucis, aquam sanctam super corpus aspergat. Idem facturus post *Kyrie*, oratio *Fac quæsumus Domine* dicentibus fratribus *Heu mihi Domine*. Deinde tertio faciat abbas idem, oratio *Inclina*; ℟. *Memento*, in cujus finem *Requiem æternam* addatur. Mox abbas subsequenter *In paradisum*; psal. *In exitu*. Tunc campanis cunctis sonantibus venientes ad monumentum consistant in circuitu ordinati; & aperto sepulcro, cum a cantore dictum fuerit *Aperite*, abbas aspergat aqua sancta, & incenset monumentum ex more. Iterum cum dicitur *Ingrediatur*, in monumentum ponatur, aspergendum & incensandum ab abbate similiter. Postea clauso sepulcro, extinctisque cereis cantentur psalmi cum antiphona, & a sacerdote orationes, ut continentur in libro. Dictis igitur orationibus, antiphonis atque psalmis, scilicet *In exitu; Cum a...*, *In paradisum* & ceteris usque ad *Laudate Dominum de cælis*, dicatur *Benedictus* cum antiphona *Clementissime*. Deinde abbate dicente in voce, ceteri silenter dicant *Pater noster*, capitulum & orationem *Tibi Domine commendamus*. Postea dicatur antiphona *Dele Domine*, quæ tumulatis omnibus a prælato decantatur. Præterea dicto *Pater noster* cum capitulo dicat sacerdos *Deus cujus miseratione*, dicturus benedicendo corpori & signando *Benedictio Dei Patris & Filii & Spiritus-sancti, amen*. Illico subsequanter septem psalmi, si professus fuerit, alioquin *Si bona*. Revertentibus fratribus in ecclesiam ordinate abbas & albis induti cum tovaliis coopertis prosperis in locis duodecim lectionum & ceteri fratres morentur. Finitis itaque psalmis tantum in fine dicatur *Requiem æternam*, *Pater noster*, & ne

& ne nos; capitulum *A porta inferi*; oratio *Absolve*, qua dicta dicatur *Satisfaciat*, si fuerit professus; tandem sacris vestibus exuti eant ad capitulum ordinate, ubi absoluto silentio, abbas bonum perhibens testimonium defuncto animam ipsius absolvat, prout melius, & sollemnius reputat congruere. Tunc fratres ponentes manus super oras cucullæ, *Amen* cum reverentia respondeant. Quibus indicere non obmittat cuncta exequenda pro eo fideliter exequendo.

De fratre in eremo vel Fonte-bono migrante. Cap. XXII.

PRo monacho vel converso in Camaldulensi eremo vel Fonte-bono decedente tres Missæ a sacerdotibus in eremo & Fonte-bono, a non sacerdotibus tria psalteria decantentur, expensas, quas defunctus usque ad annum habere debuerat, pauperibus erogando. Conversis dicturis CL. *Pater noster* pro quolibet psalterio seu Missa, quod idem fiat in quolibet monasterio nostri ordinis de prælatis & monachis; hoc addito de prælatis, quod quidquid boni fecerint, ab eisdem infra XXX. dies ipsius prælati animæ deputetur, necnon unus pauper pro eo pascatur, dum vixerit ejus successor; hebdomadarius autem primo loco dicat orationem *Quæsumus Domine*, usque ad XXX. dies in Laudibus & Vesperis defunctorum, scribendo nomen defuncti in regula cum brevibus per ordinem dirigendis.

De Brevibus mortuorum. Cap. XXIII.

BRevia mortuorum ad monasteria ordinis nostri delata, ad capitulum mane recitentur cum psalmis mortuorum, qui non dicantur in capitulo more solito, sed tractato de ordine vadant in ecclesiam dicendo psal. *Domine ne in furore &c.* Quibus more duodecim lectionum in locis suis congregatis, abbas post *Pater noster*; capitulum *A porta inferi*, dicat orationem *Quæsumus Domine*, quæ semper, cum Brevia annuntiantur, usque ad tertiam diem tam in Missis, quam in aliis horis dicatur, & *Deus indulgentiarum*. Campanis semel sonantibus per bonum spatium atque magnum. Quorum mortuorum nomina in regula & matricula conscribantur. Commissorum vel commissarum nomina tantum in matricula conscribantur, atque usque in tertium diem oratio *Quæsumus Domine* frequentanda. De quorum Missis, psalteriis & *Pater noster* a sacerdotibus & non sacerdotibus, & conversis dicendis, ordo, ut supra, similiter teneatur. Et quia pro quolibet anniversario in capitulo recitato tot Missas foret difficile celebrare, sacerdos in Missa non sollemni secrete in commemorationem defunctos habeat, *Quæsumus Domine* subcinendo.

De priore Camalduli. Cap. XXIV.

PRo priore Camalduli nuper defuncto quilibet sacerdos tam eremi, quam Fontis-boni, quam universi ordinis Camaldulensis usque ad XXX. dies dicat Missam, non sacerdos XXX. psalteria, & quilibet conversus CCC. Pater noster. Hebdomadarius apud se dicat orationem *Quæsumus Domine*, secrete; pro quo in Fonte-bono unus pauper in victu & vestitu, dum successor ejus advenerit, teneatur; deputato sibi prima in ipsis prerogativa XXX. diebus, quidquid boni fiet in eremo, & Fonte-bono, atque per ordinem universum. Præterea quilibet prælatus nostri ordinis pro anima ipsius per annum teneat unum pauperem, sibi victualia ministrando; atque eadem mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis. Ita quilibet prælatus pro suo defuncto peragere studeat, quemadmodum fieri satagit a superstitibus pro se ipso.

De officio mortuorum quotidiano. Cap. XXV.

MOrtuorum officium a festo Sanctorum omnium usque ad X. kalendas januarii debitis diebus usque ad Missam, & ab octava epiphaniæ usque ad purificationem post nocturna dicatur; sequenti siquidem die omnium Sanctorum sollemnitatis celebrentur vigiliæ defunctorum, & cum diacono & subdiacono decantentur. Reliquis autem temporibus feria secunda tantum fiant octo lectiones & octo responsoria; quorum semper sit IX. *Ne perdideris*; tertia feria *In loco pascuæ*, cum lectionibus & responsoriis suis; quarta feria *Complaceat* cum ℟. III. *Memento*; quinta feria *Dirige*, cum lectionibus & ℟iis suis; sexta feria *In loco*; sabbato *Complaceat*, cujus ultimum ℟. sit *Memento*. Infra quos dies hebdomadæ, licet festum duodecim lectionum intervenerit, sequenti die nihilominus præfatus ordo servetur in ℟iis & psalmis. Prima tamen die, qua celebrare possumus officium mortuorum, novem fiant lectiones, & dicta vigilia dicantur Laudes *Exultabunt* psalmi *Miserere*, ℣. *Audivi*. Ad Benedictus antiph. *Ego sum*; *Pater noster*; capitulum *A porta inferi*; oratio *Deus indulgentiarum*; *Quæsumus Domine*; *Deus veniæ*; *Deus, qui nos patrem, & Fidelium*, quæ orationes semper in Laudibus

bus & Missis iterentur. A Purificatione autem usque ad quartam feriam hebdomadæ sanctæ, in qua dicendum est officium mortuorum, & ab octava pentecostes usque ad festum omnium Sanctorum dicantur vigiliæ mortuorum ante Vesperum regulare; & dicta antiphona ad Magnificat *Omne quod dat*, mox sequitur *Dirige*, excepto quod a prima Dominica quadragesimæ usque ad præfatam feriam hebdomadæ sanctæ dicatur officium mortuorum post cœnam; Vesperum autem mortuorum neque vigiliæ non dicuntur sero, cum Missa mortuorum sequenti die non fuerit decantanda. Item nomina mortuorum legantur sexta feria pro sabbato & Dominica, & feria secunda & die sabbati Missa celebretur pro ipsis. Si vero die sabbati festum fuerit duodecim lectionum, semper præcedat tamen recitatio mortuorum, quia in alicujus festi vigilia nulla mortuorum nomina recitantur, sed Missa in ipsa vigilia celebratur. Ad capitulum tres psalmi tantum dicantur, quando nomina recitantur, videlicet *Domine ne in furore*; *Credidi*; *De profundis*.

De refectione ciborum. Cap. XXVI.

Geminæ refectionis tempore hora sexta servitores mensæ, scilicet refectonarius, servitor, & lector in duodecim lectionibus dicto primo psalmo Sextæ, privatis vero diebus dicta Sexta regulari ecclesiam exeuntes primum pulmentum in refectorio habeant præparatum; deinde pulsato cimbalo a priore, lotis manibus in refectorio, fratres stantes cum facie versus Crucem, ad nutum abbatis in mensa versus humiliter se inclinent. Et pulsato signo ab abbate uterque chorus versus alium revolutus dicant *Benedicite*; *Oculi omnium* in mane; sero autem vel nona *Edent pauperes*, subsequendo *Gloria Patri*; & dicta oratione Dominica cum *Kyrie* hebdomadarius dicto *Et ne nos*, benedicat mensam dicendo *Benedic Domine dona tua* &c. Fratres incipientes *Gloria Patri*, curvi maneant, donec benedictionem receperit lector; qui *Et ne nos*, sacerdote dicente, pergens ante mensam abbatis curvetur, donec dicendum sit: *Jube domine*, se ad benedictionem inclinaturus, & iturus ad analogium ad legendum. Insuper fratribus discumbentibus nullus audeat gustare quidquid, nisi lector legere inceperit, & abbas inchoaverit manducare. Primo igitur & secundo pulmento poni a superioribus inchoato, & tertio cum omni misericordia fratribus largiendo; secundum ab infimis incipiatur poni ex latere prioris, pro venturis hospitibus semper duo fercula ponantur in mensa abbatis oleris & leguminum, cum aliis, quæ fratres intacta reliquerint usque in sequentem diem mundissime observanda. Si quis vero hebdomadariorum in refectorio quid damni commiserit, prostrato in terra toto corpore satisfaciat humiliter coram cunctis, & facto signo ab abbate surgat. Si cui autem discumbentium panis vel vinum in terram ceciderit etiam sine sonitu, vel mantile inciderit, vel de manu sibi sanguinem fuderit, nihilominus agat idem; & si quis aliquo indiguerit, signo potius quam voce utatur. Si quis frater aliquam benedictionem susceperit ab abbate, cum gratiarum actione de loco suo assurgens abbati reverenter inclinet. Et ex illa benedictione duobus sibi consedentibus fratribus, a dextris videlicet & a sinistris, non tamen alteri collaturus, ad abbatem nuntio redeunte eidem gratias impensuro. Fratres quoque recumbentes ad mensam cum caputiis in capite hyemali tempore, in æstate ipsa retinere nullatenus teneantur, per paropsides sociorum indiscrete oculos minime subvertentes. Obbas, quando bibunt, ambabus manibus amplectendo, evacuato prius ore, necnon abstersis digitis & mundatis, non reddituri bucellam vinosam ad paropsidem vel in sciphum, quod quidem considerandum est in cocleario, ut numquam a nobis, quando in scutellam mittitur, relinquatur, sed in circumferentia scutellæ incumbens super gausape stilus repauset. Præterea purgent, prout crebro expedit, sibi nasum, semper cum aliquo medio, scilicet lacinia, vel ora cucullæ, ut numquam tunc temporis premere nasum audeant munda manu, manicas cucullæ & manus mundissimas conservando. Servitor autem panem cœnaturis sine nutu abbatis addere indigentibus non obmittat. Facto sibi demum signo ab abbate post refectionem duo minores ex utroque latere veniant ante mensam abbatis, & humiliter se inclinent. Quorum alter lateris abbatis colligat de mensa abbatis, alio eumdem, ubi fecerunt reverentiam expectante, qui facta reverentia versus abbatem, uterque ex látere suo immunditias de mensa fratrum colligere studeat, singillatim omnibus fratribus inclinando, ipsis fratribus servitoribus inclinantibus alternatim. Post hæc ad abbatis mensam pariter venientes, unus a dextris & alius a sinistris, mantile mensæ abbatis extendant, post prandium idem mensis reliquis peracturi: post cœnam vero servitor lectione finita in canistro fragmenta & panes

nes pauperum de fratrum manibus recipiat reverenter. Facta igitur reverentia frater ex latere abbatis eidem tribuat tintinnabulum, facturo signum, ut *Tu autem Domine*, dicat lector ante mensam abbatis facturus reverentiam, & abbati postmodum tintinabulum porrecturus. Fratres autem, abbate pulsante signum, surgant ad mensam & si non jejunant, ℣. *Confiteantur*, si vero jejunant, vel in cœnis ℣. *Memoriam fecit* studeant decantare, uno choro versus alterum assistente; & dicto a sacerdote *Agimus tibi*, vel in cœnis vel in nonis dicat *Benedictus Deus; per Christum Dominum nostrum* tantum. Post hæc incipiente abbate *Miserere mei Deus* servitoribus curvis morantibus in exitu refectorii, fratres refectorium exeuntes, primo chorus prioris, deinde chorus abbatis humiliter studeant inclinare; & psalmo completo a fratribus in ecclesiam cum *Miserere mei Deus* venientibus, squilla de choro pulsetur usque ad *Et ne nos*; & dictis capitulis consuetis dicat hebdomadarius *Retribuere dignare*. Dicto autem *Miserere mei Deus*, quando meridianam facimus, fratres vadant in dormitorium ordinate, non declinantes ad dextram vel sinistram, quorum nullus dormitorium egredi audeat usque ad Nonam, nisi de superiorum licentia speciali. Ad mensam quoque expositio evangelii est legenda; quam incipiens non pronuntiet *Lectio sancti evangelii*, sed *In illo tempore*, dicat tantum, cum lectione Novi & Veteris Testamenti, passionibus & actibus Sanctorum, cum ipsorum festivitates celebrantur, quatenus in ecclesia pro tempore decantantur.

De generali minutione sanguinis & potione medicinæ. Cap. XXVII.

Sanguinis minutionem bis in anno faciendam, scilicet post Pascha circa festum sancti Michaelis in mense madii, & post Purificationem concedimus indigentibus generalem, quibus temporibus misericordia plus solito fratribus largiatur, per quatuor dies mane & sero plenam misericordiam habituris; dum tamen ita provideatur, ut alterutra medietate sibi minutionem faciente, reliqua remaneat in conventu. Fratres vero præter hæc tempora sibi facturi minui, misericordiam habeant sicut superiores, fratribus nihilominus remanentibus in conventu eadem misericordia gavisuris.

Præcipimus, quod tempore potionis generalis sumendæ taliter abbas procuret cum consilio medicorum omnia facere præparari, quod secundum complexionem uniuscujusque sui monachi salubris unicuique potio præbeatur. Et si locus non est aptus ad hoc habendum, teneatur persolvere decem solidos cuilibet. Accepturi namque potionem plenam habeant in victualibus & in omnibus aliis eisdem necessariis misericordiam sex diebus ubique per omnia monasteria ordinis nostri, ut cum sospitate corporea & pacifica voluntate valeant omni tempore pacifice famulari.

De Mandato fratrum quolibet sabbato peragendo. Cap. XXVIII.

Quolibet die sabbati sine intermissione cum timore divino Mandatum post Vesperum est fiendum. Si dies igitur fuerit jejunii, post vespertinam refectorii bibitionem, sin autem, post mensam cenæ secundam hora congrua; duodecim percussionibus pulsata tabula fortiter a priore, fratres congregati ex more constituto in loco sedeant ordinate, peracta prius reverentia versus Crucem. Interea per servitorem intraturum aqua frigida, & per utrumque aliis ad pedes abluendos expedientibus, & per sacristam pelvi paratis, futurus hebdomadarius linteo se præcingat, cujus collega scilicet hebdomadarius præteritus cum aqua pelvim accipiens pedes abluere studeat reverenter abbatis, ceteris fratribus similiter peracturus, a domno abbate *Mandatum novum* antiphona inchoata. Attamen, si prior foret hebdomadarius, in abbatis absentia ejus armarius vel alter pro eo servitium pergat gesturo vicem abbatis. Intraturus quidem hebdomadarius pedes continuo lotos tergat abbatis cum linteo per ipsum tersos cum reverentia osculandos, cunctis idem facturis pedes sibi sine aliqua excusatione loturis, causa excepta infirmitatis, vel justo impedimento aliquo excusante. Quod si quis vitiose neglexerit, animadversione regulari mulctetur; impeditus tamen rationabili causa innuat abbati capite inclinato ad pedes humiliter ponens manum. Pedum demum lotione peracta, a prædicto hebdomadario, post lintei lotionem futurus aquam tribuat ad abluendum manus ipsius frequenter, ut manus tergat manutergium porrecturus eidem. Proinde præteritus futuro aquam manibus porrigat versa vice, quorum alter puta præteritus hebdomadarius abbatis manibus aquam exhibeat. Cui videlicet abbati futurus hebdomadarius gausape ad tergendum studeat exhibere; idem ceteris peracturis. Post hæc abbate incipiente antiphonam *Congregasti*

sti sibi per suum armarium nunciatam, & a sacrista signo in campanili pulsato, reverentiam ante se faciant servitores. Insuper lector benedictione ab abbate recepta collationem legat, servitoribus in loco sedentibus constituto. Abbas quoque lectis uno vel duobus versibus signum faciat servitoribus, ut in refectorium pergant paraturi vinum, & si oportuerit, luminaria super mensas. Mox abbas dicto *Benedicite* a fratribus, stans benedicat vinum dicendo *Potum caritatis benedicat dextera Dei Patris*, cui respondeatur *Amen*. Postquam bibituri sunt fratres dicat abbas *Adjutorium nostrum in nomine Domini*. ℟. *Qui fecit cœlum & terram*. Post reverentiam versus Crucem peractam vadant in ecclesiam ordinate Completorium cantaturi.

De Mandato pauperum quotidiano.
Cap. XXIX.

MAndatum pauperum quotidie absque ulla interpolatione a duobus fratribus est fiendum, quibus est quolibet sabbato nunciandum per tabulam, ut hoc Christi pauperibus exequantur taliter peragendum. Nam hebdomadarii fratres ingressi ecclesiam peracta oratione flexis genibus in feria, & a majori *Adjutorium nostrum*, dicto incipiant *Miserere mei*, ad locum properantes, coram quibus prostrati adorent in eis Cristum filium Dei vivi. Et post psalmos dicta oratione Dominica, alter eorum dicto *Et ne nos*, & Capitulum *Ostende*, dicant orationem *Actiones nostras quæsumus Domine*. Deinde aquam pauperum manibus tribuentes incipiant antiphonam *Mandatum novum*. Postea prostrati veniam facientes pariter dicant *Tu lavasti pedes discipulorum tuorum*; *Opera manuum tuarum ne despicias*; *Dominus vobiscum*. *Oremus*: *Adesto Domine officiis servitutis nostræ* &c. Qua dicta benedicant cibum dicentes *Benedicite*. *Edent pauperes*. Pauperes quidem cibariis refici debent fratrum. In sollemnitatibus autem abbas cum hebdomadariis duodecim pauperibus vel pluribus mandatum facere debeat, eorum manus humiliter abluturus. Quibus finitis revertantur in ecclesiam dicentes psalmos *Deus misereatur*; *Miserere mei Deus*, *miserere mei*; *Pater noster*; Capitulum *Ostende*; oratio *Omnipotens sempiterne Deus dirige actus nostros in beneplacito tuo, ut in nomine dilecti filii tui mereamur bonis operibus abundare; qui vivit & regnat Deus*. *Amen*.

Benedictiones Dominicis diebus & aliis sollemnitatibus, exceptis festis Sanctorum, recitandæ. Cap. XXX.

BEnedictione perpetua benedicat Pater æternus.
Unigenitus Dei filius nos benedicere & adjuvare dignetur.
Spiritus-sancti gratia illuminet Dominus mentes nostras.
In unitate sancti Spiritus benedicat nos Pater & Filius.

In secundo nocturno.

Dextera Dei Patris det nobis gaudia pacis.
Benedicat nos Christus, qui est vera salus & virtus.
Ignem sui amoris accendat Christus in nobis
A cunctis vitiis & peccatis purget nos virtus sanctæ Trinitatis.

In tertio nocturno.

Verba sancti evangelii doceat nos Christus filius Dei vivi.
Evangelica lectio fiat peccatorum nostrorum remissio.
Evangelica doctrina repleat nos virtus divina.
Per evangelicam lectionem det nobis Dominus suam sanctam benedictionem.

In ferialibus diebus.

Nos Deus in regno faciat gaudere superno.
Nos Deus a culpis dignetur absolvere cunctis.
Nos benedicat pius mundi gubernator istius.

In secundo nocturno.

Nos benedicat & salvet, qui cuncta gubernat & auget.
Nos benedicat bonus, cujus est super æthera thronus.
Nos benedicat æterno, qui fulget throno superno.

In festis sanctæ Mariæ.

Nos regat in pace natus de virgine matre.
Nos cum prole pia benedicat virgo Maria.
Nos in pace pia defendat virgo Maria.
Oret voce pia pro nobis virgo Maria.
Per virginem matrem salutem consequamur & pacem.

In secundo nocturno.

Virgo Deo plena regna det nobis amæna.
Virgo mater munda det nobis regna jucunda.
Virgo mater Dei populo succurre fideli.
Mater sancta Dei nos ducat ad gaudia cœli.
Nos benedicat piæ proles veneranda Mariæ.

Tem-

Tempora pacata det nobis virgo beata.

In festis Sanctorum.

Sanctorum festa depellant cuncta molesta.
Gaudia cum Sanctis capiamus actibus almis.
Cujus festum colimus, ipse intercedat pro nobis ad Dominum.
Nos prece Sanctorum sumat Deus arce polorum.
Sanctorum choris nos Christe junge decoris.
Gaudia Sanctorum det nobis rector eorum.
Munera Sanctorum det nobis rex seculorum.
Sanctorum flores det nobis Christus & mores.
Sancti per intercessionem det nobis Dominus suam sanctam benedictionem.
Sanctorum mentem da nobis Christe ferventem.
Festivitas hodierna nos ducat ad regna superna.
Sanctorum vitam da nobis Christe concupitam.

Ad capitulum.

Divinum auxilium maneat semper nobiscum.

Ad mensam.

Cibo spirituali reficiat Dominus mentes nostras.

Ad completorium.

Noctem quietam & finem perfectum concedat nobis omnipotens Dominus.

Capitulum ad collationem.

Finem loquendi omnes pariter audiamus. Deum time & mandata ejus observa; hoc est enim omnis homo. Tu autem Domine miserere nostri. Deo gratias. Amen.

Hic desiderantur capp. XXXI. & XXXII. *De modis Missarum & quorumdam aliorum officiorum. De modis Hymnorum.*

Expliciunt consuetudines officiorum Camaldulensis ordinis. Perusinensis Romualdus quoque Camaldulensis. Anno Domini. M. CCCC. XXVI.

Ad annum 1259. Capitulum eremi Camaldulensis, quo electus fuit anno M.CC.LIX. in priorem generalem Jacobus pœnitentiarius, videsis ad eumdem annum *pagina* 47. *Tomi V.*



INCIPIT CONSTITUTIO OLIM BONÆ MEMORIÆ DOMINI OCTAVIANI CARDINALIS ANNO M. CC. LXXI.

PROEMIUM.

Ad lib. XLIII. *num.* 2.

OCTAVIANUS miseratione divina sanctæ Mariæ in via lata diaconus cardinalis religiosis viris in Christo sibi dilectis priori, conventui, abbatibus, prioribus & monachis universis Camaldulensis ordinis in generali capitulo apud Arretium congregatis, & alibi per totum ordinem constitutis salutem & in religionis observantia sanctorum patrum antiquorum imitari fervorem.

Cura commissi regiminis jugi mente nostram sollicitudinem pulsat & provocat, ut ad ea convertamus nostræ diligentiæ studium, per quæ commissus nobis ab apostolica sede Camaldulensis ordo, qui olim puritate sanctitatis viguit, religionis honestate refulsit, circa ea præcipue, in quibus lapsu temporis & neglectu pariter jam deduci videatur ad lapsum, auctore Deo reformetur ad pristina, & quasi resurgens quibusdam sanctæ novitatis indiciis crescat jugiter, & de die in diem salutaribus proficiat incrementis; ideoque quasdam ordinationes & constitutiones, quas huic reformationi congruas vidimus, præsenti scripto vobis duximus dirigendas, ipsasque ad initiandam reformationem hujusmodi quasi quoddam prævium a vobis omnibus & singulis recipi volumus, & præcipimus inviolabiliter observari.

De capitulo generali, quod annis singulis celebretur, particularia vero numquam. Cap. I.

ORdinamus igitur atque statuimus, quod capitulum generale in ordine Camaldulensi annis singulis omni occasione postposita apud Camaldulum vel alibi, ubi & quando prior Camaldulensis & definitores præcedentis capituli generalis ordinaverint, celebretur, non obstante constitutione antiqua Camaldulensis ordinis, in qua dicitur, quod hujusmodi generale capitulum de triennio in triennium debeat celebrari. Particularia enim capitula, quæ juxta tenorem constitutionis ejusdem duobus annis mediis celebrari

lebrari debebantur de ordine, penitus removemus.

Qualiter eligantur definitores? Cap. II.

CONgregatis autem ad idem generale capitulum, qui fuerint congregandi, die ad hoc statuto postquam, secundum quod moris est, invocata Spiritus-sancti gratia fuerit, & verbum Dei propositum in communi, quatuor de discretioribus & magis idoneis, qui vocem habuerint in capitulo, per disquisitionem prioris Camaldulensis & dominorum aliorum, quos ipse secum assumpserit, a toto capitulo eligantur hoc modo. Prædicti siquidem tres voluntatem singulorum singillatim & seorsum aliquantulum in eadem domo coram oculis omnium disquirant fideliter; deinde incontinenti & in eodem loco, antequam aliqui discedant, vel ad invicem colloquantur, publicent in medium, expressis nominibus eligentium & electorum, & in quibus plures se concordaverint, illi pro definitoribus habeantur. Si autem in electione partes inveniuntur æquales, ille vel illi, in quem vel quos prior Camaldulensis declinaverit, definitores existant. Istis quatuor definitoribus semper adjungantur duo de eremitis eremi Camaldulensis, quos omnes eremitæ tam aperti, quam reclusi pariter, & eorum major pars duxerit eligendos, & ipsi una cum priore Camaldulensi & prædictis quatuor definitoribus ad omnia definienda pariter admittantur. Prædicti vero sex definitores cum priore Camaldulensi omnia definient & terminabunt. Qui si in suis definitionibus in partes æquales se diviserint, eorum sententia prævalebit, in quorum partem prior Camaldulensis declinaverit; si vero in partes inæquales, obtineat sententia plurium.

Qualiter corrigatur prior Camaldulensis? Cap. III.

DEfinitores itaque prædicti postquam in capitulo se accusaverint, vel fuerint ab aliis accusati, excessum prioris Camaldulensis seorsum in eorum præsentia tantum corrigant & emendent, qui coram ipsis humiliter veniam faciens de suis excessibus se accuset, & definitores, qui eum accusare voluerint, audiat patienter. Si qui autem alii eum accusare voluerint, per aliquem definitorum hoc faciant, vel accusationem suam in scriptis eis tradant. Quam accusationem, si quis probare nequiverit, si prior ipse negaverit, prædicti definitores de ipsius accusantis scilicet correctione conferant & disponant. Quod si prævaricator ordinis fuerit, aut contemptor, vel adeo negligens & remissus, quod ordinis destructionem & dissolutionem inducat, moneatur a definitoribus, ut prioratui cedat; quod si facere sponte voluerit, dicti definitores cessionem ejus admittant, & tunc statim alius prior eligatur juxta formam in constitutionibus Camaldulensis ordinis expressam; si vero renuntiare sponte noluerit, tunc omnia, quæ de ipso invenerint, fideli scripto sigillo eorum communiter sigillato ad nos referant, vel ad alium, cui pro tempore Camaldulensis ordo esset ab apostolica sede commissus, ut ipse super hoc provideat, quod utilitati ordini viderit expedire.

De auctoritate definitorum in prælatis & subditis corrigendis. Cap. IV.

DE minoribus vero culpis & excessibus corrigant & reforment tam in ipso priore Camaldulensi, quam in singulis personis ordinis Camaldulensis, quæ ad correctionis & reformationis officium noverint indigere. Poterunt nihilominus dicti definitores simul cum priore, vel quando major pars ipsorum concordaverit, absolvere abbates, priores & alios prælatos ordinis, quos decreverint merito suis culpis exigentibus absolvendos.

De rigore Camaldulensis eremi providendo. Cap. V.

AD eosdem etiam pertinebit diligenter inquirere, utrum in eremo Camaldulensi custodiatur debitæ consuetudinis observantia; si solitus fervor antiquæ religionis ibi vigeat, si rigor eremitici cultus & disciplina servetur; utrum eremitis illis, qui soli Deo sine intermissione vacare debent, necessaria & solita stipendia opportunis temporibus ministrentur; utrum sit ibi eremitarum solitus seu debitus numerus, & cuncta diligenter ibidem disponant, quæ ad honorem & cultum divinum pertinere noverint & Camaldulensis ordinis honestatem. Volumus enim atque præcipimus, quod ad hæc omnia in eadem eremo firmiter observanda prior Camaldulensis vigilanter attendat, & si non fecerit vel negligens fuerit, per dictos definitores acriter puniatur.

De inclusis eremi eremitis. Cap. VI.

STatuimus insuper, quod eremitis clausis liceat quolibet die Dominico, si voluerint, summo mane ad ecclesiam convenire; & tunc teneatur eis capitulum, & si qua cum ipsis habenda sunt consilia vel tractanda negotia, expediantur ibidem,

dem, ac celebretur Missa privata, & recipiant Corpus Christi. Si vero in hebdomada aliqua emerserint ardua negotia, pro quibus sint eorum consilia requirenda, semel in septimana, si opus fuerit, poterunt convenire. Volumus enim, quod non seorsum per cellas, sed simul in capitulo ipsorum consilia requirantur & dentur. Semper autem dum vadunt & redeunt, silentium more solito servare studebunt.

Quot diebus debeat durare Capitulum generale? Cap. VII.

PRædictum autem generale capitulum durabit tribus diebus juxta constitutiones & formam ordinis, vel amplius si necessitas fuerit, & definitores prædicti vel major pars eorum viderit expedire.

De diligenti custodia circa correctiones, & ordinis disciplinam. Cap. VIII.

AD hæc statuimus, quod si casu aliquo priorem Camaldulensem capitulo contigerit non adesse, Major eremi, si capitulum fiat Camalduli, teneat vices ejus. Quod si Major in dicta eremo tunc non esset, aliquis alius, quem eremitæ duxerint eligendum, vices prioris Camaldulensis in ipso capitulo exequatur. Si autem contigerit capitulum alibi celebrari, abbas vel prior illius monasterii, ubi capitulum celebratur, quantum ad electionem definitorum pertinet, teneat locum dicti prioris. Definitores autem electi simul cum eremitis ad definitionem electis de aliquo alio a se ipsis, qui in toto capitulo vices domini prioris teneat, providebunt.

Quis debet Major esse absente priore in capitulo generali? Cap. IX.

ET quoniam circa correctionem & disciplinam ordinis diligens est adhibenda custodia, ne totum quod a sanctis patribus cum multis laboribus ædificatum est, per torporem atque desidiam in destructionem veniat & ruinam, statuimus atque præcipimus, quod prior Camaldulensis, & definitores in suis definitionibus, visitatores in visitationibus, abbates & alii prælati in suis locis & monasteriis circa correctiones & pœnitentias transgressoribus regulæ & constitutionum ordinis imponendas curam & sollicitudinem adhibeant diligenter, ut servetur cultus monastici ordinis, & transgressorum pœna sit aliis in exemplum. Et propter hoc districte mandamus, quod ea quæ de correctionibus & disciplina religionis in regula beati Benedicti & constitutionibus ordinis scripta sunt, prædicti prælati in semetipsis servare studeant, & cum exacta diligentia faciant ab aliis observari, cum nil prosit pro regularibus observantiis multa scribere, & pauca per observantiam operis executioni mandare. Idcirco volumus, quod transgressores ejusdem regulæ ac constitutionum Camaldulensis ordinis juxta pœnas in eisdem positas puniantur. Qui vero transgressores fuerint illarum constitutionum, in quibus specialis pœna taxata non est, pensato culpæ atque transgressionis modo, ipsorum pœnitentiæ ad pœnam gravis vel gravioris culpæ, prout illi, qui hoc punire habent arbitrandum duxerint, reducantur.

De pœna comedentium carnes. Cap. X.

PRæceptum autem regulæ beati Benedicti & constitutionum ordinis de carnibus non comedendis, præcipimus inviolabiliter observari, & volumus, quod transgressores eorum per visitatores facta super hoc diligenti examinatione, in omnibus monasteriis & locis, quæ visitaverint, juxta formam ipsius constitutionis absque dispensatione aliqua puniantur. Quod si dicti visitatores id inquirere & punire contempserint vel forte neglexerint, pœna, quæ dictis transgressoribus imponenda fuerat, per priorem Camaldulensem & definitores capituli generalis duplicetur eisdem.

Ad quorum auxilium possint recurrere, qui in correctionibus senserint se gravatos? Cap. XI.

OMnes autem fratres ordinis tam prælati, quam alii correctionem sibi a suis superioribus factam humiliter & devote suscipiant, & de ipsa non murmurent, nec resistant. Si qui vero a suis superioribus contra formam regulæ & consuetudinem Camaldulensis ordinis senserint se gravatos, juxta formam regulæ in constitutionibus ipsis expressam ad priorem Camaldulensem poterunt habere recursum. Quod si prior ipse modo debito eos non audiret, ad definitores capituli generalis recurrant; quod si nec ipsi eos audierint, cum literis prioris Camaldulensis vel ipsorum definitorum causam taliter oppressorum continentibus, quas idem prior vel definitores in hoc casu oppressis exhibere teneantur, contraria constitutionis ordinis & sententia excommunicationis in eadem perlata nequaquam obstantibus, libere valeant recurrere ad nos vel ad alium, cui pro tempore cura ordinis esset ab apostolica sede commissa.

Et

Et hoc intelligimus tam de subditis, quam de prælatis, si a priore Camaldulensi vel a visitatoribus indebite gravarentur contra formam constitutionum Camaldulensis ordinis, sicut superius est expressum. Provideant tamen proclamantes hujusmodi, quod ad superiorem indebite non proclament; si qui enim indebite proclamasse reperti fuerint, vel correctionem debitam subterfugere conati fuerint, seu procuraverint, per suos superiores, ad quos recursum habuerint, volumus, ut acrius puniantur.

De visitatoribus eligendis, & de modo visitationis. Cap. XII.

VOlumus præterea & firmiter præcipiendo mandamus, quod in quolibet capitulo generali semper eligantur a priore Camaldulensi & definitoribus duo vel quatuor visitatores vel plures, si necesse fuerit, viri religiosi Deum timentes, zelum habentes ordinis, ac munera non sequentes; qui secundum formam in constitutionibus Camaldulensis ordinis visitatoribus traditam totum ordinem tanta diligentia & æquitate visitare studeant, & commissum eis officium tam circa prælatos, quam circa subditos exercere, quod eorum visitatio procedere videatur ex alto, & quod alios visitando nil faciant vel obmittant, quod postmodum visitetur in illis; nec sit apud eos aliqua personarum acceptio, & a justitia & rectitudine, cujusque precibus vel minis, vel promissionibus, seu muneribus non flectantur; sed sicut judices æqui in quolibet id, quod Dei offendat oculos, & ordinis Camaldulensis honestatem minuat, quisquis ille fuerit, ea curabunt severitate punire, quod ex facilitate veniæ nulli tribuatur occasio similia committendi. Prædicti autem visitatores semper bini semel in anno, tempore videlicet, quo eis magis videbitur expedire, visitabunt eremum, & provincias & monasteria ordinis, secundum quod prior Camaldulensis & definitores prædicti distribuerint vel diviserint inter eos. Quod si aliquem ex dictis visitatoribus interim mori contigerit, vel alias etiam impediri, prior Camaldulensis de consilio eremitarum substituat alium loco ejus. Provideant autem visitatores prædicti, quod de sua visitatione tali tempore se expediant, quod semper in capitulo generali sint præsentes reddituri rationem visitationum, quas fecerunt, & statum monasteriorum & personarum, sicut invenerunt, priori Camaldulensi, & definitoribus fideliter relaturi. Volumus enim, quod prædicti visitatores, si quos excessus in sua visitatione commiserint, vel negligentes in visitando fuerint, vel munera receperint, quod omnino prohibemus, recipi per dictos priorem & definitores pœna gravis culpæ, vel amplius, si eis videbitur, puniantur, nec assumantur ad consimile officium, nisi cum eis fuerit per priorem Camaldulensem & definitores capituli generalis dispensatum. Si quis autem ipsorum in tantum malum progressus fuerit, quod in visitatione pecuniam vel quodlibet munus per se vel interpositam personam acceperit, re ipsa, quam acceperat, omnino privetur; & si prælatus sit, per priorem Camaldulensem & definitores, quantum ipsi expedire viderint, ab administratione spiritualium & temporalium suspendatur. Si vero fuerit subditus, pœnam gravioris culpæ per dies septem & amplius, si priori Camaldulensi & definitoribus videbitur, sustinebit. Porro si visitatores prædicti in abbatibus, prioribus, & prælatis aliis ordinis aliqua gravia & periculosa invenerint, quæ possint inducere infamiam, vel monasteriorum & locorum aliorum, seu ordinis aliquod grave vel importabile detrimentum, tunc de consilio circumadjacentium prælatorum, quos secundum formam in constitutione ordinis de visitatione tradita ad hoc vocandos duxerint, suspendendi eos ab administratione spiritualium & temporalium usque ad generale capitulum, vel quantum eis videbitur, liberam habeant potestatem. Quod si dicti prælati forsitan in aliquo restiterint, & moniti a dictis visitatoribus ad eorum mandata redire contempserint, in hoc casu, requisito prioris Camaldulensis consensu & obtento, ipsos a regimine dictorum monasteriorum valeant amovere. Et ne ipsum monasterium absque rectore permaneat, interim ipsius monasterii conventus de consilio visitatorum aliquem vicarium sibi constituat, qui curam monasterii habeat, donec eidem monasterio ordinarie sit de pastore provisum. Quod si conventus non fecerit, dicti visitatores de vicario hujusmodi providebunt. Monachi vero vel conversi, qui dictis visitatoribus restiterint, si moniti ab eis ad eorum mandata redire noluerint, a suis monasteriis perpetuo segregentur, aut carceri mancipentur. De necessariis autem sumptibus & expensis, dum dicti visitatores in visitatione sua vadunt & veniunt, provideatur eis sicut prior Camaldulensis & definitores capituli, qui eos miserint, duxerint ordinandum. In omnibus aliis dicti visitatores servabunt formam & modum, qui in constitutione

Camaldulensis ordinis de visitatoribus est expressus. Porro statuimus, quod nullus visitator in domo, quam visitaverit illo anno, possit præfici in pastorem, si per suam visitationem prælatum illius contigerit amoveri; nec propter visitationes hujusmodi priori Camaldulensi volumus præjudicium aliquod generari, quin ipse monasteria & loca sui ordinis, quando sibi videbitur, possit & valeat visitare.

De equitatura, secretario, familiaribus prioris Camaldulensis, & mora ab ipso in monasteriis facienda.
Cap. XIII.

LIceat autem priori Camaldulensi quatuor ad plus equitaturas ducere ad expensas illius monasterii, quod duxerit visitandum; nec moram faciat in monasteriis & locis ordinis per plures dies, quatenus in constitutione Camaldulensis ordinis continetur. Et si contra fecerit, per definitores generalis capituli corrigatur; nec secum ducat vel retineat familiarem aliquem secularem, cum hoc redundet in infamiam ordinis & læsionem monasticæ honestatis. Prælatum autem ordinis secum non ducat, nisi per unam diem tantum. Statuimus etiam, quod prior Camaldulensis de consilio & assensu definitorum capituli generalis aliquem monachum providum & discretum sibi assumat in secretarium & consiliarium ordinis, quem secum ducat, qui visitationibus suis intersit, & illas fideliter scribat, & si scribere nescit, scriptor prioris Camaldulensis easdem scribat, quas idem secretarius sigillo prioris Camaldulensis & suo muniat, & diligenter conservet, repræsentaturus eas priori Camaldulensi & definitoribus in capitulo generali. Definitores vero, visitatores & secretarius ordinis ad eadem officia sequenti anno nullatenus assumantur.

Si prior Camaldulensis possit recipere monachum expulsum vel conversum, monasteria affictare, vel collectam imponere?
Cap. XIV.

PRohibemus insuper, quod prior Camaldulensis nullum monachum vel conversum suis culpis de ordine expulsum recipere valeat, nisi de consilio & assensu definitorum in capitulo generali; istud nihilominus districtius inhibentes, ne prior Camaldulensis aliquod monasterium de novo affictare valeat, seu ad pensionem dare, & super affictatis indebite prior Camaldulensis & definitores capituli generalis, adhibitis ad hoc Majore Camaldulensis eremi & aliquibus prælatis ordinis, salubri studeant remedio providere. Collectam autem nullam omnino imponat idem prior monasteriis ordinis, nisi pro communi utilitate ordinis, & de consilio & assensu definitorum in capitulo generali.

Quod constitutiones veteres in sua maneant firmitate. Cap. XV.

AD hæc volumus, quod constitutiones veteres Camaldulensis ordinis in suo robore maneant in omnibus capitulis, quæ præsentibus non obviant institutis. Præsentes autem constitutiones ubique per ordinem publice volumus & mandamus, quod in omnibus conventibus & monasteriis ordinis habeantur; ut autem prædictæ constitutiones nostræ debitum ex nunc vigorem obtineant, XI. kalendas octobris ipsas in palatio nostro sancti Sixti de Viterbio publice promulgavimus, mandantes eas per Petrum Viterbiensem publicum notarium scribi, & in publicam formam redigi, ac signo ipsius notarii & nostro sigillo muniri, volentes & mandantes, quod ex quo vobis in capitulo generali Arretii congregato fuerint præsentatæ, debeant tamquam constitutiones & statuta ordinis ab omnibus futuris temporibus inviolabiliter observari.

Ego Petrus Viterbiensis &c. complevi & roboravi.

Ad annum 1271. Constitutiones editæ in capitulo sancti Michaelis de Arretio die XXIX. septembris prostant in Appendice *Tomi V.* horum Annalium *columna* 216.

CON-

Constitutiones Gerardi prioris Camaldulensis anni M. CC. LXXVIII. Nunc primum editæ ex veteri codice S. Eremi Camaldulensis.

INcipiunt quædam memorialia eremiticæ vitæ a venerabili patre domno Gerardo priore Camaldulensi statuta sub anno Domini M. CC. LXXVIII. indictione VIII.

De usu Capituli & quibusdam aliis in ipso faciendis. Cap. I.

CApitulum in hoc loco omni tempore diebus Dominicis & sollemnibus extra duas quadragesimas celebratur; & lecto Datali & Luna cum alia lectione, ut dies exposcit, annuntientur per totam hebdomadam nomina mortuorum, & dicantur tres psalmi cum oratione, ut ordo requirit. Demum præmissa oratione fraterna fiat per Majorem eremi vel alium ad hoc idoneum confessio generalis, quam aliis tacentibus & erectis manentibus distincte faciat ac etiam ordinate, qua facta ab ipso Majore super nuda membra recipiant disciplinam, quod etiam idem Major ab uno de capituli primoribus faciat, non tam causa cruciandi corpora, cum sibi graviora in cellulis suis supplicia infligant, quam studio divinæ passionis, & humilitatis exempla sectandi. Si vero in ipso capitulo fuerint aliqua peculiariter corrigenda, peculiaris præcedat confessio generalem. Dominica Quinquagesimæ usque ad octavam Pentecostes annuntientur nomina mortuorum. Dominica autem ante festum sancti Martini usque ad octavam Epiphaniæ annuntiari similiter debeant. In Cœna Domini tabula pulsetur ad Primam, qua dicta fratres ad suas cellulas cum silentio redeuntes, inibi vacent orationibus aut psalmis. Cum fuerit hora Tertia pulsetur campana, & dicatur Tertia reverenter. Deinde vadant ad Capitulum, & tractato de ordine fiat confessio generalis, post quam ipsis trium psalmorum pœnitentia injungatur. Exeuntibus autem fratribus de Capitulo dicatur Sexta, & cum fuerit hora, pulsetur ad Nonam, & dicatur officium, ut in Consuetudine plenarie continetur. Ipsa autem die unus sacerdos vadat cum servitore ad communicandum reclusos, reverenter secum deferens Corpus Christi. Dicta namque Missa cum officio Vespertino, & refectis in refectorio fratribus ob extremæ cœnæ cum suis discipulis reverentiam Salvatoris, hora congrua tabula tribus percussionibus pulsatur, ad cujus tactum fratres vadant in refectorium ad bibendum. Et postmodum pulsata duodecim percussionibus, & aqua in capitulo præparata fratres inibi congregentur, ubi pedes fratrum dominus prior, si præsens est, lavet humiliter, imitans humilem Jesum Christum. Si vero præsens non esset, illud idem impleat Major eremi cum ceteris aliis, sicut in Consuetudine continetur. Feria VI. in Parasceve dicta Prima fratres ad suas cellas redeant contrito corde, & oculis lacrymosis totum psalterium cum adjectionibus suis dicentes, vel cum verberum ictibus, si ad hoc fuerint divinitus inspirati; nam in talibus potius est voluntaria oblatio, quam coactio imponenda. Dicta vero Sexta ponatur Crux cum uno psalterio vel libro orationes de Cruce in se continente coram majori altare, ut sic devote a fratribus adoretur. Sabbato sancto & sabbato Pentecostes celebratur capitulum, & tractatur de ordine ordinate, & igne ante portam ecclesiæ, quæ est juxta capitulum in Sabbato sancto benedicto, cereus non benedicitur, quamvis cetera alia officia in loco ipso monasteriali ordine celebrentur. In vigilia vero Nativitatis Domini cum fuerit hora Prima, pulsetur tabula ad Missas votivas; & in hora Tertia campana per spatium quinquagesimi psalmi, qua dicta celebretur capitulum, & ibi confessione præmissa, ac tractato de Ordine, trium psalmorum fratribus pœnitentiæ injungantur.

De partitione Xeniorum. Cap. II.

ANte sollemnitatem Paschalem, & ante Dominicam Nativitatis, ut in Consuetudine dictum est, more solito piscibus emptis coram domino priore Camaldulensi apud eremum vel Fontembonum, si præsens fuerit, de ipsis æqua divisio fiat, subtractis decimis propter hospites, & iis, qui per curtes vel proxima monasteria dispensantur. Si vero prior absens est, eadem apud eremum similiter partitio fiat. Xenia quoque, quæ fidelium vel fratrum congregationis obsequiis deferuntur esui deputata, debent modo simili dispertiri. Et quamvis hujusmodi xenia sagimine saginata, & a devotis personis eremitis transmissa in eremo secundum Consuetudinem olim prioris Rodulphi prædecessoris nostri comedi licite possent, tamen ne tam egregia & ardua vita in aliquo obfuscetur, & tribuatur alicui in talibus materia delinquendi, volumus, & penitus interdicimus,

mus, ut talis comestio in eremo totaliter sit præcisa, nec alicui sit licitum etiam infirmitate aliqua laboranti mandatum nostrum in hac parte modo aliquo violare, sed faciat illud, quod continetur in capitulo de infirmis. Illud idem nihilominus observetur ab eremitis in capitulo generali a priore Camaldulensi & capitulo eremi electis in utilitatem ipsius capituli generalis, qui ad Missam prioris cibariis eremiticis solummodo reficiantur juxta consuetudinem antiquam & morem laudabilem, & juxta ipsum dormiant, si fieri poterit condecenter.

De præparatione lignorum. Cap. III.

LIgnorum præparatio in mense maji ita per singulas cellas fiat a nostris castaldionibus & cellerario Fontis-boni, quod propter hujusmodi necessitates fratres eremitæ gustum contemplationis interrumpere non cogantur, a quibus etiam reclusi recipiant lignorum traina per singulas cellas XLIV. aperti XXXIV. ut jamdiu extitit ordinatum. Cetera quoque utensilia cellarum præparare ministri non tardent aut negligant; videlicet saccum palearum, pulvinar, ferramenta, manutergium, obulas, lucernas, sepum, & linteum ad extergendos pedes fratrum in cœna Domini nostri Jesu Christi.

De providentia infirmorum. Cap. IV.

INfirmorum proinde vel debilium summa debet esse providentia tam a priore, quam a ministris super hoc deputatis. Cum ergo aliquis apud eremum languescit, mox provisor eremi, qui loco prioris constituitur, sive sacrista vel cellerarius ipsum studeat visitare, eidem assignans unum, qui cum eo die noctuque officium divinum celebret, & alium, qui sibi serviat diligenter; & tam alimonia corporis, quam mentis nutrimento usque ad octavum diem, quæ fuerint necessaria, ministrentur. Tunc enim, si non convaluerit, ad locum de Fonte-bono deducatur, ubi cibaria ægrotantibus competentia, & alia, quæ ad convalescendum prodesse possint, honeste satis & reverenter copiose sibi offerantur usque ad plenam reparationem. In ipsa autem infirmitate priori Camaldulensi vel ejus vicario confiteatur generaliter omnia peccata sua, omnia statim renuntians, quæ habebat concessa vel non concessa, videlicet ceram, libros, pannos & cetera hujusmodi. Reparatis igitur viribus corporis, revertatur illico ad usum sanctæ conversationis. Si autem ibidem obierit, sepeliendus ad eremum deferatur. Debilibus autem & tenerioribus, si qua dispensatio in alimento aut vestibus sit, caute & sapienter fieri debet, ut ita indigentibus exhibeatur pia discretio, ne inde fortioribus noxia dissolutio generetur. Proclivior est enim humanæ fragilitatis natura ad dissolutionem, quam ad justæ severitatis exemplum; nam specialis vel singularis concessio non debet trahi ad generalem consequentiam ceterorum, ne de unius vel paucorum indulgentia nascatur enormitas plurimorum. Discretio enim nutrix est virtutum, non genitrix vitiorum.

De Officio mortuorum. Cap. V.

PRo migratione domini prioris Camaldulensis tam monachi eremi, quam Fontis-boni sacerdotes XXX. Missas devote & reverenter Deo persolvant; non sacerdotes XXX. psalteria; conversi quatuor millia quingentos Pater-noster. Hoc idem facere tenentur omnes fratres nostri ordinis generalis, & in Fontis-boni hospitali unus pauper teneri debet & procurari in victu & vestitu, quamdiu successor ejus vixerit. Si autem in monasterio Fontis-boni obierit, & non suam aliter ordinavit sepulturam, ipsius corpore cuculla & cappa, & aliis condecentibus diligenter composito, reverenter & decenter ad eremum deferatur, & cum fuerit juxta portam eremi ponatur in scala, quod fit exemplo Malduli viri sanctissimi, qui in visione, ubi nunc est ecclesia eremi, vidit excelsam scalam cœlos tangentem, per quam splendentium atque albescentium videbatur ascendere multitudo. Tunc enim fratres, qui remanserint in eremo, debent usque ad portam eidem obviam ire, & cum aliis devote canere ℟. *Subvenite*, ponentes ipsum cum aliis in medio ecclesiæ, & implentes sollemniter, quæ in mortuorum officio continentur, ac ipsum sepelientes honorifice, sicut decet. Si vero eremita in Fonte-bono obierit, sepeliendus ad eremum apportetur, & juxta portam in scala, ut dictum est de priore, ejus corpore posito, fratres de eremo ei reverenter cum aqua sancta, Cruce, thuribulo & incenso, cereisque accensis canatur ℟. *Subvenite*, & pulsetur campana, donec fuerit in choro ecclesiæ positum ejus corpus. Prædicta vero omnia, quæ semper adsunt corpori prioris Camaldulensis, & a Fontis-boni monasterio apportantur, non diximus ab eremitis ipsis usque ad portam obviam euntibus apportari, quia antequam apportetur ad ere-

eremum, talia debent deferri a quibusdam de eremo usque ad monasterium Fontis-boni; alia omnia diligenter & sollicite præparentur, sicut in nostra Consuetudine continetur, nec tradatur sepulturæ, si fieri poterit condecenter, nisi pro anima ipsius prius fuerit Missa de mortuis celebrata, quæ tunc cum diacono & subdiacono celebretur; alii nempe fratres sacerdotes Missas mortuorum devote & plane decantent, ut sic anima ipsius citius divina misericordia valeat cœlestia penetrare, & choris cœlestibus interesse. Et si ipsa die dies abstinentiæ fuerit, sicut dies exposcit, plenam misericordiam habeant fratres, statimque nomen defuncti scribatur in Regula & matricula tam eremi, quam Fontis-boni, & Brevia scribantur, & per quemdam nostrum quamtocius transmittantur. Cum autem in monasterio Fontis-boni moritur aliquis monachus vel conversus, ipsa die, qua emittit spiritum, ipsius nomen scribatur, & ad eremum transmittatur, scribaturque ejus nomen in Regula & matricula, & ut dictum est, per conventum Brevia transmittantur. Præterea, quando Brevajolus Camaldulum revertitur cum mortuorum Brevibus de conventu, debet ire cum ipsis ad omnes reclusos, ut pro ipsis devotissime orent Dominum. Demum prædicta Brevia det sacristæ legenda in capitulo & in Regula & matricula conscribenda illorum tantummodo, qui fuerunt monachi vel conversi. Post festum vero omnium Sanctorum dictis nocturnis sollemniter cum IX. lectionibus & totidem ℞iis & Laudibus, dicitur officium Mortuorum. Et dicta Prima pulsetur campana per spatium psalmi: *Verba mea*; & Missa cum diacono & subdiacono per dominum priorem Camaldulensem vel Majorem eremi solemniter celebretur, aliis Missas votivas celebrantibus pro defunctis. In ipsa enim die habent fratres misericordiam pulmentorum & vini sine ovis & caseo, si ipsam celebrari contigerit die abstinentiæ deputata. Feria III. idest die tertia post Purificationem sanctæ Mariæ propter anniversarium patrum & matrum fratrum nostri ordinis tam vivorum, quam defunctorum in Missa celebretur officium, ut superius est expressum. Qui autem sunt sacerdotes dicant Missas pro defunctis; non sacerdotes XXV. psalteria, & conversi centum Pater-noster, & in præcedenti sero fiant vigiliæ IX. lectionum & campanæ pulsentur, ut mos est in anniversariis mortuorum. Feria vero III. hebdomadæ secundæ quadragesimæ sancti Martini, & feria III. hebdomadæ quadragesimæ majoris, celebrata sollemniter Missa pro prioribus & Majoribus Camaldulensibus defunctis fratres eremitæ pulmentorum & vini sint misericordia gavisuri, ut superius est expressum.

De occupatione necessaria. Cap. VI.

CAveat quisque frater, ne in cella otiosus existat, quoniam periculosa est animæ talis otiositas, & hostili tentationi facile aditum pandit. Fac aliquid operis, ait auctoritas, ut diabolus semper te inveniat occupatum, nec tentandi locum valeat invenire; propterea debet unusquisque aut orandi, aut legendi, vel disciplinis, metaneis, palmatisque insistendi taliter esse sollicitus, ut omne sibi spatium diei vel noctis breve vel sufficiens esse videatur. Vitium quoque vagationis & instabilitatis taliter fugiat, ut non solum exterius cum Dina filia Jacob non facile discurrat, sed etiam in ipsa cella stabilis fixusque permaneat. Posset enim intra eamdem cellam tamquam cujusdam impulsu vertumni vagationisque spiritu tota die circuire.

Qualiter debeant manualia opera exerceri? Cap. VII.

IN diebus abstinentiæ continuam debent eremitæ observare stabilitatem, & per manualia exercitia eremiticam tranquillitatem nullatenus molestare. Tertia tamen & quinta feria infra quadragesimam per horam Sextam possunt aliquid extra cellulas operari. Extra quadragesimas vero in eisdem feriis & in sabbatis indulgentiæ deputatis valeant similiter quædam manualia exercere, horis & locis competentibus post horam Sextam, videlicet tempore hyemali, æstivo autem tempore post meridianam dormitionem usque in Vesperas, exceptis festivis diebus, quibus orationi & quieti cœnobiali more potissimum est vacandum. Ad ligna vero colligenda vel ad alia opera manualia exercenda solus nemo præsumat exire, sed tres aut plures simul procedant horis & diebus competentibus de Majoris eremi licentia speciali. Et si contigerit illos ad hortum vel fœnum recolligendum ire, cum psalmodia vadant, stent & redeant, ut sic obmutescere faciant detractores.

De assiduitate cellæ. Cap. VIII.

PRæterea studeat solitarius in cella jugem & continuam sedulitatem habere, ut per gratiam Dei & assiduitatem manendi possit & habitatio cellæ dulcescere; nam sicut inquieto & instabili monacho

nacho instar carceris pœnam ergastuli afflictionis materiam præstat, ita quieto & perseveranti suavitatis refrigerium, silentium beatitudinis tamquam portionem exhibet Paradisi. Novimus enim plerosque cellarum dulcedinem sic expertos, ut non divitias Crœsi, vel Sardanapali dico delicias, sed & totius Mundi potentiam cellarum comparatione contemnerent. In iis quippe tamquam inter spinas & tribulos .... sciebant se posse præfocari. In iis vero tamquam inter suavissimas delicias gustabant, quam suavis est Dominus, dicentes: „ Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te; perfecisti eis, qui sperant in te; abscondes eos in abscondito faciei tuæ a conturbatione hominum; proteges eos in tabernaculo tuo a contradictione linguarum. " Cella igitur breviter intermissa avidius plerumque repetitur, diutius vero postposita sæpe oblivioni mandatur. Et sicut mare cadaver cito dejicit, ita eremus monachum ab eremitica consuetudine alienum tamquam defunctum velociter expellit a se, projicit quasi abortivum, evomit tamquam inutilem & noxium cibum, nec diu pati potest in visceribus suis officia pietatis, venitque pes superbiæ, & asportat eum manus peccatoris, & movet eum & expulsus non potest stare, sed fugit miser, nudus & tremebundus, sicut Cain a facie Domini, expositus dæmoniis & vitiis; & si aliquandiu duraverit in ea, non virtutis constantia, sed pertinaci miseria, sic est ei cella quasi carcer, aut sicut viventi homini sepultura; nam morticinum mortuarum affectionum vel hominem mortuum a corde locus sanctus & terra sancta nequaquam diu patitur, vel valet intra sua viscera sustinere.

De pulsatione campanæ ad matutinum.
Cap. IX.

IN primis igitur pulsato horologio sacrista surgat, intransque ecclesiam se Domino coram altaribus devotissime recommendet, & pulset campanam per spatium septem psalmorum pœnitentialium cum litaniis, deinde dimissa campana accendat lampades & cereum coram majori altari, & præparet, si opportunum fuerit, lectiones. Fratres vero audita campana veniant præter reclusos & infirmos, Christi signaculo se signantes, & ea dicentes, quæ in Consuetudine continentur. Demum in choro fratribus congregatis iterum sonatur campana per spatium psalmi: *Laudate pueri Dominum* & si contigerit in choro aliquem non adesse, frater, qui vicinior est ei, vadat & excitet eum gressu celeri & honesto, hoc etiam fiat per horas diei, si necessarium fuerit, prævia caritate.

De hebdomadario Missæ & cantore.
Cap. X.

QUodlibet die sabbati sacrista cum dicitur antiphona: *Salvator Mundi* ad Vesperum, ponat manuale coram futuro hebdomadario Missæ, & cantorium & Regulam sancti Benedicti coram futuro hebdomadario cantore. Qui vero dicturus est epistolam, & lecturus ad mensam, sit ex latere secundi cantoris; & quicumque dicit epistolam diebus Dominicis, post Missas extra duas quadragesimas benedictionem recipiat, & legat ad mensam. Hebdomadarius quidem cantorius ad capitulum legat per ordinem, ut expressum est in capitulo de hora Prima; & ad collationem legat, ut dictum est in capitulo de ordine collationis. Ex utraque parte chori tam in die, quam in nocte semper unus moretur ad psalterium, ne fratres in psallendo valeant oberrare. Altisona voce vel in sibilo nulli canere sit licitum, cum hoc a nostris prædecessoribus sit totaliter interdictum, sed plane & mediocri voce & raro psallatur, ut sic psallamus corde & lingua Domino sapienter. In XII. vero lectionum officio matutinali post *Te Deum laudamus*, necnon ad evangelium, & ad Benedictus, atque in Vesperis ad Magnificat, etiam in diebus Nativitatis Domini & Resurrectionis nullus in loco ipso albis indui consuevit, sed evangelium in nocte cum cuculla vel cappa, & stola & incenso cantari debet, & altaria ad Benedictus & Magnificat incensentur.

De hora Prima. Cap. XI.

HOra Prima dicatur in loco isto omni tempore indirecte, exceptis diebus Dominicis & sollemnibus extra duas quadragesimas. Aqua sancta priusquam incipiatur Prima, quando suffragia dicuntur ab illo, qui dicit epistolam, detur fratribus in choro commorantibus in suis sedibus ordinate. Istud etiam servetur semper in XII. lectionibus, & quando non fiunt secundæ. Quando vero fiunt secundæ, more monastico detur aqua. Dicta Prima hebdomadarius cantoriæ legat Datale & Lunam, ut dies exposcit, & diebus ferialibus perlecta Regula sancti Benedicti, poterit legi Consuetudo divinorum officiorum, & etiam hoc fieri poterit in XII. lectionibus, si fuerit opportunum. In duabus vero quadragesimis

ſimis lectis Regula & Conſuetudine, ut dictum eſt in diebus ferialibus, legantur Conſtitutiones eremiticæ, ut fratres ſic ſcire valeant, quid expeditius ſint acturi. Ad Primam etiam pulſetur campana extra duas quadrageſimas diebus Dominicis & ſollemnibus, aliis autem temporibus non pulſetur. Dicto demum ab hebdomadario: Tu autem, ab illo, qui major fuerit in choro dicatur ℣. Pone Domine cuſtodiam ori meo. ℟. Et ho..... ℣. Non declines cor meum. ℟. Ad excuſandas. ℣. Sit nomen Domini Benedictum. ℟. Ex hoc &c. ℣. Benedicamus Domino &c. ℟. Deo gratias. ℣. Benedicat nos omnipotens Deus, Pater, & Filius & Spiritu-ſanctus, amen.

De percuſſione tabulæ. Cap. XII.

TAbula XII. percuſſionibus pulſetur juxta Tertiam vel in media Tertia, ſi eſt in loco pluralitas ſacerdotum Miſſas votivas volentium celebrare, exceptis diebus Dominicis & ſollemnibus, qua audita fratres devote de ſuis cellulis exeuntes, aut celebrent, aut adjuvent celebrantes in ſpiritu humili & contrito, & ut libentius in talibus ſint intenti, cuilibet ad Miſſas cum omni reverentia adjuvanti remiſſionem quadraginta pſalmorum pro qualibet vice facimus, volentes ſuper hoc quorumdam noſtrorum prædeceſſorum pia veſtigia imitari. In quadrageſima autem majori poſt prandium hora competenti ad vigiliam mortuorum, & diebus Dominicis poſt cœnam ad collationem. Omnibus quidem temporibus pulſetur tabula, & non campana ad Primam, quando capitulum non celebratur. Pulſatur etiam, quando aliquid conſilium eſt habendum, aut aliqua ſunt utilia & neceſſaria pertractanda, nec ante pulſationem tabulæ aliquis eremita ad eremitam vadat vel poſt Veſperum, aut vagando per eremum, niſi cogetur ad eremitam recluſum vel apertum ire, prius a Majore eremi licentia ſibi data.

De Aqua ſancta diebus Dominicis benedicenda. Cap. XIII.

DIebus Dominicis cum fuerit hora, pulſetur ad Miſſam campana per ſpatium quinquageſimi pſalmi, poſtmodum ſacerdos hebdomadarius albis indutus Aquam ſanctam benedicat, ipſam more ſolito aſpergendo, deinde præcedentibus Aqua ſancta & Cruce officinas cum omni reverentia benedicat. In duabus vero quadrageſimis, Dominica IV. de Adventu, & Dominica Palmarum capitulum tantummodo & refectorium benedicuntur cum aliis officinis, quamvis officinæ aliæ per alias quadrageſimarum Dominicas debeant benedici.

De Proceſſionibus per totum annum faciendis. Cap. XIV.

PRoceſſiones quando debent fieri, in capitulo fiant, & non alibi, cum Aqua ſancta, Cruce, thuribulo & luminaribus. In feſto autem ſancti Marci, & tribus diebus Rogationum per circuitum eccleſiæ facimus, ſicut per clauſtrum faciant alii de conventu, & ad introitum eccleſiæ. Finita proceſſione pulſentur campanæ. In die Purificationis ſanctæ Mariæ vadant fratres in capitulum ad proceſſionem, & portentur per unum apertum candelæ benedictæ more ſolito ad recluſos. In die autem Palmarum benedictis ramis olivarum & palmis, ſimiliter vadant in capitulum ad proceſſionem, & deferantur palmæ ſingulæ ſingulis eremitis recluſis per unum monachum ſacerdotem. Illud, quod dictum eſt de palmis, fiat de cinere in die cineris. Quando autem non dicitur ad introitum eccleſiæ antiphona: *Salvator Mundi*, dicatur antiphona: *Ave regina Cælorum*, cum omni reverentia & honore.

De Miſſis dicendis. Cap. XV.

COnventuales Miſſæ dicuntur ſemper in hoc loco juxta Tertiam, exceptis vigilia Nativitatis Domini & tribus diebus hebdomadæ ſanctæ & vigilia Pentecoſtes, quæ taliter ſunt dicendæ. Conventualis per primum hebdomadarium; per ſecundum Miſſa de mortuis, & per tertium Miſſa Virginis glorioſæ. Duæ ultimæ plane & devote dicantur, voce ſonora conventuali humiliter decantata. In feſtis vero XII. lectionum Miſſa dimittitur pro defunctis. Eremitæ enim ſacerdotes aſſidue Miſſas celebrent, nullo modo prætermittentes, quin ad minus in hebdomada ter decantent. Recluſi vero Miſſarum hora vacent orationibus, lectioni & pſalmis, nullo modo tunc ſe confabulationibus implicantes; nam illa hora, ſi commode fieri poterit, colloquendi cum eis nulli licentia tribuatur, ut ſic divinis inſiſtere permittantur, & in elevatione corporis Chriſti orare & gemere mœſto corde & oculis lacrymoſis. Dicta tandem Miſſa pulſetur campana per ſpatium pſalmi *Deus miſereatur*, & dicatur Sexta, qua dicta ſi fratres non jejunant, vadant in refectorium ad edendum, ſi autem jejunatur, ad cellas ſuas cum ſilentio revertantur.

De

De hora Nona. Cap. XVI.

CUm fuerit hora pulsetur ad Nonam campana per spatium quinquagesimi psalmi, qua dicta, si dies exposcit, vadant fratres in refectorium ad edendum. Omni autem tempore per anni circulum extra duas quadragesimas in bibitione tam mane, quam vesperi diebus misericordiæ, illud observetur, quod in nostris monasteriis observatur.

De hora vespertina & collationis. Cap. XVII.

HOra vespertina pulsetur ad vesperam per spatium VII. psalmorum, quo dicto, si dies exposcit, fratres vadant in refectorium ad edendum vel bibendum, deinde legat ad collationem mediocri voce ille, qui est hebdomadarius cantoriæ, dicto: *Jube domne benedicere*, sicut leguntur in ecclesia lectiones in ecclesia, & semper ita tempestive ad collationem fratres congregentur, ut ibi unum vel duo folia per diem legantur; & Completorium indirecte & raro dicatur; & *Salve regina*, in voce cum omni reverentia decantetur. Cum vero officium Virginis dicitur, vel si non dicitur, antequam expleatur Completorium, coram altari majori unus cereus accendatur ad laudem Virginis gloriosæ. Expleto demum Completorio, & dictis Pater-noster & Credo fratres recipiant aquam benedictam, ad cellas suas cum summo silentio revertentes. Consueverunt enim illa hora nonnulli eremitæ Deo devoti, & in aurora vel dicto matutino cum septem psalmis pœnitentialibus se nudis renibus verberare, quod non scribimus, ut ad talia ex debito obligentur, sed ut accendantur ad ea peragenda corde voluntario & devoto, quum bonos & antiquos eremitas intellexerint & cognoverint voluntarie peregisse, qui non solum, quæ diximus, peregerunt, sed multoties totum psalterium perficiebant cum verberum ictibus & palmatis. Poterunt autem legi in quadragesima sancti Martini dialogi sancti Martini, in quadragesima majori dialogi sancti Gregorii, aliis temporibus *Diadema monachorum* & de vitis Patrum; aliquando de sancto Romualdo & de sancto Antonio, vel alia, quæ ædificare valeant audientes. Ad mensam vero legantur libri secundum tempora sua, ut in Consuetudine continetur, vel secundum quod Majoris providentia cognoverit expedire.

De Luminaribus ecclesiæ & Incenso. Cap. XVIII.

IN choro majoris ecclesiæ una lampas semper ardeat tam in nocte, quam in die ad reverentiam Salvatoris, & diebus ferialibus & XII. lectionum ad officium sanctæ Mariæ coram majori altari unus cereus, & duo in sollemnitatibus accendantur. In sollemnitatibus plenissimis, videlicet Nativitate Domini, Epiphania, Resurrectione, Ascensione, Pentecoste, Dominica de Trinitate, festis quatuor sanctæ Mariæ, sancti Benedicti, omnium Sanctorum, majori vocabulo, & consecratione ecclesiæ, & in festo sancti Petri ad divinum officium extra chorum lampades accendantur, & ad Laudes & Vesperum altaribus extra chorum duo cerei similiter accendantur, excepto festo sancti Petri, in quo tantummodo coram suo altari cereus debet accendi, & ibi matutinalis Missa dici more XII. lectionum, quod etiam fieri debet in festis sanctæ Mariæ in suo altari, præterquam in Annuntiatione ipsius, in qua Missa matutinalis de feria ad altare ipsius debet dici, & Missa major ad majus altare. Semper autem cum Missæ votivæ dicuntur coram illo altari, ubi Missa dicitur, ardeat una lampas cum uno cereo vel candela, sicque omnia devote tractentur, quo merito in suis ministris laudetur Dominus Jesus Christus. Incensum nempe tantummodo fratribus de choro diebus ferialibus tribuatur, & in XII. lectionibus fratribus omnibus in ecclesia morantibus, prius extra chorum altaribus incensatis.

De eremita recluso & ejus reclusione. Cap. XIX.

IN nocte cum ad matutinos pulsatur, audito primo signo surgat eremita reclusus cum omni reverentia & timore, seque Christi signaculo consignans cum invocatione devotissimæ Trinitatis dicat: Deus in adjutorium; Kyrie; Pater-noster & Credo cum tribus genuflexionibus reverenter, ac candela vel cereo accenso, punctatim, raro & distincte perficiat matutinum, nullo modo sedens, vel se apodians tam in nocturno officio, quam in diurno, ac etiam mortuorum, semperque ad Gloria Patri, & cetera alia se profunde inclinet, sicut illi faciunt de conventu, dicatque in principio lectionum: *Jube domne*, cum data sibi benedictione, & in fine: *Tu autem Domine*, & dicto in nocte: *Te Deum laudamus*, XII. lectionum cum stola ad collum canat evangelium reverenter, & Dominicis diebus aquam

aquam benedicat, qua semper se aspergat post Completorium, & antequam incipiat Matutinum. Cum vero facit Confessionem tam in hora Completorii, quam Primæ in fine ipsius, sic sibi ipsi debeat respondere: „ Intercedentibus omnibus Sanctis misereatur mihi Omnipotens Deus, & dimittat mihi omnia peccata mea, liberet me ab omni malo, qui conservet, confirmet & corroboret me in omni opere bono, & absolvat me ab omni vinculo delictorum meorum, & perducat me Dei filius ad vitam æternam, amen. " Quando dicuntur Missæ quantumcumque potest orationi aut psalmodiæ vacet, nullo modo circa exterioribus collocutionibus se admiscens, & quando aliquid recipit ab aliquo, sicut sunt panis, vinum & cetera hujusmodi, grates Deo referat, & sibi talia exhibenti.

In hebdomada qualibet Confessionem faciat, videlicet die sabbati ordinate confitens in ipsa hebdomada, quæ omisit. Omni vero die Dominico, in cœna Domini, & in festis omnium Sanctorum reclusus non sacerdos recipiat Corpus Christi per secundum hebdomadarium, ut in alia Consuetudine est expressum; quæ communio taliter est fienda. Post Primam etenim capitulo celebrato per spatium psalmi: *Laudate Dominum omnes gentes* pulsetur campana, ut ad illius tactum communicaturi manibus & ore ablutis expectent cum omni reverentia Corpus Christi, insistentes piis precibus & devotis. Tunc sacerdos hebdomadarius Missæ accensa candela in una lanterna, & accepto cum pixide Christi corpore reverenter vadat cum uno socio ad communicandum reclusos, devote psalmos pœnitentiales cum socio decantando. Cum autem fuerit juxta fenestram communicaturi statim dimisso psalmo dicat: *Confitemini Domino quoniam bonus*; & reclusus stans ad fenestram genibus flexis manibusque plicatis respondeat: „ Quoniam in seculum misericordia ejus, statim subsequens: Ego miser & infelix confiteor Deo omnipotenti &c. " Confessione autem peracta mox sacerdos dicat: Misereatur tui &c. eidem pro pœnitentia injungens: Deus propitius esto mihi peccatori. Et postremo cum eodem faciens & dicens inclinato capite: Ad veram & perpetuam pacem perducat nos omnipotens Dominus, amen; eidem tradat devotione debita Corpus Christi. Hebdomadarius quidem die sabbati tot hostias benedicat, quæ sufficiant ad communicandum reclusos, dominico insequenti semper duabus hostiis remanentibus super altare in pixide collocata.

Frater autem recludendus, si expertus fuerit tentationibus diabolicis obviare, accingat fortitudine mentem suam, ut, quasi miles in acie exercitus præparatus ad pugnam, possit cum diabolo viriliter dimicare, sic accinctus, sic præcinctus debet omnia peccata generaliter confiteri, & a domino priore Camaldulensi similiter absolutionem recipere spiritualem, cui manum cum reverentia osculetur. Die autem, qua domino priori Camaldulensi videbitur, in mane fratres in ecclesia congregentur, & ad honorem Dei Missa Sancti Spiritus concinatur, ad quam Missam dicto: *Agnus Dei*, recludendus frater pacem faciat cum omnibus eremitis in choro tunc manentibus, postmodum devote recipiens Corpus Christi; expleta tandem Missa fratres cum aqua sancta & incenso septem psalmos pœnitentiales incipiant, ad cellam cum futuro recluso gressu honestissimo properantes. Finitis psalmis cum litaniis suis, addatur oratio: „ Benedic Domine quæsumus cellam istam, ut qui in umbra alarum tuarum speramus, ab omnibus insidiis dæmonum virtutis tuæ potentia tueamur. Per. "

De officio Majoris eremi. Cap. XX.

MAjor eremi in eremo & Fonte-bono, absente domino priore Camaldulensi, ipsius vices gerit .... nec exit de sede sua, ecclesiæ videlicet, capituli & mensæ pro aliquo prælato nostri ordinis; debet etiam dare benedictionem præsentibus prælatis nostri ordinis in ecclesia, capitulo & mensa. Sigillum apud se teneat, nullatenus sine consilio eremitarum ipsum extra eremum extrahendo. Et quando mittuntur literæ fratrum eremitarum, semper debet præmittere nomen suum sic dicendo. „ Frater talis Major Camaldulensis eremi & ejusdem eremi eremita ven. in Christo fratri A.. abbati &c. " nostris prælatis sic scribitur. Domini autem prioris Camald. aut alicujus nobilis viri vel prælatorum alterius ordinis sunt reverenter nomina præmittenda. Si autem contingeret, quod Major alicui ex parte sua literas destinaret, nunquam hujusmodi literæ sigillo eremi sigillentur; semperque quando eremitarum mittuntur literæ, de omnium ipsorum, si fieri potest, conscientia transmittantur. Fugitivi vero ordinis ad ordinem redeuntes a domino priore recipiantur & absolvantur, transmittendi postmodum ad ere-

eremum vel a Majore eremi, & omnibus fratribus eremitis inibi existentibus. Hebdomadam nullam tenetur facere exceptis festivitatibus XII. lectionum, in quibus tenetur Missam dicere, & evangelium in nocte cantare, nihilominus & in sollemnitatibus, *Deus in adjutorium*, ad Vesperum & ad Matutinum incipere. Debet etiam ire ad reclusos die sabbati, ut ab eis confessionem audiat diligenter, & eos in spiritu lenitatis humiliter consolari, sicque in cella debet esse assiduus, quod semper ab advenientibus ibi valeat inveniri, & in absentia domini prioris interdum visitet tam monachos, quam conversos monasterii Fontis-boni, hortans eos admonitionibus gratiosis.

De officio Sacristæ. Cap. XXI.

SAcrista eremi absentibus priore & Majore auctoritatem habeat, quam diximus de Majore, & semper sit armarius prioris tam in eremo, quam in Fontebono, & si contigerit aliquem eremum visitare, personam & donum statim denuntiet eremitis, ac scribat in uno quaterno, quæ donata seu præsentata fuerint ab eodem, fratribus benefactorem recommendans specialiter, sicut decet. In capite vero duarum quadragesimarum det certam mensuram cimini cum quatuor unciis riquinicii, solliciteque procuret, ut in qualibet quadragesima unam salmam ceparum transmittat ad eremum cellerarius Fontis-boni, & in majori quadragesima tria staria castanearum siccarum. Reclusis vero det omni mense duas libras sepi cum media libra ceræ. Apertisque de sepo in hyeme dare non negligat, & in capite duarum quadragesimarum duos cubitos candelarum; & quando sibi faciunt minui, juxta uniuscujusque sedem in ecclesia cubitum unum ponat. Providere etiam debet, si cellulis necessaria sunt utensilia, & ita facere, quod propter necessitatem hujusmodi contemplationis gustus nequeat interrumpi, & si aliquis eremita de eremo recesserit, dare sibi faciat clavem cellæ, & ipsius utensilia resignare. In adventu vero alicujus sibi resignata resignet eidem, & in omnibus se exhibeat, sicut bonus & fidelissimus dispensator. Si autem præ manibus non habuerit denarios opportunos, de quibus emere valeat pira, poma, nuces & ficus, ova, caseos, ceram & sepum, significare hoc non negligat domino priori Camaldulensi vel ejus camerario, ne de negligentia merito valeat judicari. In mutationibus officiorum per omnia curam habeat sollicitam & attentam, & si oportuerit, præcedenti die cum apertis tractatum in porticu habeat diligentem, & reclusis mutatio officii significetur, ne in talibus fratres propter improvidentiam valeant oberrare. Quando autem ex parte eremitarum alicui scribere cogitur, semper dicat: Fratres Camaldulenses eremitæ &c. modum semper tenens sive in præmittendo, sive in subsequendo, ut in capitulo Majoris superius est expressum.

De officio & auctoritate Pœnitentiarii. Cap. XXII.

PŒnitentiarius eremi semper reclusus esse debet, & habere a domino priore Camaldulensi auctoritatem absolvendi specialem tam ordinis monachos, quam conversos, & etiam ab excommunicationibus occultis, nisi forte excommunicatio talis esset, quæ dispensatione Romanæ curiæ indigeret. Poterit etiam extra ordinem devotas personas absolvere habentes a suis prælatis confitendi ab eodem licentiam specialem, & devotas personas cum xeniis eremum visitantes bonorum ordinis facere participes & consortes, quæ cum ad easdem devotionis causa declinaverint, eas capiat verbis humilibus & exemplo, earumdem excessus sub generali confessione faciens confiteri, caritativa exhortatione præmissa.

De Cellerario. Cap. XXIII.

CEllerarius eremi circa suum officium sic debet esse intentus, quod de sua sollicitudine meritorie commendetur; provideat etiam diebus misericordiæ, quæ fratribus reclusis mittenda mittantur, atque in refectorio, quæ præparanda fuerint, præparentur, antequam de ecclesia exeant eremitæ, ut post divinorum officiorum expleta sollemnia sive pulsatione cimbali, quod in eremo non pulsatur, lotis manibus intrent refectorium, cibis corporalibus cibaria spiritualia refecturi. Servire ad mensam non negligat, nisi esset ibi multitudo prælatorum ac etiam subditorum, & legere si oportuerit, & recolligere in fine fragmenta mensarum tam prioris, quam ipsius armarii, & alterius ab alio latere existentis, ac etiam sic sollicite procuret, quod in cella, sive in refectorio in tobaliis, urceis, ollis, obbis nulla incommoditas nequeat inveniri. Ad ipsius etiam officium pertinebit procurare, ut in cellis tam reclusorum, quam apertorum sint vasa necessaria, & ipsa in recessu fratrum de eremo reponere diligenter & in adventu tribuere aliorum

rum, cura vigili & discreta. Panes vero, quos ab eremitis recipiet, fideliter trasmittat ad monasterium Fontis-boni, devitans in quantumcumque poterit frequentiam laicorum; nihilominus etiam provideat debilibus & infirmis rationabiliter & discrete non sine licentia tam Majoris eremi vel sacristæ.

De officio Operarii. Cap. XXIV.

OPerarius eremi in sua cella propria, quæ super cellam sacristæ est, debet reponere omnia ferramenta, & ea sic fideliter conservare, quod cum opportunum fuerit, tam in petris, quam in lignaminibus ob utilitatem eremi vel Fontis-boni ullo tempore laborare, non cogatur quærere hujusmodi ferramenta. Et si contigerit eum habere copiam seu multitudinem magistrorum, vinum, ova, caseos & alia opportuna in sua cella recolligat & reponat, ne propter talium defectum laboratores sive magistri cogantur minori sollicitudini adhærere. Cum literis vero facta æstate plurium episcoporum indulgentialibus vadat vel ad minus cum literis domini prioris & eremitarum, ut de sibi a fidelibus personis devote oblatis reaptet, & in bono statu teneat ecclesiam, refectorium, atque cellas. Et si ullo tempore de eremo recesserit, reassignet prudenter & bene omnia, sicut in receptione officii eidem fuerunt diligentissime assignata.

De monachis venientibus ad eremum. Cap. XXV.

MOnachi volentes morari in eremo, ibi nullo modo commorentur, nisi ad minus steterint per triennium nostri ordinis in conventu. Post cujus termini expletum curriculum, si aditum eremiticum sibi aperiri voluerint, prius probentur, & ipsorum conditio cognoscatur, si apti sunt ad pondus vitæ eremiticæ sustinendæ. Demum si ad hujusmodi bellum reperientur idonei, eorumdem preces admitti debeant, & eremitarum tales consortio aggregentur, quibus unus antiquior deputetur, qui eos doceat in vita eremitica & informet.

De Benefactoribus recommendandis. Cap. XXVI.

IN principio semper duarum quadragesimarum in capitulo coram fratribus a domino priore Camaldulensi, si præsens fuerit, vel ab illo, qui tenuerit in eremo locum ejus, recommendentur benefactores nostri tam vivi, quam defuncti ordinis generalis, & etiam fratribus reclusis, ut pro ipsis orent Dominum, nuntientur. Benefactores enim nostros intelligimus dominum papam, cardinales, universam curiam, dominos patriarchas, archiepiscopos, episcopos, in quorum diœcesibus nostra monasteria sunt constructa, comites, barones, patronos nostri ordinis monasteriorum, bonæ memoriæ judicem Comitam, qui tria millia Byzantiorum pro octo reclusis a eremum Camaldulensem transmisit, & qui se nostris orationibus commendarunt, & patres & matres fratrum nostri ordinis, & qui huic loco dona aliqua obtulerunt.

De prælatis, qualiter visitent eremum. Cap. XXVII.

PRælati nostri ordinis nuper ad prælationem assumpti infra trigesimum diem in signum reverentiæ Camaldulensem eremum tamquam matrem propriam debeant visitare, ceteri alii infra anni circulum eamdem visitent per se vel specialem nuntium visitatione utili & honesta, sicut in generali capitulo extitit ordinatum. Si quis autem tam laudabilis consuetudinis extiterit violator, a domino priore Camaldulensi taliter arguatur, quod cognoscat se male fecisse, cum non matris propriæ recordatur; & ut sciri valeat tam solertia, quam negligentia eorumdem, volumus, quod sacrista, qui pro tempore in eremo fuerit, in uno quaterno scribat prælatos omnes ordinis eremum visitantes, scribens nihilominus visitationem, millesimum, & mensem, in quibus visitaverint, ut facilius solertes & negligentes valeant comprehendi, visitantes equidem se & monasteriorum suorum fratres, sacristæ sive Majori, si in loco fuerit, debent cum omni reverentia commendare, postmodum se recommendantes orationibus eremitarum reclusorum, ac etiam apertorum. Sacrista autem visitationes hujusmodi recipiens, aut ab aliquibus devotis personis aliqua dona, semper secum habeat duos de fratribus eremitis, ut sic malefaciendi & murmurandi materia cuilibet auferatur, semperque donum & dantem notum faciat fratribus eremitis cum recommendatione debita & honesta, etsi donum visitationibus exceptis tantæ fuerit quantitatis, quod de ipso commode habere possint fratres monasterii Fontis-boni, placet nobis, ut caritative cum eisdem dividatur, secundum discretionem & providentiam Majoris eremi vel sacristæ, quod fiat ab illis de Fonte-bono cum eremi eremitis, ut sic unum corpus & unum membrum sint, & nulla inter eos esse divisio videatur.

De fratribus venientibus ad eremum. Cap. XXVIII.

FOrenses personæ causa devotionis ad eremum venientes a Majore eremi benigne & caritative recipiantur, & si dies abstinentiæ fuerit, ipsis in quantumcumque fieri poterit, suggeratur, ut ad comedendum vadant ad monasterium Fontis-boni, nisi ex hoc oriri scandalum videretur, & si tunc loqui vellent eremitis reclusis, eis modeste dicatur, quod non est loqui licitum diebus abstinentiæ deputatis; nam ex hoc ipsos arbitramur magis ædificari, quia tacente lingua prædicare vita laudabilis consuevit. Si autem religiosæ personæ fuerint, aut clerici vel novitii, in choro ecclesiæ cum aliis ad officium morari non permittantur, similiter refectorii & ad mensam, quia hoc propter loci devotionem non consuevit fieri, & ne nimia familiaritas contemptum pareret, ut sumus in pluribus jam experti; assignetur tamen unus honestus eremita apertus, qui cum eisdem, si religiosi vel clerici fuerint, pacifice in una cella & honeste comedat, & omnem humanitatem tribuat, retenta præ omnibus eremitica gravitate. Et si tali hora ad eremum venerint, qua competenter & decenter redire sive ire possint ad monasterium Fontis-boni, illuc penitus transmittantur, quia hujusmodi hospitalitas caritate prævia est in eremo reprobanda, cum istius causa & majori eremitarum tranquillitate in Fonte-bono hospitalitas fuerit ordinata.

De Portario eremi & Abietibus. Cap. XXIX.

QUia eremitica remotio multis consuevit prodesse, volumus ut semper in cella juxta portam eremi posita unus eremita moretur, quia ipsa cella ab Ubertinis fuit sub ista intentione & pacto dotata, ut unus eremita inibi continue moraretur. Officium autem istius erit, dicto Completorio claudere portam, & aperire, quotiens fuerit opportunum, ac venientibus ad eremum devotionis causa responsum dare benignum, & ne infructuosum esse videatur, ex una parte locum claudere, cum ex alia patet ingressus. Ad conservationem autem abjetum unus specialiter deputetur, qui ipsas fideliter custodiat, & ne parvulæ lædantur a bestiis, sollicite sit intentus, nec aliquis habeat licentiam prædictas abietes incidendi, nisi tantummodo unus, qui a nobis super hoc electus specialiter fuerit, cui licitum sit facere incidi abietes pro utilitate eremi & monasterii Fontis-boni, dandi vel taliter incidendi licentia totaliter sibi clausa.

De Silentio. Cap. XXX.

DUm scriptum sit, qui custodit os suum, custodit animam suam, & quod interdum propter taciturnitatis bonum est a bonis silendum, eo quia mors & vita in manibus linguæ dicitur esse, suademus & hortamur in Domino, ut quilibet vacet silentio horis & temporibus constitutis, sicut in alia Consuetudine est expressum. Poterunt autem eremitæ modeste & cum gravitate loqui horis competentibus nostris castaldionibus in festo sancti Johannis-evangelistæ, & Dominica quinquagesimæ, & feria II. & III. post diem Resurrectionis, in quibus consueverunt venire ad eremum cum debitis xeniis annuatim sine licentia & sigillo, & tunc prædictis gastaldionibus per cellerarium eremi debet in cibariis & refectione provideri, sicut providetur aliis eremitis, & sumpta comestione debent ire in capitulum, & ibi coram Majore eremi vel speciali nuntio domini prioris debent suæ administrationis seu villicationis plenarie reddere rationem, quibus peractis in ipso capitulo confessionem faciant, postmodum euntes, ad recommendandum se orationibus reclusorum. In capitulo vero generali sine sigillo similiter possunt loqui, sub divo tunc & omni tempore censura silentii conservata. Explicit. Deo gratias, Benedictus Deus. Amen.



CONSTITUTIONES EJUSDEM GERARDI PRIORIS CAMALDULENSIS ANNI M. CC. LXXVIII. *nunc primùm prodeunt ex codice monasterii sancti Mathiæ de Muriano Venetiarum.*

INcipit vita fratrum eremitarum Camaldulensis eremi. *Ad lib. XLIII. num. 25.*

Frater Gerardus peccator monachus Camaldulensium fratrum servus venerabilibus in Christo fratribus Camaldulensis eremi eremitis salutem cum benedictione perenni.

Cupientes sanctam Camaldulensem eremum tamquam caput aureum, splendidum & coruscum in antiqua observatione & puritate inhianti animo conservare, ut sit instar candelabri aurei in templo positi, septemque lampadibus aureis illustrati, septem donis Spiritus-sancti illustretur, ac figurari aqua sapientiæ valeat

leat alacri paradiſo, ex cujus medio fluvius irrigans terræ ſuperficiem derivatur, moreque cœleſtis Jeruſalem pretioſis lapidibus redimitæ coruſcet caritate, virtutibus, gratioſis moribus & exemplis, & tamquam lucerna in montis cacumine poſita ſuæ ſanctitatis radios valeat demonſtrare, cum conſilio & voluntate quorumdam noſtrorum fratrum eremitarum, videlicet domnorum Johannis, Simonis, & Petri ipſius eremi recluſorum, infraſcripta capitula per dilectum in Chriſto filium domnum Bartholomæum dictum, ſeu ſcriptorem & notarium noſtrum ſcribi diligenter mandavimus & notari ſub anno Domini M. CC. LXXVIII. indictione VII. tertio idus octobris, ut ſic dilucidarentur nonnulla, quæ in Conſuetudinibus venerabilium priorum Rodulphi & Martini prædeceſſorum noſtrorum confuſe & minus lucide erant ſcripta.

De Silentio. Caput I.

IMprimis quia cultus juſtitiæ ſilentium eſt, firmiter ſtatuimus, ut ſilentium in utraque quadrageſima, & omnibus diebus abſtinentiæ in hoc loco inviolabiliter obſervetur. Ceteris vero diebus ab hora veſpertina uſque in ſequentis diei expleta Miſſarum ſollemnia taciturnitatis regula illæſa cuſtodiatur; nec aliquis apertus vel recluſus alicui loqui præſumat, niſi de Majoris ipſius eremi licentia ſpeciali. Nec etiam loquenti quis audeat reſpondere, ſed tabulam cum ſigillo ipſius eremi ſignatam demonſtret, vel afferat ab ipſo Majore ſe non habere licentiam ſpecialem. Cum obedientialibus vero eremi Fontis-boni, quos intelligimus ſacriſtam, operarium, cellerarium, coquum & ſervitorem eremi, camerarium, cellerarium Fontis-boni, & bajulum eremitarum modeſte, utilitate vel neceſſitate urgente, a Tertia uſque ad Veſperum loquantur breviter & diſcrete, diebus abſtinentiæ cura vigilantiſſima obſervatis.

De proprio non habendo. Cap. II.

ITem ordinamus, ut nullus eremitarum dare, recipere vel tenere præſumat, niſi quod a priore Camaldulenſi vel Majore eremi datum fuerit vel permiſſum.

De Officio & Miſſis dicendis. Cap. III.

ITem ſtatuimus, ut in loco iſto divinum officium raro & moroſe dicatur, nec aliquis alterius ordinis, nec noſtri ordinis novitius in choro eccleſiæ vel refectorio moretur juxta ipſius eremi obſervationem hactenus obſervatam. Quotidie autem in ipſo loco tres Miſſæ conventuales dicantur, videlicet de beata Maria, de Mortuis, de die.

De Communione recluſorum & Confeſſione. Cap. IV.

ITem ſancimus, quod omni die Dominico, in cœna Domini, & in feſtis omnium Sanctorum, recluſi non ſacerdotes in ſuis cellulis ab ſecundo hebdomadario reverenter recipiant Corpus Chriſti. Qui vero ſunt ſacerdotes, & habent in ſuis cellulis altare inibi, cum benedictione noſtra Miſſas celebrent cum ſilentio, quotiens rite voluerint celebrare; dum tamen propter hoc debitum eccleſiæ nullatenus defraudetur. Confeſſionem vero faciant omni die ſabbati in ſuis cellulis confitentes ſacriſtæ vel Majori eremi ordinate.

De Pœnitentiario eremi. Cap. V.

ITem volumus, ut in eremo ſemper ſit unus pœnitentiarius recluſus, qui fratribus noſtri ordinis vel aliis devotis perſonis habentibus a ſuis prælatis licentiam ſpecialem, pœnitentiam injungat juxta feneſtram cellæ, conſolationem eis tribuens verbo pariter & exemplo.

De aſſiduitate cellæ. Cap. VI.

ITem ordinamus, ut incluſi eremitæ in ſuis cellulis ſcapulari, cuculla vel cappa ſemper utantur, & ſupra humeros inibi, ſi voluerint, pellium uſum habeant, ac diſcalciatis pedibus commorentur, nec aliquam perſonam noſtri ordinis vel alterius in ipſis admittant, niſi de Majoris eremi licentia ſpeciali, illis exceptis, qui Miſſas celebrant, ut ſuperius eſt expreſſum. Aperti vero illud idem faciant, quod de recluſis dictum eſt ſupra, ut ſic contemplatio & quies eremi per aliquem nullo modo valeat impediri.

De Pſalmodia quotidie dicenda. Cap. VII.

ITem ſtatuimus, quod omni die unum pſalterium quilibet recluſus devote Deo perſolvat, & aperti medium cum aliis officiis eccleſiæ quotidie decantandum.

De abſtinentia & jejuniis in Quadrageſima. Cap. VIII.

ITem ſtatuimus, quod in duabus quadrageſimis ſancti Martini videlicet & majori, feria II. IIII. & VI. fiat abſtinentia cum pane & aqua, & adjectione ſalis tantum. Feria vero III. & ſabbato vinum habeant, acrumina, poma, nuces & ficus fratres eremitæ. Diebus quidem dominicis & feria V. vinum habeant & pulmenta cum adjectione acruminum & pomo-

pomorum. Et in dictis duabus quadragesimis quacumque die venerit sollemnitas, ipsa die plenam habeant misericordiam dicti fratres. In qua quadragesima sancti Martini feria v. diebus dominicis, & sollemnitatibus castaneas lupas habeant a cellerario Fontis-boni. Et in majori quadragesima III. staria castanearum siccarum recipiant ab eodem, recipientes etiam diebus sollemnibus fritellas in utraque quadragesima. In quibus utraque quadragesima semper habeant die martis secundæ hebdomadæ misericordiam pulmentorum propter anniversarium priorum Camaldulensium defunctorum.

De abstinentiæ per totum annum relaxatione. Cap. IX.

ITem volumus, quod per totum annum extra dictas duas quadragesimas feria III. & v. & diebus dominicis vinum habeant & pulmenta, ut moris est, cum caseo & ovis. Juncatam vero a kalendis madii usque ad festum sancti Martini feria v. die dominica & sollemnitatibus habeant, ut more solito habuerunt; nihilominus & IIII. casei vaccini omni die veneris usque ad prædictum terminum ad eremum transmittantur. Ab octava paschæ usque ad festum sancti Martini diebus dominicis & sollemnibus apud Fontem-bonum cœnæ præparentur miliaciorum, quæ fratribus de eremo æquali debent vicissitudine ministrari. In diebus autem v. feriæ a festo sancti Johannis-baptistæ usque ad idus septembris eadem cœnarum præparatio de miliaciis fiat. Diebus vero sabbatorum simpliciter jejunetur. Simplex enim jejunium intelligimus cum unum pulmentum tantummodo cum vino sine ovis & caseo tribuitur eremitis. Per anni vero circulum extra duas quadragesimas eremitis liceat diebus abstinentiæ comedere poma, nuces, ficus, & acrumina, ne nimio rigore abstinentiæ eremitica observantia relaxetur.

De Flebotomia. Cap. X.

ITem ordinamus, quod Flebotomiæ in loco isto ter in anno fiant, videlicet post pascha resurrectionis, circa festum sancti Michaelis de mense septembris, & post purificationem beatæ Virginis. Quæ Flebotomiæ incipiantur semper a die lunæ, quibus diebus talis refectio præparetur. Prima die ferculum farris, II. granellorum, III. demum lagana cum alio pulmento ovis & caseo sollicite ministrentur. Sero autem primo viscelli, secundo oleris, tertio denique miliaciorum refectio præparetur cum fritellis panisque dimidio. Fratres autem, qui non fecerint sibi minui, sint eadem misericordia gavisuri, dummodo per eosdem diebus jejunandis jejunium non frangatur. Poterit enim, si opportunum fuerit, consuetum per medium dividi, itaut una hebdomada reservetur, in qua die sabbati a cellerario Fontis-bonis pro eis turtarum refectio præparetur.

De vigiliis Sanctorum. Cap. XI.

ITem volumus, quod vigiliæ Sanctorum, quæ in ecclesia sunt statutæ, Epiphaniorum quoque atque sanctorum Philippi & Jacobi, licet in usu seculari non habeantur, in hac eremo abstinentiæ deputentur, cum vigiliis quatuor Virginis loriosæ.

De Octavis & Biduanis. Cap. XII.

ITem statuimus, quod die Nativitatis Domini, & infra octavam ejusdem abstinentia relaxetur, jejunio inviolabiliter reservato. Per octavam autem resurrectionis Dominicæ & jejunium frangatur, & abstinentia relaxetur, feria VI. excepta, in qua relaxetur abstinentia, sed tunc & deinceps per totum annum inviolabiliter jejunatur; nec unquam ea die caseo & ovis uti sit licitum eremitis, nisi eadem die celebraretur nativitas Jesu-Christi. Per octavam Pentecosten feria II. III. & v. & jejunium & abstinentia relaxetur; feria vero IV. & sabbato propter jejunium quatuor temporum simpliciter jejunetur, feria VI. abstinentiæ deputata. Per octavam assumptionis beatæ Mariæ Virginis & nativitatis ejusdem hoc idem fiat, quod fieri diximus resurrectionis Dominicæ per octavam. Si vero infra anni circulum occurrere contigerit Biduanas, præcedenti die vinum habeant eremitæ. Biduanas intelligimus videlicet, si die martis venerit sollemniter vigilia celebranda, nam tunc die lunæ vinum sint a cellerario habituri; quod diximus die lunæ, de diebus aliis infra hebdomadam est tenendum.

De festis Sanctorum. Cap. XIII.

ITem ordinamus, quod si ab octava resurrectionis usque in idus septembris festum occurrerit XII. lectionum, diebus quatuor temporum & feria VI. in quibus jejunatur exceptis, & jejunium frangatur & abstinentia relaxetur. Ab idibus vero septembris usque in quadragesimam sancti Martini, & ab octava nativitatis Domini usque in quadragesimam majorem, relaxato rigore abstinentiæ jejunetur.

De

De observatione a Resurrectione usque ad Pentecosten. Cap. XIV.

ITem volumus, quod ab octava Resurrectionis usque Pentecosten tribus diebus in hebdomada abstinentia repetatur; feria vero III. Rogationum & in festo sancti Marci propter litanias Gregorianas simplex jejunium celebretur.

De observatione a Pentecoste usque in festum sancti Johannis-baptistæ. Cap. XV.

ITem sancimus, ut ab octava Pentecostes usque in festum sancti Johannis-baptistæ tribus diebus in hebdomada abstinentiæ deputatis, feria III. & sabbato simpliciter jejunetur. A festo vero sancti Johannis-baptistæ usque idus septembris feria II. IV. & VI. rigor abstinentiæ inviolabiliter observetur, diebus aliis exceptis misericordiæ deputatis.

De comestione eremitarum in suis cellulis. Cap. XVI.

ITem statuimus, ut diebus quadragesimalibus in suis cellulis comedant eremitæ, per totum annum diebus abstinentiæ etiam inibi comedentes nudis pedibus supra pavimento sedentes, librumque sacræ lectionis intuentes, ut dum fauces sumunt subsidium corporis, oculi quoque percipiant cibaria mentis.

De misericordia piscium facienda. Cap. XVII.

ITem volumus, quod ante sollemnitatem paschalem & ante Dominicam nativitatis solito more pisces emantur a camerario Fontis-boni, si tunc temporis possunt commode inveniri vel haberi, & de ipsis hinc inde fiat partitio secundum voluntatem domini prioris, vel ejus, qui fuerit loco sui.

De Paropsidibus ad eremum transmittendis. Cap. XVIII.

ITem ordinamus, quod in nativitate Domini, & Paschali sollemnitate sanctæ Resurrectionis per singulos fratres, singulæ paropsides cum totidem coceariis per camerarium Fontis-boni, & sex paropsides adjunctis quatuor incisoriis pro domino priore Camaldulensi ad eremum transmittantur. Et in eisdem sollemnitatibus solito more duæ libræ piperis a sacrista eremi pro fratribus eremitis; & a cellerario Fontis-boni fabarum æstivarum staria XVIII. & VI. staria nigrarum in æstate a cellerario eremi tribuantur.

De Correctionibus faciendis & Capitulo celebrando. Cap. XIX.

ET quia nullus ordo sine correctione potest diutius retineri, nullaque religio regulariter observari, mandamus districte, ut correctiones & reprehensiones fiant cum fervore caritatis & eremi rigore qualibet die Dominica in capitulo extra duas quadragesimas; & præmissa generali confessione totum capitulum recipiat disciplinam. In porticu autem, qui est ante ecclesiam, reprehensiones fiant post Sextam III. & V. feria, & in quadragesimis die Dominica post Primam. Et quicumque fuerit ibi major imponat transgressoribus pœnitentiam taliter, quod ceteris auferatur materia delinquendi: videlicet quod pro violato silentio & Missis votivis negligentia non celebratis recipiant disciplinam; pro divino autem officio & aliis omissionibus majoris capituli correctioni & providentiæ relinquantur.

De modo orandi pro benefactoribus nostris. Cap. XX.

ITem ordinamus, quod de cetero in sancta Camaldulensi eremo & Fontebono post vesperas diebus ferialibus tantum totus conventus super formas dicat hos psalmos: Miserere; Ad Dominum; & De profundis, cum: Gloria patri, cum oratione Dominica, capitulo, & orationibus sequentibus infra scriptis: ℣. Oremus pro domino papa nostro. ℟. Dominus conservet eum, & vivificet eum, & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in animam inimicorum ejus. ℣. Oremus pro benefactoribus nostris. ℟. Retribuere &c. ℣. Memor esto. ℟. Quam possedisti. ℣. Oremus pro fidelibus. ℟. Requiem æternam &c. ℣. Domine exaudi. ℟. Et clamor. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus, Omnipotens sempiterne Deus, qui vivorum dominaris simul & mortuorum, omniumque misereris, quos tuos fide & opere futuros esse prænoscis, te supplices exoramus, ut pro quibus effundere preces decrevimus, quosque vel præsens seculum adhuc in carne retinet, vel futurum jam exutos corpore suscepit, pietatis tuæ clementia omnium delictorum suorum veniam percipiant, & gaudia consequi mereantur æterna. Per Christum Dominum nostrum, amen.

De reverentia eremi. Cap. XXI.

PRæterea summam gerat sollicitudinem & providentiam prior, ut locus eremi quasi, immo revera, caput, ab his, qui

qui in Fonte-bono vel per Obedientias ceteraque loca commorantur congregationis, in summa reverentia habeatur ; & fratres ibi commorantes ab omnibus debeant honorari, quia ubi arctior est vita, major debet esse reverentia. Ipsi tamen fratres non tumenti animo, sed humili affectu hanc recipientes non exigant honorificentiam, æstimantes se potestate dominante, sed caritate fervente reverendos. Susceptiones monachorum, monasteriorum ordinationes & quæcumque præcipua sunt agenda, eremitarum consilio vel præsentia fiant. Abbates & priores hujus congregationis ad visitationes ipsius loci annuas solito more moneantur. Quod si contempserint aut neglexerint, de negligentiis gravior, de contemptu vero ultio gravissima fiat, ne noxia patientia rigor disciplinæ solvatur. Unde generale congregationis capitulum per singulos annos prædictorum fratrum consilio præsentiave quorumdam ipsorum congrua loco vel tempore celebretur, ubi & quæ dissoluta sunt reformari, & quæ reformata fuerint, competenti censura, communique consensu valeant in Domino stabiliri.

De vita, & doctrina, & virtutibus prioris eremi. Cap. XXII.

JAm nunc illius subdenda est descriptio, cujus magisterio & doctrina vita eremitica possit efficaciter observari, nam dignum est, ut post regularem informetur institutionem, qui regularem observantiam prius discere, postea debet observando docere ; non enim potest esse magister ordinis, qui non fuit discipulus ordinatæ conversationis. Hic ergo a fratribus in eremo commorantibus, & aliquibus de Fonte-bono, & prælatis ordinis convocatis est eligendus. Eligatur ergo de fratribus ipsius loci, si reperiatur idoneus, aut de personis ejusdem congregationis talis assumatur, qui vitam eremiticam doctrina & experientia docere didicerit, scientia & moribus comprobatus.

Qualiter prior præesse debeat? Cap. XXIII.

ELectus autem meminerit se non ad dominandum, sed ad ministrandum, ad laborem, non ad suavitatem esse vocatum, ut sit in illis tamquam unus ex illis, nam bonis & modestis exhibere se debet æqualem, immitibus & superbis atque contumacibus se noverit esse prælatum; non enim fecit Deus hominem, ut præsideret hominibus, sed ut præesset volatilibus cœli & bestiis terræ, & piscibus maris, idest elatis, cupidis & curiosis, in quibus concupiscentia carnis, & oculorum vel vitæ regnat ambitio. Natura quippe omnes æquales genuit, culpa vero alterum alteri præposuit. Ubi ergo vitium viderit, ibi exerceat officium præsidendi, arguendo, increpando in omni patientia & doctrina. Ubi vero virtutes agnoverit, ibi gerat officium ministrandi, observando, cooperando in humilitate & scientia. Illis severitatem & rigorem ostendat, ne dum nimis servatur humilitas, frangatur auctoritas regendi ; istis mansuetudinem & hilaritatem exhibeat, & eisdem studeat in Domino conformari, ut in moribus & operibus suis videatur, quid agendum sit, quidve relinquendum. Doctrina quidem & vita præsidentium quasi quædam scriptura est & sculptura in oculis subditorum, ut ibi possint legere vel contueri formam suæ conversationis; hinc de magno sacerdote dicitur, quod in veste poderis, quam habebat, totus erat descriptus orbis terrarum, & parentum magnalia in quatuor ordinibus erant sculpta.

De severitate & discretione prioris. Cap. XXIV.

QUi ergo solitariæ vitæ cultoribus præsidet per exemplum operum & studium honestatis, ipsis iterum ostendere debet. Efficaciora quippe sunt exempla quam verba, & longe amplius est opere docere, quam sermone. In capitulo sæpe cum fratribus conveniat, & præmissis metanæis suos confiteatur excessus, ut ipse a vitiis fiat emendatior, & aliis emendationis formam ostendat. In incessu, in statu, in habitu, in loquendo & operando nihil faciat, quod cujuscumque offendat aspectum, sed quod eremiticam deceat sanctitatem. Severitatem in seipso, discretionem in aliis observet, ne forte cum aliis prædicaverit, ipse reprobus efficiatur. Sunt enim, qui dura & aspera suis commissis proponunt & injungunt, digito autem suo nolunt ea movere. Pondus & pondus, mensura & mensura abominatio est apud Deum. Quæ parabola illos sugillat, qui leviora sibi & graviora subditis imponunt.

De exemplo beati Benedicti. Cap. XXV.

BEatus equidem Benedictus monachorum pater almificus suæ religionis exordia in solitaria militia fundavit, ubi ab ipso pueritiæ suæ tempore animum habens senilem, non solum ab adolescentia, sed etiam ab infantia perfectionis iter arripuit. Audiens, quod scriptum est : Bonum est viro cum portaverit jugum ab adolescentia sua ; sedebit solitarius & tace-

tacebit, quia levabit se super se. Quia supra naturam corporis erexit culmen mentis, & plus operatus est per zelum intentionis, quam possit exequi per qualitatem humanitatis. Et licet postmodum cœnobialem ordinem mirabiliter instituisset, locum tamen dilectæ solitudinis ferventius coluit, amplius informavit, virtutibus & signis plenius illustravit.

De exemplo beati Romualdi. Cap. XXVI.

SEd & beatus Romualdus postposita mundanæ nobilitatis excellentia cum se ad monasterialem transtulisset disciplinam, & pastorale magisterium suscepisset, tandem ad solitariam transivit militiam, & eremiticæ conversationis plura loca construxit, inter quæ loca Camaldulensem quoque eremum mirabiliter ædificavit.

Qualiter fuit Camaldulensis eremus ædificata? Cap. XXVII.

NAm cum pervenisset ad partes Arretini territorii locum idoneum huic proposito cupiens invenire, occurrit ei quidam vir nomine Maldulus, dicens se campum habere in alpibus positum, ubi cum aliquando dormiret, instar Jacob patriarchæ scalam vidit excelsam, cœlum quasi suo vertice tangentem, per quam splendentium atque albescentium videbatur ascendere multitudo. Quo audito vir Dei tamquam divino illustratus oraculo, mox campum petiit, locum vidit, cellas ibidem construxit, & allocutus præsulem Arretinum, nomine Theodaldum, suffragium hujus operis quæsitum impetravit. In quo loco postea quamdam basilicam ædificavit, quam prædictus præsul in honorem sancti Salvatoris consecravit M. XXVII. anno ab ejusdem incarnatione.

CONSTITUTIONES CAMALDULENSES ANNI M. CC. LXXIX. SEU LIBER IV. DE MORIBUS,

Qui primum in lucem prodit ex codice nostro.

Ad lib. XLIII. num. 26. INcipit quartus Liber de Moribus compositus a venerabilibus viris domnis B.. de Vangaticia, G.. sancti Michaelis de Burgo, B.. de Cantiniano monasteriorum abbatibus, B.. Montalis de Salute priore, Andrea sacrista Camaldulensis eremi, & Simone eremita incluso definitoribus capituli generalis apud Socium tempore venerabilis patris domni Gerardi prioris generalis celebrato anno Domini M. CC. LXXIX. X. Kalendas novembris.

CORDI nobis est honesto affectu antiquorum sanctorum patrum imitari vestigia, & quasi novis sanctitatis indiciis laxata fræna sedula observatione resumere innovanda quædam, quæ in prioribus Constitutionibus erant, ac de novo etiam alia statuenda, in quibus cultu fervido, devotionis oraculo, ac quasi vetustatis errore sublato, Domino famulemur, & ad ea convertendo nostræ diligentiæ studium, reassumptis, ut videtur, jam lapsis viribus, de die in diem proficiamus spiritualibus incrementis. Numquam enim hæc melius poterimus exequi, quam si nutrire in sancta religione, quæ recta sunt, & corrigere, quæ profectum in ea virtutis impediunt, commissa nobis auctoritate curemus. Eapropter, ne quod de quibusdam pro lapsu temporis ac neglectu pariter factum est, in usu consuetudinis pravæ a posteris deducatur, vos omnes & singulos prælatos & subditos præsentes & futuros apud Socium in generali capitulo congregatos, & alibi per totum ordinem constitutos præsentis scripti auctoritate, qua fungimur, monemus, nihilominus statuentes, quatenus infrascripta capitula pro Constitutionibus omni exacta diligentia inviolabiliter a vobis omnibus & singulis debeant observari.

De auctoritate domni prioris Camaldulensis. Cap. I.

STatuimus & ordinamus, quod per Constitutiones factas & faciendas nullum præjudicium privilegiis Romanorum pontificum concessis domino priori Camaldulensi, eremo & toti ordini quomodolibet generetur, quin prior Camaldulensis personaliter per se ipsum possit visitare, corrigere, instituere & destituere monasteria, prioratus & loca nostri ordinis secundum æquitatis justitiam, constitutione aliqua non obstante. Volumus tamen pro ordinis honestate nostri decenti, quod dominus prior nullum scriptorem, vel etiam secretarium secum ducat, nisi prius steterit in ordine quinque annis.

De statu sacræ eremi Camaldulensis. Cap. II.

INhibemus omnino, ut nihil detur visitationis nomine alicui eremitæ recluso singulariter vel privatim, sed si aliquis exhibere voluerit aliquid, dabit sacristæ eremi in communi, qui postmodum

dum inter ipsos eremitas data communiter sortiantur. Visitatores autem, qui pro tempore Camaldulensem eremum visitabunt, super hoc diligenter inquirant, & graviter puniant transgressores. Nihilominus inhibemus pro ipsius eremi quiete ac pace, ut nulla fiat ars in dicta eremo, propter quam possit Deo vacanti solitudo inquietari. Statuimus etiam, quod eremus in civitate Arretina ultra duos advocatos non habeat, ne nimiis & inordinatis expensis gravia & importabilia onera patiatur. Illud quoque sub pœna excommunicationis præcipiendo mandamus, ne aliquis eremita eremitam roget vel inducat signo vel scripto, ut aliquis assumatur ad regimen animarum, cum aliquod monasterium vacaverit de consilio eremitarum reformandum; sed quilibet simpliciter & pure domino priori Camaldulensi vel ejus nuntio constituto ad hoc, cum requisitus fuerit, consilium tribuat, sicut expedit servis Dei, & instanti negotio, ut is eligatur, vel instituatur per dictum dominum priorem, in quem major & sanior pars capituli videbitur consentire. Volumus insuper provide statuentes, quod nullus pro eremita ponatur in dicta eremo vel recipiatur, nisi sacerdos fuerit, & attigerit XXV. annorum tempus, nec in hoc per dominum priorem Camaldulensem modo aliquo valeat dispensari. Fratribus autem alterius professionis vel ordinis, novitiis nostri ordinis & personis secularibus celebrandi quadragesimam, vel inibi pro hospitibus commorandi licentia nullatenus concedatur. Et ut debita reverentia capiti nostri ordinis exhibeatur, statuimus ac firmiter stabilimus, ut quilibet prælatus personaliter per se vel per suum nuntium specialem annuatim Camaldulensem eremum juxta morem antiquum & observantiam laudabilem debeat visitare. Et quod dominus prior Camaldulensis vel alius aliquis dare non possit vel debeat alicui personæ aliquam abietem eremi prælibatæ, nec incidi permittat, nisi tantummodo pro suis & sibi subjectis domibus reaptandis & construendis. Quod si contra facere repertus fuerit, correctioni gravissimæ subjiciatur definitorum capituli generalis. Hoc tamen excepto, quod de consensu eremitarum possint abietes pro perticis aptas facere incidi, quotiescumque fuerit opportunum.

De monachis non mutandis. Cap. III.

NOn minus pro peccato illorum, qui faciunt, quam pro illorum detrimento, quod sustinent, cum cogantur evagari per mundum & eis dissolutionis materia tribuatur, statuimus, quod capitulum, in quo agitur de remotione monachorum in Constitutionibus de Moribus, conservetur omnino. Cum autem per priorem Camaldulensem eos amoveri contigerit, debitis supervenientibus causis cum nulli alii remotionem hujusmodi licere velimus, nisi esset eis specialiter demandatum, & tunc cum literæ datæ fuerint, ille pro monacho illius monasterii, ad quod transmittitur, habeatur & sit. Nec liceat illius monasterii prælato monachum illum seu novitium, vel conversum, quotquot fuerint, remittere ad priorem, sed si gravatum se senserit, gravamen illud per suas literas per alium nuntium nuntiabit eidem. Qui prior curabit secundum Deum gravamini sibi assignato per literas, si hæc ita esse in veritate persenserit, providere. Item volumus insuper & mandamus, quod monachis ordinis nostri in via dirigendis pro monasterii negotiis seu propriis vel in remotioribus suis, sive pedibus, sive equis incedant, de honesta societate ac necessariis expensis a suis prælatis provideatur omnino, ita inquam, quod si possibile fuerit, associetur potius per monachum vel conversum, quam per alium; alioquin ipsorum societatem aliam, quam secum ducent, XVI. annos debeat exegisse. Monachi autem euntes per ordinem, vel extra monasteria ultra quinque milliaria literas licentiales portent secum, quas a suis prælatis teneantur petere, ac ipsis prælatis easdem dare; nec recipiantur in monasteriis infra claustrum absque dictis testimonialibus literis, & breviario vel ad minus psalterio, si sperant extra monasterium proprium pernoctare. Quæ omnia prælati, ad quos declinaverint, ab eisdem exigant & requirant, & videant. Quicumque vero sine ipsis repertus fuerit, tamquam excommunicatus ab omnibus evitetur. Si autem aliquis contra fecerit, tam ipse monachus sine libro, quam suus prælatus, & qui eum receperit, una die in pane & aqua solum debeant jejunare. Prælatus autem quilibet rebelles ordinis & fugitivos capere teneatur, & ipsos quantocius priori Camaldulensi transmittere. Quod si facere neglexerit & potuerit, tribus diebus in pane & aqua solum sine aliqua dispensatione debeat jejunare.

De

De veniendo ad capitulum generale.
Cap. IV.

DEclaramus ad observationem etiam statuentes, quod prælatus ad capitulum generale veniens duos vel unum de discretioribus suffraganeis suis ducat secum. Quicumque vero prælatus justam excusationem non habens ad hujusmodi capitulum generale non venerit, quam excusationem tunc in præsenti capitulo per specialem nuntium ostendere teneatur, post decem dies a celebratione capituli debeat se personaliter transferre Camaldulum, continuis postmodum XL. diebus suis expensis vitam eremiticam in Camaldulensi eremo peracturus. Illud inquam prohibemus, quod nullus monachus veniat ad prædictum capitulum generale sine sui prælati licentia speciali. Qui vero contra fecerit, in ipso capitulo disciplinam recipiat, & statim redeat ad monasterium proprium, a quo venit, & ibidem in pane doloris, & aqua tristitiæ sine dispensatione aliqua tribus diebus debeat jejunare.

De visitatoribus, & forma visitationis, atque visitationibus. Cap. V.

STatuimus & ordinamus, quod visitatores, dum visitant, bini & bini vadant, prælatus scilicet & monachus electi a definitoribus capituli generalis, duos equos vel tres ad plus ducentes. Qui se in sua visitatione infra triduum debeant expedire, nisi evidens necessitas eos magis cogeret immorari. Proviso tamen, quod in parvis locis moram breviorem contrahant, sicut viderint expedire. Omnia vero monasteria in sibi assignatis provinciis cum suis monasteriis suffraganeis visitabunt. Si vero præter generalem visitationem medio tempore aliquod monasterium indiget visitari, visitetur per dominum priorem Camaldulensem vel visitatores, aut ipsorum aliquos & non alios, quos dominus prior Camaldulensis magis ad hoc idoneos viderit esse ordinatos a capitulo generali. Volumus insuper, quod visitatoribus, qui primo tempore generaliter ordinem visitabunt, dentur a prælatis majorum monasteriorum solidi XX. a mediocribus solidi XII. a minoribus VI. & ipsi priori Camaldulensi & definitoribus de prædictis denariis & expensis reddant in capitulo generali plenariam rationem. Ipsorum autem monasteria visitatorum dominus prior per se aut alium debeat visitare. Cum vero visitatores visitabunt, secundum Deum se habeant, servata in omnibus ordinis honestate. Ordinamus præterea, ne veritas occultetur, seu falsitas ingeratur, quod si prælatus vel subditus in visitatione, quando interrogatus fuerit per veram obedientiam & Spiritus-sancti virtutem, repertus fuerit, veritatem fraudulenter non dixisse, si prælatus est, per unum integrum annum ab administratione sui officii sit suspensus, per idem tempus tribus diebus in pane & aqua solum in hebdomada qualibet jejunando. Subditus vero per spatium unius anni compeditus in carcere mancipetur. Statuimus etiàm, quod scripturæ visitationum postquam fuerint definitæ vel judicatæ per definitores, reserventur usque ad sequens capitulum generale, & inibi comburantur.

De carnibus non comedendis. Cap. VI.

PRæcipimus, quod nullus prælatus vel monachus extra monasteria vel loca nostri ordinis, in quibus monachi habitant, in eundo, stando vel redeundo carnes audeat manducare, nisi tali esset infirmitate detentus, propter quam secundum regulam beati Benedicti deberet eidem misericorditer provideri, condimento sagiminis constitutioni hujusmodi non incluso. Si quis vero nostri ordinis prælatus vel monachus contra constitutionem hujusmodi venire præsumpserit, ex nunc pro ut ex tunc in his scriptis sit excommunicationis sententia innodatus, nihilominus alia pœna secundum domini prioris Camaldulensis arbitrium puniendus, a qua sententia non possit absolvi, nisi a priore Camaldulensi. A suo enim prælato vel alio loco ejus in prælati absentia, & mortis articulo absolvatur. Qui absolvens ex hac constitutione dicere teneatur, quod idem infirmus domino priori Camaldulensi a tempore suæ convalescentiæ infra mensem suam culpam dicturus se debeat præsentare; alioquin absolvens dicat infirmo, quod de sua licentia excessum illum nuntiabit domino priori Camaldulensi; quam licentiam si prædictus infirmus non daret, nullatenus absolvatur, & nihilominus ex vigore constitutionis hujusmodi idem audiens domino priori Camaldulensi pandere teneatur. Transfretantibus autem, & in insula Sardiniæ commorantibus, & in Monte-Christi, ac etiam procuratore Romanæ curiæ in prædictis omnibus nullatenus intellectis.

De jejunio secundum regulam observando. Cap. VII.

ORdinamus, quod jejunium secundum regulam sancti Benedicti & constitutiones nostri ordinis observetur. Quicumque vero prædictum jejunium sine licentia speciali sui prælati fregerit, uno die in pane & aqua solum debeat jejunare; si quis autem extra jejunium sine sui prælati licentia speciali inordinate, scilicet plus bis in die comederit, sequenti die in pane & aqua solum debeat jejunare.

De vestimentis monachorum. Cap. VIII.

STatuimus, quod de cetero non dentur monachis pro vestimentis denarii ad manus, sed quilibet prælatus teneatur in vigilia sancti Michaelis de mense septembris, vel ante si voluerit, in sex libris Pisanæ monetæ in vestimentis, & non denariis cuilibet suo monacho providere, hoc videlicet modo; quod dicti denarii apud priorem claustralem vel sacristam vel alium officialem pro omnibus communiter deponantur; qui prædictos denarios solummodo pro vestimentis, calciamentis vel libris dabit, sed non sine prælati sui licentia speciali. Si autem aliquam pecuniam quis habuerit intra monasterium, ipsam de licentia proprii abbatis officiales teneant antedicti, qua omnino careat, quicumque ipsam possederit, vel tenebit sine licentia speciali; provideatur tamen in medicinis, prout cuilibet fuerit opportunum. Si vero prælatus dabit suis subditis denarios antedictos, pro qualibet vice in Camaldulensi eremo suis expensis XL. diebus continuis vitam eremiticam debeat jejunare.

De non recipiendis vel eligendis ad ordinem nostrum fratribus alterius professionis. Cap. IX.

ORdinamus, statuimus & præcise firmamus, quod nullus professus alterius ordinis in nostro ordine recipiatur pro monacho vel converso. Si vero aliquis contrafecerit, per unum annum ab administratione sui officii sit suspensus. Prior autem Camaldulensis contra constitutionem hujusmodi veniens aliquem de prædictis recipiendo ad ordinem, per duos menses pro vice qualibet in pane & aqua solum tribus diebus in hebdomada debeat jejunare. Receptiones vero hujusmodi ab eodem vel alio faciendas ex nunc cassamus, & nuntiamus auctoritate, qua fungimur, non valere. Statuimus præterea, & juris omni sollemnitate servata primo, secundo, tertiove monendo præcipimus, quod nullus religiosus alterius ordinis prælatus vel subditus in prælatum alicujus nostri monasterii eligatur. Qui vero contrafecerit, tam conventum, capitulum seu monachos singulariter singulos aliquem taliter nominando, postulando & eligendo, seu procurando per aliquem alium, ut eligatur seu assumatur ad aliquam nostri ordinis prælaturam, ex nunc pro ex tunc ipso jure in his scriptis excommunicationis vinculo innodamus.

De non concedendis Beneficiis in ordine nostro ad vitam. Cap. X.

INhibemus & ordinamus, quod nulli prælato vel monacho nostri ordinis Beneficium aliquod spirituale vel temporale concedatur ad vitam, & si cui concessum est, hujusmodi concessio ex nunc sit irrita & inanis, cassamus nihilominus instrumenta facta sacerdoti alicui vel clerico seculari pro victu & vestitu, vel aliquo censu dando in monasteriis nostri ordinis ad vitam, cum hoc in detrimentum monasteriorum nostrorum redundet; irritantes etiam instrumenta singula promissionum & alienationum, quæ vergunt in gravamen nostri ordinis & jacturam.

De armis non ferendis. Cap. XI.

PRohibemus omnino, ut nullus nostri ordinis prælatus vel subditus, & etiam sine licentia sui prælati conversus arma deferat publice vel privatim, nisi hoc faceret in defensionem suæ personæ vel monasterii pro ordine nostro, & tunc cum licentia speciali. Si autem prælatus contra fecerit, suis expensis quadragesimam magis proximam, cum in hoc excesserit, peracturus vitam eremiticam in Camaldulensi eremo debeat celebrare. Monachus autem vel conversus secus faciens per mensem compeditus carceri mancipetur.

De personis recipiendis & monachandis. Cap. XII.

ORdinamus & statuimus, quod quilibet prælatus nostri ordinis novitios ad ordinem nostrum recipere possit & debeat, dummodo personæ sufficientes & aptæ sint rationis literalis scientiæ, ac etiam sanitatis, ita quod infirmitatem non patiantur occultam, vel publicam nimis & deformem. Mandamus etiam, quod nullus ante completum annum novitiatus debeat ad professionem admitti; qui autem contra fecerit, aliquem ante ter-

terminum monachando, proximiorem quadragesimam suis expensis facere debeat in Camaldulensi eremo, & monachatus in habitu novitii & reliquis observantiis per annum integrum reducatur. Prælatis autem ad Camaldulensem eremum pertinentibus, licet eis recipere permittatur, prohibemus omnino, ne sine licentia prioris Camaldulensis alicui possint tribuere habitum monachatus. Si quis vero contra fecerit, per unum annum ex tunc ab administratione sui officii sit suspensus. Ordinamus nihilominus, & precise firmamus, ne aliquis conversus in ordine nostro valeat monachari; si autem aliquis prælatus constitutioni hujusmodi obviare præsumpserit, ex nunc sit ipso jure privatus officio prælaturæ, & monachatus reducatur perpetuo ad pristinum statum conversatus. Volumus præterea, quod nulla ulterius recipiatur in monacham alicujus nostri monasterii monialium, sine domini prioris Camaldulensis licentia speciali, & eo modo recepta per aliquem, quam per illum, nisi de prædictis prioris licentia non veletur.

De non docendo vel eundo ad scholas, Cap. XIII.

STatuimus nihilominus præcipiendo mandantes, quod nullus prælatus vel subditus nostri ordinis aliquam artem vel scientiam extra ordinem vel scholaribus personis docere debeat vel præsumat; qui vero contrafecerit docendo, si non destiterit, infra xv. dies a publicatione constitutionis hujusmodi, excommunicationis sententia ex nunc prout ex tunc præsentibus innodamus. Illud inquam districtius inhibentes, ne aliquis nostri ordinis prælatus vel monachus extra monasterium exeat causa addiscendi aliquam artem vel scientiam. Volumus tamen Decretalium & Theologiæ scientiam iis non intelligatur includi. Ad quas addiscendas de licentia domini prioris Camaldulensis poterunt se transferre. Prælatis autem hujusmodi licentiam prohibemus concedi, nisi ad minus duo monachi in suis monasteriis remanerent.

De procuratore in Romana curia. Cap. XIV.

ORdinamus, quod unus procurator monachus semper sit in Romana curia pro toto Camaldulensi ordine constitutus, & inibi expensis ordinis commoretur, tractaturus negotia universitatis, & singulorum pro ordine tantum, sicut viderit expedire contra omnem personam & locum. Si autem aliquem episcopum vel prælatum contra nostrum privilegium vel ejus libertatem alicui prælato nostri ordinis in curia Romana vel extra contigerit movere quæstionem, non sustineatur omnino, sed a domino priore Camaldulensi infra triginta dies imponatur collecta ordini, postquam sibi fuerit nuntiatum, & illius causam expensis ordinis prosequatur. Decet enim, ut quod omnes tangit, debeat ab omnibus approbari.

De patronis monasteriorum. Cap. XV.

EX ratione præterita futura caventes provida deliberatione & consilio maturo mandamus, in virtute præcipientes obedientiæ veræ, quod nullus patronorum monasteriorum nostri ordinis in eodem monasterio possit recipi, & receptus per alios ad aliud monasterium transmitti, nec assumi ad illud; qui vero contra fecerit, tam prælatum recipientem, quam capitulum & conventum talem eligere præsumentem, vel recipere disponentem cum effectu, trina monitione præmissa, ex nunc in his scriptis singulariter singulos & universaliter universos excommunicationis sententia innodamus.

De impedimentis dejicientibus ad promovendum. Cap. XVI.

STtatuimus, quod nullus notabiliter illiteratus, & qui non sit de legitimo matrimonio natus, aut nisi attigerit vigesimum-quintum annum, & qui non steterit in Camaldulensi ordine quinque annis, præficiatur ad officium prælaturæ.

De infirmis. Cap. XVII.

PRohibemus omnino, quod nullus monachus vel prælatus causa infirmitatis vadat extra monasterium ad jacendum ad loca personarum secularium; sed in monasterio honeste provideatur eidem juxta beati Benedicti regulam & nostri ordinis institutionem, nulla palliatione apposita, & qui secus fecerit, graviter puniatur.

De sacerdotibus novis. Cap. XVIII.

INhibemus, ne novi sacerdotes primam Missam alibi quam in suis monasteriis cantare præsumant; quod si contra constitutionem hujusmodi factum fuerit, tam ipse, qui Missam cantaverit, quam prælatus, qui talem licentiam dederit, per unum mensem in pane & aqua solum tribus diebus in hebdomada qualibet debeat jejunare.

De

De diffamatoribus & accusatoribus. Cap. XIX.

STatuimus præcipiendo mandantes, quod nullus prælatus vel subditus personam aliquam nostri ordinis apud seculares diffamare præsumat; qui autem hoc attentare præsumpserit, pro qualibet vice in pane & aqua solum tribus diebus debeat jejunare. Illud etiam prohibentes, ne contra prælatum vel subditum nostri ordinis accusatio secularium personarum, nisi suam vel suorum injuriam prosequeretur, ullatenus admittatur.

De exeuntibus de Ordine. Cap. XX.

ORrdinamus etiam statuentes, quod nullus monachus vel conversus, qui tertio de ordine exierit, de cetero in ordine recipiatur.

De honestate habitus. Cap. XXI.

PRohibemus, quod nullus prælatus vel monachus equitet in scapulari sine cappa vel cuculla, & quod scapularia ampla non deferat, guarnaccias vel argottos, & super hoc visitatores diligenter inquirant, & graviter puniantur transgressores.

De modo appellandi. Cap. XXII.

QUoniam remedium appellationis non ideo inventum est, ut aliquem a religionis observantia exorbitari volentem debeat confovere, proinde statutum fuit a majoribus nostris, ut nulli extra ordinem appellare liceret a quocumque negocio, quamvis in constitutionibus domini Cardinalis aliter statuatur; nos autem innovando statuimus nihilominus præcipiendo mandantes, quod quicumque contra formam constitutionum prædicti domini Cardinalis appellaverit, trina admonitione præmissa ex nunc prout ex tunc in his scriptis eumdem excommunicationis sententia innodamus.

De officiis dandis. Cap. XXIII.

ORdinamus, quod definitores in visitatores, & visitatores in definitores eodem anno nullo modo eligantur.

De registro ordinis. Cap. XXIV.

AD confutandam omnem falsitatis malitiam, simulationem vel dolum, quæ pro viribus a nobis removere intendimus & debemus, volumus & firmamus, quod registrum fiat, in quo conscribantur omnes literæ sigillo prioris Camaldulensis ordinis sigillatæ, quibus literis nulla fides adhibeatur omnino, nisi etiam fuerit in dextro inferiori angulo, cum respicitur, imago sigilli domni prioris Camaldulensis annulo insignita.

De prælatis ad sacerdotium promovendis, Cap. XXV.

UT nostræ debitæ servitutis officium Domino in sanctitate & justitia persolvamus, statuimus & mandamus, ut omnes prælati nostri ordinis, qui non sunt presbyteri, fiant in primis quatuor Temporibus. Et si aliquem non sacerdotem in futuro contigerit promoveri, debeat simili modo in subsequentibus primis quatuor temporibus in presbyterum ordinari, & ordinatus a tempore ordinationis ejus infra duos menses Missam debeat celebrare. Si quis vero hujus nostræ constitutionis transgressor extiterit, per annum ab administratione sui officii sit suspensus.

De constitutionibus, quæ obligant nos ad pœnam. Cap. XXVI.

ORdinamus præterea, quod constitutiones nostræ, quæ excommunicationem non continent & præceptum, ad pœnam nos obligent, non ad culpam.

Quod nullus assumatur in definitorem, nisi sit sacerdos. Cap. XXVII.

ORdinamus & definiendo præcise firmamus, quod nullus prælatus vel subditus ad definitionis officium, nisi sacerdos fuerit, assumatur, & hoc dicimus, ne in tanto officio inveniatur aliquid minus decens.

De falsariis sigilli prioris Camaldulensis. Cap. XXVIII.

QUia utilitati ordinis est prudenter & efficaciter consulendum, statuimus & firmiter stabilimus, quod quicumque prælatus, monachus vel conversus falsaverit, vel falsari consenserit sigillum prioris Camaldulensis ordinis, si prælatus est, ex nunc prout ex tunc sit ipso jure privatus officio prælaturæ, omni spe restitutionis ablata, tam in prælatione habita, quam habenda. Si vero monachus vel conversus fuerit, tribus annis carceri mancipetur; monacho, dum vixerit, ad prælationem aliquam non assumpto.

De monachis idiotis. Cap. XXIX.

NE idiotæ monachi habeant materiam vacandi negligentiæ, non sine nostri ordinis detrimento, statuimus, quod idiotæ monachi tam præsentes, quam futuri, donec in cantu & lectione compe-

ten.

tenter edocti fuerint, tantummodo vestimentorum præbenda dimidia sint contenti.

De monachis non assumendis ad cappellaniam alicujus domini. Cap. XXX.

STatuimus & inviolabiliter firmando sancimus, quod nullus prælatus vel subditus cappellaniam alicujus domini extra ordinem recipere audeat sine speciali licentia prioris Camaldulensis & definitorum capituli generalis. Quicumque autem contrafecerit, si prælatus fuerit, sit privatus ipso jure officio prælaturæ, si vero subditus, per annum carceri mancipetur.

Qualiter habentes pecuniam eam expendere debeant? Cap. XXXI.

UT peculiaritatis vitium radicitus valeat amputari, ordinamus, & firmiter definiendo sancimus, quod monachi & conversi habentes pecuniam, ipsam expendere debeant in libris vel vestimentis, usque ad festum Omnium-Sanctorum proxime venturum, de consilio & conscientia suorum prælatorum, retentis sibi, si necesse fuerit, de prædicta pecunia libris quinque secundum voluntatem & dispositionem suorum prælatorum, cum opportunum fuerit, expendendis. Si vero, quod absit, hujusmodi constitutionis aliqui inobedientes reperti fuerint, pecunia careant sic retenta, quam auferre eis teneantur eorum prælati, & sine spe restitutionis applicare monasteriis, quibus præsunt.

Quod nullus adire possit Romanam Curiam sine licentia prioris Camaldulensis. Cap. XXXII.

VOlentes quieti ordinis providere, statuimus & ordinamus, quod nullus tam prælatus, quam subditus adire valeat Romanam curiam sine prioris Camaldulensis licentia speciali; qui vero contra fecerit, ad arbitrium jamdicti prioris graviter puniatur.

De collecta imponenda per priorem Camaldulensem. Cap. XXXIII.

ORdinamus & definiendo sancimus, quod dominus prior Camaldulensis cum consilio & voluntate consiliariorum, qui sibi dati fuerint in præsenti capitulo generali, si casus necessitatis emerserit, & non aliter, pro utilitate ordinis generali, possit & debeat collectam imponere ordini universo secundum qualitatem negotii imminentis.

De monachis a suis monasteriis non removendis. Cap. XXXV.

STatuimus, & definiendo sancimus, cupientes prælatorum & subditorum quieti salubriter providere, quod nullus monachus vel conversus de suo monasterio in quo ipsum contigerit habitare, a kalendis augusti usque ad kalendas octobris removeatur alibi collocandus; si vero secus factum fuerit, prælatus, ad quem missus fuerit, eidem non teneatur in aliquo providere pro indumentis.

Quod nullus, cum de monasterio ad monasterium assumitur, pecuniam primi monasterii secum portet. Cap. XXXV.

ITem statuimus & districte præcipimus, quod nullus nostri ordinis, quem de uno monasterio ad alterum contigerit in prælatum assumi, pecuniam seu thesaurum primi monasterii secum portet. Qui vero contra fecerit, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat, & ex nunc auctoritate constitutionis hujusmodi sit privatus officio prælaturæ.

De quibus excessibus prælati a suis prælationibus removeantur? Cap. XXXVI.

ITem, ut prælatis nostri ordinis subtrahatur materia delinquendi, ne conqueri valeant se a domino priore Camaldulensi seu a definitoribus capituli generalis indebite aggravati, statuimus & ordinamus, quod dominus prior Camaldulensis subjectos sibi prælatos ordinis, abbates scilicet & priores deponat pro causis dumtaxat inferius adnotatis, videlicet pro hæresi, pro simonia manifesta, pro immunditia carnali, pro furto, pro perjurio sollemni, pro homicidio, pro gravi sacrilegio, pro gravi ordinis scandalo & infamia, pro dilapidatione sui monasterii bona enormiter alienando & dissipando, pro conspiratione, & si falsarii fuerint domini papæ vel dominorum cardinalium, aut episcoporum, aut domini prioris Camaldulensis, sive cujuslibet prælati nostri ordinis, & si contra omnia instrumenta nostri ordinis privilegia impetraverit, aut uti præsumpserit impetratis.

Quod quatuor disgravatores eligantur in capitulo generali. Cap. XXXVII.

CUpientes, quod fratres nostri ordinis quiete & pacifice vivant, & ab eis auferatur materia appellandi, ordinamus & ordinando statuimus, ut in quolibet capitulo generali eligantur quatuor discreti ac prudentes viri de ordine, gravamina

vamina audientes per dominum priorem Camaldulensem & definitores capituli generalis, ad quos recursum possint habere prælati illi, qui per electionem capituli ad prælaturam canonice eliguntur, cum a domino priore Camaldulensi indebite cognoverint se remotos ab officio prælaturæ, exceptis casibus constitutionum ordinis, pro quibus debent a suis prælationibus removeri. Illi vero a domino priore Camaldulensi & a definitoribus plenam habeant potestatem ad eos recursum habentium alleviandi gravamina, & gravatos indebite ad statum pristinum reducendi, si hoc dictaverit ordo juris. Si autem inventi fuerint contra juris ordinem proclamasse, tunc a prædictis gravaminum auditoribus graviter puniantur juxta exigentiam meritorum; a quorum sententia nulli liceat de cetero appellare. Quia funiculus triplex difficile rumpitur, & frater, qui adjuvatur a fratre, fortis munitio nuncupatur, & quia reportare commodum minime debet ab iis, quos lædere attentavit in enormem justitiæ læsionem, statuimus & ordinamus, quod si quis publice vel private advocaverit seu postulaverit contra aliquod monasterium nostri ordinis vel personas ipsius, seu aliam injuriam eis irrogaverit manifestam, hujusmodi taliter advocationis contra prædictos officium exercentes, nullus prælatus præfati ordinis in defensorem recipiat seu in advocatum, sed & susceptum relinquat, nec salarium det seu emolumentum dicti ordinis sine domini prioris Camaldulensis licentia speciali. Si vero aliquis prælatus ejusdem ordinis contra fecerit, emolumentum tali sive salarium exhibendo, per priorem Camaldulensem moneatur, ut in tertium diem a prædictis desistat; quod si non fecerit in termino supradicto, ab ingressu ecclesiæ non sit ipso facto suspensus; nihilominus si hac pœna despecta, se non correxerit, pœna gravioris culpæ durante ipsa contumacia puniatur. Item cum in bove & asino sit arandum, & lino lanaque contextam vestem censura legalis indui non acceptet, figurans non esse diversæ professionis homines sociandos, statuimus & ordinamus, ut in monasteriis monialium ordinis clericus secularis vel alterius professionis religiosus capellanus nullatenus commoretur. Si qua vero abbatissa vel priorissa ausa fuerit retinere, donec ipsum retinuerit, ab ingressu ecclesiæ suspensa permaneat, & alias prioris Camaldulensis arbitrio puniatur.

De sancto Romualdo fiat plena sollemnitas per totum ordinem, & sequenti die de martyribus duodecim lectionum.

Item ad majus laborantium per itinera commodum vel etiam honestatem concedimus, ut cappellos albos dumtaxat & clericales, & in forma curiali tantum & non aliter factos, musones seu chirothecas de lana acu factos, seu de pannis albis vel bigiis portare deinceps valeant equitantes; & si alterius coloris seu formæ aliquibus inventi fuerint, auferantur, & portantes ipsos unius diei pane & aqua pœnitentia puniatur. Item statuimus, quod dominus prior dare possit prælatis & monachis ordinis licentiam comedendi carnes, & dispensare super constitutione de non comedendis carnibus, sicut suæ discretioni videbitur expedire, maxime cum episcopis, & prælatis & amicis ordinis. Item ut materia scandali auferatur ordini, quod nullus inimicus seu adversarius vel ejus complices cujuscumque ordinis aut dignitatis existant ad occasionem seu denuntiationem contra aliquem prælatum subditum vel personam nostri ordinis admittantur. Item in constitutione, ubi dicitur, quod monachus vel conversus ad priorem Camaldulensem veniens sine prælati sui licentia revertatur ad suum monasterium &c. adjiciendo statuimus, quod hujusmodi monachus vel conversus per priorem Camaldulensem vel ejus vicarium, si prior esset absens, per mensem carceri mancipetur. Item statuimus & ordinamus, ut matri debitus honor & reverentia conservetur, quod omnes prælati monasteriorum manualium teneantur per se seu nuntium specialem in festo sancti Romualdi, aut quindecim diebus ante vel post Camaldulensem eremum visitare. Item statuimus & ordinamus, ut in quolibet capitulo generali eligantur duo prælati ejusdem capituli, unus de provincia Thusciæ, & alius de provincia Romandiolæ, qui collectas omnes faciendas sive imponendas in eodem capitulo æque & juste distribuere debeant, & cedulas facere, prout expedire & caritative convenire videbunt. Item statuimus & ordinamus, ut prælatus, in cujus monasterio generale capitulum celebratur, tunc esse non valeat definitor.

Ad annum 1293. Constitutio capituli generalis apud sanctum Vigilium Senarum sub Frigdiano priore generali extat in Annalibus *Tomo V. pag.* 201. Convenerunt in eo loco sequentes prælati anno M.CC.XCIII. indi

indictione VI. die XVI. junii Rainerius sancti Apollinaris in Classe, Bonus sanctæ Mariæ de Urano, Petrus sancti Sepulcri de Burgo, Ubertus sancti Salvatoris de Berardinga, Zeno sancti Salvatoris Camalduli de Florentia, Bartholomæus sancti Petri de Puteolis, Accursus sancti Justi de Volaterris, Johannes sancti Salvatoris de Cantiniano, Noe de Cintorio, Rainerius sanctæ Mariæ de Insula, Guido sancti Benedicti de Savignano, Gerardus sancti Hippolyti de Faventia, Matthæus sancti Michaelis de Venetiis, Simon sancti Petri de Monte-muro, Antonius sancti Bartholomæi de Anglario, Romualdus sanctæ Mariæ de Deciano, Petrus sanctæ Trinitatis de Monte-herculis, Angelus sancti Andreæ de Candiculis, Clarus sancti Petri in Campo, Bindus sanctæ Mariæ de Toma, Rodulphus sanctæ Jucundæ, Jacobus sancti Petri de Cerreto, Ildebrandus sanctæ Mariæ de Adelmo, & qui defuere, vices suas commiserunt. Inter cetera prædicti prælati cum Johanne priore sancti Salvatoris de Vico-liviense. Petro & Nicolao Camaldulensis eremi eremitis constituere domnos Zenonem abbatem de Florentia, Ceum de Pisis, Zambonum Paulum Arretinum, & Leonardum priorem sancti Michaelis de Arretio, & Clarum de sancto Geminiano laicum generales procuratores in omnibus, & specialiter cum domno episcopo Ravennate. Actum in choro sancti Vigilii.

Ad annum 1299. Breves Constitutiones David prioris generalis anno M. CC. XCIX. habentur *Tom. V.* horum Annalium *pag.* 235.



Constitutiones Cortonenses. Anni M. CCC. VII.

Ex tabulario Camaldulensi.

Ad lib. XVII. n. 40.

IN nomine Domini, Amen. Hæ sunt Constitutiones capituli generalis celebrati Cortonæ tempore rev. patris domini Nicholai prioris sanctæ Camaldulensis eremi, & totius ordinis generalis de religiosorum virorum domnorum Jacobi sancti Petri de Puteolis, Accursii sancti Justi de Vulterris, Realis sancti Petri in Vinculis, Benvenuti sanctæ Helenæ de Æsino monasteriorum abbatum, Benedicti sacristæ de Padua, & Benedicti de Prato heremitarum dictæ eremi definitorum dicti capituli generalis sub anno Domini M. CCC. VII. indictione V. die XII septembris.

De Vestimentis dandis fratribus. Cap. I.

COnstitutionem de dandis vestimentis hospitibus, qui fuerint pro tempore in monasteriis cum literis prioris Camaldulensis factam in capitulo generali celebrato Bononiæ ratificamus, approbamus & confirmamus, ut sicut ceteri monachi in monasteriis, in quibus fuerint, recipiant vestimenta.

De Majore eremi sede vacante. Cap. II.

SEd constitutionem factam in capitulo celebrato Bononiæ, quod Major eremi, vacante sede prioris Camaldulensis, non possit facere aliquam novitatem, revocamus, cassamus & annullamus, & confirmamus omnem auctoritatem, quam Major eremi præfatæ habuit ab antiquo cum capitulo ipsius eremi, vacante sede præfata.

De Novitiis recipiendis. Cap. III.

ITem Constitutionem factam in capitulo celebrato Bononiæ de non recipiendis novitiis, donec ordo Camaldulensis fuerit a debitis absolutus, revocamus, cassamus & annullamus, & prælatis ordinis, ut possint novitios recipere, declaramus.

De Habitu ordinato retinendo. Cap. IV.

ITem inhibemus & firmiter ordinamus, ac in virtute sanctæ obedientiæ & sub excommunicationis pœna districte præcipiendo mandamus, quatenus de cetero nullus prælatus vel monachus audeat jacere nudus, vel uti lineis interulis, seu stare sine tunica, & scapulari laneis, deportare farsitia, sive jubones, caligas de colore, guarnacias cum manicis, bottones ad manicas, arma cuju-

ſcumque generis ſint, in omnes, & ſingulos talia præſumentes in his ſcriptis excommunicationis ſententiam promulgamus. Excipimus tamen euntes ad thermas & balnea, & tunc ſtantes nudi in ipſis thermis, & balneis nolumus eos excommunicationis vinculo obligari.

De Ludo. Cap. V.

ITem monemus omnes, & ſingulos prælatos, monachos & converſos, ut nullus audeat ludere ad Zardum, ſive ad aliquem ludum, ubi perdatur pecunia, vel res aliqua interveniat, vel alios pro ſe ludere faciat, ſive ludere audeat ad ſcacchos, vel ad Tabulas, quamquam pecunia, vel res non interveniat aliqua. In omnes, & ſingulos talia præſumentes monitione præmiſſa in his ſcriptis excommunicationis ſententiam promulgamus. Item caſſamus, & annullamus conſtitutionem antiquam de non portandis pannis cardatis.

De Carnibus non comedendis. Cap. VI.

Item monemus omnes, & ſingulos prælatos, & monachos, ut nullus audeat comedere carnes extra ſepta monaſterii. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, monitione præmiſſa in his ſcriptis, eum vinculo excommunicationis innodamus. Tamen non intelligimus in hac parte transfretantes maria, vel in inſulis commorantes, nec accedentes ad balnea, donec ibi fuerint balneati. Nec etiam intelligimus in curtibus, & granceis monaſteriorum, ubi poterunt prælati cum ſuis ſubditis diſpenſare, ſicut expedire viderint. Si quis autem monachus infra ſepta monaſterii, vel in curtibus, ſive granceis ſine diſpenſatione ſui prælati carnes manducare præſumpſerit, puniatur abſque diſpenſatione aliqua, ſicut in conſtitutionibus antiquis habetur, cum in decreto cavetur expreſſe, quod monachus manducans carnes ſine licentia ſui abbatis per ſex menſes carceri mancipetur.

Item conceſſerunt dicti definitores domno priori Camaldulenſi liberam poteſtatem & baliam tollendi, & caſſandi omnes excommunicationes hactenus factas, prout ſibi viderit expedire.

Item ordinamus, quod omnes deprehenſi in contagio carnis, in furto, rebelles in obedientia, & infames, ii tales in exceſſibus poſſint ad arbitrium prioris Camaldulenſis carceri mancipari.

Item, quod cum plebs de Balneo per ſummum pontificem data fuerit in cambium Camaldulenſi eremo pro caſtro de Soci, & unita menſæ dictæ eremi, nulla de cetero fiat electio de priore in eadem plebe, ſed dicto priori Camaldulenſi cum conſilio eremitarum id ſpectet, ac ponere in ea priorem, non obſtante conſuetudine retroacta obſervata.

Lectæ fuere dictæ Conſtitutiones Cortonæ in domo Mini Colomuccii, in qua domnus prior Camaldulenſis habitabat, præſentibus domnis Andrea abbate ſancti Michaelis de Burgo Piſarum, Bartholo ſancti Quirici de Roſis, Zenone ſancti Savini de Chio monaſteriorum prioribus; anno &c. XVI. ſeptembris.

Anno M. CCC. VIII. indictione V. die XXIII. octobris in monaſterio de Anglari. Nos frater Nicolaus ſanctæ Camaldulenſis eremi & ordinis generalis prior conſtitutionem hactenus editam, quod nullus prælatus, ſi de uno monaſterio ad aliud aſſumatur, aliquam pecuniam ſecum ad ſecundum aſportet, ſub pœna excommunicationis confirmamus, ſi id fecerit ſine licentia prioris Camaldulenſis & ſui capituli primi monaſterii, ut ex auctoritate nobis a capitulo generali noviter apud Cortonam celebrato conceſſa.



CONSTITUTIONES POPLENENSES ANNI M. CCC. VIII.

Ex codice Camaldulenſi nunc primum editæ.

INcipiunt Conſtitutiones celebratæ in capitulo de Poplena. *Ad lib. XLVI. n. 41.*

In nomine Domini, amen. Iſtæ ſunt conſtitutiones editæ in capitulo generali celebrato in monaſterio de Poplena Camaldulenſis ordinis ſub annis Domini M. CCC. VIII. die XXVI. menſis junii.

Quoniam in veneratione Sanctorum ſanctam Romanam eccleſiam ſequi debemus matrem omnium & magiſtram, ſtatuimus & ordinamus, quod feſtivitates Inventionis & Exaltationis vivificæ Crucis, duodecim apoſtolorum, quatuor evangeliſtarum, quatuor doctorum principalium, quorum doctrina ut Sol & Luna fulget eccleſia ſupradicta, nativitas beati Johannis-baptiſtæ ſollemnitate pleniſſima honorentur.

Cum autem aliquando duo feſta XII. lectionum vel duæ ſollemnitates una die concurrunt, de quibus una octo, alia quatuor lectionibus honorantur, de principaliori officium totum fiat, in ſequenti die alia reſervata, hoc autem non intelligimus in octavis.

Diebus vero ferialibus, dum in Miſſa ora-

orationes dicuntur, fratres ad primam orationem ſuper proſperis genua flectant, & ad *Per Dominum* eleventur; in ſecunda vero maneant genuflexi, uſquequo orationes fuerint completæ.

In fine autem orationum *Et famulos tuos*, ulterius non dicatur, cum completis orationibus addi nequeat congruenter.

Quando quidem dicitur *Pretioſa in conſpectu Domini*; *Deus in adjutorium meum intende*, tertio repetatur.

Item ordinamus, quod quilibet prælatus noſtri ordinis infra annum hiſtoriam beatorum Juſti & Clementis cum hymnis & propriis orationibus conſcribi faciat, ut feſtum Sanctorum ordinate & uniformiter celebretur.

Præterea cum celebritates Sanctorum congruis honoribus debeant præveniri, ſtatuimus, ut die præcedente quodlibet feſtum ſollemne vel XII. lectionum Sanctorum, pſalmi feriales in Veſperis non dicantur, ſed pſalmi ejuſdem feſti & antiphonæ tantummodo decantentur.

Inter cetera, quæ Chriſtiana religio debet ſumma reverentia venerari, maxime, qui in ſorte hæreditatis Dominicæ ſunt vocati, corpus illius, qui ſuo ſanguine nos redemit, colere debet reverentia potiori. Ordinamus igitur, ut feſtum ipſius Corporis pretioſi, quod in quibuſdam eccleſiis reverenter & ſollemniter celebratur quinta feria poſt octavam pentecoſtes, & devote & ſollemni reverentia per totum noſtrum ordinem celebretur.

Ad lib. XLVI. n. 41.

Conſtitutioni, quæ loquitur de monachis & converſis, ne debeant extra ſua monaſteria ſine ſui prælati literis teſtimonialibus proficiſci, editæ in capitulo celebrato in monaſterio Camaldulini Bononienſis diœceſis, eadem in ſuo robore permanente, adjicimus, quod tales extra ſua monaſteria ultra decem milliaria proficiſcentes ſine literis memoratis, ipſo facto nota infamiæ ſint reſperſi, & ab omni actu legitimo ſint excluſi.

Si qui autem motu proprio adibunt priorem Camaldulenſem, & per eumdem priorem ad monaſteria propria revertantur, expenſas, quas fecerunt in eundo, ſtando & redeundo, ipſorum prælati eiſdem reſtituere nullatenus teneantur.

Conſtitutionem de recipiendis perſonis ad ordinem Cortonæ editam in capitulo generali omnino caſſantes, conſtitutionem de prædictis perſonis non recipiendis editam in generali capitulo in monaſterio Camalduli Bononienſis diœceſis celebrato irrefragabiliter confirmamus duraturam uſque ad ſequens proximum capitulum generale, quam volumus, quod ad monaſteria monialium etiam extendatur.

Curſoribus domni prioris, dum per ordinem literas deferunt generales, a majoribus prælatis ſolidos IV. a mediocribus III. a minoribus vero II. præcipimus proviſionis nomine exhiberi.

Conſtitutionem de cucullis & cappis portandis editam in capitulo generali celebrato in monaſterio Camalduli Bononienſis diœceſis penitus confirmantes, adjicimus, quod cum albedo facile maculetur, itinerantibus liceat cappas griſeas deportare.

Conſtitutionem de non comedendis carnibus in capitulo generali Cortonæ oraculo declarantes, ubi agitur de diſpenſatione, intelligi volumus de ſubditis noſtri ordinis, & extendi ad eccleſias patronatus monaſteriorum.

Licet in conſtitutionibus felicis recordationis domni Martini olim prioris Camaldulenſis in ſecundo libro de Moribus capite XXVII. caveatur, quod in eccleſiis, quæ reguntur per priores monachos, hi ſoli non maneant, ſed habeant ſocium monachum vel converſum, & eccleſiæ ſolitæ regi per monachos, nunc vero per converſos, iſtis amotis per priores monachos regantur, eccleſiæ quoque, quæ conſueverunt regi per presbyteros converſos, clericis ſecularibus non committantur. Quam conſtitutionem intra tres menſes volumus exhiberi a ſuis prælatis dictis prioribus & rectoribus, & iſtos petere ſub pœna privationis ipſarum eccleſiarum. Quoad converſos prædictos intra tres menſes removeantur, & monachi ſubſtituantur, item dicti clerici ſeculares, cum hi non debeant eſſe regularium ſucceſſores; quod ſi hæc reformatio facta non fuerit, fiat per ſequens proximum capitulum generale.

Item, quod ſex ſcholares monachi ordinis tribus annis proxime ſequentibus ſtudeant in grammatica, & duobus ſequentibus in dialectica, ſex aliis in grammatica ſubſtitutis, & ſic ſemper fiat. De loco provideatur a priore Camaldulenſi, & de libris & expenſis ab ordine univerſo.

Quoniam monaſteria quædam ſunt diminuta, alia augmentata redditibus, in ſequenti capitulo generali fiat adæquatio; provideat tamen prior Camaldulenſis de modo.

Poſſit prior Camaldulenſis diſpenſare ab excommunicationibus, & in alias pœnas commutare.

Quia redditus prioris Camaldulenſis adeo diminuti non ſufficiunt ad decen-

tiam sui status, applicetur ei medietas proventus hospitalis sancti Frigdiani de Pisis, & alia pauperibus remaneat, & hospitalario, ut eam constitutionem observet sub pœna excommunicationis.

Lectæ præsentibus domnis Romualdo de Deciano, Conrado de Morrona, & Felice de Candiculis monasteriorum abbatibus, Romualdo sanctæ Mariæ de Angelis de Florentia, Bartholo sancti Michaelis Arretii & Andrea de Poplena prædictorum monasteriorum prioribus. Anno M. CCC. VIII. die XXVI. junii indictione VI. domno Clemente papa V. manu Zeni & Johannis notariorum exemplatæ, ac per totum ordinem transmissæ.

Ad annum 1311. Consuetudo vivendi eremitarum eremi sancti Mathiæ de Foro-livio imposita ab aliis eremitis sancti Mathiæ de Muriano publici juris a nobis facta est sub anno M. CCC. XI. *tomo V. horum Annalium pagina* 285.



CONSTITUTIONES ALIÆ POPLENENSES, ANNI M. CCC. XV.

Ex eodem codice.

Ad lib. XLVII. n. 20. Constitutiones editæ in capitulo generali apud monasterium de Poplena celebrato per reverendos patres domnum Bonaventuram priorem Camaldulensem, Angelum sacristam, & Ottonellum de Padua eremitas, Julianum de Berardenga, Antonium de Cantignano, Gregorium Classis & Matthæum sancti Hippolyti Faventiæ monasteriorum abbates & definitores. Anno M. CCC. XV. die XVIII. julii.

In primis igitur ratificamus omnes institutiones editas per bonæ memoriæ clarissimum Accursium olim priorem Camaldulensem proximum prædecessorem nostrum.

Quia proprietatis vitium juxta patris nostri regulam radicitus evellendum est, constitutiones de proprietariis confirmamus, adjicientes, quod prælatus, qui in faciendo constitutionem observari negligens fuerit, & id per priorem Camaldulensem vel visitatores adinventum fuerit, cogatur in Camaldulensi eremo per unam quadragesimam suis expensis commanere, & vitam in dicta eremo statutam gerere. Si vero subditus post admonitionem a suo prælato sibi factam intra octo dies omnem pecuniam, quam habet, suo prælato non assignaverit, medietas dictæ pecuniæ sit sui prælati, & alia medietas ad Camaldulensem eremum in eremitarum subsidium transmittatur, & ipso facto sententiam excommunicationis incurrat.

Supplicatum est, quod monachi nostri ordinis ab isto anno in antea decem libras Pisanorum parvorum recipere debeant pro annuis vestimentis eo modo, quo de his in constitutionibus legitur. Qui autem prælatus aliter suis monachis tribuerit vestimentum, duplum Camaldulensi eremo teneatur solvere, & per mensem sit suspensus ab officio prælaturæ.

Ut singulis prælatis benefaciendi & eorum beneficia multiplicandi materia tribuatur, & omnis proprietas auferatur, quicumque prælatus per industriam bona aliqua immobilia suo monasterio acquisierit, & ab ipso officio cedere contigerit, debeat fructus annuales dictorum bonorum acquisitorum quanto tempore extiterit absque officio prælaturæ percipere in suis necessitatibus de sui prælati licentia convertendos. Idem de monachis intelligatur, quamdiu fuerint absque officio prælaturæ.

Domnus prior Camaldulensis possit advocatos & procuratores pro ordine eligere & revocare, ac de salario providere.

Item possit sibi secretarium & scriptorem de ordine eligere, ac aliam familiam.

Item possit collectam pro expensis capituli factis secundum æstimationem in nostro ordine prætaxare.

Item possit ad expensas communes ordinis, quos idoneos decreverit, de nostri ordinis monachis ad liberalium artium & Theologiæ studia ordinare.

Item si aliquis visitator aliqua de causa visitare non posset, prior Camaldulensis alium possit instituere loco sui.

Item quod apostatæ nostri ordinis ad ordinem nostrum post sex menses revertentes semper debeant esse ultimi in choro, mensa & capitulo, nec possint ad aliquas nostri ordinis dignitates vel prælaturas assumi. Ad quas nec personæ quorumcumque ordinum aliorum receptæ & recipiendæ, exceptis eis jam illas obtinentibus. De rebellibus vero nostri ordinis

nis idem statuimus, quod de apostatis, aliis veteribus constitutionibus de talibus personis in sua manentibus nihilominus firmitate. Illos intelligentes rebelles, quos prior Camaldulensis sententia notabit infamiæ. Si vero prior Camaldulensis in aliquo de prædictis offenderit, a suæ administrationis officio sit per tres menses ipso facto suspensus, Majore Camaldulensis eremi dictum officium exequente, & assumptio talium nulla sit ipso facto.

Item quod proximum capitulum generale fiendum celebretur in monasterio de Vangadicia, per hoc non intendentes constitutioni de generalibus capitulis in aliquo derogare. Si sedem prioris Camaldulensis vacare contingat, illic fiat, ubi celebrandi futurum capitulum extiterat ordinatum, nec prælati tenentur alibi congregari.

Item ne præsentes constitutiones per abusum abrogari contingat, nec ignorantes habeant materiam delinquendi, quilibet prælatus eas sibi scribi faciat, ac singulis mensibus semel in capitulo legi. Si quis vero contrafecerit, pro omni vice cadat in pœnam quatuor librarum Pisanorum parvorum applicandarum capitulo generali. Et super hoc visitatores specialem inquisitionem faciant. Quod si prior Camaldulensis prædictam pecuniam exigere neglexerit, eidem pecuniæ ut supra subjaceat.

Quoniam plerumque contingit, ut per prælatos novitii recipiantur ad ordinem constitutione de receptione novitiorum non servata, idcirco sancimus, ne quis deinceps pro novitio monacho recipiatur, nisi primum per domnum priorem Camaldulensem examinatus, & receptionem contra constitutionem hanc relatam ex nunc pronunciamus irritam.

Lectæ in ecclesia monasterii de Poplena anno M. CCC. XV. indictione XIII. die XX. julii.



CONSTITUTIONES VANGATICIENSES ANNI M. CCC. XVII.

Ex eodem codice.

Ad lib. XLVII. n. 28. CONstitutiones Vangaticienses anni M. CCC. XVII. latæ per Bonaventutam priorem generalem Camaldulensem, Johannem Vulterranum Majorem sacræ eremi, Johannem abbatem de Burgo-sancti-Sepulcri, Romualdum abbatem Camalduli Florentini, Bartholum abbatem sancti Justi Volaterrarum, Felicem abbatem Uranensem & Albertum priorem sancti Viti de Vicetia.

In primis laudaverunt supradicti definitores, omnes sententias, correptiones, pœnitentias ac receptiones quarumcumque personarum ad ordinem per domnum Bonaventuram priorem latas.

Item quod prædictus prior valeat sibi assumere secretarium, scribam, aliam familiam & equitaturas juxta discretionem sibi a Deo datam, constitutione aliqua ordinis in contrarium non obstante.

Item ratam habuere rationem eis in scriptis & minutatim redditam per domnum priorem de collecta imposita in proximo præterito capitulo generali celebrato in monasterio de Poplena.

Item ratificaverunt venditionem 3000. abietum eremi Camaldulensis per dictum domnum priorem & capitulum eremi factam Guiduccio quondam Fabri Tholosini Florentini & sociis pro 2005. florenis aureis, ut per publicum instrumentum.

Item, quod prior Camaldulensis possit advocatos consueto salario assumere usque ad sequens capitulum generale.

Item dispensaverunt, quod venerabiles viri domni Andreas sancti Savini, & Johannes Mediolanensis nunc in eremo Camaldulensi degentes, propter prærogativam vitæ eorumdem, quamdiu in ipsa eremo perseveraverint, quamvis non sint in sacris ordinibus constituti, nec ad eos certis ex causis possint ascendere, pro eremitis dictæ eremi habeantur, constitutione secunda quarti libri non obstante.

Item, quod prælatus vel monachus assumptus dudum vel assumendus ad alia beneficia, prælaturam vel curam extra ordinem nostrum, totaliter sit præcisus ab ordine.

Item, quod talis prælatus vel monachus dummodo de domni prioris licentia transierit, & ante & post fuerit laudabiliter conversatus sine ulla suspicione, denuo valeat per domnum priorem pro monacho simplici dumtaxat recipi; denique si idoneus, sicut ceteri monachi, a dignitatibus minime excludatur non obstante &c.

Item, quod nullus prælatus affictus vel pensiones bonorum monasterii quietare vel recipere possit anno præcedenti pro anno futuro sine domni prioris licentia. Contrafacientes pœnam incurrant contra contrahentes debitum ultra summam in constitutione taxatam.

Item, quod in monasteriis singulis per prælatum & capitulum suum unus constituatur sindicus super locationibus & dislocationibus, a quo & non ab alio sub

pœna

pœna nullitatis & animadversionis in contrafacientes hæ fiant; tempus vero locationis faciendæ a prælato & conventu statuatur, dummodo canonicum impedimentum vel statutum ordinis non obsistat.

Item, quod causa monasterii sancti Savini per domnum priorem tractanda ad communes expensas ordinis assumatur, & ita etiam pro aliis juribus ordinis, & nominatim pro recuperando monasterio de castro Brittorum, si de jure fieri poterit; pro defensione monasterii sancti Silvestri de Monte-subasio & personæ abbatis ejusdem; per recuperatione monasterii sancti Pauli de Aqua-perellis per episcopum Camarinensem, auctoritate literarum domni Petri de Columna noviter occupatum; pro recuperatione monasterii sanctæ Mariæ in Silva, si de jure &c. cum consilio consiliariorum ordinis, non obstante &c.

Item, quod si de jure rector ecclesiæ sancti Matthæi de Accarisiis Bononiensis, in qua monasterium Vangaticiense ex donatione per dictos Accarisios sibi facta jus obtinet patronatus, persona ordinis nostri possit intelligi, ob reverentiam domni abbatis, & monachorum prædictorum fiat, & declaretur per domnum priorem Camaldulensem, habito domini Johannis Andreæ consilio, ita quod rector prædictus tamquam de corpore ordinis in omnibus cum ordine participet, & ordo secum; alias non.

Item, super negotio monasterii sanctæ Helenæ & abbatis ejusdem a dicto monasterio exulantis per violentiam nobilium virorum filiorum quondam domini Raynaldi de Æsio, supradicti nobiles super eo negotio tam domno priori Camaldulensi, quam capitulo generali & domno abbati Vangadiciæ privatas literas direxere, definierunt, quod unus vel duo providi viri ordinis ad dictos nobiles per domnum priorem post aliquot dies, quando sibi videbitur, transmigraturi eligantur, qui cum prædictis nobilibus colloquio habito, si cum honestate procedere poterunt, de prædicti abbatis reconciliatione cum dictis nobilibus disponant. Alias si prædicti nobiles in feritate perstiterint, tam abbatem quam monachos contra prædictos nobiles, in quantum licebit, communibus expensis tueantur, ut superius expressum est.

Item, quod domnus prior in translatione monachorum de monasterio ad monasterium provisionem pro expensis itineris in suis literis pertaxet.

Item laudavere unionem de monasteriis & domibus de plano Arretii per domnum priorem propositam, & si auctoritas capituli generalis sibi expediret, eam præbuerunt.

Item venerabilis viri domni Nicolai abbatis monasterii de Dovadula olim ordinis nostri professi supplicationibus annuentes definiere, quod quandocumque dictus abbas ad ordinem redire voluerit, recipi possit, constitutione aliqua non obstante.

Item, quod juxta constitutionem domini cardinalis singulis annis in nostro ordine generale capitulum celebretur, & proximum capitulum in monasteriis sancti Zenonis Pisarum vel alibi in Thuscia secundum providentiam domni prioris & suorum consiliariorum debeat celebrari.

Visitatores in Thuscia abbas de Candiculis & Paulus Perusinus. Consiliarii abbas Camalduli Florentini & abbas sancti Michaelis in Burgo Pisarum. In Romandiola abbas de Savignano, & Guido Ariminensis monachus Vangaticiensis visitatores. Consiliarii abbas Vangaticiensis & Uranensis. Disgravatores in Thuscia abbates sancti Zenonis & Burgensis. In Romandiola abbates Vangaticiensis & Classensis. Collectores in Thuscia abbates sancti Michaelis Pisarum & Camalduli Florentini. In Romandiola abbates Vangaticiensis & Faventinus, & prior Camalduli Bononiensis.

Item aliæ Constitutiones in eodem capitulo factæ & publicatæ per universum ordinem.

In primis revocamus quascumque constitutiones, si quæ forte forent, substantialibus regulæ vel sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ quomodolibet contrariæ.

Item cassamus omnes constitutiones superinductarum novitatum & ceremoniarum circa divina officia, quæ circa tres libros constitutionum de Moribus, & consuetudinum divinorum officiorum a beatæ memoriæ priore Martino emanasse dignoscuntur. Salvo semper, quod de sancto Romualdo per totum ordinem fiat plena sollemnitas, & de sanctis martyribus Gervasio & Protasio die sequenti fiant duodecim lectiones, sicut in ultima constitutione quarti libri incipiente *Cordi nobis* ultra medium. Mandamus etiam, quod de sancto Antonio monacho & Vincentio martyre fiant de cetero duodecim lectiones. De duodecim vero apostolis, quatuor evangelistis, quatuor doctoribus majoribus, juxta mandata S. R. E. festum duplex fiat, quod ad omnem ambiguitatem tollendam dictorum definitorum judicio intelligitur plena sollemnitas,

tas devotissime celebretur. Octava vero Ascensionis ad instar octavæ Resurrectionis Dominicæ celebretur.

Item pronunciamus irritas omnes constitutiones extravagantes, quæ in compilatione trium librorum de *Moribus* prioris Martini, constitutionibus domini Octaviani, nec non in volumine quarti libri Constitutionum *de Moribus*, qui incipit: *Cordi nobis*, non inveniantur insertæ. Si quæ præterea in dictis compilationibus per constitutionem domini cardinalis prædicti abrogatæ reperirentur, detrahentes eidem, nullas decernimus. Ceterum revocatione hac non obstante decernimus, quod constitutiones generalis capituli apud monasterium de Poplena assumptionis nostræ tempore celebrati, quæ de apostatis, rebellibus, proprietariis, acquirentibus prælatis vel subditis, vestimentis monachorum, nec non novitiis non recipiendis ad ordinem nisi per priorem Camaldulensem, loquuntur, in sua maneant firmitate. Adjicientes, quod ubi in constitutione, quæ de apostatis & personis aliorum ordinum ad prælaturas nostri ordinis imposterum minime assumendis dicitur, corrigatur, adeout non præjudicet jam receptis ad ordinem perseverantibus in eo, & ad dignitates possint assumi, si alias idonei.

Item suspendimus usque ad sequens generale capitulum omnes excommunicationis sententias in volumine supradicti quarti libri contentas, exceptis casibus & capitulis, videlicet nono de non recipiendis vel eligendis ad ordinem nostrum fratribus alterius professionis; decimo-tertio de non docendo vel eundo ad scholas extra ordinem; decimo-quinto de patronis monasteriorum; vigesimo-secundo de modo appellandi; trigesimo quod nullus cum de monasterio ad monasterium assumitur, pecuniam primi monasterii secum portet.

Item, quod nullus pro eremita eremi Camaldulensis habeatur, ut alias statutum fuerat, nisi prius in eadem per sex menses continuos fuerit laudabiliter conversatus, & omnium eremitarum approbatus consensu; nec pro eremita habeatur, nisi qui in ipsa eremo vitam eremiticam fecerit, nisi causa infirmitatis vel debilitatis per priorem Camaldulensem vel Majorem eremi fuerit dispensatus.

Item innovando statuimus, quod constitutiones ordinis nostri factæ & faciendæ ad pœnam solum obligent, non ad culpam.

Item cum in constitutionibus domini cardinalis caveatur expresse, quod de sumptibus necessariis dum visitatores in visitatione vadunt, atque veniunt, provideatur eis, sicut prior Camaldulensis & definitores capituli, qui eos miserint, duxerint ordinandum, nos ad firmitatem hujus salutaris statuti districte mandamus, quod visitatoribus visitationis nomine vel alio quocumque colore quæsito, præter congruam, dum in monasterio manserint, quidquam omnino in pecunia vel quibuscumque muneribus, directe vel indirecte exhibeatur a quoquam. Quod si secus hinc inde attentatum fuerit, ad instar vendentium & ementium, quos Dominus flagellans ejiciebat de templo, per priorem Camaldulensem & definitores proximi capituli generalis graviter corrigantur, & publice, & ab omnibus confutentur. Super quo prædicti prælati inquirant diligenter, & referant in suis scriptis capitulo generali sequenti, si quos &c. ut confusionis ruborem, & condignam pœnitentiam recipiant pro excessu.

Taxantur deinde octuaginta duo monasteria nominatim pro collecta.

Lectæ in capitulo generali celebrato Vangaticiæ anno M. CCC. XVII. die XXVI. maji, præsentibus domno Bonaventura priore Camaldulensi, supradictis definitoribus, & domnis Guidone de Vangaticia, Gerardo sancti Zenonis, Andrea sancti Michaelis Pisarum monasteriorum abbatibus, Matthæo Classensi &c.

ACTA CAPITULI GENERALIS CAMALDULENSIS CELEBRATI IN SANCTO ZENONE PISARUM ANNO M. CCC. XIX. IN DIE SANCTO PENTECOSTES.

Ex eodem codice.

DIE XXVII. maji domnus Bonaventura prior generalis Camaldulensis, domnus Guido de Vangaditia pro se & domnis Theobaldo abbate sancti Michaelis Venetiarum, Alberto sancti Viti de Vicentia, Apollinare Camalduli de Verona & Gregorio de Opitergio monasteriorum prioribus & abbatissa sanctæ Christinæ de Tarvisio, Johannes de Burgo sancti Sepulcri pro se & domno Ambrosio abbate de Deciano, Lapus de Putheolis, Antonius de Cantignano, Gerardus sancti Zenonis, Andreas de Burgo Pisarum, Dionysius sancti Frigdiani Pisarum, Antonius hospitalarius apud sanctum Frigdianum, Julianus de Berardenga pro se & abbatissis sancti Georgii de Apibus, & sancti Salvatoris, Romualdus Camalduli Florentini pro se, & abbatissa *Ad lib. XVII. n. 36.*

batissa de Buldrone, ac monialibus de Prato-veteri vacantis, Petrus abbas sanctæ Helenæ pro se & domno Angelo Eremitæ de Mandriolis, Johanne sanctæ Mariæ de Serra, & Johanne sancti Georgii monasteriorum prioribus, Andreas sancti Hippolyti Faventiæ pro se & domno Gerardo priore de Solarolo, Angelus de Rota, Gregorius de Insula, Petrus de Anglare, Bartholus sancti Justi de Vulterris, Marcus de Cintorio, Benedictus de Cerreto, Bartholus de Morrona, Franciscus de Adelmo, Conradus de Candiculis, Gregorius de Toma, Albertus sancti Viriani, Matthæus sancti Apollinaris in Classe, Felix de Urano, & Petrus de Savignano monasteriorum abbates, Raynerius de Vivo, Benedictus sancti Mathiæ de Muriano pro se & domno Henrico priore de Castro-caro, Raynerius sancti Damiani pro se & priorissa sancti Nicolai de Domo-Dei, & abbatissa sanctæ Annæ Bononiæ, Jacobus Camalduli Bononiensis, Romualdus sancti Michaelis de Arretio, Bonus sanctæ Trinitatis de Perusio, Nicolaus de Buffione, Bonajutus curiæ Luponis, Gregorius sancti Quirici de Rosis, Benedictus de Balneo, Petrus Camalduli de Foro-livio, Guido sanctæ Margaritæ, Andreas de Poplena, Orlandus de Planetulo, Martinus de Mucchio, & Jacobus sancti Maglorii Faventiæ monasteriorum priores, domnus Ventura Montis-herculis, Johannes sancti Andreæ de Putheolis, Matthæus sanctæ Jucundæ & Andreas de Silva-munda monasteriorum priores pro eorum abbatibus, Johannes sancti Eustachii de Imola, Ugolinus de Cava-collis, Zeno sancti Laurentini de Arretio, Vincentius sanctæ Mariæ de Angelis, & Zeno monachus priores, abbatissæ sanctæ Christinæ de Foro-livio, sancti Mamiliani, & sancti Petri de Luco, qui omnes vices suas domno priori Camaldulensi commiserunt, domni Ventura de Partina sacrista & Johannes de Castello eremitæ Camaldulensis eremi, & hi omnes ad electionem quatuor definitorum compromiserunt in priorem Camaldulensem capitulo præsidentem sinceritate fidei & prudentia circumspecta prædictum, præsente Factio rectore ecclesiæ sancti Matthæi de Accarisiis Bononiæ. Qui domnus prior elegit in definitores duos de Thuscia & duos ultra Alpes ut moris est, videlicet Johannem de Burgo-sancti-Sepulcri, Andream sancti Michaelis de Burgo Pisarum, Guidonem sanctæ Mariæ de Vangaditia, & Matthæum sancti Apollinaris in Classe abbates cum eremitis dictis.

Die XXVIII. maji in primis prædicti definitores numero septem elegerunt judices dicti capituli Dionysium abbatem sancti Frigdiani Pisarum, & Raynerium de Beccadellis priorem sancti Damiani Bononiæ.

Sequuntur acta capituli generalis.

Quod universi suffraganeas habentes ecclesias servent Decretalem novam editam in concilio Viennensi de monachis in ecclesiis solitariis non morandis, & constitutionem secundam in generali capitulo de Poplena, tempore promotionis dudum bonæ memoriæ prioris Accursii.

Quod singula monasteria monialium ordinis singulos capellanos monachos ejusdem ordinis presbyteros tenere debeant, & si id non possint aliqua ratione facere, morientibus monialibus extinguantur, & ad monachorum culturam devolvantur, nec domnus prior valeat in hoc dispensare.

Quod cum ob residentiam continuam abbatis de Cintorio in Vico Pisano, monasterium videatur totaliter derelictum, & propter hoc non modicum scandalum & damnum certum toti ordini suboriri posset, licet alias propter guerras desolatum in suis ædificiis fuerit, teneatur per provisionem a domno priore Camaldulensi faciendam illud intra annum reparare, taliter ut abbas cum familia competenti ibidem valeat immorari, & si contrafecerit, anno elapso sit ipso facto officio prælaturæ privatus.

Item cum pro recuperatione monasterii sancti Zenonis Pisarum dudum per Pisanum archiepiscopum occupati & detenti, ordo universalis magnas subierit expensas, ac per subsidium ordinis ac ejusdem monasterii abbatis personale studium idem monasterium a quamplurimis annis elapsis sit ad gremium ordinis revocatum, & taliter vires resumpserit, ut præsumatur dictus posse reficere expensas, statuerunt, ut deinceps singulis annis solvat centum florenos auri sub pœna suspensionis ab officio.

Cum monasterium de Bolsemulo Castellanæ diœcesis manuale Camaldulensis eremi situm in medio nationis perversæ sit per dominos marchiones illius contratæ ab annis quampluribus occupatum, & detentum, & adeo sit exiguæ substantiæ, quod vix solus prior manibus suis laborando se ibidem consueverit sustentare, statuere, ut prior Camaldulensis possit ejusdem bona permutare ac vendere cum alia ecclesia, vel etiam donare alicui ecclesiæ, ut expediens erit utilitati dictæ eremi.

Ab-


Absolverunt monasteria de Tosina & de Poplena a medietate collectæ imponendæ ob hospitalitatem nostrorum euntium & redeuntium gravata.

Item ob reverentiam domini Silvatici & domini Rogerii comitum de Dovadula Dei gratia in Thuscia Palatinorum dispensaverunt ad monachandum in Prato-veteri cum Margarita nata domini Rogerii & nepte domini Silvatici.

Item statuere imponendam collectam per dominum priorem Camaldulensem M. CC. florenorum auri, & quod prior cum consilio consiliariorum possit & alias collectas imponere.

Item statuere proximum capitulum generale celebrandum in monasterio Classis kalendis maji proximi citius vel ulterius.

Lectæ &c. in sala ejusdem monasterii sancti Zenonis, & rogatæ manu Guillielmi Melli quondam magistri Gerardelli de Imola notarii die II. junii.



QUINTUS LIBER CONSTITUTIONUM DE MORIBUS BONAVENTURÆ PRIORIS GENERALIS ANNO M. CCC. XXVIII.

Ex codice monasterii S. Mathiæ de Muriano Venetiarum.

IN nomine Domini, amen. Proemium Quinti libri Constitutionum de Moribus, & quorumdam veneratione Sanctorum in generali capitulo in monasterio sancti Damiani Bononiæ celebrato compilati anno Domini M. CCC. XXVIII.

Frater Bonaventuras peccator monachus Camaldulensis ordinis fratrum servus omnibus & singulis prælatis, fratribus & sororibus ejusdem ordinis salutem cum benedictione perenni.

Officii nostri debitum, in quo potissimum reformatio morum attenditur, exsolvere possetenus cupientes, curavimus juxta ordinis nostri & prædecessorum nostrorum morem laudabilem generale capitulum in monasterio sancti Damiani Bononiensis in festo Ascensionis Dominicæ celebrari, in quo una cum venerabilibus fratribus domnis Africano Uranensi, Facio sancti Justi Volaterrano, Jacobo sancti Stephani de Cintorio monasteriorum abbatibus, Benedicto sancti Mathiæ de Muriano priore, nec non Johanne Volaterrano & Jacobo Placentino Camaldulensis eremi eremitis definitoribus capituli memorati, & aliquibus aliis prælatis adjunctis super omnium Constitutionum tenorem, quam citra & extra trium librorum recolendæ memoriæ Martini, & quarti Gerardi prædecessorum nostrorum compilationem usque in præsens emanasse noscuntur, matura & diligenti deliberatione præhabita, constitutiones nonnullas ex prædictis extravagantibus a die promotionis nostræ dumtaxat usque ad præsens capitulum factis & editis reservantes, & reliquis omnibus & singulis quibuscumque extravagantibus abdicatis, de novo quasdam edidimus, quas una cum reservatis constitutionibus antedictis in unum volumen quibusdam additionibus, reservationibus & correctionibus per nos factis duximus redigendas sub Quinti nuncupatione libri, antedictis quatuor Constitutionum libris de Moribus, & constitutionibus domini Octaviani cardinalis ordinabiliter annectendas sub certis rubricis ad dilucidationem competentibus clariorem easdem per capitula singula collocantes, quas ad morum reformationem decentem, & quorumdam venerationem Sanctorum, & ampliorem, tamquam ejusdem ordinis constitutiones, non rudi aut præcipiti præmeditatione digestas præcipimus cum debita & devota reverentia recipi, & exacta de cetero diligentia observari.

De cassatione omnium constitutionum, ordinationum & mandatorum extravagantium citra compilationem Quarti libri de Moribus, qui incipit Cordi nobis. Cap. I.

CAssamus & revocamus, cassasque & irritas esse volumus, decernimus & pronunciamus omnes & singulas tam generales quam speciales, singulares & locales constitutiones & ordinationes, tam per generalium capitulorum definitores, quam per priores Camaldulenses atque ordinis visitatores generales seu privatos quoscumque dudum usque in præsens factas, vel editas seu emissas cujuscumque conditionis seu tenoris, præcepti vel mandati existant, quæ in trium librorum de Moribus recolendæ memoriæ olim prioris Martini, constitutionum domini Octaviani sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis, Quarti libri constitutionum de Moribus prioris Gerardi, & præsentis Quinti

ti libri voluminibus non inveniantur insertæ.

De cassatione superinductarum novitatum circa divinum officium, & quorumdam veneratione Sanctorum. Cap. II.

CAssamus & revocamus, cassasque & irritas esse volumus, decernimus & pronunciamus omnes & singulas quascumque constitutiones generalium capitulorum nostri ordinis superinductarum novitatum & ceremoniarum circa divina officia & divini reverentiam cultus, qui citra tres libros constitutionum de Moribus, & Consuetudinem divinorum officiorum prioris Martini quandocumque emanasse noscuntur. Salvo semper, quod de sancto Romualdo per totum ordinem fiat plena sollemnitas, & de sanctis martyribus Gervasio & Protasio die sequenti fiant duodecim lectiones, sicut in ultima constitutione Quarti libri de Moribus expressius continetur. Volentes insuper & mandantes, quod de sanctis Antonio, Hilarione & Paulo primo eremita monachis & confessoribus, Vincentio & Blasio martyribus, Dominico & Francisco confessoribus fiant duodecim lectiones. De XII. vero apostolis, IV. evangelistis, & IV. doctoribus majoribus, secundum quod sancta Romana mandat ecclesia, festum duplex, quod ad omnem ambiguitatem tollendam intelligitur, quoad nos plena sollemnitas devotissime celebretur, adjicientesque, quod octava Ascensionis Domini ad instar octavæ Resurrectionis Dominicæ celebretur.

De revocatione quarumdam sententiarum excommunicationem continentium Quarti libri. Cap. III.

CAssamus & revocamus, cassasque & irritas esse volumus, decernimus & pronunciamus omnes & singulas excommunicationis sententias in volumine Quarti libri contentas, casibus & capitulis inferius breviter memoratis, dumtaxat exceptis, videlicet cap. IX. rubrica: *De non recipiendis vel eligendis ad ordinem nostrum fratribus alterius professionis.* Item cap. XIII. *De non docendo extra ordinem nostrum, vel eundo ad scholas.* Item cap. XV. *De patronis monasteriorum.* Item cap. XXXV. *Quod nullus prælatus ad aliud monasterium translatus pecuniam primi monasterii secum portet.*

De cassatione omnium constitutionum, si quando contra substantialia regulæ, vel ecclesiæ Romanæ honorem vel reverentiam reperirentur factæ. Cap. IV.

CAssamus & revocamus, cassasque & irritas esse volumus, decernimus & pronuntiamus omnes & singulas constitutiones, si quæ forte per ignorantiam, imperitiam vel incuriam quorumcumque reperirentur, quod per directum vel indirectum substantialibus regulæ, vel honori ac reverentiæ sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ, quod tamen non credimus, quomodolibet obviarent.

De modo appellandi juxta tenorem domini Octaviani cardinalis. Cap. V.

STatuimus & ordinamus, quod si subditos a suis prælatis, vel prælatos a priore Camaldulensi contra formam regulæ in constitutionibus nostri ordinis expressam gravari contigerit, ad appellationis remedium recurrere valeant, si voluerint juxta tenorem constitutionis domini Octaviani cardinalis, alia quacumque ejusdem ordinis constitutione, si qua alicubi in contrarium reperiatur edita non obstante.

De auctoritate eremi circa officiales ejusdem, & quod nullus pro eremita recipiatur in eremo, nisi per sex menses ibi fuerit laudabiliter conversatus; necnon nullus pro eremita habeatur, qui eremiticam vitam non ducat ibidem, infirmitatis causa cessante. Cap. VI.

RAtificamus, & roboramus, & laudamus eremi constitutiones antiquas circa auctoritatem officialium eremi prælibatæ. Insuper reassumentes, quod alias statutum fuerat, sancimus, quod nullus pro eremita sacræ Camaldulensis eremi habeatur, nisi prius in eadem per sex menses continuos fuerit laudabiliter conversatus, & concordi omnium eremitarum comprobatus assensu; sed nec pro eremita Camaldulensi habeatur, nisi qui in ipsa eremo vitam eremiticam fecerit, nisi causa infirmitatis vel debilitatis per priorem Camaldulensem vel Majorem eremi fuerit cum eo misericorditer dispensatum.

De monacho vel converso proprietario. Cap. VII.

QUia proprietatis vitium juxta patris nostri beati Benedicti salubria documenta est de cordibus monachorum radicitus extirpandum, super libro III. cap. XXIII. constitutionem, quæ de proprietariis loquitur, confirmamus, adjicientes, quod

quod quicumque prælatus in faciendo constitutionem observari negligens fuerit, & id per dominum priorem Camaldulensem vel visitatores ordinis fuerit adinventum, cogatur dictus talis prælatus in Camaldulensi eremo suis expensis per unam quadragesimam immorari, & eo tempore in ipsa eremo vitam gerere ordinatam. Si vero subditus, post admonitionem sibi factam a prælato suo, infra octo dies omnem pecuniam, quam habet, non assignaverit prælato suo, ipsa pecunia privetur, & medietas pecuniæ sit ejus prælati, cujus est subditus, & alia medietas ad Camaldulensem eremum in eremitarum subsidium transmittatur, & ipso facto nihilominus constitutionis auctoritate talem excommunicationis sententiam incurrat.

De prælato pecuniam vel thesaurum occultante. Cap. VIII.

STatuimus, quod quicumque prælatus, vel administrationem quamlibet habens quocumque nomine vel officio censeatur, pecuniam, thesaurum, privilegia vel instrumenta, seu alia quævis mobilia bona commissæ sibi administrationis in damnum vel fraudem ejusdem administrationis vel ordinis occultaverit, subtraxerit vel deposuerit, aut occultari, subtrahi vel deponi per quempiam fecerit, tamquam proprietarius, & loculos habens, cum revera ita sit, tam in vita, quam in morte in omnibus & per omnia habeatur, puniatur pariter & privetur.

De calice argenteo & aliis ornamentis ecclesiæ habendis. Cap. IX.

CUm nonnulli ordinis nostri interdum prælati & ecclesiarum rectores tenuitatem proventuum suorum locorum prætendentes, ac utique deplorantes, non obstante quod in eorumdem vestium apparatu incedant non mediocriter curiosi, vasa, paramenta & cetera utensilia divino cultui deputata adeo parvipendant, quod calicibus de peltro, stagno, seu de ramo, palliis, casulis, camisis & aliis reliquis paramentis ecclesiasticis vilibus & quodam modo immundis utentes, qui pro ipsorum vilitate & pannositate nimia, necdum in sacris, verum etiam dedecerent proculdubio in profanis, in Dei inreverentiam nimiam, ac totius ordinis reprehensionem non modicam, defectus hujusmodi redundare censeatur, statuimus & ordinamus, quod quilibet calicem de argento omnino, casulas, camisa, & cetera ecclesiastica paramenta adeo secundum locorum qualitatem & dignitatem, ac proventuum facultatem competentia & decentia pariter de cetero habere studeant, quod in prædictis glorificetur Deus, & ordo Camaldulensis ob prædictorum defectum nullatenus infametur, decernentes quod quicumque abbas vel prior, seu cujuscumque rector ecclesiæ in præmissis vel aliquo præmissorum, & præsertim in non habendo calicem de argento repertus deinceps fuerit culpabilis, negligens vel remissus, panno minoris valoris solidorum sex Pisanorum pro quolibet brachio in suis indumentis aliquibus interim penitus non utatur; & nihilominus per priorem Camaldulensem vel visitatores ordinis pœna condigna utique puniatur; & nihilominus ad prædictorum suppletionem pœna, quæ magis timeatur, protinus compellatur.

De personis nostri ordinis ad prælaturas vel beneficia quælibet extra ordinem assumptis vel imposterum assumendis. Cap. X.

STatuimus, quod prælatus vel monachus assumptus dudum, vel assumendus imposterum ad aliquod beneficium prælaturam vel curam extra ordinem nostrum totaliter intelligatur, & sit præcisus ab ordine, adeo quod nihil commune cum ordine, vel e contrario ordo cum ipso intelligatur habere. Volumus præterea, quod talis ad aliquod beneficium, prælaturam vel curam extra ordinem nostrum assumptus vel imposterum assumendus, dummodo de domini prioris transierit licentia, & ante & post fuerit laudabiliter conversatus, ita quod de illo nulla suspicio contraria possit haberi, denuo valeat, si ad hoc aspiraverit, per dominum priorem pro monacho simplici dumtaxat ad ordinem recipi. Denique si Deus dederit, & alias idoneus repertus fuerit, sicut ceteri monachi ordinis, ab honoribus & dignitatibus minime excludatur, constitutione aliqua ordinis prædicti in contrarium non obstante.

De apostatis nostri ordinis revertentibus, & mendicantium ordinum professoribus atque rebellibus. Cap. XI.

STatuimus, quod apostatæ nostri ordinis per sex menses extra ordinem de cetero commorantes, ad nostrum ordinem postmodum revertentes semper debeant esse ultimi in choro, mensa & capitulo, nec possint ad aliquas prælaturas assumi. Idem quoque statuimus quoad prælaturas & dignitates nostri ordinis de apostatis & personis quorumcumque aliorum ordinum receptis & recipiendis imposterum, non propterea intendentes, quod

quod jam promotis vel receptis prælatis vel subditis nostri ordinis perseverantibus in eodem aliquod præjudicium generetur, quin si alias fuerint idonei & benemeriti reperti, ad prælaturas & dignitates nostri ordinis possint assumi. De rebellibus vero nostri ordinis, si qui surrexerint in futurum, idem statuimus, quod de nostri ordinis apostatis superius est expressum. Illos siquidem intelligentes rebelles, quos prioris Camaldulensis esse rebelles sententia declarabit.

De prælato monacho vel converso aliquod immobile ex industria acquirentibus. Cap. XII.

STatuimus, ut singulis prælatis benefaciendi, & eorum beneficia ampliandi materia tribuatur, expectantes præmium pro labore recipere, & omnis materia proprietatis auferatur, quicumque prælatus per ejus industriam vel sollicitudinem bona aliqua immobilia suo monasterio adquisierit, & aliqua demum causa ab ipso officio sponte recedere contigerit, debeat fructus & proventus annuales dictorum bonorum adquisitorum recipere, quanto tempore extiterit absque officio prælaturæ in suis necessitatibus de sui prælati licentia convertendos, volentes ut idem de monachis intelligatur, quamdiu fuerint absque officio prælaturæ.

Quod nullus prælatus pensiones vel affictus anni futuri recipere anno valeat præcedenti. Cap. XIII.

STatuimus, quod nullus prælatus affictus vel pensiones bonorum monasterii quietare vel recipere possit anno præcedenti pro anno futuro sine domini prioris petita, & obtenta & expressa licentia speciali. Si quis vero contra fecerit, eamdem pœnam incurrat, quam incurrit contrahens debitum ultra summam in constitutionibus ordinis prætaxatam.

De facultate debitum in certis casibus contrahendi. Cap. XIV.

STatuimus, quod quilibet prælatus nostri ordinis necdum pro magna & inevitabili necessitate, verum etiam & pro evidenti utilitate sui monasterii valeat, si casus emerserit, contrahere debitum ultra summam prætaxatam in constitutione XVI. tertii libri de Moribus olim prioris Martini, quam in hac parte supplemus in contrarium non obstante.

Quod prælati in suis Beneficiis solivagi non morentur. Cap. XV.

CUm scriptum sit: Væ soli, quia si ceciderit, non habebit sublevantem; volentes quod ea, quæ non solum de jure communi, verum etiam per venerabiles prædecessores nostros & fratres, tam priores, quam generalium capitulorum definitores, de abbatibus, prioribus & ecclesiarum rectoribus absque sui ordinis socio non morandis, statuta esse noscuntur, effectu optato & debito non carere, irrefragabili hac constitutione sancimus, quod tam dominus prior Camaldulensis, quam prælati ceteri ordinis suffraganeas abbatias, priorias, necnon ecclesias quaslibet, quæ per prælatos seu rectores monachos gubernentur, vel debeant aut consueverint gubernari, habentes immorari singulos per singulas prælaturas seu ecclesias absque sui ordinis socio de cetero non permittant. Qui siquidem prælati & ecclesiarum rectores eremi Camaldulensis vel quorumcumque monasteriorum ordinis manuales socium a suis superioribus infra menses tres a tempore scientiæ præsentis constitutionis cum instantia non negligant postulare, & impetratum vel transmissum recipere cum effectu. Quod si adimplere neglexerint, sint elapsis tribus mensibus prælibatis ipso facto privati, absque restitutionis spe, officio, & beneficio prælaturæ, sive etiam rectoriæ, quibus tunc temporis fungebantur, prout jamdudum constitutum fuisse dignoscitur in generali capitulo in monasterio de Poplena anno Domini M. CCC. VIII. de mense julio celebrato.

De monacho vel converso, aut moniali pecuniam absque licentia mutuante vel deponente. Cap. XVI.

STatuimus, quod nullus monachus vel conversus pecuniam mutuo ab alterutro absque domini prioris Camaldulensis vel proprii plælati expressa & speciali licentia dare vel adquirere valeat, vel depositum facere de prædicta; quod si a quoquam fuerit contrarium attentatum, eo ipso mutuans vel deponens sit pecunia ipsa privatus, & domini prioris Camaldulensis marsupio prælibata pecunia confiscetur, quam dominus prior prædictus tam a mutuante vel deponente, si postea in fraudem hujus constitutionis eamdem a mutuato vel depositario forsan receperat, quare ab eisdem mutuato & depositario, si pecuniam nondum restituisse mutuanti vel deponenti eosdem contigerit, antedictam exigere valeat cum ffe-

effectu. Quam constitutionem ad moniales etiam & conversas ex vestigio extendi decrevimus.

De facultate dispensandi super esu ovorum & casei feria sexta. Cap. XVII.

STatuimus, quod dominus prior Camaldulensis generaliter, necnon prælatus quilibet alius ordinis super esu ovorum & casei sexta feria cum suis fratribus valeant dispensare, constitutione primi libri cap. XL. de Moribus in contrarium non obstante.

De prohibitione esus carnium, & observatione jejunii. Cap. XVIII.

ANimarum periculis obviare volentes sententiam excommunicationis latam in constitutione VI. libri IV. de Moribus, *de carnibus extra septa monasteriorum nostri ordinis nullatenus comedendis*, totaliter amovemus; transgressores præterea secundum tenorem constitutionis XXXVIII. primi libri de Moribus, quod pro qualibet vice jejunium panis & aquæ in die regulariter punientes, in quo casu prælatus subditum suum & prælatum absolvere, & pœnitentiam supradictam injungere delinquenti valeat comprælato. Insuper omnes & singulos tam prælatos, quam subditos attentius commonentes, quatenus a prohibitorum pulmentorum esu & usu ubilibet debeant in non præmissis casibus penitus abstinere, nec non jejunia tam ab ecclesia, quam secundum regulam sanctissimi patris nostri beati Benedicti, & ordinis nostri constitutiones indicta, studeant exacta diligentia competentibus & debitis temporibus observare.

De monachorum provisione indumentorum annua. Cap. XIX.

QUia propter numismatum seu monetarum declinationem vel ascensum nonnumquam inter prælatos & subditos jurgiorum materia pullulabat, declaramus & etiam statuimus, quod prælatus quilibet in florenis auri tribus cum dimidio penes priorem claustralem vel sacristam juxta consuetudinem ordinis nostri laudabilem statuto tempore consignandis debeat cuilibet suo monacho pro indumentorum suorum provisione annua de cetero providere.

De pœna prælati provisionem indumentorum debitam ad prioris Camaldulensis mandatum querelanti monacho minime exhibentis. Cap. XX.

STatuimus, quod si domino priori Camaldulensi fuerit per aliquem monachum vel conversum ordinis contra prælatum aliquem querela exposita, quod prælatus eisdem monacho vel converso de suorum indumentorum annua provisione tempore non providerit in constitutione ordinis constituto, & ad domini prioris Camaldulensis mandatum dictus prælatus prædictis monacho vel converso querelantibus contempserit vel neglexerit providere, ipso facto ab administratione sui officii prælatus hujusmodi sit suspensus, & tamdiu in suspensione maneat antedicta, quousque præfatis monacho vel converso de ipsorum provisione curaverit integraliter providere. Quod si durante suspensione prædicta administrationi sui officii prælatus procaciter se ingesserit prælibatus, ipso facto sine spe recuperationis privatus intelligatur & sit ejusdem officio prælaturæ.

De taxatione expensarum transferentium fratrum per priorem Camaldulensem in eorumdem literis prætaxanda; & quod monachi solivagi ambulantes & discurrentes infames ab omnibus reputentur. Cap. XXI.

STatuimus, quod dominus prior Camaldulensis, quando per ipsum monachos & fratres ordinis de monasterio ad monasterium per suas litteras transferre contigerit, provisionem pro expensis itineris & deportatione rerum facienda in suis literis exprimat & prætaxet; adjicientes, quod monachi sine societate idonea per eorumdem eisdem deputanda prælatos, solivagi itinerantes, vel discurrentes, sint auctoritate præsentis constitutionis ipso facto infames, & tamquam infames habeantur ab omnibus, ac etiam reputentur.

De pœna prælati vel subditi manum in alterutrum injicintium temerariam, necdum violentam. Cap. XXII.

STatuimus, quod monachus vel conversus pro injectione manuum in alterutrum vel socium temeraria necdum violenta, si eadem fuerit enormis injectio, tota provisione indumentorum suorum ejusdem anni ipso facto mulctetur. Si autem levis fuerit injectio manuum antedicta, prædictæ provisionis annuæ medietate dumtaxat sit ipso facto privatus;

& in

& in utroque casu supradicta pecunia ad Camaldulensem eremum pro cellarum substentatione integraliter & irrevocabiliter devolvatur, constitutionibus nihilominus, quæ de hujusmodi temerariorum virorum punitione loquuntur, in suo robore permansuris. Et quia peccatum evidentius est ex dignitate peccantis, pœna prælato in omnibus duplicetur.

De monachi vel conversi ad priorem Camaldulensem euntis, non præhabita eundi licentia ab eodem. Cap. XXIII.

INordinato pariter & oneroso fratrum ordinis nostri discursui, qui nonnumquam prælatorum, nonnumquam vero subditorum culpa procedit, eo quo possumus, cohibitionis fræno remedium apponere cupientes, statuimus, quod nullus ordinis nostri prælatus monachum aliquem vel conversum ad dominum priorem cum literis vel sine litteris pro ipsius monachi vel conversi remotione, ipso domino priore Camaldulensi irrequisito, & ab eodem responso votivo non recepto, debeat destinare. Nec e contrario monachus aliquis vel conversus ad supradictum priorem Camaldulensem cum literis, vel sine literis sui prælati ipso domino priore inconsulto præsumat accedere. Quod si prælatus vel subditus in contrarium se habuerit, is qui culpabilis repertus fuerit, ea vice non impetret, & in expensis itineris condemnetur; & nihilominus secundum domini prioris arbitrium regulari subjaceat disciplinæ, nisi propter aliam aliquam evidentem utilitatem vel urgentem necessitatem monasterii seu loci ejusdem, aut etiam propter aliquod grave scandalum, quod imminetur, vel futurum verisimiliter timeretur, a suo prælato subditus mitteretur.

De pœna prædictorum itinerantium ultra decem milliaria absque propriorum testimonialium literis prælatorum. Cap. XXIV.

QUamvis multæ, variæ, & diversæ constitutiones generalium capitulorum nostri ordinis in pœnam, & ignominiam absque testimonialibus literis peregrinantium emanaverint, & tam prælati in non exhibendo, quam subditi in non petendo easdem frequenter reperiantur culpabiles, ex quibus quidem constitutionibus fructus nullus vel modicus usque modo noscitur provenisse, statuimus atque mandamus, quod nullus monachus vel conversus extra monasterium proprium ultra decem milliaria ex causa qualibet proficiscens absque sui prælati testimonialibus patentibus literis procedere nullatenus non præsumat. Qui si aliter in contrarium se habuerit, tamquam fugitivus ordinis ab omnibus habeatur; quem secundum ordinis nostri constitutiones quilibet prælatus teneatur capere & etiam detinere. Si vero, qui hujusmodi tales monachos vel conversos sine literis testimonialibus procedentes aliter quam ordinis fugitivos recipere vel tractare præsumpserit, sive per visitatores ordinis, sive dominum priorem Camaldulensem, sive per generale capitulum tam graviter, tamque regulariter puniatur, quod & ipsi a pœna condigna non immunes existant, & eorumdem correctionis & increpationis austeritas ceteris transgressoribus transeat in exemplum. Reliquis vero constitutionibus, quæ de hujusmodi loquuntur materia, in suo nihilominus robore permansuris.

De fugitivis dudum & ejectis de cetero non recipiendis, & de iis, qui exierint de ordine post elapsum annum non recipiendis. Cap. XXV.

DE fugitivis ordinis nostri fratribus ordinamus atque statuimus, quod de cetero ultra annum a die egressionis ipsorum continuo computandum recipi ad ordinem nostrum non debeant, nec valeant ullo modo. Quinimmo post lapsum anni prædicti ab ordine nostro totaliter sint & intelligantur absque reversionis spe exclusi, pariter & abscissi. Adjicientes, quod ii, qui tempore publicationis hujus constitutionis fugitivi vel ejecti per sententiam vel ex vigore constitutionis ordinis ab ordine sunt vel reperiuntur abscissi vel eliminati, recipi non valeant quoquomodo.

De subditis per eorumdem prælatos carceri vel alteri notabili pœnitentiæ mancipandis. Cap. XXVI.

CUm autem nonnumquam circa subditorum correctionem regularis disciplina, quæ apud omnes & singulos debet vigere prælatos, domino priore Camaldulensi ignorante, in subditorum remotione turbetur, statuimus, quod si quando dominus prior Camaldulensis alicui monacho vel converso propter excessus aliquos eorumdem per ipsorum prælatos carceri seu alicui notabili pœnitentiæ in propriis locis seu monasteriis mancipatis remotionis literas dirigat ignoranter, non propterea illis deferre literis teneatur prælatus pœnitentis monachi vel conversi hujusmodi pœnitentia imperfecta, nisi de domini prioris conscientia expressa prælatus

latus reddatur certior ab eodem. Quem monachum vel conversum, si post peractam pœnitentiam prælatus a se postulet removeri, teneatur dominus prior Camaldulensis removere ipsum, & in alio monasterio collocare, nec ad illud monasterium eodem ibidem præsidente prælato, ipso invito prælato, pro monacho vel hospite remittatur. Ceteris constitutionibus, quæ de remotione monachorum & auctoritate domini prioris Camaldulensis loquuntur, in suo nihilominus robore permansuris.

De stipendiis necessariis de communi ordinis marsupio visitatoribus ordinis ministrandis. Cap. XXVII.

STatuimus, quod ordo universus annis singulis ab uno generali capitulo præcedenti usque ad aliud generale capitulum sequens per visitatores in generali capitulo electos infallibiliter visitetur, quorum visitatorum auctoritas & officium pariter a generali capitulo, in quo fuerint electi, usque ad aliud immediate sequens capitulum perseverent, quibus de necessariis equitaturis & sumptibus, ut omnis eisdem recipiendi munera præter congruam hospitalitatem dumtaxat occasionis materia auferatur, de communi ordinis marsupio eis per camerarium ordinis debeat provideri. Quorum visitatorum si aliquem mori, vel alias impediri contigerit, dominus prior Camaldulensis juxta tenorem domini Octaviani cardinalis alium de consilio eremitarum substituat loco ejus.

De clausura monialium perpetua & competenti per visitatores ordinis efficaciter ordinanda. Cap. XXVIII.

DE monialium perpetua & competenti clausura, ut debito & optato effectui mancipetur, statuimus & mandamus, quod per visitatores ordinis, quando ad eadem monasteria monialium eosdem visitationis causa declinare contigerit, tam efficaciter ante ipsorum inde recessum disponatur & stabiliatur, quod quibuscumque non obstantibus sumptibus & expensis per illud monasterium dumtaxat, de cujus agetur clausura congrua subeundis, nil omnino ab eorumdem visitatorum tergo remaneat imperfectum.

De monialibus nonnisi certis personis ejusdem communitatis locuturis. Cap. XXIX.

STatuimus, quod nulla monialis nostri ordinis loqui audeat alicui, qui non fuerit de ordine clerico vel laico, nisi in eo gradu, in quo jura permittunt, cum licentia vel sine licentia, nisi fuerit medicus, barbitonsor vel operarius aliquis, qui pro utilitate monasterii debeat operari, volentes quod quotiescumque aliqua monialis contrafecerit, per octo dies carceri mancipetur, & si abbatissa licentiam dederit, ab administratione sui officii per unum mensem sit suspensa; & si abbatissa contemptricem præsentis constitutionis carceri non mancipaverit, ut superius est expressum, per duos menses a suo officio sit suspensa, & eamdem sententiam incurrat, si intra claustrum earum introduxerit aliquem prædictorum.

De monialibus extra monasteria propria non egressuris. Cap. XXX.

STatuimus, quod abbatissæ suis monialibus aliqua ratione vel causa dare non possint licentiam portam parlatorii suorum monasteriorum, vel aliunde quomodolibet exeundi, nisi tali moniali, quæ ætatis suæ quinquagesimum annum excesserit, & tunc ex honesta causa & necessitate urgente. Quod si abbatissa in dando prædictam licentiam reperta fuerit culpabilis, vel monialis in exeundo aliter quam supradictum fuerit, se procacem reddiderit, utraque ipsarum illa eadem puniatur pœna, quæ in superiori proxime præcedenti capitulo est expressa. Adjicientes & declarantes, quod quicquid alicubi in aliquibus constitutionibus nostri ordinis de stabilitate potissimum & honestatis custodia de monialibus reperiatur statutum, ad non velatas, & novitias monachandas ad probationem receptas in omnibus & per omnia se extendat.

De stramentis monialium decedentium ad hospitalitatis usum & commodum reservandis. Cap. XXXI.

CUm in nonnullis monasteriis monialium hospitalitatis debitæ meritum & maxime in lectorum stramentis non eo, quo decet, christianæ religionis contempletur favore, quinimmo quasi parvipendi totaliter videatur, statuimus atque mandamus, quatenus monialium & sororum decedentium stramenta cum omni integritate, usibus & commodis supervenientium hospitum exacta diligentia reserventur, de quo diligens inquisitio fiat per ordinis nostri visitatores futuris quibuscumque temporibus processuros. Et si aliquas prælatas, vel subditas hujus constitutionis contemptrices repererint, & pœna easdem condigna castigent, & remedium tale ad futurorum cautelam adhibere procurent, quod & si non virtutis amore, pœnitentiæ saltem formidine

ad

ad hujus constitutionis observantiam residiscant.

De ratificatione taxationis numeri monialium in singulis monasteriis ordinis dudum factæ. Cap. XXXII.

TAxationem numeri monialium mosteriorum nostri ordinis per nos fratrem Bonaventuram priorem Camaldulensem dudum factam ratificantes & laudantes definitores prælati statuimus, quod irrefragabilis perseveret, nec quomodolibet per aliquem vel aliquam infringi valeat absque dispensatione capituli generalis. Adjicientes, quod si in aliquo monasterio monialium nostri ordinis nondum est certus & debitus numerus monialium prætaxatus, debeat per dominum priorem Camaldulensem, sive per alium, cui vices suas in ea parte commiserit, quam citius commode fieri poterit, consideratis monasterii facultatibus debita discretione prævia prætaxari, quemadmodum ex constitutione XII. libri III. constitutionum de Moribus Martini prioris Camaldulensis hoc non obstante facere tenebatur, ex nunc taxationes, ut supra dicitur, faciendas eamdem vim habituras perpetuam decernentes, ac si præsentis generalis capituli, sicut de jam factis taxationibus actum est, expressa ratificatio successisset.

De inordinatis indumentis & calceamentis non ferendis. Cap. XXXIII.

CUm incompositio corporis, quod non solum in moribus, verum etiam in vestimentis & calceamentis, & aliis stramentis attenditur, nonnumquam mentis indicet qualitatem, monemus omnes & singulos tam prælatos, quam subditos nostri ordinis cujuscumque status, conditionis & sexus existant, quatenus ea, quæ tam in regula sanctissimi patris nostri beati Benedicti, quam in constitutionibus nostri ordinis de ordinatis & religiosis vestibus, calceamentis & lectorum stramentis constituta esse noscuntur, exacta debeant in se ipsis diligentia observare prælati, & ab eorumdem subditis faciant utique observari. Super quo visitatores ordinis in capitulo generali trasmissi inquirere & investigare studeant diligenter. Si quos prælatos vel subditos in prædictis vel aliquo prædictorum prævaricatores repererint, taliter correcturi, quod unius pœnæ acerbitas in metum transeat transgressorum.

De ratificatione taxationis mercedis tabellionis prioris Camaldulensis. Cap. XXXIV.


TAbellionis prioris Camaldulensis taxationem mercedis in generali capitulo anno M. CCC. XXI. de mense majo in monasterio Classensi celebrato approbatam, gratam & ratam habentes statuimus, quatenus constitutio illa super taxatione mercedis tabellionis prædicti edita pro meliori pace ac honestate nostri ordinis irrefragabilis perseveret.

Quod constitutiones nostri ordinis tam factæ, quam faciendæ ad pœnam dumtaxat obligent, non ad culpam. Cap. XXXV.

ANimarum saluti providere volentes statuimus, quod omnes ordinis nostri constitutiones tam factæ, quam fiendæ ad pœnam dumtaxat obligent, non ad culpam.

De adhærentibus damnatis ecclesiæ, & recipientibus Beneficia ab eisdem vel se intrudentibus in Beneficiis ordinis per potentiam secularem. Cap. XXXVI.

STatuimus & ordinamus, quod acerrime puniantur, adeo quod alii metum habeant, omnes & singuli, qui antipapæ vel Bavaro dederint consilium, auxilium vel favorem, vel qui Beneficia receperint ab eisdem. Illud idem statuentes de illis, qui se intrudunt vel intruserint in monasteriis nostri ordinis per potentiam secularem.



ACTA CAPITULI GENERALIS BERARDINGENSIS ANNO M. CCC. XXXII.

Ex codice Camaldulensi.

IN monasterio sancti Salvatoris de Berardenga Aretinæ diœcesis Camaldulensis ordinis venerabiles viri domni Urbanus de Vivo prior, Silvester monasterii sancti Zenonis Pisarum abbas, Zeno de Civitate-castelli & Philippus de Foro-livio sacræ Camaldulensis eremi eremitæ, Gerardus Bononiensis sancti Damiani Bononiæ, & Franciscus sanctæ Mariæ de Serra monasteriorum priores definitores dicti capituli rev. patre domino domno Bonaventura sacræ Camaldulensis eremi priore & ordinis generale anno M. CCC. XXXII. kalendis maji fecerunt sequentes constitutiones scriptas per me Venturam de Castro-arretino scribam dicti domini prioris.

In

In primis, quod propter mundi pressuras lanei panni sint longe amplius solito cariores, & quod prout dicit beatus Gregorius, cum augentur dona &c. ut monachi humiliter eorum subjacere prælatis rationabiliter provocentur, statuimus, quod de cetero pro ipsorum indumentorum & calceamentorum provisione annua Florenorum auri quatuor statuto tempore, quo in monasterio, ad quod per dominum priorem Camaldulensem cum ejusdem literis obedientiæ sive pro monachis, sive pro hospitibus destinati fuerint, eosdem mansisse constiterit, solitæ provisionis solvatur pensum, constitutione aliqua nostri ordinis non obstante.

Item statuimus, quod visitatores ordinis futuris temporibus teneantur & debeant, antequam de monasteriis, quæ visitaverint, recedant, de prioris admissione, receptione & visitatione facere sumptibus monasteriorum, quæ visitabunt, confici publica instrumenta, quæ cum visitationum suarum scripturis teneantur præsentare domino priori & definitoribus capituli generalis proxime & tunc futuri.


Item licet de qualitate & honestate habitus indumentorum & calceamentorum prælatorum, monachorum, monialium & fratrum nostri ordinis ferendorum, & e contra de inordinatorum & superfluorum indumentorum & calceamentorum & etiam armorum deferendorum plurima jamdudum generalium capitulorum præcedentium statuta emanaverint, quæ tamen propter aliquorum præsumptionem effrontem & pœnæ facilitatem nullus quasi vel modicus fructus noscitur provenisse, nos attendentes, quod veniæ facilitas incentivum nonnumquam tribuit delinquendi, quodque dignum sit, ut quos Dei timor & propriæ faciei rubor a malo non revocat, acrioris eosdem severitatis coerceat disciplina, adjicientes statuimus, quod quicumque prælatus vel monachus, seu novitius monachandus diploides sive farsitia, camisias lineas, caligas, scuffones seu pedules de alio colore quam albo, scarpettas quascumque seu calceos super pedum juncturas non eminentes, seu penulas ex parte anteriore apertas, aut arma offensibilia seu defensibilia, tunicas superiores cum manicis bottonatis; sive guarnachias cum manicis & sine manicis super tunicam latentes portaverint; Conversus seu commissus, qui caligas de alio colore quam albo, aut de panno Romagnolo, arma offensibilia seu defensibilia temere portaverit, aut propriæ religionis habitum temere deposuerit, excommunicationis sententiam hujus constitutionis auctoritate & jure ipso facto incurrat, a qua nonnisi indumentis, calceamentis & armis absque spe recuperationis & reassumptionis, depositis, & amissis ad sanctam Camaldulensem eremum in ejusdem eremi reparationem & substentationem cellarum subsidio devolvendis .... disciplinæ pœna salutari per dominum priorem Camaldulensem debeant vel possint absolvi. Eisdem quoque pœnis atque sententiis subjacere, ac easdem modo dicto incurrere volumus, atque decernimus ipso facto abbatissas, moniales, novitias & conversas, diploides seu giubas, scarpettas vel caligas de alio colore quam albo, sive guarnachias cum manicis vel sine manicis, aut vestes quaslibet caudatas sive manicas in superioribus vestibus portantes. Ceteris constitutionibus, quæ de qualitate vestimentorum, habitus honestate & honestatis custodia aliisque observantiis &c. alias dudum editis &c. in rigoris soliti & debiti robore permansuris.

Item ordinamus &c. quod nulla puella sive mulier in monasteriis monialium ordinis pro novitia moniali de cetero debeat vel valeat recipi, propter cujus exceptionem ultra duarum ejusdem consanguinitatis seu affinitatis in quarto gradu vel proximiori monialium, sive sibi invicem attinentium in uno & eodem monasterio numerus augeatur. Si qua vero, quod absit, in hujusmodi constitutionis & statuti tenoris contrarii de cetero recepta fuerit vel admissa, talem receptionem in contrarium factam nullam omnino esse statuimus & decernimus præsentis constitutionis auctoritate ipso jure & ipso facto, adeo quod etiam per alicujus ratihabitionem postmodum quomodolibet subsequentem convalescere numquam possit. Et nihilominus tam abbatissa, quam moniales omnes & singulæ circa talium prohibitionum receptionem in contrarium se gerentes, sive etiam procaciter satagentes, seu ad quamlibet aliam, præter quam ad generale ordinis nostri capitulum pro præsentis refragatione constitutionis atque statuti recursum atque regressum habentes, excommunicationis sententiam hujus constitutionis auctoritate ipso jure & ipso facto incurrat, a qua nonnisi per generalis dein subsequentis ordinis nostri definitores capituli absolvi possint, pœna ei vel eis abbatissæ vel monialibus seu sororibus, quæ culpabiles fuerint, pro modo culpæ per ejusdem capituli definitores gravissima apponenda; immo puella seu mulier in contrarium rece-

recepta, de monasterio, in quo recepta fuerit, per abbatissam & moniales seu sorores ejusdem monasterii, absque prædictæ receptæ regressu eliminata & exclusa penitus.... & pariter cum efficacia dispensandi vel absolvendi in aliquo casuum prædictorum domino priori Camaldulensi facultatem ex nunc penitus adimentes.

Item quia pietas, ut dicit apostolus, ad omnia valet & tam ejus, quæ nunc est, quam futuræ vitæ spem habet, statuimus, quod nostri fugitivi, qui etiam jamdudum ultra anni lapsum extra obedientiam nostri ordinis vacaverunt, in unum annum a publicatione præsentium continuo computandum in animo humiliato & contrito redire voluerint, recipi ad ordinem nostrum per dominum priorem Camaldulensem misericorditer possint & debeant, salva semper ordinis disciplina, constitutione aliqua nostri ordinis dudum in contrarium edita non obstante, super qua hac vice dumtaxat compassionis gratia præsentis generalis capituli dispensamus.

Datum in generali capitulo suprascripto, anno quo supra, & die v. maji.



Acta Capituli Generalis Faventini anni M. ccc. xxxviii.

Ex bibliotheca monasterii S. Mathiæ de Muriano.

Ad lib. XLIX. n. 29.

IN nomine Domini, amen. Infrascriptæ sunt Constitutiones Camaldulensis ordinis in generali capitulo in monasterio sancti Hippolyti Faventiæ ejusdem ordinis per venerabiles fratres domnos Severum de Vangaditia, Apollinarem sancti Apollinaris in Classe, Facium sancti Salvatoris de Berardinga, & Jacobum sancti Salvatoris Camalduli-Florentini monasteriorum abbates, ac Thomasium Florentinum sacræ Camaldulensis eremi Majorem, & Andream senem ejusdem eremi eremitam definitores capituli prælibati, tempore reverendi patris & domini domni Bonaventuræ supradictæ sacræ Camaldulensis eremi prioris & ejusdem ordinis generalis præfato generali capitulo præsidentis, editæ atque factæ anno Domini a nativitate ejusdem M. ccc. xxxviii. kalendis maji congregati.

De studio in grammaticali facultate, philosophiæ & theologiæ scientiis successive in ordine ordinato atque tenendo. Cap. I.

STillat ut favus in ore dulce, resonat ceu melos in aure suave, clangit velut jubilus amænum in corde, illud amplectendum sapientis eloquium quoad investigandas sapientiæ venas susurrii prudentiæ fluenta sitibundo pectore haurienda, & verba mellita insatiabili haustu sugenda salubriter allicimus, & utiliter invitamus, dicente: Beatus homo, qui invenit sapientiam, & qui affluit prudentiam. Melior est acquisitio illius negotiatione argenti, & auri primi & purissimi. Fructus ejus pretiosior est cunctis opibus, & omnia, quæ desiderantur, huic non valent comparari. Hinc igitur est, quod ut hæc ordinis nostri Camaldulensis sancta plantatio scientiæ jugibus incrementis refloreat, lumenque prudentiæ numquam in ejusdem lucernæ deficiat, atque in sapientibus filiis semper valeat in Domino gloriari, statuimus & inrefragabili constitutione sancimus, quod de anno præsenti in festo beati Lucæ evangelistæ juxta morem scholasticum in Dei nomine inchoandum in monasteriis Vangaticiæ, Classis, Urani, sancti Zenonis, sancti Michaelis de Burgo Pisarum, sancti Salvatoris de Berardinga, & Camalduli Florentiæ, sanctique Justi Volaterrarum & sancti Mathiæ de Murano, ac deinceps & nunc in eisdem, & reliquis pluribus & paucioribus monasteriis conventualibus & pene conventualibus, secundum quod tam instantis, quam futuri temporis connotati decursus monasteriorum possibilitati facultas, necnon personarum ad studium mancipandarum numeri quantitas, idoneitatis qualitas, necnon bonæ vitæ honestas concurrerit liberalium artium in præsenti, ac postmodum futuris temporibus auctore Deo, juxta provectum & profectum studentium philosophiæ & theologiæ secundum domini prioris Camaldulensis discretionis judicium & voluntatis arbitrium disponendorum & deputandorum pariter monachorum studia omnino reformentur, fiant & sint, ac divina suffragante clementia in perpetuum perseverent. Ad cujus tam saluberrimi, tamque opportuni & laudabilis operis exequutionis effectum dominus prior Camaldulensis possit, teneatur & debeat omnes & singulos monasteriorum, in quibus studium fiet & debet fieri, prælatos, tenore quo supra dictum, ad ipsum ordinandum, recipiendum & pariter confovendum & manutenendum per censuram eccle-

ecclesiasticam, & ceteras pœnas atque sententias regulares atque canonicas omni appellatione postposita percellere & efficaciter coercere. Adjicientes, quod cum præfati studii in totius nostri ordinis specimen & emolumentum, tamquam omnium & singulorum tam prælatorum, quam subditorum commune bonum redundare infallibiliter dignoscatur, magistrorum pro studio assumendorum salaria prælibata de communi totius nostri ordinis marsupio persolvantur, pro quorum magistrorum salariis persolvendis dominus prior Camaldulensis possit & utique teneatur cum ordinis consiliariorum tamen consilio collectam secundum uniuscujusque monasterii ratam extimi distribuendam ordini absque generalis requisitione capituli imponere universo, ac eamdem ab omnibus & singulis monasteriis ejusdem ordinis & prælatis cum effectu exigere, necnon ad collectæ solutionem prædictæ omnes & singulos prælatos quoslibet per censuram ecclesiasticam, ceterasque canonicas & regulares pœnas atque sententias, prout & quoties ejusdem domini prioris Camaldulensis discretioni videbitur, omni appellatione postposita efficaciter percellere & arctare. Expressius insuper, & sub interminatione ac maledictione anathematis prohibentes, quatenus nulla omnino, quæ de nostri proprio ordinis gremio non existat persona, quæ in lectione & cantu non competenter instructa existat, studentium ordinis cœtui quomodolibet misceatur, vel ad studendum intra monasterii septa seu de foris residens ad lectiones vel constructiones audiendas, vel repetendas aliqualiter admittatur. Ceterum de quantitate & qualitate monachorum in singulis tam expressis, quam non expressis monasteriis applicandorum ad studium prior Camaldulensis provideat & disponat, prout ipsius discretio profectui scientiæ ampliori, honestati ordinis, & monasterii facultatibus magis convenire ac expedire censuerit. Verum ne de numero monachorum ad studium deputandorum aliqui desides vel torpentes ultro fiant a pœna immunes, sed ut ad capessendam scientiam, cujus juxta cujusdam sæcularis auctoris dictum:

Si quis optatam studet cursu contingere metam
Multa fecit, tulitque puer, sudavit & alxit

etsi non virtutis amore, saltem pœnæ timore eo obnoxii provocentur, ac etiam compescantur. Statuimus, quod quicumque de monachis ad studium deputatis ob ipsius negligentiam, vel parvipensionem, seu contradictionem non competenter secundum ipsius ingenii capacitatem profecerit, vel studentes ceteros suis aliquibus insolentiis impedierit seu turbaverit, indumentorum provisione illo anno hujus constitutionis sit ipso facto auctoritate privatus, & ne de ipsius provisione indumentorum per quempiam ordinis studentem vel ejus prælatum de facili possit illudi, Statuimus, quod studentium nemini, nisi in fine studii, & de prioris Camaldulensis jussu, qui per se ipsum examinare, vel per alium vel alios capaciores subditos vel prælatos examinari facere diligentissime teneantur, duxerit deputandum, indumentorum provisio tribuatur, et si prælatus studenti monacho, aliter quam supra dictum sit, indumentorum provisionem dederit, provisio monacho data, quæ videbitur habere, per priorem Camaldulensem auferatur ab eo; & insuper prælatus contrafaciens in eadem quantitate hujus constitutionis auctoritate absque restitutionis spe inretractabiliter sit mulctatus, & utraque pecuniæ quantitas in magistri solutione salarii convertatur, & monachus prædictus delinquens pariter & ingratus ad studium nullo unquam tempore postmodum futuro valeat reassumi, absque gratia & dispensatione prioris Camaldulensis, & definitorum pariter omnium capituli generalis.

De personis ordinis idiotis ad prælaturas ac beneficia ordinis non promovendis, nec utique transferendis. Cap. II.

CUm veritatis sit verbum organo divinæ vocis dicentis emissum: Quia tu scientiam repulisti, & ego te repellam, ne sacerdotio fungaris mihi. Talisque abbas secundum sanctissimi patris nostri beatissimi videlicet Benedicti abbatis regulæ traditionem, cujus sumus quamvis inutiles professores, esse debeat, qui nova & vetera proferre sciat, indecorum nimis profecto simulque periculosum & noxium est, quod ad animarum regimen assumendi ignorantes doceri indigeant eam, quam docere alios scientiam debuerunt, ordinamus, statuimus & firmamus, quod ne si cæcus cæco ducatum præbeat, ambo juxta evangelici sermonis sententiam in foveam dilabantur; nullus deinceps ordinis nostri ad aliquam ejusdem ordinis prælaturam seu beneficium ecclesiasticum aliquod, in quo de jure communi, vel secundum ejusdem ordinis instituta prælatus vel rector ejusdem

solus absque sui ordinis socio monacho non valeat residere, vel debeat quoquomodo vel quavis via vel forma monachus subditus assumi, vel jam ante præsentis constitutionis publicationis tempus promotus ad aliud pinguius, vel dignius transferri, vel de ipsa prælatura vel beneficio eidem valeat provideri, nisi in grammaticali saltem facultate fuerit, etsi non sufficienter, saltem competenter instructus. Quod si contra intentatum vel præsumptum per quempiam fuerit, talis electio, postulatio, nominatio, collatio, provisio, seu & consilii, & assensus præstatio & confirmatio ipso jure ac facto hujus constitutionis auctoritate sit prorsus nulla, irrita & inanis, nulliusque tunc vel imposterum obtinere possit alicujus ratificationis, vel dispensationis ope aut roboris firmitatem. Quod si idiota præfatus ad prælaturam vel beneficium contra hujusmodi constitutionis tenorem verbo vel facto per se ipsum vel alium se improbe ac scienter ingesserit ad obtinendum vel impetrandum illud vel aliud aliquod in ordine beneficium nostro, inhabilis & ineligibilis adeo ipso jure ac facto sit, quod non nisi per priorem Camaldulensem & generale capitulum pariter, & nullo penitus discordante cum ipso, ullo unquam tempore valeat dispensari. Et insuper aliquem contra hujus constitutionis prohibitionem eligentes, postulantes, nominantes, conferentes, providentes, consilium & assensum præbentes vel confirmantes jure sibi in electione, postulatione, nominatione, collatione, provisione, consilii & assensus prohibitione ac confirmatione prædictis competenti, vel quod competere possit, in tota talis prælaturæ vel beneficii ordinatione usque ad plenam reformationem ejusdem sint ipso jure & facto privati, & jus eorum peccantium ad non peccantium partem, ac demum ad superiorem ipsorum proximum libere devolvatur. Volentes, & auctoritate, qua fungimur, decernentes, quod de talis monachi subditi vel prælati grammaticæ sufficientia vel competentia facultatis, si differentia vel dubietas fuerint unquam subortæ, per priorem Camaldulensem decernatur, & ipsius solius dumtaxat declarationi & judicio absque cujuspiam ope reclamationis stetur. Decernentes quoad subditos monachos trigenarios & plures annos habentes hujus constitutionis rigor se nequaquam extendat, quin ad inferiora monasteria & beneficia non ultra unum vel duos monachos, non computato prælato, habere secundum cursum communem ordinis consueta promoveri valeant vel assumi.

De personis ordinis intra monialium clausuræ septa nullatenus intraturis.

Cap. III.

APostolus cum non solum a malo verum etiam ab omni specie mali jubeat abstinere; & insuper in dubiis, ubi maxime animarum periculum vertitur, & honestatis instigante humani inimico generis non dissimiliter formidatur, sit ante casum cautissime ac diligentissime providendum; ad eorumque jamdudum per capitulorum generalium definitores præcedentium quorumcumque statuta esse noscuntur, declarationem, suppletionem, necnon observationem honestatis & castitatis, sanctimonialium nostri ordinis custodiam, sollicitudinem, cautionem irrefragabili constitutione sancimus, quatenus nulla omnino ordinis nostri persona, prælatus videlicet, monachus, conversus vel commissus intra parlatorii portam seu aliunde intra ecclesiæ chorum, aut intra murorum, domorum, vel hortorum sive claustrorum, vel curiarum ambitum ad privatam habitationem, & præcipuum usum monialium nostri ordinis deputatorum, suo ipsius aut abbatissæ, monialis, conversæ vel commissæ sive servitialis, vel cujuscumque alterius personæ motu aut invitatione audeat introire, capellanis, conversis & commissis propriis habitum ordinis nostri gerentibus dumtaxat exceptis, quos & eorum quemlibet causis & casibus utilibus urgentibus, occurrentibus, emergentibus, incumbentibus seu incidentibus & exigentibus dumtaxat honestis ad abbatissæ requisitionem, & non aliter, decenter & honeste a monialibus vel conversabus antiquioribus saltem duabus vel pluribus secundum ibidem quantitatem & qualitatem degentium personarum & negotiorum agendorum exigentium sociatos, tunc solummodo & non aliter permittimus introire, non tamen ultra quam agendorum cum omnimodæ honestatis custodia & observantia necessitas exegerit sive poposcerit, intra clausuras prædictas aliqualiter moraturos. Quicumque vero contrafecerit, sive prælatus sive subditus fuerit, per quatuor hebdomadas ex tunc primo & immediate occurrentes omni secunda, quarta & sexta feria pro vice qualibet in pane dumtaxat & aqua debeat jejunare, & pro qualibet prædictæ observationis jejunii die in capitulo coram omnibus sua culpa detecta & dicta recipiat disciplinam. Quam siquidem poeniten-

nitentiam, si efficaciter & integraliter consummare contempserit seu neglexerit, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat, a qua nonnisi per priorem Camaldulensem vel visitatores ordinis visitantes, & pœnitentia sibi duplicata prædicta possit absolvi. Quod si tamquam in profundum malorum descendens perficere contempserit, iterato in eamdem ipso facto excommunicationis sententiam relabatur, & toties sibi pœnitentia multiplicetur, & in excommunicationis sententiam relabatur, quoties ipse contempserit usque ad satisfactionem plenam.

De personis per abbatissas vel moniales intra ipsarum clausuræ septa non introducendis, prohibitis vel permissis. Cap. IV.

QUia vero ad id, quod una prohibetur via, accessus irritus non permittitur, alia provida deliberatione statuimus, quod nec abbatissa, monialis, conversa vel commissa aliqua aliquem ordinis nostri vel cujuscumque alterius religionis prælatum, vel subditum, seu clericum secularem, vel laicum magnum vel parvum cujuscumque præeminentiæ, status, dignitatis, conditionis & ætatis, seu propinquitatis vel affinitatis gradus existat, intra clausuras in proxima & immediata constitutione expressas introducere aut deliberato animo invitare, seu ad ingrediendum se pudenter vel impudenter ingerentes, in quantum non simulate, sed veridice ipsarum abbatissæ, monialium & sororum, necnon eorumdem conversorum & commissorum familiæ totis ipsarum & ipsorum conatibus satagere facultas & possibilitas ejusmodi præsumptores poterit prohibendi ac etiam excludendi admittere seu recipere possint vel debeant quoquomodo personis supra nominatis, & insuper visitatoribus ordinis, qui secundum ordinis nostri constitutiones priscas introingredi visitantes valent medico, flebotomatore, horis, temporibus & locis quibuscumque opportunis necessitatis tempore, sartore in parlatorio tantum; lignaminis & murorum artificibus, pictoribus & fabris, aurigis sive carractoribus, torculatoribus & portatoribus vegetum, strictoribus ceterisque operariis, sine quorum adminiculo prædicta vel alia incidentia opera & negocia opportuna & domestica, quæ per manus imbecilles, vel industriam monialium & earumdem familiæ conversorum commode ac decenter secundum etiam monasteriorum & officinarum dispositionem, & temporum ac negociorum incumbentium exigentiam atque instantiam effici & exerceri nequirent. Religiosis & clericis quibuscumque honestis in alicujus abbatissæ vel monialium tumulationis & obsequiorum actu & tempore, & non ante vel post secundum abbatissæ discretionem sibi a Deo datam, & ad ipsius nutum, & non aliter invitandis, requirendis, conducendis & admittendis dumtaxat exceptis. Quos omnes & singulos magistros artifices & operarios nominatos, religiosos & clericos seculares, causis & casibus opportunis incumbentibus & occurrentibus, & non aliter supra factis invitare ac introducere licere permittimus abbatissæ, ubi per abbatissam, & priori, ubi per priorem, monialium monasteria gubernantur. Hanc vero prohibitionem introitus vel admissionis intra clausuras præfatas ad mulieres nedum seculares, verum etiam religiosas quascumque extendi volumus & mandamus, nisi in alicujus monialium vel abbatissæ, conversæ, commissæ sive novitiæ monachandæ ægritudinis lethali casu vel obitu, in quibus dumtaxat casibus usque ad quartum gradum inclusive introduci, absque tamen fletu vel ululatu, seu palmarum tunsione introduci, sed non immorari per abbatissam permittimus mulieres; vel etiam nisi fuerint adeo nobiles & magnificæ dominæ, quod sine gravi scandalo eis non possit per abbatissam & moniales aditus & introitus denegari. Quæcumque vero abbatissa, monialis, conversa, sive commissa aliqua de supradictis personis prohibitis vel permissis, nisi in casibus supra nominatis introduxerit, eamdem pœnitentiam & excommunicationis pœnam incurrat, quæ expressæ sunt in constitutione supra immediate proxime præcedenti.

De abbatissis & monialibus extra ipsarum clausuræ septa numquam ullo tempore exituris. Cap. V.

STatuimus insuper, quod nulla abbatissa vel monialis seu novitia monachanda, etiam ejusdem abbatissæ jussu extra ipsarum clausuræ septa, murorum videlicet ambitu circumcincta egredi ullo unquam tempore, vel aliqua ratione seu causa præsumat. Si quæ vero exire præsumpserit, si abbatissa fuerit, per tres menses integros a die sui ad monasterium regressus continuo computandum, ab administratione sui officii sit suspensa ipso facto, & ipsius officium per eam, quam totum capitulum, vel major pars ex omnibus proelegerit, interim suppleatur, & omni quarta & sexta feria trium mensium

sium prædictorum in pane dumtaxat & aqua sub pœna excommunicationis, quam si jejunium violaverit supradictum, nisi infirmitate excusabili fuerit præpedita, ipsam incurrere hujus constitutionis auctoritate decernimus, ipso facto debeant jejunare; cujus suspensionis durante tempore prælibatæ si ad ministrandum ipsa scienter ac memoriter se ingesserit quovis modo, per priorem Camaldulensem vel ejus vicarium ad hoc specialiter constitutum, seu visitatores ordinis visitantes, si præmonita sponte cedere noluerit, absque alicujus reclamationis remedio deponatur, & alia, quæ vitæ meritis & diligentiæ sufficientia digna & utilis sit, canonice substituatur eidem. Si vero monialis expresse professa fuerit, statim in ejusdem regressu carcerali custodiæ sub regularis observatione jejunii compedita, per unum annum in eadem permansura pænitentia mancipetur. Si vero nondum fuerit expresse professa, in monasterio deinceps eodem, vel quovis nostri ordinis alio eamdem quomodolibet recipi sub anathemate perpetuo prohibemus. Verum, quia legem non habet necessitas, & discretio sit omnium virtutum mater, permittimus, quod abbatissæ monasteriorum, videlicet sanctæ Christinæ Bononiæ ad monasteria earum sanctæ Christinæ-veteris, sanctæ Annæ prope Bononiam, sanctæ Mariæ de Bethleem & sancti Antonii de Tuderto, ad monasterium ipsarum vetus, & alia, a quibus monasteria sanctæ Christinæ Bononiæ, sanctæ Annæ & sancti Antonii derivasse noscuntur, pro causis & casibus urgentibus & opportunis, semper tamen & non aliter utilibus & honestis, verisque, & nequaquam simulatis vel fictis per se ipsas cum duabus saltem ex antiquioribus monialibus, & aliis honestis, si expedierit, matronis secularibus societate accedere, & de monialibus sororibus non paucioribus simul duabus dirigere ac directas revocare. Et insuper abbatissa monasterii sancti Johannis de Prato-veteri ad monasterium sancti Benedicti Arretii suffraganeum suum per se ipsam, tenore quo supra, causis & casibus opportunis emergentibus, exigentibus supra factis accedere, mittere, & hinc inde moniales transferre quandocumque & quotiescumque abbatissis prædictis expediens & opportunum visum fuerit, non absque tamen prioris Camaldulensis semper petita pariter licentia & obtenta, nisi alicujus notabilis damni vel periculi in mora licentiam petendi prædictam immineret, aut verisimiliter timeretur casus, ad quæ monasteria ruralia, & sancti Benedicti Arretii, quando abbatissas & moniales adire contigerit prælibatas, necubi in itinere eundo vel redeundo easdem permittimus pernoctare. Quod si contrarium fecerint, excommunicationis sententiam easdem incurrere volumus ipso facto; & insuper post quam ad eadem monasteria declinaverint, statim & usque ad ipsarum inde recessum ad observantiam duarum supra proxime & immediate constitutionum præcedentium sub pœnis & sententiis in constitutionibus contentis prædictis, ac si in principalioribus essent earumdem monasteriis in omnibus & per omnia integraliter teneantur.

De personis cum quibus loqui monialibus liceat, & modo loquendi & loco.

Cap. VI.

UT qui furabatur, amplius jam furetur, locum dari contra doctrinam Apostoli diabolo non dissimiliter videatur, quando per monialium & aliarum mutuum frequens & solitarium colloquium, & aspectu pariter personarum ad linguam dissolvendam, corque vulnerandum nonnumquam appetitus allicitur, & occasio præparatur, cupientes tali & tanto animarum periculo, eo quo possumus, competentis fræni camo, & antidoti obicis remedio obviare, statuimus, quod nulla nostri ordinis monialis loquatur cum persona aliqua religiosa, clerico vel laico, cujuscumque alterius ordinis, dignitatis, status, conditionis vel sexus existat, ad monasterium accedentibus earumdem audeat, vel debeat, sive possit, nisi sibi in primo, secundo, tertio vel quarto consanguinitatis vel affinitatis gradu conjuncta fuerit, & talis conditionis & honestatis etiam exstiterit, quod ex ipsius accessu & colloquutione nullius scandali, nulliusque inhonestatis non solum propter monialem attinentem illi, verum etiam propter quamlibet aliam in monasterio existentem monialem occasio parari possit vel suspicio oriri. Cum quibus & ordinis nostri personis ad cratem ferream vel rotam, & non alibi, & de abbatissæ licentia, petita pariter & pacifice obtenta, non tamen verbis vel gestis cujusquam procacibus aut minis extorta, cum abbatissa vel duabus de antiquioribus monialibus, quibus abbatissa mandaverit colloquentes videntibus, & ea quæ per eosdem confabulabuntur intelligibiliter audientibus, si ad cratem, si vero ad rotam audientibus tantum loqui poterit

sociata,

sociata. Excipimus patrem & matrem, cum quibus & ipsorum altero colloquio ad cratem vel rotam solitarii poterunt, si discretioni videbitur abbatissæ. Item excipimus proprium capellanum cum quo vel alio confessore per priorem Camaldulensem concesso, vel ex certa ipsius prioris Camaldulensis scientia permisso ad fenestram ferream ad hoc opus deputatam vel deputandam, confitens quemadmodum bene utique condecet secreto, submissa voce & sola poterit, quoties ei opus fuerit, semper tamen præhabita suæ abbatissæ licentia confiteri. Quod si graviter ægrotaverit monialis, poterit cum abbatissæ semper licentia ad illam capellanus proprius vel alius, ut supra dicitur, per priorem Camaldulensem concessus vel permissus confessor cum honesta & decenti monialium, quibus abbatissa mandaverit, societate intrare, & ægrotanti moniali aliquibus secundum abbatissæ nutum monialibus illic seorsim remotis, tamen competenter adstantibus, sed nequaquam verba percipientibus, confessionem diligenter audire. Item excipimus medicum & personas ceteras, de quibus supra in duobus capitulis præcedentibus, in quibus de personis, quæ ingredi & introduci permittuntur, nominatim & expressius agitur, tractatur, cum quibus tam principaliter, quam incidenter secundum personarum, artificum, operariorum qualitatem, ac negotiorum & rerum incumbentium, & opportunorum instantiam & exigentiam, non tamen otiose vel occulte, aut seorsum vel singulariter singulæ, sed religiose, publice & in communi, ac expedienter in quantum abbatissæ discretioni expediens, honestum & opportunum fore videbitur, loqui poterunt moniales medico, tamen si forsan ægritudo fuerit occulta, ac submissa voce secreto detegere, ac de eadem solummodo cum medico conferre, non tamen monialibus ceteris per abbatissam deputatis absentibus vel distantibus uti poterit ope medici indigens monialis. Item excipimus conversos, commissos & proprios capellanos, familiares, domesticos ceteros, agrorum cultores, castaldos, pensionarios, affictajolos, operarios quoslibet & artifices, sindicos & procuratores, aliasque æque pollentes personas, cum quibus officiales moniales de agendis monasterii, & portariæ atque rotariæ in dandis, referendis eulogiis, exeniis, & responsis loqui & colloqui licenter possint, secundum quod abbatissa duxerit disponendum. Quæcumque autem monialis in aliquo casu scienter offenderit præmissorum, pro vice qualibet primis secunda feria, quarta & sexta feriis occurrentibus in pane & aqua dumtaxat, hora, qua diversorio, ubi ceteræ conventualiter reficiuntur, suam refectionem sumptura debeat jejunare. Et mane cujuslibet feriarum prædictarum in capitulo coram abbatissa & monialibus reliquis, quæ interesse commode poterunt, toto in terram prostrata corpore, dicat expliciter & humiliter culpam suam. Quod si utrumque videlicet tam de observatione jejunii, quam de suam culpam dicendo, vel ipsorum alterum non fecerit, excommunicationis sententiam ipso facto incurrat, a qua nisi per priorem Camaldulensem vel visitatores ordinis visitantes, & pœnitentiæ satisfactione præmissa prædictæ possit absolvi. Et eamdem pœnam incurrat quæcumque eulogia quælibet, idest literas vel munuscula miserit aut receperit, quas & quæ non legerit, viderit & permiserit abbatissa. Præterea quia ut lex in se ipsa justificetur, honesta debet esse atque communis, & alias non esset lex; & quia pro eo quod vir a virtute, mulier autem autem a mollitie denominentur, non minor, quinimmo major viro, quam in muliere sit virilitatis constantia requirenda, ob quod si peccaverit, gravius vir est muliere plectendus, statuimus & firmamus, quod ne monachus aliquis de moniali ridere contingat, fletibus complicis hæc constitutio præsens ad ejusdem prohibitionem pœnas atque sententias omnes & singulas ad monachos, conversos, atque commissos aliter quam de monialibus ad cratem vel rotam cum personis aliquibus modo loquendi semper constitutum sit cum eisdem loquentes, necnon ad monasteria & loca quælibet cujuscumque ordinis monialium, sororum, ac etiam quarumlibet reclusarum causa cum eisdem colloquendi vel etiam pernoctandi absque propriorum accesserint speciali petita pariter & obtenta licentia prælatorum; quicumque cum licentia vel sine licentia alicubi ad confabulandum per noctis crepusculum & ante lucis diei rutilantis ortum cum aliqua steterit moniali in omnibus & per omnia se extendat, & toties cum monacho, quam moniali aggravetur pena & pœnitentia duplicetur, quotiens in idipsum prohibitionum istius constitutionis lubricaverit recidivum.

De modo loquendi cum monialibus ordinis nostri. Cap. VII.

SExui devoto quamvis imbecilli feminæ, quibus sicut sanctissimus ait beatus Gregorius, leviora, viris autem graviora,

viora, ut istos magna exerceant, illas vero levia demulcendo convertant, debent injungi non indiscreta animadversione pio condescendentes affectu, constitutionis in generali ordinis nostri capitulo in monasterio sancti Hippolyti Faventiæ anno Domini M. CCC. XXXVIII. de mense madii celebrato editæ, de modo loquendi cum monialibus ordinis nostri loquentis rigorem alicujus liquore mansuetudinis linientes dispensative permittimus atque concedimus, quatenus etiam cum personis nullo monialibus consanguinitatis vel affinitatis gradu conjunctis, dummodo honestis & ex causa honesta eo colloqui modo & tenore possint, quo secundum constitutionis tenorem prædictæ personæ usque ad quartum consanguinitatis vel affinitatis sibi conjunctis gradum conceditur loqui posse, excommunicationis sententia in eadem constitutione in contrafacientes lata in contrarium non obstante. Super qua dumtaxat in hoc dispensamus casu, moniales nihilominus omnes & singulas attentius præmonentes, & obnixius exorantes prædictas, quatenus cum, sicut scriptum est, mors per fenestras, quæ sunt quinque corporis humanis sensus, intret, earumdem fenestrarum aditus Dei timoris, gehennæ formidinis, ipsarum honoris ruinæ vincientibus seris & clavibus firmatæ attentius satagant, & cautissime custodire memores verbi Apostoli dicentis: Sciat unusquisque vestrum suum vas in sanctificatione & honore, non in passione desiderii possidere.

De monialium & abbatissarum suæ integritatis castimoniæ ruinam incurrentium pœna. Cap. VIII.

SPonso Christo exire obviam venienti cum ornatis lampadibus fatuæ virgines nequiverunt, quia lapsæ quælibet oleum, per quod bonæ nitor designatur conscientiæ, perdiderunt, hinc igitur est, quod ad hujusmodi conservationem olei & luminis decorem monialium nostri ordinis inextinguibili lampadarum, etsi non casto, servili tamen timore, omnes & singulæ non surda cordis aure memoriter & diligenter intendant. Statuimus, quod si, quodque Deus avertat, nostri ordinis monialis in tantam suæ ignominiæ descenderit passionem, sensumque declinaverit reprobum, quod humani generis inimici instigante calliditate ac fallente versutia, non sursum defixis, sed deorsum reflexis aspectibus, ac si pudicitiæ virginalis aureola, quæ sola cum fiducia Deo animas præsentare potest, oblita, & sanctimonialis castitatis munere prærogativæ speciali ingrata in incontinentiæ, quod secundum nostri ordinis constitutiones ex ceteris gravius puniendum, lubricaverit de cetero vitium, & in hoc vitio deprehensa, vel de ipso confessa vel convicta legitime fuerit, statim postquam de ipsius lapsu liquerit, carcerali caute ac tute custodiæ per abbatissam debeat mancipari sub regularis observatione jejunii, & in compedibus ferreis ibidem usque ad generalis nutum capituli, ut quæ stulta fuit in culpa, sapiens fiat in pœna continuo permansura. Ea insuper in capitulo cunctis, quod legitimis actibus voce perpetuo activa careat & passiva. Ast si non expresse professa fuerit, carcerali custodiæ & jejunii observationi, ut supra diximus, mancipetur, & ad regularem professionem nullo unquam tempore admittatur, quinimmo si absque gravi scandalo & de jure fieri poterit, de monasterio absque reversionis spe illico expellatur. Abbatissa vero, quia peccatum, prout quidam vates secularis cecinit, evidentius est ex dignitate peccantis, sui status pariter & honoris irreparabili ruina plectatur, quemadmodum de prælato in ejusmodi carnis deprehenso contagio esse dignoscitur pariter constitutum; ceteris omnibus præcedentium generalium capitulorum constitutionibus de vitæ & honestatis custodia monialium nostri ordinis editis, quæ præsentibus non obvient vel detrahant constitutionibus in suo robore permansuris.

De quibusdam monialium monasteriis ad monachorum cultum revocandis, vel aliis monachorum monasteriis uniendis. Cap. IX.

LUpus rapax eo audacius, liberius & damnabilius ovium caulas invadit, disperdit & mactat, quo easdem in campestribus solivagas, vel alias in partes pluriores diffusas, & minus caute invenit circumseptas; hinc igitur est, quod cum monasteria quædam nostri monialium ordinis, videlicet sancti Johannis de Buldrone, longe distans a civitate Florentiæ, sancti Georgii de Api, quod est quam distans a civitate Senarum, monasterium sanctæ Annæ prope Bononiam, ad quod monasterium sanctæ Mariæ in Bethleem originale longius distans a civitate Bononiæ fuit annis elapsis quampluribus jam translatum, monasterium cellæ sancti Maglorii de civitate Faventiæ, & monasterium sanctæ Christinæ in civitate

vitate Forolivii situata, tum hominum superabundante malitia, & caritate refrigescente, multarum sanctimonialium Deo dicatarum cœnobia non nunc, ut ab olim antiquitus reverenter tractantium, sed potius de quo honestius est silere, quam loqui, divini earum sponsi, cui corporum suorum virginitatem & castitatem devoverunt, omni timore postposito, omnique simul rubore, tamquam nec Deum timentes, nec homines erubescentes, abjecto, molientium improbe violare, tum propter tenuitatem redditium eorumdem, nec ipsarum quotidiano victui, nec monachi substentationi proprii capellani, nec visitatorum ex ordinis more nostri visitantium receptioni atque stipendiis, nec ipsarum competentis & honestæ clausuræ constructionis sumptibus, ceterisque tum legatorum, tum ordinis nostri procurationum & collectarum oneribus inevitabiliter subeundis & subportandis sufficientium, quinimmo pro majori deficientium parte plus valde ponderis quam subsidii, plus confusionis quam honoris, prout præteriti temporis nos & antecessores antiquiores nostros subditos & prælatos casuum ingratorum tum visus, tum de auditu, experientia docuit, fuerint & sint nostro ordini relatura. Et insuper deinde eisdem degentium animarum frequentiori periculo recidivo, & castitatis irreparabilis formidanda ruina possit verisimiliter & utique debeat ac oporteat suspicari. Nos in dubiis viam volentes præeligere tutiorem, & futuris auctore Deo, eo quo ex alto nobis scire ac posse conceditur, providentiæ clypeo animarum obviare periculo cupientes; nam juxta eloquentissimi doctoris beatissimi Gregorii verbum, jacula, quæ prævidentur, minus lædunt, non rudi, nec præcipiti vel inconsulta, sed provida, matura & bene digesta deliberatione statuimus, quatenus nulla omnino pro moniali vel novitia monachanda seu commissa recipiatur de cetero in monasteriis prædictis vel aliquo eorumdem, nec in contrarium prior Camaldulensis quoquomodo valeat aliquando dispensare, quorum monasteriorum prædictorum singulorum monialibus, quæ nunc in eisdem sunt, obeuntibus omnibus monasteria ad monachorum nostri ordinis per priorem Camaldulensem ibi ponendorum reducantur & ordinentur cultum, quibus non abbatum, sed priorum functuri nominibus per priorem Camaldulensem de consilio & assensu capituli sacræ Camaldulensis eremi totius vel majoris partis perficiantur & instituantur, ea dumtaxat vice prima,

ab inde vero in antea cunctis futuris temporibus, si collegiatum est monasterium, collegiatum remaneat, si vero manuale fuerit, in manualitatis subjectione perseveret sua, ita quod jus unicuique conservetur suum. Verum si interim majori cujusque prædictorum monasteriorum obeunte monialium parte priori Camaldulensi visum pro meliori fuerit, ad alia urbana aut suburbana vel quasi monasteria majora ordinis nostri monialium transferre superstites, hoc quoque ipse licenter efficere valeat, & tam transferendas, quam eas, ad quas duxerit transferendas, per censuram ecclesiasticam, aliasque regulares & canonicas pœnas atque sententias sua ipsius & capituli generalis auctoritate sancimus; proviso tamen per ipsum, quod tot de monasteriorum transferendarum monialium pro ipsarum substentatione monasteriorum, ad quæ transferentur, redditibus annuis usui & commodo deputentur, quod illarum transitus non sit, quoad vixerint, secundis monasteriis onerosus. Adjicientes, quod si monialium diminutionis nondum casu extante prædictæ priori Camaldulensi, de cujus omnium & singulorum tam prælatorum, quam subditorum sanguis est, & in districti judicii saltem die novissimo & manibus requirendus, majori & meliori accelerationi reformandæ honestatis, custodiæ & cautelæ monialium expedire censuerit, tam personas, quam bona mobilia & immobilia ad monasteria alia ordinis nostri competentiora transferre, quod hoc efficere aliquarum abbatissarum vel monialium contradictione vel reclamatione non obstantibus valeat, obsecrantes concedimus & irrevocabiliter statuimus, proviso tamen per priorem Camaldulensem, quod talis bonorum mobilium & immobilium, librorum & massaritiarum monasteriorum evacuandarum portio reservetur, quod unus sacerdos ad officium ibidem celebrandum divinum, & populi, si curata eadem fuerit ecclesia, cum uno saltem servitore clerico valeat commode substentari.

De cantum ignorantibus pœna.
Cap. X.

AD decorem & reverentiam domus Dei accedere profecto dignoscitur, si psallentium in eadem lectionis & cantus ignorantiæ cæcitate non organa suspendantur. Hinc igitur est, quod respectu præcipue habito prælibato in constitutione vigesima nona quarti libri constitutionum de Moribus nostri ordinis per ejusdem conditores deliberatione provida fuisse

non ambigimus constitutum, quod ut idiotæ nostri ordinis monachi vacandi negligentiæ materiam non haberent, tam tunc præsentis, quam futuri, donec in cantu & in lectione forent competenter edocti, vestimentorum præbenda dumtaxat dimidia deberent esse contenti, verum quia multorum crebrescente ignorantia solita prælatorum, & insuper eorumdem negligentiæ opitulante parvipendentia, quæ plurium prælatorum, ne erga eosdem subditorum dilectio torpeat monachorum defectum scienter tolerantium supradictum, nullus vel modicus ex constitutionis frustra membranas occupantis prædictæ fructus usque in præsens noscitur provenisse; nos ad ipsius constitutionis observantiam efficacem totis desideriis intendentes, ut etsi non amore justitiæ, nec domus Dei zelo, nec ordinis nostri honore publico & bono communi, pœnæ saltem temporalis formidine prælati ordinis nostri quicumque irremissibiliter ad constitutionis antefactæ observantiam animentur, & utique arceantur, constitutioni adjicientes jamdictæ ordinamus, statuimus atque mandamus, quatenus nullus ordinis nostri prælatus per se ipsum vel alium alicui monacho in cantu vel lectione notabiliter idiotæ aliquod in rebus aliquibus vel pecunia ultra indumentorum debitæ provisionis partem dumtaxat dimidiam debeat exhibere, vel facere exhiberi. Quicumque vero in contrarium se habuerit prælatus, unius anni monachalis provisionis integre indumentorum pecuniam ante mensium duorum lapsum a die prævaricationis constitutionis præsentis continuo computandum, vel domino priori Camaldulensi, vel eremi sacristæ in cellarum reparationis convertendum subsidium absque restitutionis alicujus spe efficaciter dare vel mittere debeant cum effectu; qui prælatus si hoc contempserit vel neglexerit adimplere, excommunicationis sententiam eumdem incurrere mensibus duobus elapsis prædictis, hujus constitutionis auctoritate volumus & decernimus ipso facto, a qua sententia nonnisi prædicta satisfactione præmissa per dominum priorem Camaldulensem, vel alium quemlibet debeat vel possit absolvi; & si aliter ipsum absolvi contigerit, absolutio talis ipso sit facto prorsus irrita & inanis. Verum si de hujus monachi lectionis & cantus ignorantia vel scientia intra prælatum proprium & monachum altercatio fuerit suborta, domini prioris Camaldulensis vel visitatorum ordinis visitantium judicio decernatur.

De iis, qui alicui ordinis nostræ personæ familiari seu nuntiis injuriam personalem irrogaverint vel realem. Cap. XI.

Nempe quia facilitas veniæ nonnumquam incentivum tribuat delinquendi, quod qui per impunitatis audaciam, quæ nequam sunt malis pejora accumulantes prioribus efficiantur plerumque solito nequiores, attendentes, statuimus, quod si quis deinceps suadente diabolo in talem & tantam, quod absit, suæ mersus fuerit mentis vesaniam, quod necdum in caput, videlicet priorem Camaldulensem, verum etiam in aliquod membrorum, scilicet eremitam, prælatum, vel subditum monachum vel conversum, familiarem vel nuntium ordinis nostri aliquam manum injecerit, vel injici fecerit aut mandaverit, injuriosas vel temere violentas, aut injuriam aliquam irrogaverit, vel irrogari fecerit, seu mandaverit personalem vel realem notabilem cum effectu, nullo unquam tempore, nisi debita satisfactione præmissa, & cum prioris Camaldulensis & definitorum omnium capituli generalis dispensatione, nemine penitus discrepante, concordi ipse aut aliquis usque ad quintum consanguinitatis gradum masculus sive femina eidem conjunctus ad ordinem nostrum pro monacho, vel converso seu commisso, vel in familiarem aut colonum recipi, vel ad hospitalitatem aliquam seu cibi, vel potius communionem intus vel foris monasteria, & loca vel curias ordinis ipsi vel eorumdem familiares seu nuntios quoslibet admitti in quantum absque personali periculo vel gravissimo scandalo prohiberi poterit & vitari, aut in advocatum, procuratorem, negotiorum gestorem, vel defensorem cum salario vel absque salario quovis titulo vel modo adsumi. Sed nec aliquid munus, seu subsidium vel emolumentum reale, personale sibi vel alteri pro ipso recipienti per directum vel indirectum quodlibet dirigi valeat vel aliqualiter impertiri. Quapropter omnes & singulos utriusque sexus tam prælatos, quam subditos ordinis nostri unico pro tribus peremptorio monemus edicto, eisque omnibus & singulis in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis pœna districte præcipiendo mandamus, quatenus hanc constitutionem pro communi omnium nostri ordinis personarum bono editam, exacta studeant & debeant diligentia observare. Quicumque vero per se ipsum vel alium quovis dolo vel ingenio seu

colore quæsitis per directum vel indirectum in contrarium in prædictis vel aliquo prædictorum se scienter ingesserit vel habuerit, excommunicationis sententiam eumdem incurrere volumus & decernimus ipso facto, & aliter ad prioris Camaldulensis arbitrium adeo acriter puniatur, quod quantum ipse peccaverit, pœna docente, cognoscat, & in metum memoriale transeat perpetuo ceterorum. Et insuper receptores aliquarum personarum contra hujusmodi constitutionis tenorem & prohibitionem per quempiam ad ordinem nostrum deinceps factas & intentatas ipso facto sint nullæ, irritæ & inanes, numquam per alicujus patientiam temporis vel ratihabitionem cujusque aliquando vel aliqualiter valituræ, adjicientes, quod prior Camaldulensis pro sua ipsius & cujuslibet ordinis nostri personæ prælati vel subditi, seu nuntii vel familiaris offensi injuria, incuria vel judicio quibuslibet, in quantum jura concedunt aut permittunt canonica, prosequendi procuratorem unum vel plures, prout sibi & toties expediens visum fuerit, constituere vel substituere, ipsosque constitutos & substitutos revocare, & cetera, quæ ad causæ prosecutionem prædictæ facere noverit, exercere ordinis sumptibus communibus universi, & pro hac causa efficaciter prosequenda collectam ordini cum consiliariorum consilio imponere universo, ipsamque exigere, ac ad ipsius solutionem omnes & singulos ordinis prælatos & ipsorum vices gerentes per censuram ecclesiasticam, aliasque canonicas & regulares pœnas atque sententias, prout sibi expediens visum fuerit, absque reclamatione qualibet compellere debeat & valeat cum effectu, volentes, decernentes & declarantes, quod ad perpetuam & detestabilem istorum memoriam ad execrabiles viros eximiorum multorum & diversorum beneficiorum jamdudum tam per ipsos eosdem, quam per ipsorum genitorem, fratres & amitas carnales, superstites & defunctos, ab ordine & in ordine nostro tam modernis, quam antiquis subscessive temporibus receptorum ingratissimos & valde immemores, Georgium videlicet & Jacobum germanos fratres filios quondam fratris Gothofredi de Foro-livio, tamquam de arbore bona fructus malos productos, & Franciscchinum Jacobi filium prælibati, eorumque usque ad quintum inclusive consanguinitatis gradum, tam per descendentem, quam transversalem lineam descensos & descensuros dumtaxat, qui videlicet Georgius, Jacobus & Franciscchinus prædicti generaliter per se ipsos & plurimos eorum assassinos ejusdem damnationis complices & consortes, adinstar Judæ proditoris Christi Salvatoris nostri ad capellam sancti Johannis in burgo civitatis Foro-livii sitam ejusdem ordinis, ad quam reverendus pater & dominus domnus Bonaventura sacræ Camaldulensis eremi prior, & ejusdem totius nostri ordinis generalis versus nostrum generale capitulum in itinere declinaverat constitutus accedens, noctis jam imminente crepusculo exeuntes armis muniti: Ubi est iste prior Camaldulensis, qui amplius de manibus nostris non poterit evadere, acclamantes, in ecclesia cum furia & tumultu intrantes, contra eumdem dominum & patrem nostrum ante majus ecclesiæ altare orantem, & flexis genibus incumbentem, animam ipsius quærentes, de quorum ipse profecto prius mentibus præsumebat, ensibus & gladiis eorum evaginatis & vibratis propius irruerunt, qua dominus & pater noster præfatus superna ipsum innocentem pariter & insontem protegente clementia, & insuper venerabili fratre domno Gregorio de Orsellis monasterii Camaldulini de prope Foro-livium se illi fideliter, viriliter, & perseveranter opponente priore, ac quibusdam ipsius germanis fratribus & bonis viris ejusdem ecclesiæ popularibus impedientibus convicinis, necnon domus Camaldulensis quorumdam conversorum, & ipsius domini prioris aliquorum pauca, quamvis subito, & quodammodo inermi totaliter adminiculante familia, licet tandem persona ejus illæsa & intacta remanserit. Viri Belial, & Achitofellitæ prædicti per eorum repugnationem & impugnationem multa vociferantes & minis minas accumulantes mortiferas exilierint foras, priore tamen monasterii Camaldulini prædicti eorum affine inermi excubiis per filium Jacobi, jubente patre, graviter cum multa effusione sanguinis pugione, & fratre Baldinuccio de Galliada domus Camaldulensis converso, per quemdam eorum familiarem assassinum, nomine Masium, ense in brachio & cum effusione sanguinis aliqualiter vulneratis. Et ad supradictos maleficos & scelestos, Masium nominatim, & ceteros, qui cum illis interfuerunt viros, & ipsorum utique usque ad quintum, ut prædictum est, gradum, consanguineos per utramque lineam tam descensos, quam descensuros, hæc præsens constitutio in omnibus & singulis suis clausulis & particulis pœnalibus se

se extendat. Lectæ, latæ & publicatæ per definitores supradictos in choro ecclesiæ monasterii sancti Hippolyti Faventiæ supranominatæ constitutiones prædictæ fuerunt coram multis prælatis & subditis in generali capitulo supradicto anno Domini a nativitate ejusdem M. CCC. XXXVIII. die III. mensis maji.



Acta Capituli Generalis Burgensis Anni M. CCC. XLIII.

Ex codice Camaldulensi.

Ad lib. I. n. 7. Per rev. patrem & dominum domnum Bonaventuram sanctæ Camaldulensis eremi priorem & ejusdem ordinis generalem, & ven. viros domnos Johannem abbatem de Burgo Pisarum, Petrum de Pergamo Majorem, & Severum eremitam eremi prælibatæ, Silvestrum abbatem de Morona, Thomasum sanctæ Mariæ de Serra & Johannem sancti Eustachii Imolensis monasteriorum priores definitores capituli generalis Camaldulensis ordinis in sancto Johanne de Burgo-sancti-Sepulcri ejusdem ordinis anno M. CCC. XLIII. kalendis maji congregati & electi secundum formam ejusdem ordinis fecerunt sequentes constitutiones.

Ad decorem & reverentiam domus Dei accedere profecto dignoscitur, si psallentium in eadem lectionum & canticorum ignorantiæ cæcitate non organa suspendantur; hinc igitur est, quod respectu præcipue habito prælibato in constitutione XXIV. libri IV. Constitutionum de Moribus nostri ordinis per ejusdem conditores deliberatione provida fuisse non ambigimus constitutum, quod ut idiotæ nostri ordinis monachi vacandi negligentiæ materiam non haberent, tam tunc præsentes, quam futuri, donec in cantu & lectione forent competenter edocti, vestimentorum præbenda dumtaxat dimidia deberent esse contenti. Verum quia multorum crebrescente ignorantia solita subditorum, & insuper eorumdem negligentiæ opitulante parvipendentia quampluriurn prælatorum, ne erga eosdem subditorum dilectio torpeat monachorum defectum scienter tolerantium secundum nullus vel modicus ex constitutionis frustra membranas occupantis prædictæ fructus usque in præsens noscitur pervenisse, nos ad ipsius constitutionis observantiam efficacem totis desideriis impendentes, ut & si non amore justitiæ, nec domus Dei zelo, nec ordinis nostri honore puro & bono communi pœnæ saltem temporalis formidine prælati ordinis nostri quicumque irremissibiliter ad constitutionis antefactæ observantiam animentur, & utique arceantur, constitutioni adjicientes jamdictæ, ordinamus statuimus atque mandamus, quatenus nullus ordinis prælatus per seipsum vel alium alicui monacho in cantu & lectione notabiliter idiotæ aliquid in rebus aliquibus vel pecunia ultra indumentorum debitæ provisionis partem saltem dimidiam debeat exhibere vel facere exhiberi. Quicumque vero in contrarium se habuerit, prælatus unius anni monachalis provisionis integræ indumentorum pecuniam ante mensium duorum lapsum a die prævaricationis constitutionis præsentis continuo computando, vel domino priori Camaldulensi vel eremi sacristæ in cellarum reparatione convertendæ subsidium absque restitutionis alicujus spe efficaciter dare vel mittere debeant cum effectu. Qui prælatus si hoc contempserit vel neglexerit adimplere, excommunicationis sententiam eamdem incurrere mensibus duobus elapsis prædictis hujus constitutionis auctoritate volumus & decernimus ipso facto; a qua sententia nonnisi prædicta satisfactione præmissa per dominum priorem Camaldulensem vel alium quemlibet debeat vel possit absolvi, & si aliter ipsum absolvi contingeret, absolutio talis ipso sit facto prorsus irrita & inanis. Verum si de hujusmodi monachi lectionis & cantu ignorantia vel scientia inter prælatum proprium & monachum altercatio fuerit suborta, domini prioris Camaldulensis vel visitatorum ordinis visitantium judicio decernatur.

Sexui devoto quamvis imbecilli femineo, quibus uti sanctissimus ait Gregorius, leviora, viris autem graviora, ut istos magna exerceant, illas vero levia demulcendo convertant, debent injungi, non indiscreta animadversione, pio condescendentes affectu, constitutionis in generali nostri ordinis capitulo in monasterio sancti Hippolyti Faventiæ anno M. CCC. XXXVIII. mense majo celebrato editæ de modo loquendi cum monialibus ordinis nostri, loquentis rigorem alicujus liquore mansuetudinis linientes dispensative permittimus & concedimus, quatenus etiam cum primis nullo monialibus consanguinitatis vel affinitatis gradu conjunctis dummodo honestis, & ex causa honesta eo colloqui modo & tenore possint, quo secundum constitutionis tenorem prædictæ proprio usque ad quartum consanguinitatis vel affinitatis sibi con-

junctis

junctis gradum conceditur loqui posse, excommunicationis sententia in eadem constitutione in contrafacientes lata in contrarium non obstante, super qua in hoc dumtaxat dispensamus casu. Moniales nihilominus omnes & singulas attentius præmonentes & obnixius exhortantes prædictas, quatenus cum, sicut scriptum est, intret mors per fenestras, quæ sunt quinque corporis humani sensus, earumdem fenestrarum aditus Dei timoris, gehennæ formidinis, ipsarum honoris ruinæ vectibus, seris & clavibus firmatæ attentius satagant & cautissime custodire; memores verbi Apostoli dicentis: Sciat unusquisque vestrum suum vas in sanctificatione & honore, non in passione desiderii possidere *&c.* Datum die IV. mensis maji.

Acta alia prædicti Capituli.

Imprimis definierunt & statuerunt definitores præfati, quod futurum Deo dante capitulum nostri ordinis generale fieri debeat in monasterio Urani, reservata tamen auctoritate domino priori, qui de consilio consiliariorum ordinis possit mutare tempus & locum secundum quod *&c.* visum fuerit expedire. Item concesserunt domino priori, quod possit sibi secretarium scriptorem & familiares alios adoptare pro suæ libitu voluntatis, quibus de communi ordinis marsupio quatuor florenorum pro quolibet indumentorum provisio tribuatur. Item commiserunt eidem, quod possit assumere unum dominum cardinalem in negotiorum promotorem cum salario centum Florenorum auri in anno persolvendo de communi ordinis marsupio. Item quod possit ad Romanam curiam procuratorem de ordine mittere, & ibidem & alibi pro ordine advocatos & procuratores assumere, & eisdem salarium constituere, prout negotiorum exegerit qualitas, & eidem domino priori visum fuerit expedire. Item definitores præfati una cum rev. patre domino priore Camaldulensi prædicto imposuerunt collectam florenorum auri DC. in Kalendis novembris proxime venturi solvendam, & deinceps annis futuris singulis Kalendis novembris secundum uniuscujusque ratam extimi persolvendi collectam florenorum auri trium imposuerunt ordini universo ex causis inferius annotatis. Imprimis pro expensis capituli prælibati solitis fulciendis, necnon pro recuperatione monasterii Montis-muri, cui domino priori Camaldulensi præfati definitores illam auctoritatem commiserunt tum super collecta præfata, tum in omni cujuscumque alterius pecuniæ ordini ex quascumque causa debendæ exactione, quæ data sibi fuit in capitulo celebrato.

Item definierunt & statuerunt, quod in sessionibus prælatorum in capitulo generali, non vocabuli titulum, sed monasteriorum extimi quantitas attendatur, salvo jure si quid reperiatur, quod prior monasterii sancti Benedicti de Vivo sedere debeat in loco superiori, quam ipsum deceat, pro sui monasterii extimi quantitate.

Item definierunt, quod ex communi marsupio ordinis provideatur hac vice dumtaxat domno Venturæ abbati monasterii de Candiculis scribæ domini prioris pro suo labore in florenis auri decem; Item octo conversis Camalduli, qui servierunt capitulo, florenis auri quinque.

Item juxta morem nostri ordinis consuetum prælatos & monachos infrascriptos usque in sequens Deo dante capitulum nostri ordinis generale ad infrascripta officia deputarunt, consiliarios in Thuscia abbatem monasterii sancti Zenonis Pisarum, priorem monasterii de Vivo. Ultra alpes abbatem monasterii sancti Hippolyti de Faventia, priorem sancti Damiani Bononiæ. Disgravatores in Thuscia abbatem monasterii de Berardenga; ultra alpes abbatem monasterii Urani. Visitatores in Thuscia & prioratibus adjacentibus abbatem Camalduli-Florentini, & domnum Johannem de Burgo-sancti-Sepulcri priorem claustralem & monachum sancti Michaelis de Burgo Pisarum. Visitatores ultra alpes abbatem monasterii Classensis, & domnum Petrum Foro-liviensem monachum sancti Mathiæ de Muriano. Camerarium ordinis generalis cum salario sex florenorum in anno domnum Benedictum priorem monasterii de Querceto.



INCIPIUNT CONSTITUTIONES DOMNI JOHANNIS CAMALDULENSIS EREMI PRIORIS ET EJUS DEFINITORUM IN CAPITULO VOLATERRANO. ANNI M. CCC. LI.

Ex codice Camaldulensi.

FRater Johannes sacræ Camaldulensis eremi prior & totius ejusdem ordinis generalis venerabilibus fratribus & sororibus abbatibus, prioribus, abbatissis, hospitalariis, ceterisque ecclesiarum rectoribus ejusdem ordinis ac vices gerentibus *Ad lib. LI. n. 1.*

tibus

tibus eorumdem salutem cum benedictione perenni.

Officii nostri debitum, cui per gratiam sedis apostolicæ præsidemus, nos reddit obnoxios, ut ea, quæ per definitores nostri capituli generalis in monasterio sancti Justi de Vulterris nuperrime celebrati fuerint provide definita, executioni debitæ cum exacta diligentia demandemus; & si forsan ex eis aliqua nobis & vobis pariter in privato gravia videantur, pro unico tamen ordinis nostri bono necessarium est & decens, ut ea conemur æquo animo tolerare. Hinc est igitur, quod præfati definitores capituli visis & calculatis oneribus ordinis, & computatis debitis extantibus ad solvendum; consideratisque provisionibus annuis tam in curia Romana, quam alibi fieri opportunis, & conjecturatis expensis dicti capituli generalis, non videntes aliter unde solvi & fulciri possint omnia supradicta, nisi de pecunia collectarum imponendarum generaliter ordini universo, matura deliberatione præhabita definierunt & decreverunt, quod in hoc anno præsenti unam collectam sexcentorum Florenorum de auro distribuendam juxta morem solitum per ordinem universum & solvendam in kalendis mensis novembris proxime subsequentis, & eodem modo annis singulis secuturis usque ad futurum Deo dante generale capitulum. Aliam collectam trecentorum Florenorum auri solvendam in eodem termino anni cujuslibet universaliter imponere ordini & exigere deberemus. Quocirca juxta definitionem providam & necessariam antedictam supradictas collectas, unam videlicet DC. Florenorum de auro solvendam in Kalendis novembris proxime venturis, & aliam collectam CCC. Florenorum auri annis singulis subsequentibus in simili termino Kalendarum novembrium anni cujuslibet persolvendas duximus tenore præsentium universitati totius ordinis imponendas. Et ideo omnes & singulos hoc unico pro tribus & peremptorio monemus edicto, nihilominus vobis & cuilibet vestrum sub excommunicationis pena & interdicti sententia districte præcipiendo mandantes, quatenus vos de provincia Thusciæ & ducatu Spoleti venerabili fratri domno Johanni priori monasterii sancti Michaelis de Arretio; vosque de provincia Romandiolæ, Marchiæ Anconitanæ & partibus ultra Padum venerabili fratri nostro domno Nicolao abbati monasterii de Savignano collectoribus ad hæc specialiter deputatis sortem collectæ DC. Florenorum de auro prædictæ pro rata exstimi monasteriorum vel locorum nostrorum, vos & loca vestra & monasteria contingentem, ac etiam illius quantitatis pecuniæ, quam aliquis vestrum de collectis retentis vel ex alia causa tenentur persolvere ordini, quemadmodum in vestris singulorum cedulis contineri videbitis, in Kalendis mensis novembris proxime venturi solvere integraliter & effectualiter debeatis, & anno quolibet subsequenti usque ad Deo dante futurum nostri ordinis generale capitulum collectoribus iisdem in Kalendis novembris anni cujuslibet sortem collectæ trecentorum Florenorum de auro loca vestra & monasteria contingentem, & illius pecuniæ quantitatis, quam aliquis vestrum de collectis retentis vel ex alia causa tenentur ordini solvere, ut præfertur, quemadmodum in eisdem cedulis contineri videbitis, persolvatis. Alioquin videlicet, si annis singulis in tempore supradicto vel ante, quem terminum vobis omnibus & singulis & vestrum cuilibet pro primo & secundo, ac peremptorio adsignamus, si, quod supra vobis mandatur, non curaveritis adimplere, excommunicationis sententiam, quam in omnes & singulos eo tenore, quo supra dicitur, non solventes trina monitione præmissa omni jure & modo quibus melius possumus, pro tribunali sedentes in scriptis proferimus, vos & vestrum quemlibet, ut præmittitur, non solventem, elapso termino anni cujuslibet supradicto ipso facto volumus, & de termino incursuros, ac ecclesias monasteriorum & locorum vestrorum ecclesiastico subponimus interdicto, ad alias pœnas & sententias tam regulares, quam canonicas processuri, prout cujusque meruerit contumacia & contemptus. Insuper quasdam constitutiones de novo conditas in prædicto capitulo generali sub suis rubricis fecimus infra scribi, mandantes vobis, ut copiam sumi ex eis celeriter faciatis, & in vestris monasteriis in loco publico retineri, ne quis vestrum vel subditorum vestrorum de ipsarum ignorantia valeat excusari; istasque præsentes latori earum illico restituatis illæsas, ut possit eas cæteris præsentare. Has autem nostras patentes literas sigilli nostri officii appensione munitas registrari per ser Johannem notarium nostrum mandavimus ad cautelam, de quarum præsentatione vobis personaliter, vel apud loca vestra fideliter facienda latori earum dabimus plenam fidem. Data & lata in capitulo monasterii sancti Frigdiani de Pisis ejusdem ordinis sub annis Domini a Nativitate M. CCC. LI. die XXI. mense madii.

In-

Incipiunt capitula per ordinem constitutionum domini Johannis generalis.

De gubernatione locorum, in quibus non fit residentia per prælatos. Cap. I.

CUm in jure canonico caveatur expresse, quod ecclesiarum prælati teneantur in suis ecclesiis residentiam facere personalem, ac deservire ipsis ecclesiis per se ipsos; & quidem nostri ordinis prælati nulla necessitate compulsi, sed sua temeraria voluntate sibi commissa monasteria pro derelictis quodammodo relinquentes, domicilia sua faciant in remotis, non absque suæ & subditorum suorum periculo animarum, & enormi monasteriorum ipsorum gravamine expensarum, nos volentes hujusmodi obviare periculis, & locorum indempnitatibus providere, præsenti constitutione decernimus, quod si quis prælatus ex quacumque causa non poterit, sive noluerit in suo monasterio residere, causam, quam detegere debeat domino priori Camaldulensi, & si eidem videbitur causam talem, qua illi prælato sit absentiæ licentia concedenda, tunc idem dominus prior in monasteriis collegiatis cum consilio monachorum conventus, & in monasteriis manualibus cum consilio capituli eremi decernere debeat, quantum dictus prælatus a suo monasterio absentandus, sit de bonis hujusmodi monasteriis absentiæ suæ tempore recepturus, dictusque prælatus ea maneat portione contentus, quam dominus prior præfatus dicto modo sibi duxerit ordinandam, illudque monasterium per vicarium gubernetur, quem dominus prior modo sibi præmisso voluerit ordinare. Si quis autem prælatus a suo monasterio se aliter absentare præsumpserit per modum videlicet, quod non faciat residentiam in eodem, sed alibi fecerit domicilium, ut præfertur, per dominum priorem Camaldulensem admonitus, & obtemperare contemnens, ab administratione spiritualium & temporalium suspendatur usque ad sequens capitulum generale, qua suspensione durante, si temere administrare præsumpserit, privationis pœnam poterit non immerito formidare.

De vocando & expectando dicto priore Camaldulensi ad vacantia monasteria. Cap. II.

QUamvis de consuetudine approbata dominus prior Camaldulensis a conventibus monasteriorum vacantium, antequam ad actum aliquem procedatur, debeat evocari, ut electioni futuri prælati præsit & intersit, prout ad officium suum spectat, tamen quia contrafacientibus per constitutiones editas non infligitur ulla pœna, propter quod contingit interdum, quod ad electionem seu supplicationem futuri pastoris per aliquos, non vocato vel non expectato domino priore Camaldulensi prædicto vel ejus vicario temere procedatur, nos talium ausibus obviare volentes, & etiam domini prioris Camaldulensis auctoritatem & officium in suo robore conservare, statuimus, quod dum aliquod monasterium ordinis, ad quod per electionem consueverit prælatus adsumi, vacare contigerit, per nuntium specialem cum literis conventus illius monasterii dominus prior Camaldulensis debeat evocari, ac etiam usque ad terminum canonicum expectari. Qui dominus prior per se ipsum, vel per suum vicarium ad monasterium illud vacans accedere teneatur, ipsius tamen vacantis monasterii sumptibus & expensis, prout dudum in generali capitulo celebrato in monasterio Camalduli-Florentini fuisse dignoscitur constitutum, & electioni seu supplicationi futuri pastoris interesse debeat more solito & præesse. Quicumque vero monachus prædicto domino priore Camaldulensi, ut præmittitur, non vocato, canonico spatio temporis non expectato, ad actum aliquem electionis, supplicationis vel nominationis futuri prælati procedere quoquomodo præsumpserit, ipso facto omni actu legitimo sit privatus; ita quod vocem in capitulo activam vel passivam nullam penitus habeat, & sit inhabilis ad quæcumque ecclesiastica beneficia obtinenda, usquequo auctoritate capituli generalis meruerit dispensationis beneficium obtinere, & nihilominus omnis electio, supplicatio & nominatio taliter attemptata auctoritate præsentis constitutionis sit irrita & inanis.

De non recipiendo absque licentia in monasterio monialium novitias monachandas. Cap. III.

AD quarumdam monasteriorum nostri ordinis abbatissarum & monialium proterviam compescendam, quælibet fi... in constitutionibus nostris esse cautum, ut nullam recipere valeant pro novitia monachanda sine domini prioris Camaldulensis licentia speciali, tamen pro eo quod pœna transgressoribus non taxatur, venire contra constitutionem hujusmodi parum curant, constituimus & firmamus, quod quæcumque abbatissa non petita primitus & obtenta licentia a domino priore prædicto aliquam cujuscumque conditionis

tionis existat, receperit pro novitia monachanda, ab administratione sui officii per unum annum integrum sit suspensa, & nihilominus, quæ sic recepta fuerit, per dictum dominum priorem Camaldulensem vel visitatores, qui ordinem visitabunt, de monasterio penitus expellatur.

De ludo ad taxillos, & quolibet alio prohibito vitando. Cap. IV.

QUam sit grave periculum & abominabile vitium in personis monasticis ludere ad taxillos, seu alium ludum illicitum, clericis etiam secularibus interdictum, in nostris mentibus revolventes, ac volentes, quantum sit nobis possibile providere, ne nostri ordinis professores hujusmodi vitio maculentur, hac nostra constitutione perpetuo valitura sancimus, quatenus de cetero nulla ordinis nostri persona cujuscumque status & conditionis existat, ad ludum aliquem cum taxillis, seu alium ludum clericis a jure prohibitum, in quo perdatur pecunia vel vincatur, ludere quavis occasione præsumat. Quicumque vero hujus nostræ constitutionis temerarius violator extiterit, si prælatus fuerit, librarum XII. Pisanarum, si vero subditus, integræ suæ provisionis unius anni pro quacumque vice, qua luserit, pœnam incurrat. Quam pœnam dominus prior Camaldulensis vel visitatores ordinis visitando exigere ab ipsis lusoribus teneantur in reparationem cellarum Camaldulensis eremi convertendam.

De pœna prælatis adjecta, qui novitios monachaverint ante annum. Cap. V.

IN quarto libro Constitutionum de Moribus cap. XII. continetur, quod qui novitium aliquem monachandum ante completum probationis annum præsumpserit monachare, proximiorem quadragesimam teneatur suis expensis in eremo Camaldulensi peragere, & qui taliter monachatus ad observantiam novitiatus & habitum per unum annum integrum reducatur. At quidam prælati ordinis non minores quærentes placere hominibus plusquam Deo, & suæ prudentiæ innitentes, & recipiendo aliquos minus caute, & eos incautius monachando constitutionem præmissam notorie contempserunt, in talium receptorum ac ipsorum recipientium grave periculum animarum. Unde pro pace ordinis conservanda sub certa forma dispensavimus ista vice cum hujusmodi receptoribus & receptis; verum ut a similibus eo cautius abstineatur ab omnibus, quo proinde periculosius se agnoverint irretiti, prænotatæ constitutioni adjicimus, quod quicumque contra eamdem causam de cetero venerit & non fecerit, quod mandatur fieri per eamdem, per tres menses immediate sequentes post quadragesimam, quam in eremo facere tenebatur, ab administratione spiritualium, & temporalium sui monasterii sit suspensus.

De indumentorum provisionibus de cetero monachis faciendis. Cap. VI.

POrrectis nobis petitionibus monachorum cum debito moderamine annuentes, super eorum vestimentorum annua provisione crescenda, volumus & mandamus, quatenus deinceps, a festo videlicet sancti Michaelis proxime subsequentis in antea prælatus quilibet nostri ordinis teneatur cuilibet monacho sacerdoti pro rata temporis, quo morabitur sub eodem, ad rationem quinque Florenorum in auro in pannis laneis & calciamentis dumtaxat, & nequaquam in pecunia providere, aliis vero monachis extra sacerdotium constitutis ad rationem quatuor Florenorum in anno fiat provisio pari modo. Si tamen monachus hujusmodi provisione non habita ad aliud monasterium transferatur, liceat eo casu prælato provisionem debitam in pecunia semper dare, quam ille monachus consignare prælato, ad quem mittitur, integre teneatur, quod si statim consignare omiserit, provisione unius anni sequentis immediate irrevocabiliter sit privatus. Prælatus quoque, qui aliter, quam dicitur superius, alicui suo monacho providerit, ad sui confusionem voce careat in proximo subsequenti capitulo generali, super quibus visitatores ordinis visitando inquirere teneantur, & pœnam indicere transgressoribus prætaxatam.

De pœna commutata contra ferentes arma & vestes inordinatas. Cap. VII.

QUum contra quosdam temerarios & effrænes in generali capitulo in monasterio de Berardinga anno Domini a nativitate M. CCC. XXXII. de mense madii celebrato, fuerit discretione provida constitutum de vestimentis & calciamentis inordinatis, atque armis ulterius non ferendis, ut ipsa laudabilis & honesta provisio in suo robore perseveret, absque tamen . . . . . de facili periculo animarum, statuimus & firmamus, ut eadem constitutio contrafacientes non solum ad excommunicationis sententiam adstringat, sed a ferentibus quibuscumque hujusmodi ve-

vetita per ipsorum prælatos protinus auferantur, super quo per visitatores ordinis diligenter inquiri volumus & mandamus, ut tam subditos pro sua temeritate portandi vetita supradicta, quam prælatos pro negligentia auferendi, taliter puniant & castigent, quod pœna talium ceteris transeat in exemplum.

De tenendo monacho idoneo ad docendum in monasterio Fontis-boni. Cap. VIII.

. . . .
. . . monachos juvenes ac novitios monachandos divinum officium & ceremonias regulares de personis talibus, qui videntur in eo quodammodo defecisse, valeat reflorere, definimus & volumus, quod unus monachus ad hæc aptior in monasterio Fontis-boni de cetero teneatur, qui fratres hujusmodi sub ejus magisterio deputandos instruat, & informet in divinis officiis, & regularibus observantiis, ut præfertur. Cui quidem monacho annuatim in VI. Floren. auri de communi ordinis marsupio debeat provideri, sitque licitum cuique nostri ordinis comprælato suos monachos ignorantes ac novitios monachandos mittere ad præfatum monasterium Fontis-boni fideliter instruendos a monacho prælibato, dummodo ad rationem solidorum quadraginta in mense pro quolibet domui Camaldulensi pro sumptibus vitæ tantum discretione prævia recompenset.

De procuratione pecuniaria visitatoribus ordinis exhibenda. Cap. IX.

AD extenuandas expensas communes ordinis dirigentes nostræ considerationis animum, decernimus, quod visitatores ordinis, qui pro tempore loca ordinis visitabunt, a quolibet monasterio de majoribus peracto visitationis officio exigant procurationis nomine solidos quadraginta Pisanæ monetæ; a quolibet vero de mediocribus solidos XXV. & de minoribus sol. XII. & non ultra, pro ipsorum expensis itineris fulciendis, ita quod ulterius ordo noster pro eis in genere non gravetur. Si vero, quod absit, aliquis de prædictis visitatoribus amplius, vel aliud petere seu recipere quovis quæsito colore præsumpserit, eumdem ad visitationis officium perpetuo judicamus inhabilem, & prælatum plus vel aliud exhibentem ad solvendum ordini quadruplum ejus, quod dederit, hac nostra condemnamus. Ut autem, quæ sint majora, mediocria vel minora ordinis nostri monasteria nullus valeat hæsitare, declaramus hæc debere intelligi majora monasteria in hoc casu.

Majora monasteria intelliguntur & judicantur hæc proxime infrascripta. Cap. X.


MOnasterium Vangaticiense, monasterium Classis, monasterium Urani, monasterium sanctæ Helenæ, monasterium sancti Hippolyti Faventiæ, monasterium sanctæ Christinæ Bononiæ, monasterium sancti Mathiæ de Murano, monasterium sanctæ Christinæ de Tarvisio, monasterium de Berardenga, monasterium Camalduli Florentini, monasterium sancti Zenonis Pisarum, monasterium sancti Michaelis Pisarum, monasterium de Vulterris, monasterium de Vivo, monasterium de Rota, & monasterium de Burgo-sancti-Sepulcri.

Mediocria vero monasteria intelliguntur & judicantur hæc proxime infrascripta. Cap. XI.

MOnasterium de Puteolis, monasterium sancti Frigdiani de Pisis, monasterium de Cantignano, monasterium de Cintorio, monasterium de Morona, monasterium de Cereto, monasterium de Luco, monasterium de Candiculis cum hospitali, monasterium de Prato-veteri, monasterium de Diciano, monasterium Anglarense, monasterium sancti Michaelis de Arretio, monasterium de Serra sancti Quirici, monasterium de Mandriolis, monasterium Aquæ-perellis, monasterium de Savignano, monasterium sancti Petri ad Vincula, monasterium sancti Salvatoris de Foro-livio, monasterium Insulanum, monasterium sancti Damiani Bononiæ, monasterium sancti Michaelis de Venetiis, monasterium sancti Viti de Vincentia, & monasterium Camaldulini de Verona. Omnia vero alia de minoribus censeantur.

Lectæ & publicatæ fuerunt suprascriptæ constitutiones in capitulo monasterii sancti Justi de Vulterris ejusdem ordinis per suprascriptum domnum Silvestrum definitorem capituli suprascripti de voluntate aliorum suprascriptorum definitorum ibidem præsentium, ac præsente, consentiente & ratificante rev. patre domno Johanne priore Camaldulensi prædicto, necnon præsentibus & audientibus domnis Justo abbate monasterii sancti Justi prædicti, Johanne Perusino priore monasterii sancti Savini de Chio, Laurentio monacho monasterii sancti Mathiæ de Murano, Johanne monacho monasterii sancti Zenonis Pisarum, & aliis pluribus ad

hæc vocatis testibus & rogatis, sub anno Domini M. CCC. LI. die VI. mensis madii.



CONSTITUTIONES DEFINITORUM ANNI M. CCC. LX.

Ex codice Camaldulensi.

ANno M. CCC. LX. indictione XIII. die XIX. junii per ven. viros domnos Gualterium sancti Michaelis de Pisis, Antonium sanctæ Mariæ de Urano monasteriorum abbates, Dionysium sanctæ Mariæ de Poplena & Angelum sanctæ Mariæ de Balneo monasteriorum priores, Severum de Campsa Majorem, & Nicoluccium de Faventia sacristam eremitas sacræ Camaldulensis eremi definitores capituli generalis una cum rev. in Christo patre domno Johanne sacræ Camaldulensis eremi priore & totius ordinis Camaldulensis generali sequentes constitutiones conditæ fuerunt scriptæ per me notarium Petrum.

Imprimis dicti definitores a Dei sanctuario inchoantes ordinaverunt, quod de cetero festum sanctissimi Romualdi institutoris ordinis prælibati cum sollemnitate plenissima debeat celebrari per ordinem universum, & *Credo* in Missarum sollemnia decantetur. Et quod de Translatione corporis sanctissimi patris nostri Benedicti per universum ordinem plena sollemnitas celebretur, quæque celebrari debeat XI. mensis julii.

Item, quod in omnibus sollemnitatibus plenissimis atque plenis dicantur in primis Vesperis antiphonæ quatuor de historia propria, prout in secundis Vesperis observatur, dummodo dies præcedens fuerit ferialis.

Item, quod inter suffragia, quæ fiunt in Laudibus & Vesperis juxta morem, deinceps in loco penultimo commemoratio de Pace fieri debeat in hunc modum; dicatur namque antiphona: *Da pacem Domine &c.* cum ℣. *Fiat pax*, & oratio: *Deus, a quo sancta &c.* quæ omnia reperiuntur in libris.

Item, quod in festo trium lectionum dicatur post Invitatorium hymnus pertinens ad festum, & tres antiphonæ de festivitate cum psalmis ferialibus consuetis; cetera vero fiant, sicut est hactenus observatum.

Item ut dictus ordo universali ecclesiæ longe lateque diffusæ congrue se concorder, ac etiam repræsentet matrem Crucifixi per diram filii sui mortem fuisse diro doloris gladio vulneratam, ordinavere, ut in diebus Cœnæ-Domini, Parasceves & Sabbati sancti usque ad Nonam inclusive in ecclesia conventualiter officium beatæ Virginis non dicatur, sed quilibet apud se privatim & devote nihilominus ipsum officium dicere teneatur. Item, ut officium sanctæ Trinitatis solitum fieri in Dominica proxime præcedenti primam Dominicam de Adventu a præsenti anno in antea fieri debeat in prima Dominica post festum Pentecostes, quæ præcedit officium Corporis Christi festivitat.. & subsequenter dicantur omnia de officio Trinitatis usque ad primas Vesperas dictæ sollemnitatis, adjungendo ad Responsoria & Antiphonas *Alleluja*, & ritum in ceteris observando, quæ in festo Pentecostes & in ejus octava per ordinem observatur.

Item, quod Præfatio de Cruce incipiatur in Missa dominicæ, & quotidie continuetur usque ad feriam v. Cœnæ Domini, prout observat sancta Romana ecclesia mater nostra.

Item ad ambiguitatem totaliter auferendam, quod de *Credo* in octava Virginis gloriosæ dicendo vel non, in ordine usque ad præsens viguit inter multos, declaraverunt definitores prædicti, quod dici de cetero debeat, sicut per octavas Nativitatis, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes ubilibet observatur.

Item ut omnis reverentia Matri Domini, sicut decet per omnes de ordine impendatur, definierunt, ut ammodo omnes reverentiæ & inclinationes, quæ in officio regulari fieri debent, deinceps etiam fiant in officio Virginis gloriosæ, non mutando aliquid de hiis, quæ in prædicto officio Virginis præsentialiter in ordine observantur.

Item acceptaverunt omnes & singulas constitutiones & reformationes anno Domini nostri M. CCC. LVI. de mense aprili per rev. in Christo patrem dominum Andream Ariminensem episcopum visitatorem in Thuscia auctoritate apostolica deputatum, præcipue reformationem provisionis indumentorum annuæ exhibendæ . . . videlicet continentur pro monachis sacerdotibus de VI. florenis auri, aliis constitutis in sacris ordinibus de quinque, ceteris vero monachis & conversis de quatuor a futuro festo sancti Michaelis in antea in annis singulis debeat provideri; & de officialibus habendis in monasteriis, ac de ratione per prælatos domino priori vel visitatoribus ordinis prædicti reddenda secundum formam

mam in dictis constitutionibus declaratam.

Item quod nullus monachus vel conversus, qui fuerit in eremo Camaldulensi conventualiter residens, vel in monasterio sanctæ Mariæ de Angelis (*Florentiæ*) vel in monasterio sancti Mathiæ de Muriano & suis membris, vel in monasterio sanctæ Mariæ de Rosis de prope Senas, qui vitam eremiticam & reclusionem aliqualiter ab aliis monasteriis ordinis dissimilem ducunt, ad scandala evitanda, quæ præcede .... formidari in futurum possent, valeat ad alia nostri ordinis monasteria quomodolibet transferri, & ad aliquod officium vel beneficium nostri ordinis evocari.

Item ut rigor monasticus & observantia regularis in dicto ordine conservetur, definierunt, quod hinc ad triennium sequens capitulum generale celebrari debeat in monasterio Urani, nisi novus casus, quod absit, evenerit, qui dictum capitulum in dicto loco vel in dicto termino fieri forsitan impediret, in quo casu dominus prior cum consilio infrascriptorum consiliariorum ordinis capitulum prælibatum valeat convocare ad locum alium, & illo tempore, quo suæ discretioni videbitur expedire.

Item, quod rev. pater dominus Franciscus de Tuderto Dei gratia titulo sancti Marci presbyter cardinalis retineatur pro ejusdem ordinis Protectore.

Item quod dominus Albericus de Placentia in Romana curia pro advocatore cum salario annuo florenorum auri X. & magister Guido de Arretio pro procuratore in audientia cum salario annuo florenorum auri IV. debeant retineri.

Item quod Iohannes Calderini in civitate Bononiæ, & domnus Lapus abbas monasterii sancti Miniatis in civitate Florentiæ retineantur pro consultoribus ordinis cum salariis consuetis.

Item quod ser Matthæus de Bononia in civitate Florentiæ retineatur pro procuratore ordinis cum salario consueto, & quod dominus Petrus doctor decretorum, & dominus Philippus doctor legum filii domini Thomasi Corsini de Florentia pro advocatis ordinis assumantur cum salario moderato, prout domino priori videbitur.

Item ordinaverunt, quod dominus Thomas de Arretio in Romana curia procurator in dicto officio cum salario florenorum LXX. in anno debeat remanere.

Item ordinaverunt visitatores citra alpes, videlicet in Thuscia, & in ducatu vallis Spoleti domnum Silvestrum abbatem monasterii sancti Zenonis de Pisis, & Bartholum de Senis priorem claustralem monasterii sancti Michaelis de Pisis; & ultra alpes videlicet in Romandiola, & in partibus ultra Padum & in marchiis Anconitana & Tarvisiana domnum Nicolaum abbatem monasterii de Savignano, & domnum Johannem de Cæsena monachum monasterii de Urano, & quod dictis visitatoribus pro expensis, dum visitaverint, de communi marsupio omnibus provideatur.

Item ordinaverunt citra alpes consiliarios dominos abbates monasterii de Burgo-sancti-Sepulcri & monasterii sancti Bartholomæi de Anglari.

Item consiliarios ultra alpes dominos abbates monasterii sanctæ Helenæ, & monasterii de Insula. Disgravatores citra alpes dominum abbatem de Rota, ultra alpes dominum abbatem sancti Hippolyti de Faventia.

Item domnum Benvenutum secretarium domini prioris usque ad sequens capitulum generale, & quod de alia familia dictus dominus prior valeat providere pro suo libito voluntatis.

Item imposuerunt collectam sex florenorum auri pro expensis prædicti capituli generalis, & annuatim tres usque ad aliud capitulum generale.

Item constituerunt camerarium generalem ordinis priorem monasterii sanctæ Mariæ de Angelis (*Florentiæ*), qui per se vel per alium ei subditum dictum officium debeat exercere cum consueto salario sex florenorum auri annuatim.

Item lectæ fuerunt constitutiones in capitulo Fontis-boni, præsentibus domnis Marco subpriore dicti monasterii Fontisboni, ac Benedicto de Florentia capellano monasterii de Prato-veteri, Bartoluccio sancti Zenonis de Vulterris, Benedicto Jacobo sancti Mathiæ de Muriano die XXI. junii.

Item quod procuretur in Romana curia solita renovatio privilegii generalis.

Item quod nullus prælatus debeat emere prædium ultra domum extra districtum diœcesis, nisi prius licentiam obtinuerit.

Item confirmaverunt omnes constitutiones factas per domnum Gualterium sanctæ Christinæ de Bononia anno M. CCC. LVIII.

Item definierunt quod frater Marcus de Insula (*alia lectio* de Clugia) conversus recipiatur pro monacho, & pro tali reputetur.

Item dederunt potestatem domino prio-

ri generali prædicto recipiendi & incorporandi ad ordinem nostrum abbatiam & conventum de Monte-fano cum omnibus suis membris, & monasterium de Buggiano Lucanæ diœcesis, monasterium de Vincareto cum omnibus membris suis, monasterium de Vergareta, monasterium Cellæ de Monte-pario, & de Agnano, & recuperationem jurium monasterii monialium sancti Thomæ de Arretio alienata ab ordine.

Item dominus prior teneatur arctare prælatos Arretinæ diœcesis ad residendum in eorum monasteriis, & maxime abbatem sancti Viriani habentem curam animarum.

Item definierunt, quod in monasterio de Vivo ponatur unus officialis, qui cum priore dicti monasterii intendat ad reparationem ejusdem monasterii & bonorum.

Item quod dominus prior cum duobus discretis debeat de novo facere extimum omnium monasteriorum ordinis.

Item quod in monasterio de Classe teneatur ordo datus per dominum priorem anno proximo præterito, quousque omnia debita dicti monasterii sint absorpta, & quod dictus abbas debeat facere moram suam in dicto monasterio Classis, seu in loco de Gagio, seu alibi extra civitatem Ravennam.

Item quod dominus prior committat abbati de Savignano, quod assignet Gorzolino, qui debet recipere florenos auri LXX. & staria LXX. frumenti, & dominæ Minæ Gibræ, quæ debet recipere libras CLXXXI. & staria XLV. frumenti, aliquam possessionem monasterii Classis, quousque de fructibus eis sit integre satisfactum, usuris cessantibus. Et quod dominus prior provideat, quod abbati sancti Theonisti a monasterio Classis restituantur libræ CLXXXV.

Item quod monasterium sanctæ Helenæ de Æsino non cogatur ad collectas antiquas usque ad X. annos proxime futuros, deinde teneatur ultra collectas ordinarias imponendas florenos auri quinque solvere annuatim.

Item quod monasterium Urani non cogatur aliquid solvere de collectis debitis toto tempore, quod dictum monasterium datum fuit in commendam domino Aymerico cardinali, & duobus annis, quibus occupatum tenuit dominus Franciscus de Ordelaffis monasterium antedictum, quæ omnia ascendunt ad summam florenorum auri CXLII.

Item quod dominus prior committat domno Angelo priori sanctæ Mariæ in Balneo cum mandato substituendi personam ordinis dumtaxat per censuram ecclesiasticam & alia juris remedia debeat exigere collectas retentas non solutas & imponendas juxta ordinationem sibi dandam per dominum priorem prædictum, & de pecunia, quam exigere ipsum contigerit, habeat & habere debeat pro qualibet libra solidos duos. Pecunia vero taliter exacta convertatur in restitutionem præstantiæ impositæ tempore bonæ memoriæ domini prioris Bonaventuræ.

Item quod domnus Ambrosius de Fighino non obstante privatione de eo facta per abbatem sancti Justi Volaterrarum de ecclesia sancti Marci, remaneat bonæ famæ & habilis ad quodcumque beneficium acceptandum, & propter augmentum bonorum temporalium per ejusdem domni Ambrosii industriam ampliatorum prior sancti Marci, qui nunc est, vel pro tempore fuerit, teneatur dare prædicto domno Ambrosio annuatim in festo sancti Michaelis septembris, ubicumque fuerit, florenos auri sex, quousque dictus domnus Ambrosius aliud ecclesiasticum beneficium fuerit assecutus, & abbas sancti Michaelis de Pisis determinet omnes quæstiones, quæ sunt & esse possent inter dictum dominum abbatem sancti Justi sive priorem sancti Marci & dominum Ambrosium antedictum.

Item quod ut secularium strepitus evitetur, diebus tribus, quibus nostri ordinis generale capitulum celebratur, in mensa non serviant aliqui seculares, sed personæ nostri ordinis juxta antiquam & laudabilem consuetudinem ad cuncta servitia deputentur.

Item quod dominus prior possit recipere quatuor professos cujuscumque ordinis non mendicantium, dummodo suorum habeant licentiam prælatorum. Similem concessionem de duobus fecerunt abbati sancti Michaelis Pisarum.

Item quod prior dictus possit dispensare cum domno Donato abbate monasterii sancti Petri in Vincula, dummodo in obedientia & reverentia perseveret, non obstante definitione facta in contrarium in proximo præcedenti capitulo generali in monasterio de Balneo celebrato.

Item quod abbas de Savignano collectas ordinis contingentes monasterio Classis solvere debeat de bonis dicti monasterii, quæ pervenerint ad manus suas.

Item quod de communi pecunia ordinis, quæ supererit, fulcitis expensis necessariis usque ad aliud capitulum generale, habere debeat dictus prior annuatim

tim pro sua provisione & suæ familiæ florenos auri centum.

Item quod eremitæ sanctæ Camaldulensis eremi laudabiles constitutiones dicti loci debeant exacta diligentia observare tam in dando, quam in recipiendo, & quod dominus prior debeat eos semper corrigere delinquentes, ceteras autem constitutiones per visitatores proxime præteritos cassaverunt.

Item quod domnus Andreas prior sancti Mathiæ de Muriano ultra alpes, & domnus Dionysius prior Poplenæ citra alpes debeant omni anno & sæpius visitare, corrigere &c. monasteria monialium, & in eis ordinare clausuram & alia, quæ auxilio noverint indigere.

Item quod quatuor infrascripti prælati, videlicet domnus Gualterius sancti Michaelis Pisarum, Nicolaus sancti Benedicti de Savignano monasteriorum abbates, Dominicus sanctæ Mariæ de Angelis de Florentia & Angelus sanctæ Mariæ de Balneo monasteriorum priores provideant una cum domino priore Camaldulensi super factis & negociis ordinis, cum potestate & pleno mandato qu.. juxta formam traditam in capitulo generali in monsterio sancti Hippolyti de Faventia celebrato anno M. CCC. XLVII. mutatis mutandis, & quod dominus prior possit disponere &c. cum duobus, prout statui ordinis putaverit expedire.

Datum anno ut supra, die XXVII. junii, præsentibus domnis Marco subpriore Fontis-boni, Benedicto de Florentia & Benvenuto de Bononia, manu Petri notarii.



ACTA CAPITULI GENERALIS IN MONASTERIO S. HIPPOLYTI DE FAVENTIA ANNO M. CCC. LXVI.

Ex regesto Camaldulensi.

ANno M. CCC. LXVI. indictione IV. domino Urbano papa V. die XXIX. madii in choro ecclesiæ in monasterio sancti Hippolyti Faventiæ, convocatis per domnum Johannem priorem sanctæ Camaldulensis eremi &c. inquisitis votis omnium electi fuerunt in definitores dicti capituli domni Johannes abbas de Vangadicia, Michael abbas Classensis, Johannes abbas Camalduli Florentini, & Jacobus abbas sancti Michaelis de Pisis, qui una cum domino priore prædicto, & domnis Nicoluccio & Cæsario eremitis elegerunt in judices prædicti capituli ad jus reddendum &c. domnos Michaelem abbatem sancti Petri de Cerreto & Paulum priorem sancti Petri de Montesilicis, & pro ipsorum notario domnum Augustinum monachum sancti Petri de Vivo &c.

Die ultima dicti mensis declaraverunt &c. quod rev. pater & dominus Johannes tituli sancti Marci presb. card. pro ordinis nostri protectore detineatur in Romana curia, & in casu mortis, vel quod nollet dictum officium exercere, præfatus dominus prior provideat &c. & quod possit etiam in Romana curia, quam alibi, advocatum & procuratorem constituere, amovere & alios subrogare, prout ei expedire videbitur; ita etiam de procuratore prælato vel monacho in dicta curia; & quod prædictus prior possit residere, ubi videbitur, ac sibi eligere secretarium, scriptorem, tabellionem & aliam familiam, quam sibi placebit discretione prævia. Deinde dominus prior juxta morem constitutionum ordinis commendavit orationibus omnium papam, reges, imperatorem &c. pro mortuis orationem &c. absolutionem omnibus impertivit &c. & *Te Deum* cantato prælatos licentiavit benedicens perseverantibus &c. anathematizans rebelles &c.

Die VI. junii concesserunt prædicto domino priori, quod possit religiosos alterius ordinis, qui transire licite possint, recipere, & aliis nostri ordinis prælatis licentiam exhibere. Idem concesserunt abbati Vangaticiæ usque ad sex tantum religiosos, & abbati Camalduli Florentini pro XII. & simile abbati sancti Michaelis Pisarum, & abbati de Candiculis pro sex.

Item concesserunt prædicto domino priori Camaldulensi, quatenus possit quæcumque loca oblata vel offerenda ordini nostro, & nominatim locum de Vincareto recipere cum suis membris & conventionibus, quæ videbuntur eidem priori, & de communi marsupio ordinis pecuniam pro agendis præmissis expendere pro suæ libito voluntatis &c.

Item quod dominus prior ordinis nostri tam generalium, quam specialium privilegiorum debeat renovationem a sede apostolica procurare expensis communibus, quibus etiam procuret literas perpetuas ad absolvendum omnes fratres nostri ordinis a quacumque sententia canonis non reservata papæ & super irregularitate exinde proventa dispensandum. Ac etiam generalem licentiam, quod non obstante sacramento per prælatos ordinis nostri in Romana curia præstito domino nostro papæ possit in alienationibus

nibus & permutationibus utilibus licentiam prælatis prædictis dare &c.

Item concesserunt domino abbati Camalduli Florentini, quatenus fratrem Benedictum conversum suum ad monachalem professionem recipere valeat; ac commiserunt dominis abbati sancti Michaelis Pisarum, & priori sanctæ Mariæ de Angelis Florentiæ, & Benvenuto priori sancti Laurentini, quod dubia circa divina officia per eos debeant declarari succincte, ut possint mitti per ordinem literæ.


Item dominus prior præcipiat abbati Uranensi reparationem sui monasterii ad ruinam declinandam. Item ut dominus prior statim provideat monialibus nostris sancti Salvatoris Foro-livii manentibus in aliquibus domibus indecentibus & sine debita clausura, de sancto Johanne Foro-livii dicti ordinis vel de alio congruo loco, ne ordo noster scandalum verisimiliter formidandum patiatur &c.

Item concesserunt abbatibus sancti Salvatoris Camalduli Florentini & sancti Michaelis Pisarum, quod quasdam societates & alios honestos viros bonorum omnium spiritualium nostri ordinis participes faciant.

Item concesserunt dominæ Neræ moniali sancti Mamiliani Senensis, quod omnia mobilia & immobilia ad usum suum pertinentia dimittere valeat cuicumque moniali sive conversæ dicti mouasterii in vita sive in morte, & cum sit in decrepita ætate constituta, deputetur ei una conversa vel commissa per abbatissam pro servitio suæ senectutis decrepitæ &c.

Item cum in ordine universo tam propter plurium epidemiarum pestem, tam etiam nonnullorum prælatorum negligentiam in monasteriis ordinis adeo monachorum numerus sit diminutus, quod vix nedum pro conventibus, verum etiam nec pro beneficiis non sine gravi mærore loquentes monachi reperiri valeant, ob quod non reformatur, sed potius deformatur &c. definierunt, quod dominus prior Camaldulensis in monasteriis nostri ordinis secundum ipsorum facultates taxet numerum monachorum, cogatque prælatos per censuram ecclesiasticam ad tenendum in ipsis monasteriis numerum sic taxatum, ne ad collapsum, quod verisimiliter formidatur, ordo, quod absit, deveniat; & qui hoc neglexerint, mulctentur pro quolibet monacho seu novitio deficiente in florenis XII. auri, quorum dimidium in reparationem sive augmentum monasterii prælati mulctati, & aliud in reparationem sanctæ Camaldulensis eremi; & generales visitatores de hoc inquirant, & delinquentes puniant.

Item cum secundum antiquas Constitutiones ne dum in ordine prælati aliquid proprium a corpore monasterii mobile vel immobile quoad usum suum habeant seu habere debeant separatum, sed nedum cameram privatam sine speciali licentia prioris Camaldulensis habere possunt, ut in II. libro Constitutionum de Moribus cap. XVIII. definierunt, quod quemadmodum monachi de iisdem ad usum concessis inventarium semel in anno singulo facere tenentur, & suis dare prælatis, ita prælati de quibuscumque vel uniuscujusque proventu toti conventui idem faciat, & prævaricatores per priorem Camaldulensem, sive per visitatores ordinis puniantur. &c.



ACTA CAPITULI GENERALIS CELEBRATI ANNO M.CCC.LXXII. IN MONASTERIO S. MICHAELIS IN BURGO PISARUM.

Ex regesto Camaldulensi.

ANno M. CCC. LXXII. die XXVII. junii indictione X. sanctissimo patre domino Gregorio papa XI. Convocato generali Capitulo per literas rev. patris domini Johannis sanctæ Camaldulensis eremi prioris &c. & congregatis abbatibus &c. in choro ecclesiæ monasterii sancti Michaelis de Burgo Pisano &c. electi sunt definitores domni Antonius abbas de Vangaticia, & Mercurialis prior sancti Mathiæ de Muriano, Justus abbas Volaterrarum, ac Franciscus prior sanctæ Trinitatis de Perusio, una cum Romualdo Majore & Johanne eremita eremi Camaldulensis &c. Post hæc suprascripti definitores de ecclesia egredientes ad locum quotidiani capituli in claustro se traxerunt, & deliberatione præhabita inter eos elegerunt in judices dicti capituli domnum Petrum de Nocerio priorem sanctæ Mariæ de Poplena, & Andream priorem Camaldulini de Bononia &c.

Imprimis die penultima mensis maji convocatis prælatis omnibus de mandato &c. dominus prior Camaldulensis publicavit infrascriptas constitutiones, quas in scriptis habebat, videlicet:

Quod juxta jura canonica & constitutiones nostri ordinis sequens capitulum generale hinc ad triennium in die sancti Michaelis mensis maji apud monasterium sancti Apollinaris debeat celebrari, mandantes

dantes omnibus tam præsentibus, quam absentibus vocem habentibus &c. ut in prædicto die & non ante in præfato loco conveniant.

Quod visitatores in hoc triennio semel tantum ordinem visitent, nisi a domino priore Camaldulensi aliter eis impositum fuerit &c.

Item quod per dictum priorem tunc publice admoneri deberent omnes, quatenus divinum officium dicere integraliter & continue non obmittant, & quod die noctuque retineant habitum monachalem. Qui dominus prior ita pronuntiavit sub pœna inhabilitatis ab omni actu legitimo, & mandavit prædicta deberi ab omnibus inviolabiliter observari.

Item quod rev. pater dominus Petrus tit. sancti Laurentii in Damaso presbyter cardinalis pro ordinis præcipuo protectore assumatur, & super hoc patentes literæ dirigantur.

Item quod Major eremi cum eremitis apertis valeat dispensare, quod hyemis tempore, quando suæ discretioni videbitur propter intolerabile frigus, officium mortuorum de nocte in choro dicere non cogantur, sed unusquisque in cella sua illud dicere non obmittat.

Item quod antiqua constitutio ordinis, qua cavetur, ut monachi ordinis Vallisumbrosæ & sanctæ Crucis de Avellana declinantes ad monasteria ordinis recipiantur in refectorio & in choro, ac si nostræ congregationis existerent, deinceps in Camaldulensi eremo, sicut in aliis monasteriis ordinis observetur.

Item suaserunt domino priori Camaldulensi, quod sicut antiquitus fieri consuevit, Breviferarium habere provideat, qui per loca ordinis nostri & duorum ordinum prædictorum deferat annuatim Brevia mortuorum.

Item approbaverunt ordinationes factas in generali capitulo Fontis-boni circa divinum officium, salvo quod de translatione corporis beatissimi Benedicti voluerunt, quod deinceps nullum celebraretur officium, nec in festis trium lectionum dicantur in primo nocturno hymnus & antiphonæ de festo, sed tantum feriales, prout prius fieri consuevit.

Ego Leonardus notarius &c.



ACTA CAPITULI GENERALIS VANGATICIENSIS ANNI M. CCC. LXXVIII.

Ex regesto Camaldulensi.

ANno M. CCC. LXXVIII. indictione I. die XVIII. octobris sanctissimo patre & domino Urbano papa VI. convocato per literas ven. patris domni Johannis sanctæ Camaldulensis eremi & totius ordinis generalis prioris generali capitulo in choro ecclesiæ monasterii sanctæ Mariæ de Vangadicia ejusdem ordinis Adriensis diœcesis, coram religiosis viris domno Bartholomæo Ferrariensi vicario suo in loco sancti Benedicti prope Ferrariam, & domno Feliciano archipresbytero plebis Vangadiciæ ejusdem ordinis & me notario &c. electi fuerunt &c. in definitores domni Benedictus abbas sancti Apollinaris in Classe, Paulus abbas sancti Michaelis de Muriano, Laurentius abbas sancti Frigdiani de Pisis, Johannes abbas de Monte-muro cum prædicto domino priore & eremitis &c.

In primis de juxta antecedentia decreverunt, quod sequens capitulum generale post triennium celebrari debeat in monasterio sancti Johannis de Burgo-sancti-Sepulcri in octava sollemnitatis Corporis Christi. Verum quia secundum varietatem temporis statuta interdum variantur humana, dominus prior ex causa legitima cum consiliariis & capitulo eremi possit & tempus dicti capituli generalis mutare.

Item audita paupertate monasterii Montis-Christi, & obviare volentes, ne propter panis inediam personæ in eo commorantes relinquerent ipsum sine habitatore, definierunt, quod de communi pecunia ordinis fratribus in eodem degentibus provideatur, quandiu durabunt in Sardinia tales guerræ, quod de suis nequeant habere redditibus, & dentur eis pro quolibet staria quatuor grani ad Pisanam mensuram.

Item assumpserunt dominum cardinalem de Mediolano in protectorem & promotorem negotiorum totius ordinis.

Item ad augmentum devotionis sanctissimæ Mariæ virginis gloriosæ definierunt, quod de ipsius Conceptione cum plenissima sollemnitate fiat officium omni anno VII. idus decembris, ut fit in Nativitate ejusdem Virginis, excepto quod mutetur vocabulum Nativitatis in Conceptionem, & lectiones dicantur de festo Conceptionis prædictæ.

Item

Item confirmaverunt constitutionem de non recipiendis ad ordinem nostrum personis alterius professionis vel habitus.

Item quod nullus prælatus vel subditus deinceps utatur veste, quæ Croccia communiter appellatur, in vel extra monasterium, nisi quando itineraverint equitando, & quod prælati non equitando uti valeant cappis, clamydibus & cucullis; subditi vero claustrales cucullis semper utantur, & etiam in nocte cucullis & clamydibus uti non possint, nisi sint valetudinarii vel infirmi.

Item dederunt domno Paulo abbati sancti Michaelis de Muriano & domno Jacobo priori sancti Johannis de Faventia plenam auctoritatem ad providendum abbatissæ & monialibus sanctæ Christinæ de Tarvisio, quarum monasterium totaliter est destructum propter guerras, de loco in quo valeant habitare, & Deo reddere vota sua, in eo tamen non intrent nisi simul & necessitate cogente, ac cum luce diei *&c.*

Ego Leonardus notarius *&c.*



SERIES

SERIES

Capitulorum Veterum Constitutionum Camaldulensium, quæ extant in CODICE CAMALDULENSI.

Index capitulorum primi libri Constitutionum Camaldulensis ordinis de Moribus editarum a Martino III. priore.

Index Libri II. Constitutionum Martini III.

Index Libri III. Conſtitutionum de Moribus B. Martini III.

Index Capitulorum libri I. Divinorum officiorum Camaldulensis ordinis, quæ edidit Martinus III. prior anno 1253.

Index capitulorum Libri II. Divinorum Officiorum tam in sollemnitatibus, quam in festis Sanctorum, defunctorum obsequiis, aliisque officiis ac moribus observandis.

Index Capitulorum Constitutionum Octaviani Cardinalis anni 1271.

Index Capitulorum Constitutionum Gerardi prioris anni 1278.

Index Capitulorum libri Vitæ eremiticæ Gerardi prioris anni 1278.

Index


Index libri IV. Constitutionum de Moribus Gerardi prioris anno 1279.

Index Constitutionum de Moribus Bonaventuræ prioris Camald. quæ formant librum V. de Moribus anno 1328.

Index capitulorum Constitutionum Capituli generalis habiti Faventiæ anno 1338.

Index capitulorum Constitutionum Johannis prioris Camald. anni 1351.

ORDO



ORDO DIVINORUM OFFICIORUM,

SEU

CONSTITUTIONES

VETERUM MONACHORUM ALBORUM

ORDINIS S. BENEDICTI,

Quorum CONGREGATIO in diœcesi tantum PATAVINA extabat,

Et ad seculum XIV. usque perduravit.

Ex vetusto codice nostro membranaceo nunc primum edite.

Desunt in codice duæ primæ paginæ.

Hyemis tempore, festis, quibus non laboramus, usque post Missam, quæ dicitur hora Tertia, censura silentii non frangatur. Illud idem servetur diebus dominicis usque post prandium. Postea vero sic se habeant usque post Vesperas, sicut dictum est superius in capitulo de Labore post Pascha.

Item.

Tempore autem æstatis privatis diebus ab hora Tertia usque post Nonam sive jejunent, sive non jejunent, studiosissime silentium teneant. Oportet enim eos ante Sextam legere, & post Sextam usque ad Nonam dormire.

Tertiam item.

Diebus vero Dominicis & festis, quibus non laboramus, quia lectionibus vacare debent a mane post Capitulum usque ad Tertiam; & post Missam, quæ dicitur illa hora usque post Sextam, & quia dormire debent, silentium usque post Nonam non solvatur. In claustro, in oratorio, excepto post cancellas, in dormitorio & refectorio, nulla die, nulla hora silentii fræna laxentur, nisi forte de maxime necessariis cum dispensatione prioris.

Qualiter se habeant fratres post Vesperas?

Omni die post Vesperas aut post cœnam, quando cœnaturi sunt, sedeant fratres in claustro lectioni seu meditationi vacantes, aut sint in ecclesia, qui voluerint, orantes; quod semper silentii tempore facere teneantur, excepto tempore dormitionis & pausationis in labore. Nulli omnino liceat tempore illo lectionis ad partem alteram declinare, nisi forte pro inevitabili causa, aut ex præcepto seu permissione majoris.

Hic est ordo domorum nostri ordinis.

Prima domus. Sanctus Benedictus.

Secunda. Sanctus Johannes de monte Vinearum.

Tertia. Sancta Maria de monte Crucum.

Quarta. Sancta Maria de Vantio.

Quinta. Sancta Margarita de Pulvearia.

Sexta. Sanctus Jacobus de Ponte-curvo.

Septima. Sanctus Johannes de Verdaria.

Octava. Sancta Maria de Trixonibus.
Nona. Sancta Juliana de Urbana.
Decima. Sancta Maria de Porcilia.
Undecima. Sanctus Antonius de Cuvalo.
Duodecima. Monasterium Serravallis.
Tertia-decima. Monasterium omnium Sanctorum.
Quarta-decima. Sancta Maria de Riveria.
Quinta-decima. Sanctus Johannes de Ponte-longo.
Sexta-decima. Sancta Maria de Orbisio.
Septima-decima. Sancta Maria de Silvazano.
Item sanctus Benedictus monialium.
Item sancta Cæcilia.
Item sanctus Vitus de Plebe.
Item sancta Agnes de Pulveraria.
Item sanctus Jacobus de Monte-silice.
Item sancta Margarita de Salarola.

Constitutiones veterum Monachorum Alborum dioecesis Patavinæ Ordinis S. P. Benedicti.

In Adventu Domini. Cap. I.

IN Adventu Domini Dominica prima Isaias incipiatur ad Vigilias, & deinceps totus legatur per Adventum non solum ad Vigilias, sed & in Refectorio, prout tempus expetierit. Eisdem quoque diebus cum post Vesperas & Laudes, & ad Missam de ipso Adventu, & aliquo Sancto facienda est commemoratio, prius de Adventu, & postea de Sancto fiat commemoratio. In tertia vero septimana ejusdem Adventus jejunia quatuor Temporum omni anno sunt agenda, & homiliæ Evangeliorum ad ipsos tres dies jejuniorum pertinentes, ad Vigilias legendæ, quarum primæ lectiones a diaconis, quos cantor voluerit, pronunciandæ sunt, & feria quinta ejusdem septimanæ sermones sancti Augustini de Incarnatione Domini, videlicet: *Legimus secundum Moysen*, *Et vos*, *inquam*, *convenio* ad Vigilias sunt recitandi. Si vero festivitas sancti Thomæ apostoli in eadem quinta feria evenerit, tertia feria ejusdem septimanæ prænotati sermones legantur. Sed sciendum tamen est, quod antiphona illa, quæ quinta die ante diem Nativitatis intitulatur ad Benedictus, sicut in antiphonario notatur, idest *Nolite timere*, non dicatur ad Benedictus, sed in commemoratione Adventus; sed si ipsa dies quinta Dominica evenerit, dicatur ad Benedictus; illa vero de Dominica, idest *Ave Maria*, remaneat.

Quomodo per hyemem privatis diebus ad Vigilias dividantur Responsoria. Cap. II.

OMnia Responsoria, quæ cantantur a kalendis novembris usque in pascha dominicis diebus, & Responsoria Apparitionis, scilicet *Hodie in Jordane*, dividantur trina per singulos dies privatis diebus usque ad sextam feriam. Sexta vero feria repetantur a capite, exceptis illis diebus, qui habent propria Responsoria, scilicet ante Natale Domini, & post, & ante pascha, & dum canitur *Domine ne in ira tua*. Porro *Aspiciens*, quod in dominica cum tribus versibus canitur, quotiens privatis diebus repetetur, cum solo ultimo versu cantabitur. Quod si aliqua festivitas duodecim lectionum intervenerit, illa tria Responsoria, quæ dicenda fuerant in ipsa, quam occupavit festivitas, dicantur ea die, quæ vacua successerit festivitati.

De Vigilia Nativitatis Domini. Cap. III.

IN Vigilia Nativitatis Domini post nocturnos Vigiliæ pro defunctis non agantur. Cetera vero omnia, sicuti aliis privatis diebus, cum flexione genuum persolvantur usque ad Vesperas Natalis Domini, excepto quod Missa illius diei post Nonam sine flexione genuum, & ea veneratione, qua dominicis diebus sit celebranda. Ad quam una tantum oratio dicatur, nisi forte præsens defunctus fuerit; & prophetia Isaiæ ante epistolam a quolibet fratre rogato a cantore legatur. In capitulo autem post primum versum primæ lectionis, quæ sic incipit: *Jesus Christus filius Dei in Bethleem Judææ nascitur*, totus conventus pro veneratione sanctæ Nativitatis prostratus orationem brevem faciat, scilicet *Jesu fili David miserere mei*, & priore surgente ceteri etiam se erigant & resideant, lectorque tunc reliqua lectionis prosequatur.

Si autem Vigilia Nativitatis Domini evenerit die dominica, ita celebretur. Invitatorium *Levate capita vestra*. In primo nocturno antiph. *Domine in virtute*, psalmus ipse, & *Deus*, *Deus meus respice* & cetera. ℣. *Hodie*, *scietis*, *quia veniet Dominus*. Lectiones vero, quæ in ipsa dominica quarta in Adventu Domini in libro lectionarii scriptæ sunt, idest *Audite me*; *qui sequimini*; *quod justum est*; in primo & secundo nocturno legantur Responsoria *Canite tuba*; *Non*

auferetur sceptrum; *Me oportet*; *Ecce jam venit*. In secundo nocturno antiph. *Dominus defensor*; psalmus *Dominus illuminatio mea*, & *Ad te Domine clamabo*, &c. ℣. *Crastina die delebitur iniquitas terræ*. ℟. *Virgo Israel*; *Juravi dicit Dominus*; *Non discedimus a te*; *Intuemini*; ad cantica *Alleluja*; canticum *Domine miserere nostri*; ℣. *Egredietur virga de radice Jesse*. Evangelium *Cum esset desponsata*; homilia Origenis, ex qua homilia legantur quatuor lectiones, sicut designatæ sunt in libro, quarum primam legat, qui die Dominico est diaconus hebdomadarius, privatis vero diebus, quem cantor voluerit. ℟. *Sanctificamini*; *Constantes estote*; *Sanctificamini filii*; *Nascetur vobis*. Evangelium, post *Te Deum laudamus*, *Cum esset desponsata*. Collecta *Deus, qui nos redemp.* In Laudibus *Alleluja*. Psalmus *Miserere mei*; *Confitemini*; &c. Capitulum *Ecce venio cito*. ℟. *Hodie scietis*. Hymnus *Vox clara*, ℣. *Constantes estote*. In Evangelio antiphona *Orietur sicut Sol*; Collecta *Deus qui nos redemption.* Commemoratio dominici diei *Ave Maria*; ℣. *Emitte Agnum Domine*. Collecta *Excita Domine*. Missa matutinalis de Dominica, idest *Memento nostri Domine* cum sua tamen collecta dicatur, nisi præsens defunctus fuerit. Major vero Missa de Vigilia, idest *Hodie scietis*. *Alleluja* dicantur, & *Credo in unum Deum*. Verum etiam prophetia Isajæ ante epistolam non omittatur. *Alleluja* ad horas diei dicantur; Versiculi autem de Vigilia. Ad Tertiam scilicet *Hodie scietis*. Ad Sextam *Crastina die delebitur*. Ad Nonam *Constantes estote*. Ad Tertiam vero capitulum & collecta de Vigilia. Ad Sextam & Nonam, sicut in aliis dominicis tribus transactis. Ad Vesperas super psalmos dicatur una antiphona, idest *Antequam convenirent*; psalmus *Dixit Dominus* & *Confitebor* & ceteri psalmi sub una antiphona. Capitulum *Paulus servus Jesu Christi*. ℟. *O Juda & Jerusalem*; hymnus *Intende, qui regis Israel*; ℣. *Benedictus, qui venit in nomine Domini*. In evangelio antiph. *Cum esset desponsata*. Collecta *Deus, qui nos redempt.* post quas Vesperas non fit commemoratio de dominica.

De Nativitate Domini. Cap. IV.

IN nocte Nativitatis Domini cellerarius major provideat duos conversos, qui ignem in calefactorium monachis ad intervallum calefaciendis præparent, si tamen frigus hoc exegerit. Pulsentur campanæ insimul, dum incipitur *Te Deum laudamus* usque ad *Sanctus*. Finita namque post evangelium collecta, & responso *Amen*, exibit conventus de ecclesia, & sedebunt monachi in claustro, & qui voluerit, calefaciat se, si ignis accensus fuerit. Dehinc, ut tempus dictaverit, pulsato modice a sacrista signo, postea pulsentur campanæ insimul, deinde singillatim, & præparent se ministri altaris ad Missam *Dominus dixit ad me*, ad quam Missam adjuvent ad induendum & exuendum illi duo fratres non revestiti, qui postea ad Missam matutinalem, scilicet post Laudes hoc iterum facturi sunt. Præparatis vero ministris, & iterum campanis simul pulsatis conveniunt monachi in chorum, supradicta Missa, sicut in natali unius apostoli, celebretur. Expleta Missa, mox a sacrista campanæ insimul pulsentur, & matutinorum Laudes inchoentur. Secretarius vero temperato sic intervallo post matutinorum Laudes, ut incipiente aurora incipiatur Missa *Lux fulgebit*, pulset signum, & postea singillatim campanis pulsantibus ministri se præparent ad Missam, & campanis insimul pulsatis ipsa Missa *Lux ful.* celebretur, sicut dominicis diebus. Ad quam Missam non cantentur Missæ privatæ, donec officium compleatur, excepto pro communicandis conversis, si priori visum fuerit. Porro ista Missa in mane, sicuti dominicis diebus agatur, & fratres infirmi & diversis officiis deputati ad Communionem eant, si videbitur expedire. Qua Missa celebrata mox incipiatur Prima, præmissa solita oratione. Post Primam autem intrent Capitulum.

De octava Domini. Cap. V.

IN duobus autem sequentibus diebus Missa matutinalis erit *Puer natus*. In prima namque istorum duorum dierum, scilicet in die sancti Stephani ad prædictam Missam prima collecta erit *Concede quæsumus omnipotens Deus*; secunda vero *Da nobis quæsumus*. Epistola *Apparuit gratia Dei*; Evangelium *Exiit edictum*. In secunda autem die, videlicet in die sancti Johannis evangelistæ prima collecta erit *Concede quæsumus omnipotens Deus*; secunda vero *Ecclesiam tuam*; tertia *Da nobis quæsumus*, Epistola *Apparuit benignitas*, Evangelium *Pastores loquebantur*. Notandum tamen, quia si in die sancti Stephani dies dominica occurrerit, vel præsens defunctus ad Missam matutinalem supervenerit, in die sancti Johannis Epistola *Apparuit gratia*

gratia Dei; Evangelium *Exiit edictum* dicatur. De sancto Thoma fiat commemoratio ad Vesperum & ad Laudes, & Missa cantetur de eo in conventu, nisi dominica fuerit dies. Quæ si occurrerit privatim ab eo, cui cantor injunxerit, ipsa Missa dicatur. Matutinalis erit *Dum medium silentium*. Prima collecta *Opus sempiternum*, *Deus dirige*; secunda *Adesto Domine*; tertia *Concede quæsumus omnipotens Deus*; quarta *Da nobis quæsumus*; quinta *Ecclesiam tuam*; sexta *Deus, cujus hodierna die*. Major *Puer natus*; Collecta *Concede* tantum; epistola *Apparuit gratia*; evangelium *Exiit edictum*. In sequenti vero die Missa erit *Puer natus*; epistola *Apparuit benignitas*; evangelium *Pastores loquebantur*. Sciendum quoque est, quod diebus, quibus laboramus, infra octavam Domini una tantum Missa dicenda erit summo mane, in qua commemorationes Sanctorum, sicut superius dictum est, per ordinem fiant. Post Missam vacent fratres lectioni usque ad horam secundam; deinde dicta Tertia eant in Capitulum, & postea ad opera manuum. Sed hoc etiam notandum est, quod ad Vigilias istorum duorum dierum expositiones Evangeliorum scilicet *Exiit edictum*, & *Pastores loquebantur* legendæ sunt, & pronunciandæ a quolibet diacono, ut in duodecim lectionibus. Si dies dominica fuerit, sicut in libris continetur, ita fiat.

Quomodo a Nativitate Domini usque ad Septuagesimam diebus dominicis officia Missarum disponantur singulis annis? Cap. VI.

Prima semper dominica, quæ post diem Nativitatis Domini evenerit, officium *Dum medium silentium* ad Missam matutinalem dicatur. Similiter prima semper dominica, quæ post diem Apparitionis evenerit, officium *In excelso throno* ad Missam matutinalem dicatur, excepto quod si in eadem dominica officium *Omnis terra* simul cum historia *Domine ne in ira tua* propter celeritatem instantis Septuagesimæ fuerit canendum, *In excelso throno* in crastino Apparitionis dicetur; & notandum, quia cum dies dominicus tertio die post Theophaniam, & deinceps usque ad octavas Apparitionis evenerit, omni die post octavas Apparitionis ad Laudes & ad Vesperas Collecta *Vota quæsumus Domine* usque in sequentem dominicam, qua *Omnis terra* continuetur. Eadem quoque Missa, idest *In excelso throno* per eosdem dies, videlicet per octavas Apparitionis secundum quod in sententia de Missis diebus privatis dicendis ordinatum est, dicetur; si tamen officium *Omnis terra* in ipsis octavis Apparitionis, vel ante dictum non fuerit. Cum autem inter septimanam illam, qua cantatur *In excelso throno*, & Septuagesimam quinque veniunt hebdomadæ, tunc *Omnis terra* duabus primis; *Adorate* vero *Deum* tribus ultimis cantatur hebdomadis, ita scilicet, ut unaquæque septimanarum illarum, quibus *Omnis terra* canetur, suam propriam Collectam habeat cum epistolis & evangeliis ad eam pertinentibus; & tres ultimæ septimanæ, quibus *Adorate* canetur similiter; hoc scilicet modo, prima hebdomada dicitur officium *Omnis terra*, Collecta *Omnipotens sempiterne Deus, qui cœlestia*; epistola *Habentes donationes*; evangelium *Nuptiæ factæ sunt*. Secunda hebdomada idem officium *Omnis terra*; *Omnipotens sempiterne Deus infirmitatem*; epistola *Nolite esse prudentes*; evangelium *Cum descendisset Johannes*. Tertia hebdomada officium *Adorate Dominum*; Collecta *Deus, qui nos in tantis periculis*; epistola *Nemini quicquam debeatis*; evangelium *Ascendente Jesu*. Quarta hebdomada idem officium *Adorate Deum*; Collecta *Familiam tuam*; epistola *Induite vos sicut electi Dei*; evangelium *Simile est regnum cælorum homini, qui seminavit*. Quinta hebdomada idem officium *Adorate* cum supradicta Collecta & evangelio. Cum vero infra prædictum terminum quatuor veniunt hebdomadæ, tunc *Omnis terra* duabus primis, *Adorate* vero duabus ultimis canatur. Cum vero nonnisi tres infra prædictum terminum veniunt hebdomadæ, *Omnis terra* prima trium illarum hebdomadarum, cum primis duabus Collectis, scilicet *Omnipotens sempiterne Deus, qui cœlestia*, & *Omnipotens sempiterne Deus infirmitatem* cum epistolis & evangeliis ad ipsas pertinentibus dicatur; ita scilicet, ut feria quinta *Omnipotens sempiterne Deus infirmitatem* ad Laudes incipiatur; ipsaque die Missa *Omnis terra* cum epistola & evangelio ad ipsam pertinentibus cantetur, & usque in sabbatum tam ad Vesperas, quam ad Laudes teneatur. Reliquis vero duabus ultimis hebdomadis, uti supra in quatuor hebdomadis descriptum est, agatur. Et cum infra sæpe memoratum terminum ab *In excelso* scilicet *throno* usque ad Septuagesimam, nonnisi duæ veniunt hebdomadæ, in prima quidem, uti in tribus descriptum est, fiat. Secunda vero, qua cantabitur *Adorate Dominum* de duabus Collectis, scilicet

licet *Deus, qui nos in tantis periculis*, & *Familiam suam*, cum epistolis & evangeliis ad eas pertinentibus agatur similiter. Cum vero una sola hebdomada inter illam de *In excelso throno*, & Septuagesimam venerit, tunc ambo illa officia cum supramemoratis collectis, epistolisque, & evangeliis ad eas pertinentibus, illis duabus hebdomadis; prima scilicet, qua cantatur *In excelso throno*, & secunda, quæ est ante Septuagesimam, cantor, ubi melius potuerit, exsolvere procuret; si tamen in eadem secunda hebdomada, quæ est ante Septuagesimam, propter aliquam sollemnitatem duodecim lectionum, vel propter commemorationem alicujus Sancti, qui proprietatem habet in gradali, persolvi non poterunt. Quod vero ob brevitatem temporis de duabus Collectis in una septimana dicendis, cum suis epistolis & evangeliis; & de secunda Collecta feria quinta incipienda diximus, si ob præsentem defunctum vel duodecim lectionum sollemnitatem vel commemorationem alicujus Sancti, qui proprietatem habet in gradali, feriæ quintæ id impedimentum fuerit, prima die, quam post illam feriam quintam ante dominicam ab hujusmodi expeditam cantor invenerit, totum persolvat. Quod si etiam feria sexta aliquo horum occupata fuerit, tunc quidem sabbato dominicalis Missa canatur. Itaque quinta feria vel sexta, vel sabbato, ubi prius vacuum a proprietate Sancti locum invenerit, dominicale officium persolvatur; nec pro præsenti defuncto differatur, sed utraque Missa dicatur, similiter etiam observetur, quoties aliqua dominicalis Missa dicta in conventu non fuerit.

De sancto Silvestro. Cap. VII.

FEstivitas sancti Silvestri tam in nocte, quam in die plenarie agatur, & commemoratio Nativitatis Domini teneatur. Missa vero ita agatur, ad introitum *Sacerdotes tui Domine*; Collecta *Da quæsumus omnipotens Deus, ut beati Silvestri*; *Concede quæsumus omnipotens Deus*; *Da nobis quæsumus*; *Ecclesiam tuam*; *Deus cujus hodierna die*. Quod si dominicus fuerit dies, post matutinas Laudes fiat primitus commemoratio dominici diei. Item *Dum medium silentium*; & postea de Nativitate, deinde de octavis Sanctorum per ordinem. Missa matutinalis *Dum medium silentium*. Prima Collecta *Omnipotens sempiterne Deus dirige*; secunda *Da quæsumus omnipotens Deus, ut beati Silvestri*; tertia *Concede quæsumus omnipotens Deus*; postea de octavis Sanctorum. Ad Vesperas super psalmos dicatur una antiphona de confessore *Cognovit eum Dominus*; Capitulum & deinceps usque ad finem de octavis dominicæ Nativitatis, commemoratio fiat primo de sancto Silvestro, postea de Dominica & deinde de octavis Sanctorum.

Quid post Circumcisionem Domini usque ad Septuagesimam ad Vigilias sit legendum? Cap. VIII.

POst Circumcisionem Domini privatis diebus legantur epistolæ Pauli ad Vigilias usque ad Septuagesimam, non tamen dominicis diebus, sed authenticorum patrum sermones de Nativitate Domini, sive de Circumcisione, sive de Epiphania Domini, donec incipiantur responsoria *Domine in ira tua*. Quod si tempus a Circumcisione usque ad Septuagesimam breve fuerit, non solum in ecclesia, sed etiam in Refectorio legantur epistolæ Pauli. Quod fiet secundum quod cantor ordinaverit.

De Vigilia Epiphaniæ. Cap. IX.

IN Vigilia Epiphaniæ Domini Missa *Puer natus est*; Collecta *Corda nostra*, & post *Deus, qui salutis*, & ceteræ usitatæ. Et sciendum, quod Collecta *Concede nos famulos* inter usitatas non reputatur, quæ etiam a Vigilia Nativitatis Domini usque in crastinum Epiphaniæ intermittenda est; epistola *Apparuit benignitas*; evangelium *Defuncto Herode*. Quod si Vigilia Epiphaniæ in dominica evenerit, hæc suprascripta Missa cum sua Collecta, epistola & evangelio post Tertiam cantatur. Matutinalis vero sit *Puer natus est* cum Collecta *Deus, qui salutis æternæ*; epistola *Apparuit benignitas*; evangelium *Pastores loquebantur*; Missa, quæ inscribitur matutinalis, si Vigilia Epiphaniæ in dominica evenerit, quando in aliquo trium dierum præcedentium ipsam Vigiliam dominica occurrerit, sola ipsa Missa cantetur in conventu, & de octavis Sancti, quæ ipsa die fuerit, privatim ab eo sacerdote, cui cantor injunxerit, dicatur; & ad Missam in conventu Collecta de eo dicatur similiter. Et notandum, quod cum hæc Vigilia in dominica evenerit, Collecta *Deus, qui salutis* in nocte post evangelium, & ad Laudes, & ad Tertiam dicetur. Collecta vero *Corda nostra* tantum ad majorem Missam.

De Domine in ira tua, *&* Benedicam Dominum. Cap. X.

AB octava Theophaniæ uſque ad Septuageſimam diebus dominicis ad Vigiliam dicantur ℟. *Domine ne ira tua*, & privatis diebus *Benedicam Dominum*, &c. ut inveniuntur in antiphonario. Antiphonæ vero de dominica ad nocturnos, & privatis diebus ad primum nocturnum uſque ad Paſcha dicantur, & ad Veſperas ſuper pſalmos uſque ad Cœnam Domini, & ab octavis Pentecoſtes uſque ad Nativitatem Domini. Quæ vero privatis diebus ſecundo nocturno attitulantur a Septuageſima uſque ad Paſcha *Alleluja*, ab octavis Pentecoſtes uſque ad Septuageſimam. Invitatoria privatis diebus attitulata uſque ad Paſſionem Domini, & a kalendis novembris uſque ad Adventum. Parva reſponſoria ad nocturnos ab octavis Pentecoſtes uſque ad kalendas novembris. Parva reſponſoria ad Laudes & ad Veſperas uſque ad Septuageſimam, & ab octavis Pentecoſtes uſque ad Adventum Domini. Antiphonæ autem ad *Benedictus* & ad *Magnificat*, & omnes verſiculi uſque ad Quadrageſimam, & ab octavis Pentecoſtes uſque ad Adventum. Antiphonæ ad Laudes ſuper pſalmos ad Primam, ad Tertiam, ad Sextam, ad Nonam uſque ad dominicam in Palmis, & ab octavis Pentecoſtes uſque ad Adventum. Quod ſi feſtivitas duodecim lectionum intervenerit, poſt feſtivitatem hæc his, quibus attitulata ſunt, diebus dicantur. Similiter fiat poſt octavas Aſſumptionis ſanctæ Mariæ. Et notandum, quod cum *Domine ne in ira tua* quinquies canitur, ultimæ lectiones & ultimæ antiphonæ, ſi neceſſe eſt, repetantur; & cum quater canitur, ultima antiphona repetitur.

De Septuageſima. Cap. XI.

REſponſoria *In principio* dicantur in Septuageſima & Sexageſima tam dominicis diebus, quam privatis. Hoc tempore a Septuageſima ſcilicet uſque ad dominicam, qua libri dividuntur, pars Geneſis ad Vigilias legatur, eaque Vigiliarum lectionibus per totum hoc tempus ad arbitrium cantoris convenienter ſufficere poſſit. Reliqua vero pars, ſi quid ab his Vigiliis reſiduum eſt, aliique libri, qui ſequuntur uſque ad libros Regum, in refectorio legantur. Ubi hoc ſollicite provideatur, ut ante dominicam, qua cantatur officium *Judica me Deus & diſcerne*, perlecti ſint. Verumtamen in dominicis diebus legantur prius in Refectorio homiliæ evangeliorum dominicalium, vel ſi aliud aliquid de aliqua feſtivitate fuerit legendum qualibet die. Prima igitur dominica Septuageſimæ lecta in Refectorio homilia vel alio aliquo de aliqua feſtivitate, ſi adeſt, ut dictum eſt, incipiatur initium Geneſis, vel aliorum librorum, ut diximus ibi, ubi cantor Vigiliarum lectiones uſque ad Quadrageſimam debere finire providerit. A prima autem dominica Quadrageſimæ, qua ſcilicet libros dividimus, ad Vigilias in eccleſia privatis diebus utimur tractatibus ſancti Auguſtini ſuper pſalmos, ſive homiliis evangeliorum, vel de Veteri Teſtamento uſque ad dominicam, qua Jeremias inchoatur. Si vero dominica Septuageſimæ venerit, purificatio ſanctæ Mariæ feria ſecunda, inchoetur hiſtoria ad Vigilias, videlicet liber Geneſeos cum præfatione & ℟. *In principio Deus*, & ſequenti dominica lectiones ad Vigilias *Tulit ergo Dominus hominem*.

De Tractibus. Cap. XII.

IN Septuageſima, & exinde omnibus dominicis diebus & feſtivitatibus, quibus non laboramus, ad majores Miſſas uſque ad paſcha omnes Tractus, in Paraſceve etiam, *Eripe me*, & in Vigiliis Paſchæ & Pentecoſtes *Laudate Dominum omnes*; in ſabbatis quatuor Temporum *Benedictus es Domine* uterque chorus alternatim canit. Qui ſane *Benedictus es* incipiatur in illo choro, in quo eſt invitatorium, & alter chorus ſubjungat *& laudabilis*, & ſic fiat in ſingulis verſibus. In fine vero primus verſus repetatur ab illo, qui incepit, & totus ab utroque choro ſimul decantetur. Sed & in fine prædictorum Tractuum ambo chori in ſimul cantent, ceteros autem Tractus totus inſimul conventus cantet. Non eſt autem conſuetudo, ut privatis diebus extra quadrageſimam dicatur Tractus; exceptis ſabbatis quatuor Temporum, & Vigilia Pentecoſtes, & Miſſis defunctorum præcipuis & privatis. Nam privatis diebus in Quadrageſima *Domine non ſecundum peccata noſtra*; & Tractus ille *De neceſſitatibus meis*; & *Domine exaudi orationem meam* feria quarta ante Paſcha pro qualibet ſollemnitate non omittetur. Tractus, qui alternatim canitur, in illo choro, in quo eſt invitatorium, incipiantur. Alios Tractus cantor, vel qui ejus ad Miſſam gerit officium, in quocumque choro fuerit, incipiat.

De Capite jejunii. Cap. XIII.

FEria quarta in Capite jejunii dicta Prima exeant fratres in claustrum, & hebdomadarius Missæ, si prior deesset, & prior claustri cum altaris ministris, ut in ceteris diebus, se ad celebrandam Missam præparet. Tunc sacerdote celebraturo alba cum stola, manipulo, & ministro alba & manipulo induto, signoque pulsato, fratres in claustro se discalcient, atque in eodem calceamenta dimittentes loco, ecclesiam intrent, & in ordine suo versis vultibus ad altare stent. Et tunc etiam sacerdos, qui celebrare debet pariter cum altaris ministris in loco apto se discalciet. Post hæc cantor incipiat antiph. *Exurge Domine*. Quam dum incipit, vertantur vultus ad invicem, sequatur ℣. *Deus auribus nostris*, & *Gloria patri*. Quæ antiph. post *Gloria patri* repetatur, & similiter *Exaudi nos Domine*. Deinde, qui celebrare debet dicat ℣. *Ostende nobis Domine*; & fratribus super formas prostratis subsequatur *Kyrie eleyson* & *Pater noster*; *& ne nos inducas*; atque totus psalmus *Deus misereatur nostri*, cum *Gloria patri*; ℣. *Et veniat super nos misericordia tua Domine*; *Dominus vobiscum. Oremus. Concede quæsumus Domine præsidia*. Postea surgant, & stent versis vultibus ad altare usque ad introitum Missæ. Postquam ergo sacerdos ille, qui celebrat, in presbyterio verso vultu ad Aquilonem benedixerit cineres, antea in ipso presbyterio a secretario positos, atque aqua eos benedicta asperserit; tunc prior vel aliquis alius ad hoc idoneus, si prior deesset, si affuerit, populum breviter admoneat, qua admonitione expleta cantetur antiphona *Exaudi nos Deus* & aliæ, ut in libris habentur. *Exaudi nos Deus* incepta veniens sacerdos, qui celebrat ante gradum, & sub illo flexis genibus a priore claustri sacros cineres accipiat, si deest, a cantore, si sacerdos fuerit, vel ab aliquo, cui cantor injunxerit. Quibus acceptis erigens se stet super gradum, & versus ad chorum supra singulorum capita mittat cineres benedictos, incipiens a ministris altaris omnibus flectentibus genua in terra secundum ordinem, quo stant in choro. Et dum mittuntur, sedeat, qui voluerit, si tamen congregatio major fuerit, secundum dispositionem prioris, per diversa loca distribuantur cineres. Et cum super singulorum capita imponuntur, imponens dicat *Recordare frater* vel *soror, quia cinis es, & in cinerem reverteris*. Sciendum est, quod dum hoc officium cinerum agitur, ille, cui cantor injunxerit, eos ante priorem tenere debet. Inchoata vero antiphona *Immutemur habitu*, sacerdos & ministri calceant se, & accedant ad Missam celebrandam, ceteri vero omnes discalceati remaneant, donec Missa peragatur; tuncque calceant se in claustro. Porro cineres hos extra chorum familiæ & hospitibus, si affuerint, prior adjuncto sibi aliquo fratre imponat. Sciendum est, quod Tractus *Domine non secundum peccata nostra*, tam in hac die, quam in aliis tribus diebus per Quadragesimam, scilicet secunda, & quarta & sexta feria usque ad quartam feriam ante Pascha dicitur; excepta tamen modo feria quarta post primam dominicam Quadragesimæ, quia in ipsa feria quarta Tractus *De necessitatibus* canitur. Canonicalis autem præfatio videlicet, *Qui corporali jejunio* tam hac die, quam aliis omnibus Quadragesimæ diebus ad Missam de jejunio, exceptis dominicis diebus, usque ad Cœnam Domini dicatur.

De festivitatibus Sanctorum, quæ a Capite jejunii usque ad sabbatum ante dominicam in Palmis eveniunt. Cap. XIV.

SI festivitas duodecim lectionum, in qua laboramus, privatis diebus a Capite jejunii usque ad dominicam in Palmis evenerit, primo dicatur Missa de jejunio, dimissis usitatis collectis, quam cantet sacerdos hebdomadarius præteritæ hebdomadæ, eamque conventus ex toto audiat. Si vero quarta feria in capite jejunii evenerit, prior ipsam Missam celebret; qui si defuerit, prior claustri. Qua dicta & recalceato conventu, sequatur Missa de festo cantanda a præsentis hebdomadæ hebdomadario, & post introitum secundæ Missæ privatæ Missæ agantur. Ad quam Missam ad induendum & exuendum adjuvent illi duo fratres, qui ad præcedentem hoc idem fecerunt. Huic Missæ conversi non interveniunt. Conventus omni tempore, quando pulsatur campana in elevatione hostiæ, in plano genua flectant, & ad signum prioris surgentes super formas assideant ad Missam jejunii tantum tempore Quadragesimæ. Horæ vero totius diei sine flexione genuum peragantur, & de festo fiant. Quod si festum, in quo non laboramus, fuerit, prima Missa de jejunio erit, sed non sollemniter. Post Tertiam vero de festo sollemniter fiet.

De

De dominica prima] Quadragesimæ, & observatione ejusdem temporis. Cap. XV.

IN dominica prima Quadragesimæ dum canitur Prima, cantor adjunctis sibi fratribus, si necesse habuerit, deferat libros, qui dandi sunt in Capitulum, & ante sedem prioris aliqua re substrata honeste ordinet. Lectio vero regularis de observatione Quadragesimæ, videlicet *Omni tempore*, & pars ultima præcedentis sententiæ, scilicet *in Quadragesimæ vero diebus* illa die in Capitulo legatur. Qua lecta prior distribuat libros, quos fratres duabus manibus præ gaudio divinarum Scripturarum suscipientes, singuli profunde & lætanter inclinent. Qui libri ex integro per ordinem usque ad Pascha legantur. Postea prior designet fratres, qui secundum Regulam horis, quibus vacant fratres lectioni, per totum annum circumeant monasterium, cum tamen necesse esse intellexerint; de his scilicet providentes officinis, claustro, oratorio, capitulo, dormitorio, calefactorio, refectorio, coquina, auditoriis; ne forte aliquis inconvenienter se habere inveniatur, & propter hoc officinas prædictas ingredi poterunt. Hac die post Completorium Cruces cooperiantur, & cortina ante presbyterium tendatur, quæ ita omnibus privatis diebus per Quadragesimam usque ad quartam feriam ante Pascha remanebit post Completorium. In sabbatis vero & Vigiliis Sanctorum duodecim lectionum ante Vesperas a conspectu presbyterii est cortina retrahenda. Similiter retrahatur ad Missam pro præsenti defuncto, & ad exequias *Non intres in judicium*, donec septimus psalmus finiatur post sepulturam, & ad benedictionem novitii. His vero sanctis diebus Quadragesimæ secundum beati Benedicti patris nostri monita orationibus intenti esse debemus peculiaribus, & ideo omni die unusquisque fratrum juxta consuetudinem orationem privatam tempore lectionis in ecclesia Deo offerat, nisi præsens defunctus impedierit. De ciborum autem & potus abstinentia ad solitum pensum aliquid augeamus, videlicet in Parasceve diem in pane & aqua devotissime jejunando, & tam isto, quam aliis sextis feriis post prandium sileant monachi tantum. Si acciderit per hos dies Quadragesimæ, ut Crux, quæ est retro altare cooperta, tollatur inde pro quolibet defuncto, vel infirmo communicando, sive inungendo, discooperiatur, quoad usque proprio, scilicet super altare, restituatur loco.

De duabus hebdomadibus ante Pascha. Cap. XVI.

DUabus dominicis ante Pascha *Gloria Patri* ad *Asperges me* non dicatur; sed post versum a Capite repetatur. Aliis temporibus post *Gloria Patri* fit repetitio ad *Lavabis me*. Ad *Vidi aquam* tempore Resurrectionis fiat repetitio ad *Alleluja, Alleluja*. Per hos quatuordecim dies *Gloria Patri* non dicitur ad introitum Missæ, exceptis Missis sollemnitatum, & privatis, quæ non sunt de Quadragesima. Ad Missam de Quadragesima ministri altaris, quando ille introitus cantatur, ubi audierint inchoare versum psalmi post introitum semel præcantatum, statim accedant ad altare. Librum Jeremiæ prophetæ his diebus tam in ecclesia, quam in refectorio legendum dividat cantor in duas partes. Una pars legatur in ecclesia privatis diebus ad Vigilias usque ad quintam feriam ante Pascha, quæ pars inchoetur prope initium ipsius libri, paulo ante ubi *Dominica nocte*, ad vigilias octava lectio *Finem fecerit*; idest *Videte verbum Domini. Numquid solitudo.* Et ab eo loco designet cantor de illa prophetia secundum longitudinem vel brevitatem noctium per unumquemque annum, quantum æstimaverit sufficere posse ad hoc, quod dictum est. Ubi autem partem illam nonnisi in ecclesia legendum judicaverit faciendam, faciat ipsa dominica die, qua ipsa prophetia ad Vigilias incepta est, in Refectorio inchoare, perlecta tamen prius homilia beati Gregorii papæ de evangelio *Quis ex vobis arguet me de peccato*, & percurrat usque ad finem libri, procurans ante omnia, ut infra istos quatuordecim dies totus liber perlegatur.

De dominica in ramis Palmarum. Cap. XVII.

DOminica in Palmis a priore exorcismus aquæ agatur; deinde Tertiam ipse incipiat. Qua finita super presbyterii gradum arborum ramos ante horam Tertiam a secretario ibi locatos benedicat; & postea aqua benedicta aspergat. Quibus peractis cantor, postquam priori ramum obtulerit, incipiat antiphonam *Pueri Hebræorum*. Moxque prior adjutus a secretario ramos benedictos fratribus ac novitiis distribuat osculantibus eidem manum, accedentibus eo ordine, quo stant in choro. Reliquam vero partem fratribus laicis & familiæ, ac hospitibus, si affuerint, porrigat. Interim præ-

prænotata antiphona finita canetur alia *Pueri Hebræorum*. His ergo ita ordinatis incipiente cantore antiphona *Occurrunt turbæ*, exeat subdiaconus cum aqua benedicta subsequente diacono cum Cruce discooperta, vel alii hoc faciant, quos providerit prior, quos subsequatur conventus eo ordine, quo stant in choro, junioribus præeuntibus, ita ut prior vel prior claustri, aut sacerdos hebdomadarius, si utique defuerit, eat posterior, & post ipsum conversi, & fiat processio per claustrum. Claustralis autem prior provideat, ne quid inconveniens inveniatur in claustro, dum ista processio vel alia in Purificatione sanctæ Mariæ, vel Ascensione Domini, aut Assumptione beatæ Virginis per claustrum agitur. Finita autem antiph. *Occurrunt turbæ*, incipiatur antiph. *Collegerunt*. Et dum hoc canitur, fiat prima statio in parte, quæ extat juxta dormitorium. Qua finita, & sequente versu *Mox unus autem*, moveant se fratres ab illo loco, & agatur juxta Refectorium statio secunda. Ad repetitionem vero hujus antiphonæ, scilicet *Quid facimus, quia hic homo*, procedatur ad ultimam stationem juxta ecclesiam, & in unaquaque statione diaconus & subdiaconus, vel qui portant, habeant vultus suos versos, & Crucem sanctam versam ad conventum, Et in ambulando & in stando subdiaconus ante diaconum sit. Qui vero non habet officinas ordinatas, secundum positionem sui loci faciat. Porro in ultima statione incipiente cantore antiphonam *Ave rex noster fili David*, inclinetur ad Crucem conventus genibus & manibus in terra positis, & omnes erecti deinceps stent conversi ad Crucem, usque dum incipitur *Gloria laus*. Interea dum hæc antiphona canitur, scilicet *Ave rex noster*, secretarius analogium, quod ipse ante Tertiam collocavit in Capitulo cum textu evangeliorum ad locum, ubi diaconus lecturus est evangelium, deferat; hoc est ante hostium ecclesiæ. Circa itaque finem antedictæ antiphonæ *Ave rex noster*, diaconus Crucem sanctam subdiacono porrigat, qui & ipse subdiaconus interim aquam benedictam deponat. Diaconus vero parum se movendo ab analogio, a priore benedictionem petat, & postea versus contra orientem evangelium legat, subdiacono ante eum cum Cruce astante, & ad conventum vultum versum habente. Quo perlecto Crucem recipiat, atque subdiaconus aquam benedictam resumat. Tunc etiam conventus stet versis vultibus ad invicem. Duo autem fratres, qui jam a cantore præmoniti esse debent, circa finem evangelii ecclesiam intrent, & clauso hostio stantes versa facie ad processionem ℣. *Gloria laus*, ut in libro ordinati sunt, cantent. Quibus finitis, & ab eisdem fratribus principio eorumdem versuum scilicet *Gloria laus* repetito, revertantur ad processionem, & stent in ordine suo. His igitur peractis imponat prior ℞. *Ingrediente Domino*, & ecclesiam omnes illud cantando intrent. Ramos quoque, quos gestant intrantes chorum super gradum presbyterii deponant, quos secretarius continuo auferat. Ubi vero diaconus Crucem deposuit, usque post Completorium discooperta ibi remaneat. Postea vero Missa celebretur, sicut in natali unius apostoli præter *Gloria in excelsis Deo*. Et sciendum, quod ad processiones, quæ fiunt per claustrum, liceat hospitibus incedere, ad sermones in Capitulum intrare. Et hanc septimanam subdiaconus de epistola, & de evangelio diaconus nullus accipiat secundum ordinem, nec sacerdos hebdomadam Missæ, sed quibus cantor hæc officia consilio prioris commendabit. Sacerdos vero Missam cantans totum officium faciat ipsa die.

Quomodo incipiendæ sint Passiones? Cap. XVIII.

AD Passiones vero hujus Missæ nec *Dominus vobiscum*, nec *Gloria tibi Domine* dicetur; similiter nec tertia, quarta & sexta feria. Sciendum quoque est, quod tribus vocibus dicuntur Passiones, leni scilicet, mediocri & alta. Tunc fratres non muniantur se signo Crucis, nisi prope finem, quando incipitur modus evangelii.

De Cœna Domini, & Parasceve & Vigilia Paschæ. Cap. XIX.

FEria quarta ante Pascha post Vesperas regulares officium pro defunctis cum suis antiphonis & collectis, sicuti aliis diebus, dicatur; sed de cetero non fiat. A Completorio usque ad octavam Paschæ officium sanctæ Mariæ intermittatur, & in die Ascensionis, & per octavam Pentecostes, & per octavas Assumptionis & Nativitatis sanctæ Mariæ, & omnibus sollemnitatibus ejusdem; & omnium Sanctorum, & a Vigilia Nativitatis Domini usque in crastinum Epiphaniæ. Et his diebus ejusdem commemoratio erit intermittenda. Cortina post Completorium auferatur.

De feria quarta ante Paſcha. Cap. XX.

FEria quinta ante Paſcha uſque ad feriam ſecundam poſt octavas Paſchæ, nil agatur pro defunctis excepta quotidiana Miſſa, quam tamen intermittimus in die Paraſceves & ſequenti ſabbato, & die Paſchæ, in qua tamen die hebdomadarius quotidianæ Miſſæ cantans de Reſurrectione dicat Collectam *Inclina Domine*, & ſi tricenarium fuerit, ſubjungat *Deus, cui proprium eſt*.

Item de Cœna Domini. Cap. XXI.

FEria quinta, ſexta & ſabbato ante Paſcha intervalla non facimus, ſed poſtquam nocturna laus peracta fuerit, incipiantur matutini ſine pulſatione alicujus ſigni. Interim vero dum hymnus illius horæ canitur, omnia luminaria eccleſiæ a ſecretario, excepta una candela, extinguantur. Dum cantor antiphonam ad Benedictus inceperit, candelam illam etiam idem ſacriſta extinguat, a duobus fratribus cantetur retro altari *kyrie eleiſon* cum verſibus in obſcuro poſt Benedictus; & dum prior *Pater noſter* inceperit, candelam ardentem, quæ anteaquam illa ad Benedictus extinguatur, in abſconſo occultari debet, ad Collectam dicendam in chorum deferat. His tribus diebus poſſunt pauſare in lectis ſuis, qui voluerint.

Item de Cœna Domini & Mandato. Cap. XXII.

FEria quinta ante Paſcha Miſſa celebretur poſt Nonam ſollemniter, ut in natali unius apoſtoli; poſt *Gloria in excelſis Deo*, & *Credo in unum Deum* genua non flectantur. Omneſque tam monachi, quam converſi ad magnum altare communicent, niſi aliter multitudo exegerit. Subdiaconus tot hoſtias conſervandas apponat, ut & ipſa die fratribus omnibus ſacra communio ſufficiat, & tam pro officio ſequentis diei, quam pro infirmis pars ſacræ communionis reſervari poſſit. Poſt pacem vero corpus Domini de vaſculo ſuper altare ſumatur, & ſuper patenam illa hora ſumendum ponatur. Linteum etiam mox de eodem vaſculo auferatur, aliudque a ſacriſta, illa hora præſentatum in eo ponatur illoque mutato ab eodem ſecretario, mox qui cantat Miſſam, partem ſacræ communionis in craſtinum ſervandam in vaſculo antenotato honorifice recondat, & tunc linteum vetus in patena diligenter excuſſum ſuper piſcinam comburatur, cinereſque ejus in ea percipiantur. Et ſciendum, quod hac die Miſſa privata non ſit ab aliquo cantanda, niſi pro converſis communicandis, ubi multitudo exegerit; & ipſa Miſſa de die ſit. Miſſa tamen de ſancta Maria, ad quam nullus hac die communicet, & quotidiana pro defunctis cantabitur. Poſt refectionem hora competenti portarius, niſi alteri prior juſſerit, tot pauperes eligat, quot monachi & novitii ſunt in monaſterio. Hi omnes in uno loco maneant, donec ad Mandatum ducantur; & interim aliqui converſi, quos cellerarius advocaverit, ducant pauperes in clauſtrum, ibique eos ſedere & diſcalceari faciant, incipientes ab hoſtio eccleſiæ, quo monachi exire clauſtrum & intrare ſolent. Vaſa & lintea ſeu terſoria ad Mandatum neceſſaria, aquamque calidam illuc deferant, & omnia ordinate diſponant. Quæ vaſa & cetera neceſſaria cellerarius provideat. His peractis pulſetur tabula a priore clauſtri, & conveniant monachi in eccleſiam juxta introitum, & poſtea exeant de eccleſia monachi incipientes a prioribus eo ordine, quo privatis diebus in hyeme, unus ſcilicet poſt unum vadunt in Capitulum, itaut prior omnes pertranſeat pauperes uſque ad ultimum; & Mandatum faciant pauperibus in clauſtrum. Porro fratres converſi in illius ſancti Mandati cooperatores exiſtant, aquam & terſoria monachis Mandatum facientibus competenter & diligenter adminiſtrent. Cellerarius autem, qui denarios ad opus pauperum monachis porrigit, extremis in ordine monachis innuat, ut in pauperibus infirmorum & abſentium monachorum, & portarii, qui in ultimo ordine pauperum collocandi ſunt, Mandati officium adimpleant. Infirmis de infirmitorio, qui adeſſe poterunt, ſedere liceat, & poſtquam abluerint, & exterſerint & oſculati fuerint pauperum pedes, proprias monachi manus lavent. Hoc expleto a ſingulis monachis ſex nummi ſingulis pauperibus dentur, qui denarii flexis genibus ſunt dandi, & manus pauperum oſculandæ. Poſtea vero ſimul ſe erigant monachi, iterumque veniam ante pauperes petentes dicant *Suſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio templi tui*, & poſtea eant ad loca ſua, & indutis cappis ſint, ſicuti ſolent eſſe in illa hora. Expleto Mandato pauperum ſacriſta, mox aſcitis ſibi fratribus quot neceſſariis altaria diſcooperiat, & pallas, quos inde tulerit, honeſte aptet & recondat. Ipſa die pro reverentia tanti diei reficiantur pauperes ſecundum poſſibilitatem loci vel voluntatem prioris. Veſpere itaque ante prandium tabu-

la pulsetur lignea, & ipsa hora alte cantetur, uti aliis diebus. Ab hinc vero non pulsetur campana in ecclesia usque ad Missam in Vigilia Paschæ, sed nec in Refectorio, nec in horologio. Et illud est sciendum, quod ab hinc versus in Refectorio ante cibum & post cibum, ac *Benedicite* cum benedictione potus ante collationem, versus quoque in Capitulo remissius voce humili post Vesperas in Vigilia Paschæ sint dicenda. Hora competenti monachi, qui ipso die in Capitulo ad Mandatum illius diei per tabulam sunt vocati, aquam calidam, quam ipsimet calefacere debent, in claustrum deferant, ubi autem prior in trahenda & calefacienda aqua, ac in claustrum deferenda adjutorio conversorum opus esse viderit, cellerarius sufficienter per conversos subministret. Et facto parvo intervallo eant fratres more solito in refectorio bibere. Deinde sacrista tabulam ad Mandatum percutiat, monachorum quoque conventu in claustro residente ad Mandatum, ac priore claustrali locum prioris tenente, incipiat cantor antiphonam *Dominus Jesus*, præsentibus infirmis, qui adesse poterunt, & conversis hinc inde residentibus, scilicet post ultimos monachos; tunc prior surgens & incipiens antiphonam *Postquam surrexit*, & coadiutores sui linteis præcincti lavent & tergant, & osculentur pedes omnium; itaut prior duodecim tantum, idest quatuor monachorum, quatuor novitiorum, & quatuor fratrum conversorum pedes lavet. Quod si numerus defuerit novitiorum, de fratribus conversis suppleatur. Servitores vero lavatoribus deputentur hoc modo, priori duo, ceteris autem unicuique unus, qui & aquam, & linteamina eis sufficienter administrent. Quoties vero ante priorem claustri transierint, inclinent tam prior, quam ceteri. Qui pedes lavat, & cui lavantur, post ablutionem invicem sibi inclinent. Peracto itaque obsequio prior servitorum suorum duorum lavet pedes, ceteri sibi invicem lavent. Novissime vero ex sibi deputatis, prior scilicet in eodem loco, prioris pedes lavet, alter vero tergat & osculetur. Post hoc tam prior, quam ceteri sibi vicissim aquam in manibus fundant. Deinde cappis induti veniant ad sedes suas; & tunc priore claustrali assurgente, priorique cedente, omnes pariter assurgant; eoque residente cuncti sedeant. Si tempus collationis fuerit, fiat, ut consuetum est; sin autem, differatur usque ad competentem horam. Ad collationem autem lectio evangelii, scilicet *Ante diem festum Paschæ* ab illo diacono, cui cantor præceperit, sedente sicuti aliis diebus legatur. Cujus lectionis finis in providentia est prioris. Hinc Completorium remissius mediocri voce cantetur, ita tamen ut sonus psalmodiæ clare & distincte resonet. Quod etiam ab hinc omnibus horis regularibus in psalmodia & cantu, exceptis Vigiliis & Laudibus usque ad Vesperam Paschæ fiat.

De Parasceve. Cap. XXIII.

IN Parasceve parvo post Laudes intervallo facto pulsetur tabula, & conventus veniat in chorum, oratioque fiat brevis super formas. Sollemnis vero oratio ante Tertiam persolvatur ex more. Dicta autem Prima intrent Capitulum, & sedeant more solito, ac psalterium ex integro persolvant. Expleto psalterio per totam diem fratres vacent lectioni, & ipso die sileant. Pulsato autem primo signo Nonæ discalcient se fratres in claustro. Discalceati vero intrent chorum, & induant se prior & ministri ad officium, dum Nona dicitur, pulsata prius tabula. Interim autem secretarius altaris superficiem mundis cooperiat pallis; & ab uno ministrorum duo luminaria circa altare accendantur, ut mos est festivis diebus. Deinde legatur sine titulo lectio *In tribulatione sua mane consurgent* a quodam fratre a cantore præmonito. Quam dum inceperit, ingrediatur prior & ministri ad altare nudis pedibus, confessionem solitam prætermittentes ante altare. Lectione autem finita dicatur Tractus *Domine audivi*; postea Collecta *Deus, a quo & Judas*, sed non *Dominus vobiscum*, nec *Flectamus genua*. Deinde legatur lectio *Dixit dominus ad Moysen & Aaron*. Quam non ut epistolam, sed plane legatur, & aliam prophetiam. Qua dicta canatur Tractus *Eripe me Domine*. Et subsequatur Passio, & orationes sollemnes; idest *Oremus dilectissimi*; & circa finem earumdem orationum, secretarius aliquod grossum linteum in presbyterio ante altare sternat, ubi Crux adoranda est, & duo presbyteri vel diaconi a cantore præmoniti albis se induant ad officium Crucis. Et antequam *per Dominum* ultimæ Collectæ firmatur retro altare vel juxta venientes, Crucem coopertam, jam ante Nonam a sacrista ibi depositam, finita oratione accipientes ad gradum altaris deportent; priore cum ministris ab altare descendentibus. Postea Crucem aliqua re ad hoc convenienti subnixam unus ad dexteram, & alter ad lævam tenen-

tenentes, ſtando cantent *Popule meus*. Et duo fratres ante gradum presbyterii ter dicant *Agios*, ſemel in principio flectentes genua; finito *o Theos*, & erecti cetera proſequantur. Et chorus *Sanctus* ter repetat, ſimiliter ad primum flectentes genua dicto *Sanctus Dominus*. Et hoc tam a choro, quam a fratribus tertio ſimiliter fiat. Et dum ultimum *Sanctus Deus* incipitur, qui Crucem tenent, cantu finito detegentes eam, imponant antiphonam *Ecce lignum Crucis*. Moxque omnes veniam petant e contra, & Cruces aliæ a ſacriſta diſcooperiantur. Illi autem, qui Crucem tenent, dicta antiph. *Ecce lignum Crucis*, & Cruce depoſita, primi adorent, & poſtea ambo teneant eam, donec ceteri adorent & oſculentur. Prior vero ſolus, & poſt illum inſimul diaconus & ſubdiaconus in albis ſine manipulis, & deinde duo & duo monachi, & novitii, converſique laici toto corpore proſtrati in presbyterio Crucem adorent, dicentes ter hanc orationem flexis genibus: *Salve Crux pretioſa, in qua triumphavit rex ſeculorum. Tuam Crucem adoramus Domine, tuam glorioſam recolimus paſſionem; miſerere noſtri, qui paſſus es pro nobis*; & ſic demum oſculentur Crucem tantummodo & breviter, & dum adoratur, ſtent fratres verſis vultibus ad altare, ſedeat tamen, qui voluerit. Portarius vero ipſa hora veniat & adoret, moxque ad portam redeat, ſi neceſſe fuerit. Et ſciendum eſt, quod illum ordinem, quem ad pacem & communionem accedentes ſervant, in adoranda & oſculanda Cruce ſervare debent. Iterum autem cantus ad hoc pertinens officium perſolvatur. Et ſciendum, quod liceat plures Cruces ad adorandum tam fratribus, quam converſis ad alia altaria, prout prior ordinaverit, exhiberi. Et dum hæc aguntur, prior clauſtralis aliam Crucem cum reverentia, comitante illum ſacriſta vel alio fratre, quem ſigno vocaverit, hoſpitibus, ſi affuerint, & familiæ præſentet. Poſtquam igitur omnes adoraverint, qui Crucem tenent, levantes eam inchoent antiph. *Super omnia ligna*, & protinus conventus e contra veniam petant. Fratres autem Crucem in ſuum reſtituant locum. Tunc prior & diaconus reſumptis, quæ depoſuerant, ad altare cum ſubdiacono, ſicut erant, nudis pedibus accedant, & Confeſſionem dicant. Quo facto diaconus corporale ponat ſuper altare, a ſacriſta prius ſuper miniſterium poſitum. Prior vero Corpus Domini cum vaſculo, in quo eſt, ad altare deferens, juxta corporale ponat, & cum diaconus calicem cum vino aqua mixto ſuper altare, uti ad Miſſam ſolitum eſt, ordinaverit, prior prius incenſo adhibito calicem thurificet continuo. Deinde aperto vaſculo, digitos ſuos lavet, & extractam de vaſculo ſanctam Communionem ſuper corporale ponat. Et tunc nec corpore, nec calice levato, mediocri voce dicat *Oremus præceptis ſalutaribus moniti*, & *Libera nos quæſumus Domine*. Illoque dicente *Per eundem Dominum noſtrum &c.* Corpus Domini in tres partes dividat, ac poſtea *Per omnia ſecula ſeculorum* ſummiſſa voce dicat, atque cunctis reſpondentibus *Amen*, ipſe unam partem in calicem mittat nihil dicens. *Pax Domini* nec dicetur, nec dabitur, nec *Agnus Dei* cantabitur. Deinde prior & miniſtri communicent. Interim fratres habeant facies verſas ad altare. Et poſtquam miniſtri communicaverint, conventus exeat, pedeſque ſuos muniant calceamentis. Sacriſta vero ante Veſperas pallas auferat de altari. Deinde pulſata tabula Veſperæ celebrentur, & fratres in refectorio more ſervitorum gratias agant.

De vigilia Paſchæ. Cap. XXIV.

IN ſabbato Vigiliæ Paſchæ poſt Sextam ſecretarius omnia altaria adornet. Quatuor enim pallæ abſque coopertorio ſuper altare poni debent. Pulſata poſtea tabula ad Nonam, dicendo eam prior & miniſtri veſtibus ſe induant ſacris, & ſacriſta deferat analogium, ſuper quod legitur evangelium, & librum evangeliorum ſuperpoſitum ſupra gradum presbyterii, ubi benedictiones peragi ſolent; & deferat ſimiliter cereum ſupra candelabrum non floratum, non excedentem pondus decem librarum venalium, ponens illud in ſiniſtra parte altaris. Tunc ignis in patella carbonibus vivis allatis benedicatur, & aqua benedicta aſpergatur a priore ſtante ſupra gradum presbyterii. Interim omnia luminaria eccleſiæ extinguantur, ut de igne benedicto poſtea accendantur. Cum vero candela de eo accenſa fuerit, a diacono ſtola accincto, & vultu ad Aquilonem verſo, paſchalis benedicatur cereus, adſtante ad dexteram ejus ſubdiacono candelam manu tenente. Cum autem diaconus legendo venerit ad locum illum *Suſcipe, ſancte pater, incenſi hujus ſacrificium veſpertinum*, cantor v. grana incenſi Crucem formando in eum imprimere curet. Ubi vero idem levita hoc præmiſerit *rutilans ignis accendit*, lumen de manu ſubdiaconi ſumens flammeſcere faciat. Deinde ſubdiaconus candela

dela extincta eat in locum suum. Cereus autem ardeat usque post Vesperas, & in die Paschæ ad matutinum, & ad Missam, & ad Vesperas, in loco ubi benedictus fuit, vel in alio loco congruo usque ad diem Ascensionis permansurus; & ipsa die similiter ardeat in Pascha. Benedictione ergo consummata sequatur lectio. *In principio creavit Deus*, & ceteræ sine titulo. Levita quoque in locum suum revertatur. Et sciendum, quod patella cum prædictis carbonibus non sit de presbyterio auferenda, donec cereus accendatur. Ubi si forte candela accensa extincta fuerit, de eisdem carbonibus possit reaccendi. Prior vero casula indutus jam inchoata lectione *In principio creavit Deus cœlum*, solus accedat ad altare; & Confessionem ante illud minime faciat; postquam diaconus & subdiaconus stent more solito, dum dicit orationes. Tunc etiam chori habeant vultus suos ad invicem versos. Reliquas autem lectiones cum Collectis & Tractibus, uti in codicibus constant, ordinate persolvant. Et sciendum est, quod ordo fratrum has lectiones legentium incipitur a prioribus; in sabbatis vero quatuor Temporum a junioribus. In quibus tamen a cantore considerandum est, ut ii, qui legunt, secundum Regulam possint ædificare audientes. Lectionibus vero, cantuque atque Collectis celebratis, prior casulam deponet, & diaconus stolam, & sic in locum suum eant, videlicet juxta altare. Quibus ab altari descendentibus litania dicatur a duobus fratribus ante gradum presbyterii, utroque choro simul respondente. Cum autem ventum fuerit ad illum locum *Peccatores te rogamus audi nos*, prior & ministri ad Missam se præparent. Cantore itaque vel succentore post litaniam sollemniter incipiente *Kyrie eleison*, lampades & duæ candelæ circa altare de igne benedicto accendantur, & prior cum plenario officio ministrorum ad altare accedat, & Confessionem faciat. Illoque hymnum *Gloria in excelsis Deo* pronunciante, a cantore vel succentore, *& in terra pax* prosequente, campanæ pulsentur, quousque dicatur *Dominus Deus rex cœlestis*. In hac die ad Missam *Pax Domini* dicatur, sed non *Agnus Dei*. Et post *Pax Domini* unusquisque vertat in loco suo vultus ad altare, donec prior dicat *Oremus* post *Dominus vobiscum*. Quod si cantor perspexerit tempus diei non sufficere, ut lumine diei omnia impleantur, procuret, ut aliquantulum minus morose, quam aliis diebus Vespertinales laudes psallantur.

De festis Sanctorum, quæ post sextam feriam ante Dominicam in Palmis usque ad octavam Paschæ occurrerint. Cap. XXV.

SI festivitas beati Benedicti patris nostri, seu alia festivitas duodecim lectionum, in qua non laboramus, a sabbato, quod præcedit dominicam Palmarum, & usque feriam quintam septimanæ Paschæ illuxerit, ipsa feria V. Paschæ agatur. Ipsa tamen die, qua festum occurrerit, cessent fratres ab opere, ut ceteri seculares. Si duæ, quæ prima est, agatur feria V. sequens in sabbato. Quod si a sabbato, quod præcedit dominicam in ramis Palmarum usque ad Cœnam Domini, & a feria V. usque post octavam Paschæ, festivitas duodecim lectionum, in qua laboramus, evenerit, pro festo duodecim lectionum ad Vesperas in Vigilia, & ad Laudes, & ad Missam, & ad Vesperas illius diei commemoratio fiat. Festum vero, de quo commemoratio fieri solet, assueta commemoratione fiat. Si autem a Cœna Domini usque ad feriam VI. Paschæ festivitas duodecim lectionum, in qua laboramus, vel ejus commemorationem agimus, occurrerit, nulla inde fiat mentio.

De septimana Paschæ. Cap. XXVI.

DUobus diebus, qui Paschæ diem sequuntur, erunt fratres in lectione, nec laborabunt, quia hos duos dies pro veneratione sanctæ Resurrectionis solemnes habemus, sicut festum alicujus Apostoli. Invitatoria tamen nunquam nisi in duodecim lectionibus a duobus fratribus cantentur, excepto in Vigilia Nativitatis Domini. Aliis vero quatuor diebus, qui sequuntur, laboramus; sed Missam quotidianam sollemnem agimus, ut in dominicis diebus, post Primam, in qua etiam Missa adsit unus minister & duæ candelæ ardentes juxta altare, & incensum post officium. Sciendum etiam, quod per totam illam septimanam *Gloria in excelsis Deo*, & præfatio *Te quidem omni tempore*, ac *Communicantes* & *Hanc igitur oblationem* dicenda sunt; sed *Credo in unum Deum* tantum in die Paschæ & duobus diebus sequentibus canitur. Illud etiam sane est memoriæ commendandum, quod feria II. Paschæ non dicitur ad Missam Collecta de Resurrectione, quæ Collecta in die Paschæ, & Collecta in feria II. Paschæ habent unam secretam, & eandem postcommunionem. Aliis diebus infra octavam post primam Col-

Collectam de feria dicetur Collecta de Resurrectione.

Quibus diebus duæ Missæ canuntur? Cap. XXVII.

IN Nativitate Domini & duobus diebus sequentibus, in die Innocentum, sancti Silvestri, & Circumcisionis Domini cum in dominica evenerint, & prima dominica post Apparitionem Domini, in die Paschæ & in octavo die, & in die Pentecostes duæ Missæ in conventu celebrentur. Similiter in septimana Paschæ & Pentecostes cum festum duodecim lectionum, in quo non laboramus, occurrerit, & diebus quatuor Temporum, & in Rogationibus, & in Quadragesima privatis diebus usque ad dominicam de ramis Palmarum, si festivitas duodecim lectionum illuxerit, duæ Missæ in conventu dicantur. Quarum matutinales cantet hebdomadarius præteritæ hebdomadæ. Diebus præterea, quibus laboramus, si duæ Missæ dicendæ sunt in conventu, statim post primam Missam secunda sequatur a præsentis septimanæ hebdomadario dicenda. Missas vero Sanctorum, qui habent solummodo commemorationes, & officia designata in gradali, si in dominicis diebus vel aliis festis duodecim lectionum, aut in Quadragesima, aut in diebus Rogationum, seu in Vigilia Pentecostes, vel in diebus quatuor Temporum evenerint, illi sacerdotes privatim dicere debent, quibus injunxerit cantor. Illud idem observetur de Missa Vigiliæ sancti Mathæi, cum in die aliquo quatuor Temporum evenerit.

Quibus diebus intermittendæ sint usitatæ Collectæ? Cap. XXVIII.

IN Vigilia Natalis Domini & deinceps usque ad Circumcisionem. In Cœna Domini & deinceps usque ad octavam Paschæ. In Vigilia Pentecostes & deinceps usque ad octavam, & omnibus festis, quibus non laboramus, & sabbatis quatuor Temporum, si duæ Missæ in conventu celebrentur, ad majorem Missam intermittendæ sunt usitatæ Collectæ. Quod si commemorationes occurrerint faciendæ, fiant in Missa matutinali tantum, quæ si non dicitur, nihilominus dicantur. Et notandum, quod usitatas Collectas appellamus, quæ alicui Sancto vel diei non fuerint specialiter intitulatæ. Dominicis vero diebus & festis, quibus laboramus, & in omnibus matutinalibus Missis, tres tantum collectæ dicentur, præter in octavis Domini, Paschæ & Pentecostes. Quarum finalis erit *Concede quæsumus omnipotens Deus, ut intercessio*, vel *Pietate tua*, vel *A cunctis*, seu *Sanctorum tuorum*, nisi propter speciales commemorationes fuerint dimittendæ.

Quo ordine pulsentur campanæ? Cap. XXIX.

IN Vigilia Nativitatis Domini, & in ipso die ad matutinum, & ad Missam post Tertiam & ad Vesperas, pulsentur in primis campanæ insimul, postea singillatim, & iterum insimul pulsentur; & ad *Te Deum laudamus* ipso die similiter. Qui ordo servabitur in die sancti Stephani, sancti Johannis, Circumcisionis, Epiphaniæ, & in omnibus sollemnitatibus sanctæ Mariæ, sancti Benedicti, in ramis Palmarum, in die Paschæ, Ascensionis & Pentecostes, sancti Johannis baptistæ, & apostolorum Petri & Pauli, & in die omnium Sanctorum, & in festivitate proprii vocabuli, & in dedicatione ecclesiæ.

Dominicis diebus & aliis festis ad Vesperas, & ad matutinum, & ad Missam post Tertiam, & iterum ad Vesperas pulsentur campanæ singillatim, & postea insimul. Privatis diebus in matutinis & in Vesperis singillatim tantum. In Laudibus & ad Tertiam, & ad Nonam major, ad Primam & ad Sextam, & ad Completorium minor campana. Quando aliquis moritur, ter insimul, & quando deducitur ad ecclesiam, & quando portatur ad sepulturam, & quando incipitur Missa pro eo ter insimul pulsentur campanæ.

De octavo die Paschæ. Cap. XXX.

DOminica de octavis Paschæ prima Missa erit *Resurrexi*, secunda *Quasi modo geniti*, & præfatio *Te quidem Domine omni tempore*, & *Communicantes*, & *Hanc igitur oblationem* ad utramque Missam dicantur. Secunda vero hujus diei Missa ea veneratione agatur, quæ fit in festo unius apostoli. Et sciendum, quod evangelium, quod legitur in hac die ad majorem Missam, scilicet *Cum esset sero die illo*, postquam ex integro dominica die lectum fuerit, in ceteris diebus privatis illius septimanæ mos est illud in duas partes dividere. Prima autem pars a capite incipiens usque ad *Thomas unus de duodecim* se extenditur. Secunda vero ab eodem loco usque ad finem.

De Resurrectionis tempore. Cap. XXXI.

AB octavis Paschæ usque ad Rogationes *Alleluja*, quæ dicta sunt in dominica ad Missam, privatis diebus vicissim

ſim repetantur. Similiter per octavas Aſcenſionis Domini. In dominica ante Aſcenſionem, ſi feſtum duodecim lectionum evenerit, duæ Miſſæ dicantur, matutinalis de dominica, major de feſto. Porro hebdomada poſt ſeptimanam Paſchæ leguntur Actus Apoſtolorum in refectorio, & dum ℟. *Dignus es Deus* in eccleſia cantur, liber Apocalypſis inchoatur. Cum autem ℟. *Si oblitus fuero* incipiuntur, epiſtolæ Canonicæ leguntur. A ſabbato primæ hebdomadæ Paſchæ uſque ad octavam Pentecoſtes non dicatur Reſponſorium ad Miſſam, niſi pro defunctis. Verumtamen privatis diebus, & ad matutinales Miſſas dicatur unum *Alleluja*, excepto ſabbato infra octavam Paſchæ, quando in eo duodecim lectionum feſtum, in quo non laboramus, evenerit; ad majores vero Miſſas duo dicantur *Alleluja*.

De Rogationibus. Cap. XXXII.

POſt Tertiam in diebus Rogationum duo fratres ante gradum presbyterii ſtantes cantent Litaniam, fratribus in utroque choro inſimul reſpondentibus, & ſtantibus ad invicem verſis vultibus, ſicut ad Miſſas ſolent; & ad *Peccatores te rogamus* miniſter & ſacerdos exeant, ſeſeque ad Miſſam præparent. Si autem aliqua feſtivitas duodecim lectionum in uno trium dierum Rogationum illuxerit, ipſa feſtivitas plenarie eadem die agatur. Poſt Primam vero litania dicatur, & poſtea Miſſa de jejunio cum commemoratione feſti præſentis, & alia poſt Tertiam de feſtivitate.

De Aſcenſione Domini. Cap. XXXIII.

IN Aſcenſione Domini ad Veſperas cereus paſchalis accendatur ad matutinum totum, ad Miſſam & ad Veſperas diei, tunc vero ab eccleſia ſublevetur. Commemorationes Sanctorum, quæ ea die evenire poſſunt, intermittendæ ſunt, niſi in craſtino ſubſequatur alicujus Sancti commemoratio. Similiter fiet feria quarta infra octavas Paſchæ & Pentecoſtes. Ad proceſſionem, quæ fit per clauſtrum, in prima ſtatione dicatur antipph. *Viri Galilæi* cum ℣. *In ſecula* antiph. *Pater cum eſſem*. In Tertia verſus *Pater ſancte* cum repetitione, & dicatur *Gloria Patri* cum repetitione. Ad introitum vero eccleſiæ *O rex gloriæ*. Duobus diebus ſequentibus poſt octavas non dicitur *Hodierna die* in Collecta.

De Vigilia Pentecoſtes. Cap. XXXIV.

IN Vigilia Pentecoſtes vacant fratres lectioni a Tertia uſque ad Sextam, & cantant Miſſas, qui voluerint, non tamen de Vigilia. Dicta Nona, quæ temperius agitur, celebratur officium & cetera, ut in Vigilia Paſchæ aguntur, excepto quod nec ignis, nec cereus benedicitur, & excepto, quod campanæ ad *Gloria in excelſis* non ſonantur, & quod *Agnus Dei* cantatur.

De octavis ejuſdem. Cap. XXXV.

ET ſciendum eſt, quod poſt diem Pentecoſtes antiphona *Filiæ Jeruſalem* & ceteræ, quæ propriæ per Reſurrectionem cantantur, dimittantur; & *Alleluja* in nullius cantus fine ponatur, niſi ubi in libris ſcriptum invenitur. De ſollemnitatibus autem Sanctorum, quæ in hac ſeptimana evenerint, quemadmodum de feſtis in hebdomada Paſchæ ordinavimus, ita teneatur. Tribus tamen diebus, quibus jejunamus, non dicimus *Gloria in excelſis Deo*, ſed tantum præfatio *Qui aſcendens*, & *Communicantes*, & *Hanc igitur oblationem* omnibus diebus illius ſeptimanæ tenemus. Miſſa vero una per totam ſeptimanam Pentecoſtes ſollemniter celebretur; ſicuti dominicis diebus ſtatim poſt Primam. In ſabbato vero nihil eſt ad Veſperas cantandum de feſto Pentecoſtes, ſed de ſancta Trinitate. Hiſtoria vero *Deus omnium* incipienda eſt in dominica ſecunda poſt Pentecoſten, vel in alia, ſi illa non fuerit vacua.

De dominicalibus officiis ab octava Pentecoſtes uſque ad Adventum Domini. Cap. XXXVI.

AB octavis Pentecoſtes uſque ad dominicam primam Adventus Domini ſunt ſeptimanæ XXVIII. quando prolixius eſt ſpatium temporis; quando vero brevius XXIII. dominicalia officia ſunt viginti-quatuor. Proinde in majoris ſpatio temporis quatuor extrema officia ſingula per binas dicantur hebdomadas, id eſt *Omnia, quæ feciſti* cum ſua Collecta, epiſtola & evangelium duabus dicantur hebdomadis; *In voluntate tua* duabus; *Si iniquitates* duabus; *Dicit dominus ego cogito* duabus. Prima cum ſua collecta, epiſtola & evangelio; ſecunda ſcilicet dominica ultima cum collecta *Excita*, & epiſtola *Ecce dies veniunt*, & evangelium *Cum ſublevaſſet*. Si tres hebdomadæ numerum exceſſerint officiorum ſimiliter fiat de tribus ultimis officiis. Si duæ, de duobus idem fiat. Si una *Dicit dominus*

bis

bis dicatur, cum Collecta *Deus refugium nostrum* cum ceteris. Cum vero hebdomadarum numerus minor fuerit numero officiorum *In voluntate*, & *Si iniquitates* in una dicetur hebdomada *Dicit Dominus*, bis in ultima, ita tamen quod in dominica dicetur Collecta *Deus refugium nostrum & virtus*, epistola *Imitatores mei estote*, evangelium *Abeuntes Pharisæi*. Infra hebdomadam Collecta dicetur *Excita Domine*, epistola *Ecce dies veniunt*, evangelium *Cum sublevasset*. Hoc autem observandum est, quod omnes dominicales collectæ, quæ binæ dicuntur per hebdomadam, sic disponantur, ut illa, quæ dominica die dicta fuerit, sequentibus feriis repetatur ad Laudes & ad Vesperas, usque dum alia incipiatur. Quæ cum incepta fuerit, ad Laudes, & ad Vesperas dicatur usque in sequentem dominicam. Incipienda autem erit, si fieri potest, a quinta feria.

De sollemnitatibus, quibus non laboramus, & quæ dominica non evenerint.
Cap. XXXVII.

OMnibus sollemnitatibus, quibus non laboramus, & quæ dominica non evenerint, & si alicujus Sancti commemoratio fiat, nihilominus una tantum Missa hora Tertia dicatur, exceptis festivitatibus, quæ a capite jejunii usque post octavas Paschæ & jejuniis quatuor Temporum & Rogationum, & septimana Nativitatis Domini & Pentecostes evenerint. In Inventione vero & Exaltatione sanctæ Crucis, licet Vigiliæ partim de Sanctis sint, & partim de sancta Cruce, una tamen solummodo Missa de sancta Cruce dicatur, in qua commemoratio de Sanctis fiat. Inventio tamen sanctæ Crucis si dominica ante Ascensionem evenerit, Missa matutinalis erit de dominica, & de Cruce major. De Sanctis dicatur privatim a sacerdote, cui cantor injunxerit.

De sollemnitatibus, quibus non laboramus, & quæ Dominica evenerint.
Cap. XXXVIII.

IN sollemnitatibus iterum, quibus non laboramus, & quæ dominica evenerint, una tantum Missa dicatur, scilicet de festo hora Tertia, nisi propter præsentem defunctum, & præter in octavis Domini.

De sollemnitatibus, quibus laboramus, & quæ dominica evenerint. Cap. XXXIX.

IN sollemnitatibus, quibus laboramus, & quæ dominica evenerint, si de ipsa sollemnitate officium fit, Missa dicatur de festo; dominicalis vero dicatur infra hebdomadam, nisi in sollemnitate Innocentum & sancti Silvestri, cum dominica evenerint, & in octavis Apparitionis Domini cum .... septuagesimæ coegerit, ut ipsis *Domine, ne in ira tua* cantetur, & in Adventu, & Septuagesima, & Quinquagesima & Quadragesima. Dominica tantum in Palmis, & in octavo die Paschæ, si festivitas sancti Ambrosii evenerit, Missa privatim dicatur de eo.

De dominicis diebus, quibus duodecim lectionum sollemnitates non celebrantur.
Cap. XL.

DOminicis vero diebus, quibus duodecim lectionum festivitas non celebratur, Missa erit de dominica, commemoratio vero fiat de Sancto ad Missam. Si forte alicujus commemoratio, qui officium designatum habeat in gradali, Missa privatim dicatur de eo; nihilominus ad Missam conventus fiat commemoratio. In illis duobus diebus, qui sequuntur festum Innocentum, vel illis tribus diebus, qui Circumcisionem Domini sequuntur, si dies evenerit dominicus, sicut in octavis descriptum est, fiat. Si vero infra octavas sancti Johannis-baptistæ vel apostolorum Petri & Pauli illis quatuor diebus, qui deputati sunt ad Missas eorumdem Sanctorum, dies dominicus evenerit, Missa erit de dominica. Dominica vero infra octavam Apparitionis Missa matutinalis erit de dominica, & major de octavis; nisi forte *Omnis terra* in eadem dominica cantandum fuerit. Quod cum acciderit, Missa matutinalis erit de octava, & major de dominica. Dominica vero infra octavas Ascensionis Domini & Assumptionis beatæ Mariæ, si nulla duodecim lectionum sollemnitas evenerit, Missa erit de octavis, dominicalis autem dicatur infra hebdomadam. Si vero aliis diebus infra has tres octavas sollemnitas duodecim lectionum, in qua non laboramus, evenerit, Missa erit de festo, & de octavis fiet commemoratio.

Quo ordine Missæ agantur privatis diebus?
Cap. XLI.

AB octavis Theophaniæ usque in caput jejunii, & ab octavis Pentecostes usque ad Adventum Domini omni feria secunda Missa pro defunctis in conventu dicatur; feria III. de Trinitate, seu pro familiaribus; feria IV. de dominica; feria V. de Spiritu-sancto. Hæc autem Missa intermittatur a Septuagesima usque

ad caput jejunii, pro qua repetatur dominicalis; feria VI. de Cruce; sabbato de beata Maria cum duobus *Alleluja* tempore Resurrectionis, scilicet *Post partum*, & *Virga Jesse*, & duobus ministris, excepto quod *Credo in unum Deum* non dicitur. Ab octavis autem Paschæ usque ad dominicam ante Ascensionem, & in Adventu usque ad Nativitatem idem ordo servabitur, excepto quod Missa de Trinitate, nec de sancta Cruce dicatur in Adventu; pro Missa de sancta Cruce repetatur dominicalis. Ab octava autem Paschæ usque ad dominicam ante Ascensionem III. & IV. feria Missa dominicalis repetatur; & feria V. de Resurrectione dicatur; feria autem VI. de Cruce cum *Alleluja*, versus *Dicite in..* nisi forte sollemnitas duodecim lectionum aliquam horum occupaverit diem, aut talis commemoratio alicujus Sancti, cui Missa in gradali sit attitulata, aut in Vigilia alicujus sollemnitatis, aut dies quatuor Temporum, sive Rogationum, vel præsens defunctus, aut tales festivitates, quas præcipuas agimus; & exceptis illis diebus, qui deputati sunt ad illa dominicalia officia, quæ post diem Epiphaniæ, vel post *In voluntate tua*, vel *Dicit Dominus*, alioquin propter instantem Septuagesimam, vel Adventum privatis diebus restant persolvenda; & quando aliqua dominicalis Missa in sua propria dominica dici non possit, prima die, quam post illam dominicam cantor a supradictis eventibus exoccupatam evenerit, cantatur. Infra octavas vero eorum, uti in sententia de octavis eorum scriptum est, teneatur. Feria VI. post octavas Ascensionis de sancta Cruce Missa cantatur, nisi illius Missæ venerit occasio, propter quam aliis temporibus intermitti solet. Notandum vero, quod si Missa pro defunctis feria II. pro aliquibus supradictis eventibus in conventu dici non poterit, prima ejusdem septimanæ die, quæ vacua fuerit a supradictis eventibus, dicatur.

De numero Collectarum ad Missas.
Cap. XLII.

PRivatis diebus non amplius quinque Collectis ad Missam dicatur in conventu; & notandum, quod numquam Collecta de dominica vel de sancta Cruce, idest *Deus, qui unigeniti* dicimus, nisi Missa in conventu de ipsis agatur. In Adventu tamen quotidie dicatur Collecta de dominica ad Missam, exceptis Missis pro defunctis & quatuor Temporum jejuniis, & Vigilia Nativitatis Domini. Cum tamen dominicales commemorationes in aliqua sollemnitate, quæ dominica venerit, post matutinas Laudes cantatæ fuerint, in crastino, licet dominicalis Missa forte differri debeat, Collecta tamen ad Missam dicatur. Et notandum, quod ad omnem Missam matutinalem, si eadem, quæ & major Missa non fuerit, vel de eodem Sancto, Collecta de majori Missa prima post Collectam Missæ matutinalis dicetur, excepto cum Vigilia Nativitatis Domini vel Apparitionis die dominica evenerit.

De quatuor historiis, quæ cantantur a kalendis augusti usque ad Adventum Domini. Cap. XLIII.

SI kalendæ evenerint die dominica, eadem die inchoatur historia. Si vero kalendæ in secunda, vel III. vel IV. feria evenerint, in dominica, quæ easdem kalendas præcedit, assumatur historia. Quod si kalendæ in quinta vel VI. feria, aut sabbato apparuerint, dominica sequenti imponatur historia. Et ideo si festivitas omnium Sanctorum quinta aut sexta feria illuxerit, legendum & cantandum est de libris Machabæorum ad Vigilias usque ad dominicam sequentem, in qua incipiendum est legere & cantare de Ezechiele propheta. Si autem festivitas omnium Sanctorum evenerit, de dominica ipsa die celebretur, & in sequenti nocte, scilicet feria secunda, inchoetur Ezechiel propheta, & ℟. *Vidi dominum*. Sequenti vero die dominico non legantur lectiones ad initium illius libri propter præfationem, quia non est consuetudo, ut bis legatur, sed legantur in libro lectionarii diei dominici secundi intitulatæ. Qui propheta legendus est per tres hebdomadas tam privatis, quam dominicis diebus, & post eum Daniel usque ad Adventum. Quod vero de his restat legendum ad Vigilias, ex quo ... legi desierit, legatur in Refectorio. Finito Daniele legantur in Refectorio XII. prophetiæ.

Qua septimana quatuor Temporum in mense septembris jejunia agenda sint?
Cap. XLIV.

SI dies prima kalendarum mensis septembris in secunda feria, aut tertia, aut quarta evenerit, tunc agendi sunt dies jejuniorum hebdomada Exaltationis sanctæ Crucis. Si vero kalendæ septembris in quinta feria, aut VI. aut sabbato, sive dominica evenerint, tunc in illa septimana, in qua festivitas beati Matthæi apostoli evenerit, agendi sunt.

Quomodo legantur libri in Refectorio a Pentecoste usque ad kalendas novembris? Cap. XLV.

TEmpore illo, quo canitur *Deus omnium* usque ad kalendas augusti leguntur quatuor libri Regum, & postea duo libri Paralipomenon. A kalendis vero augusti usque ad kalendas septembris interim dum canitur *In principio Deus*, legimus proverbia Salomonis, & postea Ecclesiastem, & deinde Cantica Canticorum, & librum Sapientiæ, idest *Diligite justitiam*, & postea librum Jesu filii Syrac, idest *Omnis sapientia*. In kalendis septembris quando canitur *Si bona suscepimus*, Job. In eodem mense mutatur alia historia, idest *Peto Domine*, & tunc legitur liber Tobiæ prius, deinde Judith, & postea Esther, ac postremum Esdras. Hanc autem historiam idest *Peto Domine*, nec ante pridie idus septembris, nec post XIV. kalendas octobris, sed in septem diebus ubicumque dies dominica evenerit, incipimus, excepto quod quando sollemnitas sanctæ Crucis die dominica evenerit, dominica præcedente festum dicatur *Peto Domine*. In kalendis octobris leguntur duo libri Machabæorum, dum canitur *Adaperiat Dominus*, & cum perlecti fuerint, legimus quatuor libros Evangeliorum, in Refectorio tamen usque ad Passiones, & dimissis Passionibus, quod reliquum est, legatur. A. i vero libri aliis temporibus perlegendi superius per diversa capitula dispositi sunt. Et notandum, quod quando renovatur historia, liber ille, qui tunc cum Responsoriis inchoatur, cum sua præfatione incipiendus sit in ecclesia, legendus in Refectorio, ubi octava lectio fecit finem. In libro tamen Machabæorum primo ibi lector in Refectorio incipiat, ubi quarta lectio fecit finem. De aliis libris, qui eo tempore in Refectorio postquam primus perlectus fuerit, sunt similiter legendi; non est hic obmittendum, quod de illo primo dicimus in ecclesia primitus inchoando. Si autem festo interveniente differtur historia, liber nihilominus cum sua præfatione legatur ad mensam, recipiendus in ecclesia cum historia cantabitur. Et sciendum, quod Responsorium de historia, quod proprie intitulatur ad Vesperum, quamvis semel aut iterum festo interveniente differatur, ubi prius sabbatum vacuum invenerit, dicetur, nisi forte ipsa historia vel in dominica, vel per septimanam jam decantata fuerit.

De antiphonis in sabbatis ad Magnificat *dicendis*. Cap. XLVI.

ANtiphonæ veterum librorum, & evangeliorum & epistolarum Pauli, quæ ad *Magnificat* dicuntur, idest *Loquere Domine*, & *Hæc autem scripta sunt*, & *Fratres confortamini*, & consimiles sabbati, quibus attitulata sunt, vel ad *Magnificat*, vel in commemoratione dicantur. Si quæ superfuerint, eo anno dimittantur; si quæ defuerint, ultimæ repetantur. Quotiescumque autem aliqua dominicalis Missa, quæ in sua dominica dici non potest, aliquo privato die solvitur, antiphonæ de eodem officio ad *Benedictus* & ad *Magnificat* intitulatæ eodem die dicantur. Si tamen in sua dici non possunt, quod ante Adventum & Septuagesimam propter brevitatem temporis aliquando contingit. Notandum tamen, quod quando pro brevitate temporis sabbato ante Septuagesimam dicetur ad *Benedictus* antiphona *Domine nonne bonum semen seminasti*, ad Vesperas illius diei intermittetur antiph. *Colligite primum zizania*. Similiter fiet de antiph. *Nuptiæ factæ sunt*, & *Deficiente vino*, quando Septuagesima decimo kalendas februarii evenerit. Ceteræ omnes antiphonæ ad *Benedictus* & ad *Magnificat* intitulatæ cum suis Collectis, cum in sua dominica aliqua duodecim lectionum sollemnitas celebrabitur ad com. . . . dominici diei dicuntur. In illo tamen sabbato non dicentur, quando in crastino nil agetur de dominica, quæ ante Adventum contingit, cum unum dominicale officium duas tenet hebdomadas, tunc enim antiphonæ illius officii secunda non repetentur dominica, si in duodecim lectionum sollemnitate celebratur.

De festis Sanctorum, quæ dominicis diebus vel Ascensione veniunt. Cap. XLVII.

FEstivitas Sanctorum, quibus non laboramus, si in octava die Paschæ vel in die Ascensionis, vel in Septuagesima vel in dominica aliqua, in qua aliqua historia incipienda est, quæ sequentem dominicam non habuerit, evenerint, in crastinam celebretur. Purificatio tamen beatæ Mariæ numquam differatur. Et si illa historia duas dominicas vel plures habuerit, & illæ dominicæ festivitates fortasse præcipuas habuerint, historia dicatur in illa festivitate, quæ minoris videtur esse auctoritatis, & festivitas in crastino dicatur. Minores autem festivitates, in quibus duodecim lectiones

ctiones habemus, & operamur, in tali necessitate intermittantur, & commemoratio ad Vesperas & ad Laudes, ad Missam fiat de Sanctis, & iterum ad Vesperas illius diei, & Missa privatim de ipsis dicatur. Nec Missa cantetur de sancto Ambrosio in conventu, sed privatim. Si dominica in Palmis vel octavo die Paschæ evenerit, Collecta de eo dicetur ad Missam de conventu. Ubi vero supradicta necessitas non intervenerit, minores festivitates non omittantur, nec differantur, sed suo die celebrentur, etiamsi quælibet historia incipienda est, quæ aliam dominicam habeat, in qua cantari possit, excepto si in dominica Septuagesimæ hujusmodi evenerit festum.

De festis Sanctorum, quæ veniunt in sabbatis. Cap. XLVIII.

IN sabbatis Adventus Domini & Septuagesimæ & Quinquagesimæ sive Quadragesimæ, si festum fuerit, Vesperæ de dominica agantur, & fiat de Sancto commemoratio. Si festum Purificationis & Annuntiationis beatæ Mariæ, & festum beati Benedicti, & dedicationis ecclesiæ, & si aliquod festum, in quo non laboramus, sabbato intra octavam Paschæ evenerit, excipiantur ab ista lege, & habeant festa plenarie Vesperas suas, & fiat commemoratio de dominica. In ceteris sabbatis habeant omnia festa plenarie Vesperas suas, nisi supervenerit alia sollemnitas, quæ eis debeat auferre. Et notandum, quod festum sancti Mathiæ secunda die bisexti semper agi debet, nisi in sabbato, quod præcedit dominicam Septuagesimæ, Quinquagesimæ, Quadragesimæ evenerit.

De Vigiliis. Cap. XLIX.

CUm Vigilia Assumptionis beatæ Mariæ vel sancti Johannis-baptistæ vel apostolorum Petri & Pauli, vel sancti Laurentii, aut sancti Matthæi, sive apostolorum Simonis & Judæ, aut omnium Sanctorum, vel sancti Andreæ apostoli dominica evenerit, Missa de Vigilia & jejunium fiat præcedenti sabbato.

De octavis Domini & Sanctorum. Cap. L.

PEr octavas Apparitionis & Ascensionis Domini, & etiam Assumptionis beatæ Mariæ quotidie celebretur Missa de octava, nisi interveniat festum alicujus Sancti, qui habeat in gradali officium designatum, vel aliquo die aliqua dominicalis Missa, quæ in sua dominica dici non potuit, dicenda occurrerit, vel sollemnitas duodecim lectionum, quæ id impedire debeat, evenerit, vel præsens defunctus fuerit, aut Missa pro defunctis more solito, idest feria secunda tantum in conventu dicenda occurrerit. Et notandum, quod si Inventio sanctæ Crucis dominica infra octavas Ascensionis Domini evenerit, ad Vesperas & ad Laudes, & iterum ad Vesperas fiat primitus commemoratio de martyribus, deinde de dominica, post de Ascensione Domini. Missa erit de Cruce, in qua fiat primo commemoratio de martyribus, postea de dominica & de Ascensione. Ipsa vero Missa dominicalis idest *Exaudi Domine vocem* differatur. Dominica vero infra octavas Assumptionis beatæ Mariæ totum, sicut in libris ordinatum est, tam per diem, quam per noctem de octavis dicatur. Verumtamen si in hac dominica festum sancti Bernardi evenerit, totum de festo fiet. Dominicalis vero Missa differetur in septimana dicenda. Sabbato tamen ad Vesperas & die dominico ad Laudes & ad Vesperas post commemorationes de octavis, fiet commemoratio de dominica. Cum autem in octavis sancti Laurentii hæc ipsa dominica evenerit, totum, sicut superius dictum est, dicatur, & ad Laudes fiat in primis commemoratio de dominica, deinde de sancto Laurentio; Missa vero erit de octavis. Infra octavas sancti Johannis-baptistæ prima die post sollemnitatem de ipsa Nativitate in conventu Missa canatur; nisi præsens defunctus prohibuerit, seu festum dominicalis Missa, quæ sua dominica dici non potuit, solvendum tunc fuerit. Et cum aliquid horum ea die de sancto Johanne Missam cantari impedierit, quarta die ab ipsa Nativitate Missa de sancto Johanne cantetur, nisi forte & hoc ipsum aliqua de prædictis causis impediat. Si vero prima die post sollemnitatem Missa de ipsa Nativitate dicta fuerit in conventu, quarta die ab ipsa Nativitate Missa in conventu pro defunctis dicatur, nisi forte in eadem septimana ante ipsam Nativitatem dicta fuerit, vel forte in ipsa quarta die dies fuerit dominicus. Quod si in eadem septimana ante ipsam Nativitatem dicta fuerit Missa pro defunctis, Missa iterum de sancto Johanne in ipsa quarta die dicatur, nisi forte in ipsa feria secunda evenerit. Quod si feria secunda fuerit, Missa pro defunctis dicatur. Quæ tamen non cantetur, nisi prius de octavis semel cantata fuerit. Infra octavas vero apostolorum

rum Petri & Pauli, de quinta vel septima die ab eorumdem Sanctorum sollempnitate observetur similiter, ut Missa de eisdem apostolis cantetur, nisi forte aliqua de prædictis causis illud impediat. Reliquis vero diebus a Nativitate beati Johannis-baptistæ usque ad octavas apostolorum Petri & Pauli Missæ de Sanctis, qui in kalendario scripti sunt, cantentur. Notandum sane in his octavis, quod in commemoratione sancti Pauli ad Laudes fit in primis commemoratio de sancto Johanne-baptista, deinde de sancto Petro, & ad Missam de eodem. Similiter commemoratio de sancto Stephano, & beato Johanne evangelista, & sanctis Innocentibus, atque de sancto Andrea apostolo quotidie ad Laudes & ad Vesperas, & ad Missam per octavas suas agatur, & Missa in octavo die celebretur de eis. De octavo die sanctæ Agnetis virginis & sancti Laurentii martyris nil aliud agatur, nisi tantum in octavo die commemoratio ad Vesperas & ad Laudes, & Missa, quæ eadem die proprietatem habet, de his persolvatur. Sanctorum commemorationes scilicet Johannis & Pauli, & Leonis papæ, necnon & ceterorum Sanctorum, qui per octavas sancti Johannis-baptistæ seu apostolorum Petri & Pauli, sive Andreæ apostoli plerumque eveniunt, semper debent pronunciari in primo post Vesperas regulares. Deinde vero sequantur commemorationes aliæ, quæ pertinent ad istas prædictas Sanctorum octavas. Quando tres antiphonæ tantum habentur super psalmos in vigiliis, & occurrunt psalmi, qui dividuntur in quarto loco, ut *Noli æmulari*, & *Attendite popule meus*, sub secunda antiphona dicantur tertius psalmus & quartus totus. Porro quintus solus idest *Domine ne in furore tuo*, & similiter *Deus venerunt gentes* sub tertia antiphona.

De Purificatione sanctæ Mariæ. Cap. LI.

IN purificatione sanctæ Mariæ post Tertiam benedicat prior candelas jam a secretario antea in presbyterio delatas, postea vero aqua benedicta aspergat. Cantor itaque cum priori candelam accensam obtulerit, imponat antiphonam *Lumen ad revelationem*, cui etiam subjungat versum *Nunc dimittis*, uti in libris invenitur. Interim prior vel alius, qui celebrat, si prior defuerit, reliquas candelas monachis & novitiis, ac conversis laicis, familiæ etiam & hospitibus, si affuerint, prout melius expedire viderit, distribuat; deinde fiat processio per claustrum, ad quam diaconus Crucem, subdiaconus quoque aquam bajulet; & sicut in processione Palmarum prænotavimus, ita ut in hac processione in eundo & in stando se habeant. Porro cantor ad exitum processionis antiphonam *Ave gratia plena* imponat. Qua finita sequatur alia antiph. *Adorna thalamum*. Post quam subrogetur antiph. *Responsum accepit Simeon*, & fiant tres stationes, per unamquamque antiphonam scilicet una statio. Ad introitum vero ecclesiæ prior incipiat antiph. *Hodie beata Virgo*, & omnibus introgressis, & prædicta antiphona finita Missa sollempniter celebretur. Igitur postquam diaconus evangelium legerit, & priori munus Deo sacrandum obtulerit, ipseque diaconus idem munus more solito super altare ordinaverit, prior candelam suam reddat sacristæ; & diaconus priori candelam suam offerat, & postea subdiaconus. Deinde veniat prior ad gradum presbyterii, & ceteri offerant candelas suas a prioribus incipientes; manum prioris seu sacerdotis, si prior defuerit, osculando. Quas candelas sacrista & solatius ejus a manu prioris suscipientes extinguant. Deinde prior ad altare revertens thurificet illud, & manus abluat; si vero die dominico festum Purificationis sanctæ Mariæ evenerit, more solito ante Tertiam prior exorcismum aquæ faciat, & post Tertiam fiat processio.

De Canticis. Cap. LII.

DOminica de Nativitate Domini scilicet *Populus, qui ambulabat*, in die nativitatis domini, Circumcisionis, Theophaniæ, & octavo die ipsius Theophaniæ, & omnibus etiam dominicis diebus infra istos dies, nisi forte in ipsa dominica festum alicujus Sancti duodecim lectionum agatur, & in Purificatione sanctæ Mariæ dicantur. Cantica vero de Pascha, scilicet *Quis est iste, qui venit de Edom*, dicantur omnibus dominicis a Pascha usque ad Pentecosten, nisi aliud festum celebretur, & die Ascensionis & octavo die ipsius, & die Pentecostes. In dedicatione ecclesiæ dicantur Cantica, scilicet *Lætatus sum*; *Nisi dominus ædificaverit*; *Lauda Jerusalem*. In Inventione sanctæ Crucis, & Exaltatione *Domine audivi*; *Pro iniquitate*; *Egressus es in salutem*. In Annuntiatione & Assumptione, & Nativitate & dominicis infra octavas Assumptionis & Nativitatis sanctæ Mariæ, & in octavis ejusdem, necnon in natali unius virginis *Audite me divini*

fru-

fructus. In festivitate sancti Michaelis archangeli *Domine miserere nostri*, & in omnibus dominicis diebus exceptis illis, quos supra diximus. In Nativitate & Decollatione sancti Johannis-baptistæ, & in natali unius martyris & unius confessoris *Beatur vir, qui in sapientia*. In Nativitate apostolorum & plurimorum martyrum *Vos sacerdotes Domini vocabimini*.

De festis, in quibus laboramus. Cap. LIII.

DIes festi duodecim lectionum, in quibus laboramus, hii sunt. Festum sancti Silvestri, Octavæ epiphaniæ, Fabiani & Sebastiani mm., Agnetis virginis, Vincentii martyris, Agathæ virginis, cathedra sancti Petri, Gregorii papæ, Ambrosii episcopi, Octavæ Ascensionis, commemoratio sancti Pauli, octavæ sancti Johannis-baptistæ, octavæ apostolorum Petri & Pauli, Vincula sancti Petri, octava Assumptionis sanctæ Mariæ; Augustini episcopi, Decollatio sancti Johannis-baptistæ, Octavæ Nativitatis sanctæ Mariæ, Mauricii cum sociis suis, Hieronymi presbyteri, Remigii episcopi, Cæciliæ virginis, Clementis martyris, Luciæ virginis, sanctorum Innocentium.

Quibus temporibus, & quo ordine celebrandum sit officium Defunctorum?
Cap. LIV.

OFficium defunctorum quotidie agitur, exceptis diebus duodecim lectionum; & a Vigilia Nativitatis Domini usque in crastinum Epiphaniæ, & tribus diebus ante Pascha & tota septimana Paschæ & Pentecostes. A kalendis ergo novembris usque in Cœnam Domini in intervallo, quod sequitur Vigilias, privatis diebus agatur officium pro defunctis, scilicet Vigiliæ & Laudes. In quo officio dum frater hebdomadarius incepta antiphona postquam inclinaverit versus altare, resideat. Ceteras vero antiphonas incipiant fratres alternatim, sicut ad Vesperas regulares, stantes & inclinantes, sicut hebdomadarius facit. Qui hebdomadarius dicturus versiculum post psalmos, surgat, & stans contra altare dicat versiculum. Et dum sacerdos hebdomadarius dixerit *Et ne nos*, & respondentibus aliis *Sed libera nos a malo*, inclinans ad altare incipiat lectionem, & finita lectione iterum inclinet ad finem singularum lectionum & singulorum versuum; & versu tertii responsorii dicto, resideat incipiendo *Exultabunt*. Finito *Laudate Dominum de Cœlis*, dum fratres dixerint *Requiem æternam*, surgant. Similiter faciant post *Confitebor*. Quem versum idest *Requiem æternam* solus ille chorus, cui competit, dicat. Dicta autem antiphona post *Laudate Dominum de Cœlis*, hebdomadarius incipiat antiphonam *Ego sum resurrectio & vita*, & *Benedictus* dicatur aliquantulum productius, & *Magnificat* similiter ad Vesperum pro defunctis. Ergo antiphona cantata post *Benedictus* prosternant se fratres super formas, si tempus fuerit prosternendi; sin autem reclinent se super misericordias, & dicant *Pater noster* sub silentio. Et dicente hebdomadario sacerdote, *Et ne nos*, & conventu respondente *sed libera nos a malo* incipiat ipse hebdomadarius psalmum *De profundis*, qui semper dicatur ad Laudes pro defunctis tam in æstate, quam in hyeme, quæque percantet uterque chorus alternatim. Quo expleto & dicto *Requiem æternam*, sicut ad ceteros psalmos, quos sequuntur antiphonæ, dicat sacerdos *A porta inferi*, & *Dominus vobiscum*, & postea Collectas ordine consueto; quibus expletis & *Dominus vobiscum*, & *Requiescant in pace*, respondeant *Amen*, antequam surgant; & tunc surgentes & ad altare inclinantes discedant. Post Vesperas vero diei dicantur Vesperæ pro defunctis, psalmo *Lauda anima mea Dominum* ante Collectas a sacerdote hebdomadario incepto. Ab octava vero Paschæ usque ad kalendas novembris celebretur officium defunctorum post Vesperas diei, ita scilicet, ut prius dicantur Vesperæ pro ipsis defunctis, & deinde subsequatur Vigilia sequentis diei, & dicto tertio responsorio, dicat hebdomadarius ℣. *Audivi vocem de cœlo dicentem*, habens faciem ad alterum chorum, nec inclinet ante vel post, & responso a conventu *Beati mortui, qui in Domino moriuntur*, prosternantur aut residеant, sicut superius dictum est. Circa vero finem Vigiliæ, scilicet post *Pater noster*, dicatur psalmus *Lauda anima mea Dominum*, quem incipiat hebdomadarius sacerdos. Laudes vero ipsorum defunctorum peragantur in crastino post nocturnos regulares. Quod officium tali ordine celebratur in hebdomada, ut secunda & quinta feria dicantur tres primi psalmi hyemis tempore, scilicet *Verba mea*, & ceteri, nisi præcedenti dominica dicti fuerint, & tres primæ lectiones, idest *Parce*, &c. Tertia autem & Sexta feria tres medii psalmi, idest *Dominus regit me* &c. cum lectionibus, idest *Responde mihi* &c. Quarta vero feria & sabbato tres ultimi psalmi idest *Expectans expectavi* &c. cum lectionibus *Spiritus meus attenuabitur* &c. Quod si aliqua festivitas duodecim

decim lectionum infra septimanam evenerit, vel etiam si plures fuerint, nihilominus tamen remaneant, quin proprii psalmi cum lectionibus & responsoriis suis in suo proprio die dicantur, sicut superius prænotatum est.

Quo ordine dicantur Collectæ pro defunctis? Cap. LV.

OMnipotens sempiterne Deus, cui nunquam, pro fratribus & sororibus nostri ordinis, nec non & pro patribus & matribus, fratribus & sororibus, & familiaribus nostris dicatur prius; deinde *Fidelium Deus omnium*. Quæ duæ Collectæ dicantur assidue tam ad Vesperas, quam ad Laudes, sive ad Vigiliam Vesperis conjunctam. Et ad Missam pro defunctis, quæ dicitur infra hebdomadam in conventu, tantum Collectæ pro defunctis dicantur; ita tamen quod Collecta *Omnipotens sempiterne Deus, cui nunquam*, ceteris præponatur, nisi alicujus defuncti nostri benefactoris specialis memoria fuerit facienda. Nam tunc postponenda erit Collecta *Deus cui proprium*. In anniversario vero Collecta... *Domine quæsumus, ut anima famuli tui, cujus anniversaria*. Quod si episcopus fuerit; Collecta *Deus, qui inter apostolicos*. Si femina fuerit *Quæsumus Domine pro tua pietate*, & hoc tam in Vesperis, quam in Laudibus, & ad Missam. Si præsens defunctus fuerit, & Missa pro eo dicatur, dicetur Collecta *Inclina Domine* tantum. Sciendum etiam, quod in tribus Missis, quas pro quolibet fratre & sorore dicere debemus, dicitur Collecta *Inclina Domine* singulariter, nisi in Capitulo pluraliter dici præcipiatur.

De officiis Defunctorum præcipuis. Cap. LVI.

IN festo omnium Sanctorum in unoquoque monasterio nostri ordinis lecta tabula commemorante cantore a præsidente capituli fiat absolutio hoc modo *Animæ omnium fidelium defunctorum requiescant in pace*. Et responso a conventu *Amen*, præsidens in capitulo dicat, quod pro eis amplius fieri debeat, videlicet ut ab unoquoque sacerdote tres Missæ & a ceteris unum psalterium dicatur. Qui psalterium nesciunt, centum-quinquaginta *Miserere*, vel qui nesciunt *Miserere*, toties *Pater noster* dicant. Quod debitum quam citius commode poterunt, fratres devotissime studeant adimplere. Eodem quoque die ad Vesperas incipiatur sollemne anniversarium, nisi forte in crastinum dominicalis dies occurrerit. Quod cum contigerit, absolutio tamen non differatur. Et ipso die dominico ad Vesperas incipietur sollemne anniversarium, & sequenti die post Vigilias regulares anniversarium sollemniter agetur. Incipiat hebdomadarius tertiæ septimanæ *Dirige*, qui cantet lectiones & versus primi nocturni. In secundo hebdomadarius secundæ septimanæ incipiat *In loco pascuæ*, qui cantet lectiones, & versus ejusdem nocturni. In tertio præsens hebdomadarius incipiat *Complaceat*, qui cantet lectiones & duos versus. Dicto autem versiculo ante lectiones in quolibet nocturno resideant fratres super misericordias dicentes *Pater noster* sub silentio. In cujus fine dicat sacerdos hebdomadarius *Et ne nos*, aliis respondentibus *Sed libera nos*, sedeant fratres usque ad repetitionem tertii responsorii cujuslibet nocturni. Finita tertia lectione tertii nocturni debet cantor stando incipere *Libera me Domine*. Et surgant omnes & cantent responsorium omnes stando. Similiter psalmi & antiphonæ in Vesperis & in Vigiliis & in Laudibus stando, aliquantulum morosius decantentur. Incipiente hebdomadario invitatorii antiphona *Exultabunt*, Laudes perficiantur. Collecta vero in Vesperis, in Laudibus, & ad Missam *Fidelium Deus* tantum. Si præsens defunctus fuerit, Collecta de eo præponatur. Ad istam igitur Missam ℟. *Si ambulent*, & Tractus *Absolve*, communiter ab utroque choro cantetur. Quibus officiis & Missis & absolutionibus debent esse omnes fratres, nisi gravis causa eos prohibuerit. Idem ordo erit per omnia observandus in anniversario, quod agitur primo die vacante post dominicam Septuagesimæ, excepto quod ipsa die dominica a præsidente in capitulo isto modo fiat absolutio: *Animæ omnium fratrum, sororum, familiarium ac benefactorum ordinis nostri, & parentum nostrorum defunctorum requiescant in pace, amen*. Collecta vero erit. *Deus veniæ largitor & humanæ salutis auctor quæsumus clementiam tuam, ut nostri ordinis fratres, sorores, familiares, benefactores ac parentes nostros, qui ex hoc seculo transierunt, beata Maria semper virgine intercedente, cum omnibus Sanctis tuis ad perpetuæ beatitudinis consortium pervenire concedas. Per.*

Quo-

Quomodo se agant sacerdotes & ministri ad Missas festivas? Cap. LVII.

IN duodecim lectionibus, quibus non laboramus, & in Vigilia Nativitatis Domini & duobus diebus post Pascha ad majores Missas tantum, & in Nativitate Domini ad omnes Missas, & tribus diebus ante Pascha, & in Vigilia Pentecostes, & in Missa pro præsenti defuncto, sacerdos induat se ad celebrandum Missam cum diacono & subdiacono, quos adjuvent ad induendum & exuendum servitor ecclesiæ & subdiaconus præteritæ septimanæ, si necesse fuerit, scilicet ante Tertiam, dicendo Tertiam sanctæ Mariæ, aut post primum signum horæ. Quibus indutis diaconus & subdiaconus cum manipulo & stola eant præparare facientes reverentiam ad ipsum altare. Diaconus vero ponat librum super dextrum cornu altaris. Tunc revertantur juxta sacerdotem, ubi stare vel sedere consueverint revestiti, hoc ordine, scilicet ut superior sit sacerdos in parte Orientali, post eum diaconus, & post diaconum subdiaconus. Ad Tertiam vero cum sacerdote ambo maneant, ut eis & .... ad psalmos liceat. Finita autem hora subdiaconus porrigat casulam sacerdoti, qui eorum adjutorio indutus, & fratribus, qui cantant introitum incipientibus *Gloria patri* veniat cum ministris ante altare isto ordine, scilicet subdiaconus præcedat, postea diaconus. Cum autem pervenerint ante altare, sacerdos, qui posterior erat, in medio eorum collocatus, stante diacono ad dexteram, & subdiacono ad sinistram profunde inclinantes ad altare dicat sacerdos *Confitemini*, & *Confiteor &c.* postea dicat *Adjutorium*. Finita tandem Confessione accedat ad altare osculando labrum medii altaris, prius tamen sublato coopertorio altaris a diacono & subdiacono, & ascendendo dicat hanc orationem *Aufer a nobis Domine*; & osculando dicat *Oramus te Domine &c.* Et tunc diaconus & subdiaconus revertantur, ubi prius steterunt, & ibi sint, usquedum sacerdos debet dicere *Dominus vobiscum*, vel *Gloria in excelsis Deo*. Quam dum inceperit diaconus, accedat post sacerdotem, & subdiaconus post diaconum. Dicta autem *Gloria in excelsis Deo* a sacerdote revertantur in locum suum, reverentia tamen facta profunde ad altare. Cum autem dixerit *Dominus vobiscum*, tunc diaconus trahat ei reverenter casulæ medium deorsum, & hoc duabus manibus, & tunc diaconus & subdiaconus incurventur ad primam orationem. Quod si plures orationes dicendæ fuerint, erigantur statim post primam. Subdiaconus vero eat præparare calicem, quam præparationem debet facere, vel quando sacerdos dicit orationes, vel quando chorus cantat *Gloria in excelsis Deo*, vel etiam post epistolam, secundum quod ei melius visum fuerit. Post ultimam vero Collectam subdiaconus descendat legere epistolam ante gradum presbyterii contra medium altaris, versa facie ad ipsum altare, inclinans priusquam incipiat legere, & postquam legerit, similiter inclinet. Quod si forte in ipsa epistola erraverit, tandem perlecta satisfaciat, ibidem ponens manus ad terram sub gradu super alba sine flexione genuum, tam festis diebus, quam privatis, prius tamen deposito libro in locum suum. Interim sacerdos usque ad evangelium sedere poterit, similiter & diaconus, & si tunc evangelium legere voluerit, poterit. Perlecta autem epistola subdiaconus sedeat juxta diaconum, aut eat in chorum cantare cum aliis, si tamen necesse fuerit, vel si non præparavit prius calicem, tunc præparare poterit, isto tamen ordine. Extracto prius de suo vase calice reverenter denudet eum, & ponat in loco, ubi consuevit præparari, in quo cum vinum cum discretione posuerit, patena cooperiat, super quam etiam ponat hostiam unam, vel si aliqui communicandi sunt, secundum numerum ponat personarum. Tunc calicem cooperiat de offertorio, super quo debet præparari. Quod offertorium ita caute poni debet, quod calix possit super id poni, & postea cooperiri, si necesse fuerit. Quod si sacerdos non sederit, & diaconus prævidere evangelium voluerit, stando prævideat super analogium. Cum autem fuerit hora legendi evangelium, sacerdos redeat ad dextrum cornu altaris, & diaconus ponat librum super analogium, & convertens se ad ipsum sacerdotem petat ab eo benedictionem, sub silentio dicens *Domne jube benedicere*, ad quem conversus sacerdos dicat *Dominus sit in corde & in ore tuo, ut digne annuncies evangelium Christi*. Qua benedictione data reducat idem sacerdos vultum suum ad altare, sicut erat prius, ita se habens usque post *Gloria tibi Domine*. Quod dum dicitur, signet se habens usque post *Gloria tibi Domine*. Quod dum dicitur, signet se, & convertat faciem suam ad evangelium stans cum tremore. Diaconus vero accepta benedictione vertat se ad librum, & cum dixerit

dixerit *Sequentia sancti evangelii*, signet se, sicut alii se signant cum dicitur *Gloria tibi Domine*. Perlecto autem evangelio, si forte erraverit in ipso, vertat se ad Orientem, satisfaciens eo modo, quo diaconus. Deinde inclinet se versus Orientem, postea ferat librum apertum, & ponat super altare, ostendens sacerdoti digito initium evangelii, quod legit, & sacerdos osculetur. Sacerdos vero post finem evangelii reducens vultum suum ad altare incipiat *Credo in unum Deum*, si tamen tunc dicendum fuerit, stantibus diacono & subdiacono post eum in ordine suo, & facta reverentia ad altare recedant ministri. Tunc vero diaconus abluat digitos suos aqua data sibi a subdiacono, quos tergat ad manutergium ad hoc præparatum, & statim accedat ad altare, & displicet corporale, stante sacerdote ad sinistrum cornu altaris, & ipso diacono dicente orationem, scilicet *In tuo conspectu Domine &c.* Quo displicato recedat; dicto autem *Credo in unum Deum*, dicat sacerdos *Dominus vobiscum*, & *Oremus*, & tunc non retrahat ei diaconus medium casulæ. Subdiaconus autem expedite eat ad calicem, quo reverenter cum duabus manibus de offertorio coopertis elevato, repræsentet illum diacono juxta dextrum cornu altaris, qui diaconus offerat ampullam aquæ sacerdoti osculando ei manum, stans inter sacerdotem & subdiaconum. Et tunc diaconus accipiens patenam calicem discooperiat, sacerdos vero aquam in calice ponat, orationem dicendo *Ex latere Domini &c.* & ponat ampullam versus subdiaconum super altare, & tunc diaconus remittat patenam super calicem. Postea vero accipiens calicem de manu subdiaconi cum duabus manibus reverenter ponat eum super altare juxta cornu, non osculata ei manu a subdiacono. Cum autem sacerdos patenam acceperit, veniat ad medium altaris, & reverenter dicat *Suscipere digneris &c.* & tunc diaconus accipiat calicem per pomum & stans ad dexteram sacerdotis ad altare dicat & ipse *Offerimus tibi Domine &c.* Dictis autem orationibus sacerdos porrigat patenam versus Crucem, & retrahendo ad se similiter faciant Crucem, sacerdos cum patena & diaconus cum calice dicendo *In nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti*. Deposito vero calice caute ultra hostiam depositam, cooperiat eum diaconus corporali, sacerdos vero porrigat patenam eidem, quam deponat super altare in dextera parte, & mittat tunc ipse diaconus manum ad pedem calicis impressis firmiter digitis, & tunc sacerdos signet hostiam & calicem, & postea recedat diaconus parum ab altari. Subdiaconus autem veniens cum thuribulo & incenso repræsentet sacerdoti, & sacerdos mittat incensum in thuribulo benedicendo *In nomine Patris &c.* Quo benedicto accipiat thuribulum de manu subdiaconi osculantis sibi manum. Tunc diaconus mittat manum ad pedem calicis, sicut prius & subdiaconus inter sacerdotem & diaconum sub brachio sacerdotis restringat casulam; & tunc sacerdos thurificet hostiam & calicem isto modo: semel faciat Crucem super utrumque, semel volvat illud circa calicem dicendo *Dirigatur oratio mea &c.* Iterum semel porrigat versus Crucem, semel reducat inter se & altare a sinistro cornu usque ad dextrum, & postea reducat ad dextram altaris, & sic reddat illud subdiacono, semel versus vultum ejus porrigens. Quo accepto subdiaconus thurificet sacerdotem retrahendo medium casulæ deorsum, & postea reddat ministro, ut collocet illud in locum suum; & tunc subdiaconus det ei aquam, qui abluendo digitos dicat *Ablue Domine &c.* Et ad manutergium ad hoc præparatum tergat, curvans se ante altare dicat *Suscipe sancta Trinitas &c.* Quod si debet accipere offertam, prius descendat ad accipiendam. Qua accepta faciat, ut dictum est. Dictis autem orationibus vertat se ad chorum mediocriter, ita ut possit audiri dicens *Orate pro me fratres*. Quod dum dixerit, reducat vultum suum ad altare, eadem parte dextra videlicet, qua se vertit ad chorum, postea vero trahat se ad librum, qui est in sinistro cornu altaris, dicens secretas. Et provideat ipse sacerdos, ne disjungat digitos, quibus debet tractare Corpus Domini; postquam aqua eos abluerit, nisi dum fecerit Cruces super hostiam & calicem, vel quando se signat. Subdiaconus vero eadem hora accipiens patenam offertorio coopertam veniat post diaconum, supplicans contra altare, & deinde erigens se supponat sinistram manum sub brachio dextro, ut levius ferat ipsam patenam. Diaconus autem quando sacerdos dicit *Orate pro me*, non debet reducere vultum ad chorum, sicut consuevit facere, quando sacerdos se vertit ad chorum, neque trahere ei casulam. Subdiaconus vero numquam se vertit ad chorum. Ut autem sacerdos secretas finierit, trahat se contra medium altaris dicens *Per omnia secula*, sed non elevans manus usque ad *sursum corda*. Finita vero præfatione

tione sacerdos inclinet se ante altare dicens *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*, breviter diacono & subdiacono intra se assistentibus. Qui cum ad *Benedictus*, *qui venit* se signaverint, & subdiaconus cum patena se signaverit, ministri revertantur in locum suum post sacerdotem, & non sint curvi, sed erecti. Sacerdos vero curvus dicat *Aperi Domine os meum &c.* & elevatis manibus mox incipiat *Te igitur*, percurrens canonem, sicut habetur in libro. Qui cum venerit ad *qui pridie*, sumat hostiam, & elevans ante calicem paulo altius inter illos digitos, quos ad hoc conservavit, benedicat eam; si vero plures fuerint, simul omnes benedicat, & interim utraque manu eam teneat, usquequo dicat *Hoc est corpus meum*, & elevet superius, ut a circumstantibus videri possit; & tunc demum remittat eam in loco suo. Cum autem dixerit *Simili modo*, accipiat calicem stringens corporale cum calice inter utramque manum, & sic elevet eum paullulum, usquedum dixerit *Benedixit*, & tunc deponat faciens signum Crucis desuper, quod postquam fecerit, elevet iterum, sicut superius, donec dicat *In mei memoriam*, & tunc dimittat. Præcurso igitur canone incipiens *Supplices te rogamus*, incurvet se ante altare, donec dixerit *ex hac altaris participatione*. Et tunc erigat se osculans labium altaris ante calicem; & signans se post signatum Corpus & Sanguinem, quando videlicet dixerit *omni benedictione*. Et cum dixerit *Nobis quoque peccatoribus*, pectus tundat semel & leniter, exaltando vocem parumper, ut possit leniter audiri. Diaconus vero, quando viderit post incurvationem secundo calicem signari, accedat ad dexteram sacerdotis, & osculans altare componat se honeste ad discooperiendum calicem. Et deposito prius corporali super altare, ponat digitos suæ dexteræ super pedem calicis. Cum autem sacerdos fecerit tres Cruces super calicem discoopertum, quartam faciat ante labium ipsius calicis dicendo *& tibi Deo Patri*. Cum vero dixerit *omnis honor & gloria*, teneat utraque manu Corpus Domini super calicem. Quo incipiente *Per omnia secula*, sublevent calicem ipse & diaconus parum usque post dictum *Oremus*. Tunc deponatur, & iterum a diacono cooperiatur, & sic diaconus revertatur ad locum suum. Cantata vero oratione dominica offerat subdiaconus diacono patenam cum offertorio, & secedat ad dexteram altaris. Diaconus vero interim teneat eam discoopertam, & postea offerat eam sacerdoti osculans ei manum. Qua oblata reddat offertorium subdiacono, ipse vero reponat eum plicatum. Quo recondito revertatur, ubi stare consuevit post diaconum. Diaconus vero discooperiat calicem positis digitis super pedem calicis. Tunc sacerdos accipiens patenam signet se cum ea, & ponat eam ad dextram vel sinistram calicis, mox levando corpus digitis suis. Cum autem inceperit *Per eumdem Dominum*, frangat Corpus Domini super calicem in tres partes, & dicto *Per omnia secula*, faciat ad *Pax Domini* intra calicem unam Crucem, aliam ad *sit semper*; tertiam ad *vobiscum*. Et postquam tantum dixerit *Agnus Dei*, diacono & subdiacono sibi astantibus, divertat diaconus paullulum post sacerdotem, & subdiaconus post diaconum. Sacerdos illam partem dominici Corporis, quam tenet in dextera manu, mittat in calicem dicendo orationem, scilicet *Hæc commixtio*, & osculatis duabus tunc partibus, quas in sinistra manu tenet, divertat os suum ad diaconum osculans eum, & diaconus ad subdiaconum, sibi invicem supplicando; & tunc subdiaconus similiter alteri pacem porrigat, si tamen aliis danda sit. Sacerdos vero data pace diacono, & dictis orationibus ad hoc pertinentibus, videlicet *Domine Jesu Christe &c.* & *Corpus Domini nostri Jesu Christi &c.* sumat minorem particulam sibi. Qua sumpta dividat aliam super calicem, & communicet ministros, & tunc dicat sacerdos orationem, scilicet *Sanguis Domini nostri Jesu Christi &c.* & postea partem sanguinis sumat. Itaque deposito calice super corporale non cooperto, vertat se ad dextrum cornu altaris. Et tunc diaconus accedens ad calicem post sacerdotem sumat sibi de sanguine, & tenendo ipse calicem sumat & subdiaconus. Si alii non sunt communicandi, totum residuum sumat diaconus. Tunc sacerdos suscipiens calicem, abluat digitos super calicem vino, ministrante subdiacono. Postea vero abluat illos digitos aqua super vase ad hoc deputato, ministrante aliquo servitore, quam aquam ipse servitor projiciat in piscinam. Tunc etiam sacerdos sumat vinum in calicem missum reducendo illud vinum, quasi per totum calicem. Quo sumpto iterum idem faciat, & hausto vino calicem super altare deponat. Item mittat subdiaconus vinum in calicem, quem suscipiat ipse subdiaconus. Dum autem supradicta fiant, diaconus replicet corporale, & inventa oratione mittat librum in dextro cornu altaris. His tandem ita peractis, veniat sacerdos ad medium altaris, & astantibus

bus post eum diacono & subdiacono ordine suo, vertat se ad chorum & dicat *Dominus vobiscum*; tunc diaconus similiter vertat se ad chorum, & cito reducens se diaconus ad sacerdotem trahat medium casulæ, & tunc eat ad calicem, & purificet se, & statim revertatur post sacerdotem. Dicente autem sacerdote orationes, subdiaconus recondat calicem isto modo. Prius mittat aquam in calicem, quam per totum reducat volvendo calicem, qua in piscina projecta tergat calicem ad tersorium ad hoc præparatum. Et sic liget eum cum patena in panno, ut consuetum est, ponens in locum suum. Postea vero accedat statim post diaconum, si possibile est. Et notandum, quod si *Gloria in excelsis Deo* dicta fuerit, diaconus semper dicere debet *Ite missa est*, habens faciem suam ad chorum, sin autem, dicat *Benedicamus Domino*, habens faciem ad altare. Data vero benedictione a sacerdote, & osculato altari, incipiatur hora, si aliqua incipienda erit, alioquin recedent fratres facta reverentia ad altare, ut consuetum est. Postea vero accipiens diaconus casulam sacerdotis replicet eam, & adjuvantibus aliis ministris ad hoc deputatis exuant se diaconus & subdiaconus. Quod si plures communicandi fuerint, plures hostiæ mitti debent, & plurimum vinum in calice. Dum autem sumpserit sacerdos, ut dictum est, post consecrationem de sanguine, parum suscipiat ipse, similiter diaconus & subdiaconus, & super corporale hostiis benedictis existentibus accipiat sacerdos cum patena hostias benedictas; & stans ad dextrum cornu altaris communicet fratres venientes per ordinem, secundum quem stant in choro, frangendo hostiam super patenam per medium, vel in tertiam vel in quartam partem, & secundum numerum personarum vel hostiarum hoc faciat. Quam cum posuerit in ore dicat *Corpus Domini nostri Jesu Christi sit tibi ad salutem animæ & corporis*. Dum autem inceperit sacerdos communicare, diaconus sit præparatus cum calice ad sinistram partem altaris in loco apto, assistente subdiacono cum ampulla vini, qui diaconus dextera manu teneat pomum calicis firmiter, sinistram habens sub mentum recipientis, ut si caderet aliquid, quod absit, non in terra, sed in manu cadat. Unde ne eveniat, caute ponat calicem ad os, & caute retrahat. Quod si aliquid caderet in manu, recipiat illud lingua, quando sibi visum fuerit, & post communionem abluat super piscinam. Subdiaconus toties mittat vinum in calice, quoties expedierit; ita quod omnino non deficiat. Si vero alii communicandi sunt, finita Missa communicentur. Mulieres vero non introducantur in chorum, nisi prius fratres recesserint. Omnibus igitur finitis sacerdos exutus sacerdotalibus non recedat, nisi prius petat veniam ante altare semper flectendo genua, sicut semper debet fieri accedendo ad Missam.

De Missis, quibus tantum unus minister fuerit. Cap. LVIII.

AD Missam si unus tantum minister fuerit, sacerdos & minister revestiant se dicendo primam post *Gloriam* primi psalmi; & induti omnibus eant præparare altare. Eundo ad altare præcedat sacerdotem servitor ecclesiæ non revestitus, qui adjuvit eos revestire, & subdiaconus, qui divertat ad dextram supplicans sacerdoti; sacerdote vero in medio eorum constituto ante altare ad Confessionem, subdiaconus stet ad dexteram dicendo Confessionem. Minister revestitus, sive subdiaconus sive diaconus fuerit, officium subdiaconi tantum impleat; hoc addito, quod quilibet eorum ponat librum super altare. Calicem ab eo præparatum offerat sacerdoti. Ante offersionem servitor ecclesiæ sit cum ampulla aquæ, qui eam offerat sacerdoti osculans sibi manum, stando inter ipsum & subdiaconum. Missa vero aqua in calice ipse, qui porrexit, accipiat ampullam. Accepto autem calice a sacerdote cum patena de manu subdiaconi faciat, quod suum est. Subdiaconus trahat sacerdoti casulam, sicut dictum est de diacono, hoc addito, quod ad *Orate pro me* trahatur. Communicare vero non debet, nisi cum fuerit cum diacono. Lecturus epistolam ferat missale, & epistolare, & librum evangeliorum in ecclesia, antequam se induat, & post Missam inde referat per se vel per alium. Similiter & de calice faciat. Sacerdos autem perlecto evangelio, sed non postulata ab aliquo benedictione, nisi a solo Deo, dicendo *Deus sit in corde, & in ore*, vel ab aliquo episcopo, si tunc præsens esset, & stans in medio altaris dicat elevatis manibus *Credo in unum Deum*, si tamen dicendum fuerit; & sic revertatur ad sinistrum cornu altaris, & illo dicto dicat *Dominus vobiscum* habens vultum ad chorum. Quando vero *Credo in unum Deum* non dicitur, dicat *Dominus vobiscum*, ut dictum est, & *Oremus*. Et sciendum, quod nunquam osculatur manus sacerdotis vel prælati, nisi ad Missas, & hoc in locis tantum supradictis, excepto in Purifi-

rificatione beatæ Mariæ ad oblationem candelarum, & in ramis Palmarum, quando distribuuntur olivæ.

Quomodo benedicatur Aqua? Cap. LIX.

DOminico die pulsato signo ante Tertiam servitor ecclesiæ præparata formula super gradum presbyterii ponat sal & aquam desuper cum sparsorio, & sic pulsatis omnibus signis revestiat se sacerdos & ministri, dum dicitur Tertia sanctæ Mariæ, si dicenda erit, præmissa tamen oratione dominica. Dum tamen venerint fratres in chorum, ordinentur sicut ad Missam. Quod semper faciant ad Tertiam, dum mox subsecutura est Missa. Finita vero Tertia sanctæ Mariæ accedat sacerdos ad gradum presbyterii tenens collectaneum, qui cum ibi advenerit, inclinet ad altare, deinde benedicat sal & aquam similiter, sicut in collectaneo habetur. Et misso semel in modum Crucis sal in aqua dicendo alte sicut præcedentes orationes *Hæc commixtio &c.* faciens tantum unam Crucem, exorcismoque prædicto reddat librum subdiacono, vel alii, qui & auferat salinum ponens illud seorsum. Cantore igitur imponente antiphonam sumat sacerdos sparsorium, quod intingens in aqua ascendat ad altare, inclinans ad gradum ipsius altaris; deinde aspergat aquam ante ipsum altare, & incipiens a dextera parte circumeat illud aspergendo, quousque perveniat in anteriorem, ubi inclinans aspergat presbyterium hinc & inde. Interim vero servitor ecclesiæ vel alius recipiat aquam in quolibet vase de urceolo, in quo est aqua benedicta, & habens aspersorium aliud claustrum aspergat & officinas, scilicet Capitulum, auditorium, dormitorium, & dormitorii necessaria, calefactorium, refectorium, coquinam. Rediens autem de officinis, si quid superest ei de ipsa aqua, infundat in receptaculum, quod est ad introitum ecclesiæ ad hoc deputatum. Vas autem, quod tenet, & aspersorium reponat in locum suum. Sacerdos vero stans super gradum presbyterii aspergat prius priorem, postea seipsum, deinde ministros & ceteros per medium chori, vel per superiorem partem chori inter formas & sedilia, sicut ea hora stant in choro, revertentes autem ab anteriori parte inter formas & sedilia, vel deorsum per medium chorum ascendat unusquisque ad locum suum. Qui vero extra chorum vel in retro chorum fuerint, tam monachi, quam novitii veniant per superiorem introitum chori, & per medium chorum revertantur. De conversis vero unaquæque ecclesia faciat secundum positionem sui oratorii. Finita vero antiphona sacerdos intermittens aspersionis officium versus ad altare dicat Collectam *Exaudi nos*, in loco, quo stat, & incepta Tertia post *Gloria patri*, ceptam subsequatur aspersionem. Quod si forte ad *Gloriam* primi psalmi nondum peracta fuerit, presbyter stans in eodem loco usque post *Gloriam patri*, aspersionem intermittat. Qua peracta redeat ad locum suum, & sedeat cum ministris, deinde secretarius, vel alius portet aquam hospitibus & familiæ, & ponat inde in vas, unde semper aquam accipere solent, deinde in vas conversorum. Dicta autem Tertia tam dominicis diebus, quam sollemnitatibus, quibus non laboramus, omni tempore mox cantor incipiat introitum, etiam pulsante tunc tabula pro mortuo, similiter faciat privatis diebus dicta Prima, nisi forte talis Missa fuerit, quæ pro præsenti defuncto debeat intermitti.

Quomodo conventus se agat ad Missam? Cap. LX.

OMnibus diebus, quibus duæ Missæ celebrandæ sunt, in secunda Missa *Kyrie eleison* incipiatur in illo choro, in quo est invitatorium. In prima vero Missa inchoetur in altero. In Nativitate Domini ad Missam de nocte in choro invitatorii inchoetur, quo finito convertant se ad altare. Si Sacerdos dixerit *Gloria in excelsis Deo*, dum cantor vel succentor incipit *Et in terra pax*, reducant vultus, sicut erant, cantando alternatim. Cum autem dixerint *adoramus te*, incurvent se erigentes se ad *glorificamus te*, & similiter inclinent ad *suscipe deprecationem nostram*. Ad *cum sancto spiritu* vero signantes se convertantur ad altare. Et cum responderit *& cum spiritu tuo* post *Dominus vobiscum*, reclinent se super Misericordias, donec inchoetur epistola; & tunc surgentes stent vel sedeant, qui voluerint usque ad finem epistolæ. In omnibus præcipuis festivitatibus, sicuti & ceteris diebus, responsoria & *Alleluja* cantantur communiter ab utroque choro. Item ad Missas totum neuma dicatur in fine Responsoriorum, & Versuum propter dissonantias, quæ contingunt. Sciendum etiam, quod quoties unum solum *Alleluja* ad Missam dicitur, sive dicatur Responsorium, sive non, neuma de *Alleluja* intermittatur; sed post versum in repetitione idem *Alleluja* cum suo neumate integre canatur. Cum vero duo vel plura

plura *Alleluja* in una Missa dicuntur, cum suis neumatibus sine repetitione integre canantur, excepto eo quod proximum est evangelio, quod repetitur. Et notandum, quod in Vigilia Paschæ & Pentecostes unum solum *Alleluja* dicitur, sed non repetitur. Ad finem vero cantus ante evangelium reducant fratres facies suas ad altare, & signent se cum dixerint *Gloria tibi Domine*. Quod si *Credo in unum Deum* dicendum fuerit, cantore vel succentore subjungente *Patrem omnipotentem*, vertat se chorus contra chorum cantando alternatim, & cum venerint ad *homo factus est*, petant veniam super articulos, sicut in festivis diebus; & cum dixerint *adoratur* inclinent, erigentes se ad *& conglorificatur*, & cum dixerint *& vitam futuri seculi, amen*, reducant facies ad altare. Cantore autem incipiente offerendam convertant se stantes, sicut erant. Qua cantata vertant se iterum ad altare, donec dicat sacerdos *Orate fratres*, & sic residеant super Misericordias usque ad *Per omnia secula seculorum*. Tunc autem surgant, & versis vultibus ad altare stent ita usque ad *Sanctus, Sanctus*, postea convertantur & inclinet chorus contra chorum dicentes *Sanctus, Sanctus*; & incipientes *pleni sunt cœli & terra* erigant se, & signent se cum dixerint *in nomine Domini*. Et dicto extremo *Hosanna in excelsis*, versis vultibus ad altare stent usquequo sacerdos hostiam levet, & tunc pulsato signo genua in plano flectant vultus habentes ad sacerdotem. Ministri vero altaris solummodo incurventur. Facto autem signo a priore surgant, & stent, sicut prius, usque ad *per omnia secula seculorum*, & tunc reclinent se super Misericordias; donec respondeant *Amen*, ante *Pax Domini sit semper vobiscum*. Mox surgentes stent a facie ad faciem, donec dicantur omnes *Agnus Dei*, & tunc petant veniam unusquisque in loco suo flectentes genua post ministros altaris, & facto signo a priore surgant, & cantor incipiat communionem. Quod si dies fuerit prosternendi, postquam surrexerint de genuflexione, quæ fit in levatione hostiæ, incumbant super formas, quousque respondeant *amen*, ante *Pax Domine sit semper vobiscum*; & deinde faciant, sicut modo diximus. Diebus vero privatis ad omnes primas orationes & secretellas similiter, & omnes ultimas orationes prosternantur fratres super formas, excepto a Pascha usque ad octavam Pentecostes, & a vigilia Nativitatis Domini usque ad octavam Epiphaniæ, & in octava sanctæ Mariæ ad Missam & ad omnes horas.

De Pace. Cap. LXI.

PAcem nisi communicaturus nemo accipiat, nisi forte servitor ecclesiæ pro hospitibus, aut prior claustri pro aliqua sublimi persona, aut subprior, absente claustrali priore, aut superior, qui tunc erit ex omnibus in choro, si uterque defuerit. Diebus vero dominicis & festis, quibus solent fratres ire ad Communionem, generalis Confessio in Missa fiat a diacono post calicis thurificationem, & absolutio fiat a sacerdote celebrante. Prior illorum, qui communicare voluerit, veniens ad gradum accipiat a subdiacono pacem, quo redeunte ad altare, qui communicaturi sunt ordine suo accedant ad priorem, ita ut prior stet ad gradum, ubi pacem accepit, quousque, qui post eum primus est, pacem ab eo accipiat. Qua data cedat in dexteram partem ante formas relicto ad gradum, cui dedit. Qui & ipse ubi sequenti pacem dederit, manenti ibi similiter, cui dedit, cedat post priorem, & sequantur per ordinem eo modo, quo descriptum est de primis, pacem ad invicem accipientes ordinatim post priorem sese collocantes, & vultus suos ad altare vertentes. Porro novissimus de choro dabit pacem converso, cum se ad hostium chori ostenderit.

De Communione. Cap. LXII.

INterim, qui primi sunt in choro, accedant ad Communionem. Venientes autem ad gradum altaris proximum incumbant super articulos manuum. Ascensoque gradu, flexoque genu juxta cornu altaris, & suscepta eucharistia, cum se erexerint, inclinent; & sic per retro altare accedant ad calicem; vel qui non possunt, per retro sacerdotem, ubi iterum inclinantes hauriant, & rursus inclinent. Regredientibus ab altari sacrista stans in capite sinistri chori vinum propinet. Dicta Communione, si conventus communicat, sedeant interim, qui voluerint, usque ad *Dominus vobiscum*. Qui vero steterint, reducant facies suas ad altare, donec dicatur a sacerdote *Dominus vobiscum*, & tunc resedeant super Misericordias usque ad ultimum *Dominus vobiscum*. Tunc vero surgant contra altare, & responso *Deo gratias*, inclinent & recedant. Si autem dominicus dies fuerit, non inclinent, nec recedant usque post benedictionem lectoris.

De privatis Missis. Cap. LXIII.

PEr totum annum possunt fratres cantare Missas privatim, si voluerint tempo-

tempore lectionis, & post offerendam Missæ in conventu in hyeme. In æstate autem cum incipitur epistola, & tunc possint fratres dicere Missas post Missas privatas, scilicet sanctæ Mariæ & defunctorum, excepta quarta feria in Capite jejunii. In festis autem in Quadragesima, in quibus laboramus, teneatur, sicut in quarto-decimo capitulo continetur. Diebus tamen, quibus duæ Missæ canuntur, statim post horam Primæ possunt sacerdotes cantare privatim, exceptis Missis jejuniorum. Porro in Quadragesima si festivitas, in qua non laboramus, in septimana evenerit, non cantant nisi post offerendam secundæ Missæ. Quod si habuerint spatium cantandi ante majorem Missam, non permittatur eis ipsam Missam dimittere. Quibus vero diebus, in quibus jejunamus, nec laboramus, potest cantare Missam usque ad Nonam, & in Quadragesima usque ad Vesperas, qui voluerit, & cui vacuum fuerit. Qui quoties dubitaverit, ne ab Hora præoccupetur, si cantaverit, interroget sacristam per signum; si annuerit, cantet; si contradixerit, dimittat. Qui autem cantare voluerit, testem clericum habeat unum, qui ei ministrare possit, qui si acolytus fuerit tantum, non præsumat calicem deferre super altare, neque panem & vinum ministrare, neque sacerdoti offerre. Cetera vero potest adimplere. Quod si sacerdos, vel diaconus vel subdiaconus fuerit, potest panem & vinum in calice ministrare, atque sacerdoti offerre; aquam tamen non nisi sacerdos, qui cantat, admisceat. Si autem & alius testis, qui laicus sit, ibi fuerit, nihil horum præsumere debet, nisi aquam afferre, & sacerdoti infundere, antequam induatur sacerdotalibus vestibus, candelam vel lampadem accendere. Presbyterium potest ascendere tam ipse, quam ceteri laici, non solum ad Missam, sed etiam quotiescumque necesse habuerint, gradum tamen altaris non ascendunt, nisi propter aliquam necessitatem eis præcipiatur, vel quando communicant. Missæ quoque pro defunctis non solent cantari dominicis diebus & sollemnitatibus ceteris, nisi præsens defunctus fuerit. Missa vero quotidiana, quæ solet dici pro fratribus nostris defunctis, tantum intermittenda est in die Parasceve, & sequenti sabbato, & die Paschæ & Pentecostes, & Natalis Domini. Die tamen Paschæ & Pentecostes & Natalis Domini hebdomadarius Missæ quotidianæ cantet de festo ad altare, ubi Missa eadem cantari solet, & dicat Collectam *Inclina Domine*. Quod si his tribus diebus præsens defunctus supervenerit, supradictus hebdomadarius dimittat Missam de festo, & agat Missam pro eo, & dicat istam Collectam *Inclina Domine*; secundam *Omnipotens Deus, cui nunquam*; pro illis, pro quibus dicebatur *Inclina Domine*. Ad utramque vero Missam in conventu, quando duæ dicuntur, quamdiu præsens fuerit, dicatur Collecta pro eo. Qui cantant privatim, Collectam tantum dicant de eo, tam ante sepulturam, quam postea, poterit tamen cantare pro eo, qui voluerit. Sciendum etiam, quod omni die, quo canitur Missa quotidiana pro defunctis, & de sancta Maria cantatur. Die vero Natalis Domini, Paschæ & Pentecostes hebdomadarius ejusdem Missæ cantet de festo, & dicat Collectam de sancta Maria. In Adventu autem & in omnibus sollemnitatibus sanctæ Mariæ, & per octavas ejusdem eadem Missa, quæ in conventu canitur, privatim dicetur. Qui autem cantant privatas Missas, moderentur ita voces suas, tam ipsi, quam adjutores eorum, ne alii impedimentum patiantur. Si quis viderit missale altari superpositum, non præsumat super illud cantare, nisi ad nutum illius, qui ipsum missale ibi posuit; neque faciat apparatum super altare, in quo debet cantare; postquam Missa generalis incepta fuerit, donec offerenda sit cantata, nisi ad Missam matutinalem, quando sacerdotes possunt cantare post Primam. Sacerdos autem indutus dicat Confessionem ante gradum altaris medius inter adjutores suos, si tamen duos habuerit, ita quod clericus sit ad dexteram, & laicus si affuerit ad sinistram. Qui cantaverit pro defunctis, potest intermiscere alias Collectas, ita tamen ut numerum quinque Collectarum non excedat, nisi jussu prioris. Responsorium erit semper *Requiem æternam* & Tractus *De profundis*. Collectæ vero de sancta Trinitate, vel de Spiritu-sancto, vel de Sanctis non dicantur. Sed etiam ad ceteras Missas, exceptis diebus, quibus non licet cantare pro defunctis, interponi possunt Collectæ pro defunctis. Pacem non dabit, nisi forte præsentes fuerint illi Missæ hospites vel frater communicaturus. De cætero se agat, ut sacerdos in conventu. In omnibus Missis tribus tantum vicibus sacerdos osculetur altare, totiesque ei trahatur casula. Notandum vero, quod priores, fratres & conversi, quando Missas audiunt in ecclesiis, quæ non sunt de ordine nostro, sicut ceteri pacem accipiant, si eis offertur.

Quan-

Quando sacerdos & ministri debeant ascendere ad altare? Cap. LXIV.

AD Missam pro defunctis, & ad matutinalem Missam, quando duæ Missæ canendæ sunt, ad initium introitus sacerdos & ministri ingrediuntur ad altare, ad reliquas autem usque ad *Gloriam* sustineant.

De Kyrie eleison. Cap. LXV.

AD Missam *Kyrie eleison* semper incipitur in illo choro, in quo est invitatorium, excepto ad matutinalem, quando duæ Missæ canuntur, & hoc alternatim novies, itaut chorus, in quo incipitur, quater dicat *Kyrie eleison*, semel interposito *Christe eleison*. Alter vero bis dicat *Kyrie eleison*, interposito bis *Christe eleison*. Ultimum vero *Kyrie eleison* uterque chorus in simul finiat. Ad Horas vero regulares, & ubique totus conventus semel *Kyrie eleison*, & pauset; semel *Christe eleison*, & pauset; & iterum *Kyrie eleison*.

Quando cantatur Gloria in excelsis Deo, & Missa est? Cap. LXVI.

IN vigiliis Paschæ, & Pentecostes, & omnibus dominicis diebus, & festis duodecim lectionum extra Adventum & Septuagesimam, & per totam septimanam Natalis Domini, Paschæ & Pentecostes ad omnes Missas *Gloria in excelsis Deo* alternatim ab utroque choro cantatur, & *Ite missa est* dicitur, exceptis Missis jejuniorum.

Quibus diebus Credo in unum Deum *dicatur?* Cap. LXVII.

IN die Natalis Domini, & duobus diebus sequentibus, in Circumcisione & Epiphania Domini, in die Paschæ & duobus diebus sequentibus, Ascensionis & Pentecostes, & duobus diebus sequentibus, & omnibus dominicis diebus ad omnes Missas, nisi sit pro defunctis, *Credo in unum Deum*, alternatim ab utroque choro dicatur. Porro in Inventione & Exaltatione sanctæ Crucis, & in omnibus sollemnitatibus sanctæ Mariæ, & in omnibus sollemnitatibus apostolorum & evangelistarum, & in Conversione & Commemoratione sancti Pauli, in festivitate omnium Sanctorum, & in dedicatione ecclesiæ tam ad primam Missam ipsius sollemnitatis dicatur, & in festo vocabuli propriæ ecclesiæ, quod festum sollemniter celebretur, ut in Nativitate unius apostoli.

Quando debeant fratres ad pacem & ad Communionem ire? Cap. LVIII.

IN die Natalis Domini, Cœnæ, Paschæ, Pentecostes, & semel in mense, videlicet in prima dominica mensis, debent fratres pacem sumere & communicare, omni occasione remota, nisi forte prior aliquem (*sic*) habuerit. In die Natalis Domini, Cœnæ, Paschæ & Pentecostes cum Hostia Sanguinem sumere. Sacerdotes tamen, qui per septimanam cantant, si die dominico prædicto non cantant, in eorum sit potestate communicare vel non, ceteris vero diebus, qui forte dominica prædicta non communicaverit, poterit semel communicare ad privatas Missas, si voluerit.

De lampadibus & sermone in Capitulo. Cap. LXIX.

LAmpades in oratoriis habeantur, & sermones in Capitulo fiant, secundum arbitrium prioris, & secundum positionem loci.

Quibus diebus intermittendum sit officium beatæ Mariæ? Cap. LXX.

OFficium beatæ Mariæ intermittatur a Completorio quartæ feriæ ante Pascha usque post octavam Paschæ, & in die Ascensionis, & per octavam Pentecostes, & per octavas Assumptionis, & Nativitatis ejus, & in omnibus sollemnitatibus ejusdem, & omnium Sanctorum, & a Vigilia Natalis Domini usque in crastinum Epiphaniæ, & his diebus ejusdem commemoratio erit intermittenda.

Qualiter se habeant fratres in dominicis & diebus festis. Cap. LXXI.

AUdito signo ad Vigilias surgant fratres, & præparati intrent ecclesiam inclinantes ad primum altare, quod semper faciant, quoties coram quolibet altari transeunt. Et rursus inclinantes ad majus altare intrent chorum a superiori parte, vel secundum positionem loci. Porro priore præsente vel absente, tam a superiori, quam ab inferiori parte, tot intrent vel exeant, & inter stallum prioris & prioris claustri, tam ad suas lectiones legendas, quam ad benedictiones accipiendas, eant vel redeant, quod unusquisque prior pro sui oratorii positione judicaverit expedire. Et notandum, quod priori chorum intranti non inclinatur, nisi a duobus, sive priores sint, sive monachi, quorum alter in suo choro, & alter in altero est ei propinquior.

quior. Priori etiam stanti in stallo suo, a nullo superveniente inclinabitur, nisi ab his duobus. Id tamen observandum, ut si his, qui propinquiores priori stare solent nondum ingressis, alii intraverint, inter quos & priorem nullus adhuc medius stet, quot de talibus ex utralibet parte chori intraverint, tot inclinent ei. Cum autem pervenerint ad loca sua, stent versis vultibus ad altare, donec signum remaneat. Similiter stent ante omnes Horas diei & Missas. Dimisso signo faciant solitam orationem super Misericordias, idest *Pater noster*, & *Credo in Deum*, & facto sonitu erigant se omnes, & versi ad altare signent se, & rursum inclinantes stent ibidem. Dicto itaque *Deus in adjutorium meum intende* morose, & protrahendo a sacerdote, cancellatis manibus incurventur profunde, donec *Domine ad adjuvandum me festina* morositate & gravitate compleantur. Quod similiter faciant quoties transierint ante altare, & ad omnes *Glorias* post *Domine ad adjuvandum*. Sed & omni tempore, quando conventus est in ecclesia, & ad omnes Horas reverenter & morose dicatur a sacerdote *Deus in adjutorium meum intende*, & a conventu subjungatur *Domine ad adjuvandum me festina &c.* Facta pausatione ante *Gloria Patri*, & ante *Sicut erat*, etiam si sequentia citius dicenda sunt. Dehinc celebretur opus Dei *Venite exultemus Domine*, cum invitatorio ad gradum presbyterii a duobus fratribus, illo videlicet, qui præsentem facit hebdomadam invitatorii, & illo, qui præteritam fecit, vel ab aliis, quibus cantor injunxerit, si ipsi hebdomadarii cantare non poterunt. Qui venientes ad gradum inclinent, inceptoque invitatorio rursus inclinent, & sic deinceps ad finem singulorum versuum tantum inclinent. Post repetitionem vero invitatorii iterum inclinent, & sic redeant in ordinem suum. Privatis tamen diebus, qui canit invitatorium, non inclinat, antequam illud incipiat. Fratres vero habeant vultus ad altare, ex quo invitatorium incipitur, donec *Gloria Patri* dicatur, & tunc humiliat se chorus contra chorum usque ad *sicut erat in principio*. Eodemque modo inclinent se quotiescumque in conventu dicitur *Gloria Patri*, excepto ad aquam benedictam, & ad benedictionem novitii, & in Purificatione beatæ Mariæ, dum candelæ distribuuntur, & in Capite jejunii, dum cineres dantur; & ad *Gloria & honor Deo*, dum Crux adoratur in Parasceve. Prior vero si acciderit, ut ad *Gloriam* post *Venite* non occurrat, satisfaciat ante presbyterium, sicut solet ad alias Horas, cum ad *Gloriam* primi psalmi non occurrerit, & ad stallum suum veniat. Post inchoationem vero hymni nullus exeat de choro, donec finiatur, excepto pro inevitabili causa; sed neque ad alios hymnos, excepto *Jam lucis orto*, quando post matutinos sine intervallo Prima cantatur. Sed nec sedeat aliquis, ex quo incipitur *Deus in adjutorium meum intende* usque post hymnum; & tunc finito primo versu psalmi, cappis circa se reverenter strictis, sedeant simul ad primum psalmum, & ad secundum stent, & sic percurrant ceteros; & similiter in secundo nocturno. Et est notandum, quod semper cum debent fratres sedere vel surgere, tam caute & sollicite deponendæ sunt, & elevandæ sedes, ut earum sonus, si fieri potest, minime audiatur. Quando fratres surgunt ad *Gloriam*, a metro ultimi versus surgant. Quod si quis exierit, non reversurus ad opus illud, inclinet, antequam exeat. Prior incipiat primam antiphonam vel *Alleluja* in primo nocturno. Qui si defuerit, ille, qui prior est in illo choro, in quo est invitatorium; tempore vero Resurrectionis in festis duodecim lectionum, qui prior fuerit in alio choro, dicat *Alleluja* secundi nocturni, cetera vero *Alleluja* hebdomadarius. Dominicis diebus & a Septuagesima usque ad Pascha antiphona secundi nocturni incipiatur in illo choro, in quo non est invitatorium. Qui autem incipit antiphonam aut *Alleluja*, reverenter & paullulum semotus a podio stet usque ad metrum, nec inclinet, donec primus impleatur versus. Psalmum autem incipiat & intonet, qui juxta eum stat inferior, tam per diem, quam per noctem similiter semotus a podio usque ad metrum. Illo tamen, qui novissimus est clericorum, incipiente suam antiphonam, tunc tantum, qui superior est illo, psalmum imponat. Similiter observandum est ad omnia defunctorum officia, excepto, quod qui psalmum incipit, aliis sedentibus minime ob hoc se erigat. Et qui antiphonam imponit, non expectato fine versus inclinat & residet, præter officia defunctorum præcipua. Et notandum, quia quotiescumque ille, qui novissimus in choro est, antiphonam suam imponit, tunc penultimus, & alii superiores ordine retrogrado antiphonas quotquot supersunt in eodem choro dicendæ, etiam si quis eorum aliam antiphonam ad idem officium imposuit, incipiant; quod ad defun-

defunctorum officia contingere poteſt, vel forſan ad regulares vigilias aliquando pro paucitate monachorum. Ad finem vero ultimæ antiphonæ primi, ſecundi & tertii nocturni, tam feſtis diebus, quam privatis, vertant ſe fratres ad altare, & dicatur verſus ab hebdomadario inclinante, tantum poſt verſiculum, & ita fiat ad omnes verſus, qui dicuntur ad ceteras Horas. Porro lector, ſi debet dicere verſiculum, dum dicitur penultimus verſus ſexti pſalmi ante *Gloria patri*, contra medium altaris inclinans, incedat per medium chorum cum gravitate, humilians ſe ante priorem, ſi in retro choro lectiones dicuntur. Quod ſi alter prior fuerit in ſede prioris clauſtri, inclinet ſemel inter eos, & accedens ad librum humiliato corpore verſus priorem, non tenens lucernam, plicatis etiam manibus, eadem voce, qua lecturus eſt, petat benedictionem, tam ibi, quam alibi. Qua percepta non legat, donec tumultus reſidentium conquieſcat. Rediens itaque de lectione humiliet ſe inter ſtallum prioris & prioris clauſtri, vertens pauliſper caput verſus priorem, ſi in retro choro lectionem dixerit. Quod ſi duo priores fuerint, humiliet ſe ſemel inter eos verſus altare; & ſic veniens ante gradum incurvetur. Feſtivis quidem diebus ſuper articulos manus, privatis vero ſuper genua proſternatur, ponens cappam ſub manibus, & ſic inclinans revertatur ad ſedem. Similiter ſuper articulos manus ſatisfaciant omnes in loco, quo ſunt, quoties fallaciam incurrerint in oratorio, non divertentes dextrorſum vel ſiniſtrorſum. Pro nota cantus tamen non ſolemus ſatisfacere. Ita igitur ſe agat, qui primam, quintam, & nonam leget lectionem; nam, qui ceteras legunt, eant legere, dum reſponſorium canitur ante verſum. Provideant autem omnes, qui legunt, ut ardens candela ſequenti lectori poſſit ſufficere. Qui autem cantant reſponſoria, tali hora ſurgant, ut ſedile levare, ante quam incipiant reſponſoria, poſſint. Quo incepto inclinent, & ſimiliter poſt verſum. Quod ſi *Gloria* dicenda eſt, non poſt verſum, ſed poſt *Gloriam* inclinent. Quando autem reſponſorium *Aſpiciens* canitur cum tribus verſibus, qui cantant, poſt tertium verſum tantum inclinent. Fratres vero ſurgentes, quando incipienda ſunt reſponſoria ſtent, donec ſinguli verſus finiantur; exceptis converſis, qui non teneantur ſurgere, niſi ad ℟. *Gloriæ*. Nemo legat duas lectiones, aut cantet duo reſponſoria, ſeu lectionem & infra unum nocturnum, niſi neceſſitas coegerit. Similiter nec prior ante juniorem, niſi evangelium. Quod dum incipit lector, vertant ſe fratres ad illum; ſtantes ſic, donec dicat *& reliqua*. Qui autem legerit duodecimam lectionem, dicto *Tu autem Domine*, nec candelam extinguat, nec librum claudat, ſi evangelium in eo legendum fuerit. Porro fratres, dum cantant *Te Deum laudamus*, humilient ſe ad *Sanctus*, *Sanctus*. Surgentes ad *Pleni ſunt*, & dum finiunt canticum vertant ſe ad altare. Cum vero dixerint *Gloria tibi Domine*, ſignantes ſe revertantur ad evangelium, quod debet legi ſuper analogium, quo & lectiones ad nocturnos leguntur. Dicto *Te decet laus* vertentes ſe ad alterutrum inclinent uſque poſt *Cum ſancto Spiritu*, & tunc reſideant ſuper Miſericordias uſque poſt finem Collectæ.

De Laudibus. Cap. LXXII.

IN Laudibus finito *Deus miſereatur noſtri*, & ad Vigilias finito hymno nullus ſedeat in choro, donec primus verſus finiatur ſequentis pſalmi, nec exeat. Qui vero exierit, reverſus duos verſus ſuſtineat, antequam ſedeat. Similiter ſuſtineat ad Vigilias & ad Primam duos verſus, qui de choro exierit. Nam & ad Primam omni tempore, excepta dominica, eo ordine, quo ad Vigilias cunctis ſedere permiſſum eſt. Ad Primam quippe dominicis diebus, & ad Veſperas omni tempore, & ad primum & tertium pſalmum ſtamus, & ad ceteros ſedemus. Caveant autem, qui de choro egrediuntur, ne plus foris, quam tres pſalmos morentur, & ne amplius, quam duo juxta ſe ſtantes ſimul exeant; qui cantat reſponſorium, ante quam illud incipiat, inclinet, & poſt verſum iterum inclinet; ad cujus repetitionem vertat ſe chorus ad invicem. Si invitatorium fuerit in dextro choro, cantor incipiat hymnos omnibus feſtivis diebus, tam ad Vigilias, quam ad ceteras diei ille idem hebdomadarius invitatorii hymnos incipiat. Si cantor defuerit, ille, cui injunctum eſt *Benedictus* & *Magnificat* imponere. In ſiniſtro ſi fuerit, ſuccentor incipiat, qui ſi defuerit, ſolatium ejus incipiat. Omni autem tempore quicumque hymnos incipit, ſtet ſemotus a podio. Ad *Kyrie eleiſon* reſideant ſuper Miſericordias, ſicut ad ceteras Horas uſque ad finem primæ orationis. Quod ſi fiet commemoratio, erigant ſe & ſtent ita uſque ad *Oremus*; & tunc reſi-

deant

deant super Misericordias. Hebdomadario incipiente *Benedicamus Domino*, erigant se omnes; quo dicto inclinent. Nam ad ceteras Horas non surgunt, nisi post *Deo gratias*, excepto ad Vesperas. Si dominica fuerit, stent versis vultibus ad altare, donec benedictiones super cocos compleantur. Tunc sacrista pulset modice signum, si dies fuerit, si nondum apparuerit, non pulsetur; sed interim fratres sedeant in claustro, vel pausent in dormitorio, si hora permiserit. Cumque dies claruerit, pulsetur signum modice, & fiat intervallum, ut qui voluerint, possint se calceare, vel ad secessum ire, aut infirmitates remutare, aut manus abluere; & qui voluerit, poterit in claustro sedere. Revertentes ad Primam aspergant se aqua benedicta, excepta dominica, & stent in stallis suis, donec signum remaneat, & tunc faciant eamdem orationem, quam ad vigilias fecerunt, & eodem modo cantata Prima sequatur Missa, si dicenda erit.

De Capitulo & Confessione. Cap. LXXIII.

ÆStatis tempore omni die post Missam, quæ dicitur post Primam pulsato signo intrent fratres Capitulum. Hyemis vero tempore privatis diebus & festis, quibus laboramus, post Tertiam unus post alium secundum quod stant in choro. Omnibus autem festis, quibus non laboramus, post Primam, & tunc ordinatim, nisi dicatur Missa matutinalis. Et intrantes Capitulum inclinent, & cum sederint, humilient se mutuo. Veniente vero priore, vel quolibet alio, qui Capitulum tenere debet, assurgant ei omnes, inclinantes tantum priori transeunti, eoque sedente resideant. Sed ille, qui sessurus est juxta priorem, humiliet se profunde de loco suo versus priorem, nec tamen super genua vel articulos, & sic resideat. Et ita faciat in omnibus locis, qui juxta eum sedere voluerit, excepto in ecclesia. Nam nec fratres ibi sibi supplicant, neque ad mensas, sed nec in nocturno tempore. Lector vero veniens in ingressu Capituli aperiat librum, & inclinet ad benedictionem. Post primam lectionem non dicat *Tu autem Domine*, sed post quam prædixerit, *& aliorum plurimorum* surgant fratres, & vertant se ad Orientem dicentes versum, qui in collectaneo habetur; idest *Pretiosa in conspectu Domini*, sacerdote hebdomadario incipiente. Qui cum dixerit *Gloria patri*, incurvetur chorus contra chorum omni tempore dicentes simul Kyrie eleison. Et quando sacerdos dixerit *Et ne nos inducas* erigantur, donec sacerdos dicat *Dirigere & sanctificare*, & tunc incurventur. Quæ incurvatio fiat æqualiter omni tempore. Lector quoque ita se incurvet, sicut illi, qui sunt juxta ingressum capituli. Dicto autem *Qui fecit cœlum & terram* resideant; ita tamen ut prius assideat, qui tenet Capitulum. Qui dum resederint, non humilient se invicem sicut prius. Postquam omnes resederint incipiat lector lectionem de Regula, qua finita dicat *Tu autem Domine*, & accipiens tabulam legat Breve, si ipso die legendum fuerit. Quod si subprior Capitulum tenet; & qui legit, prior ipsius fuerit, si eum pronunciaverit, fratrem eum nominet; & sic etiam se ipsum nominet. Et dum Breve recitatur, qui nomen suum intellexerit, inclinet. Cum hebdomada aliqua ascripta fuerit, si intelligit se illam propter quamlibet incommoditatem non posse complere, inde potest in præsenti capitulo Misericordiam quærere; nam extra non debet. Quod tamen si pro gravi necessitate fieri contigerit, sequenti capitulo veniam petat, & necessitatem intimet. Lecta itaque tabula pronuncietur commemoratio hoc modo *Commemoratio omnium fratrum, sororum, familiarium & benefactorum defunctorum ordinis nostri*. Deinde dicat, qui tenet Capitulum *Requiescant in pace*; & dicto *amen*, inclinet lector, & sic eat in locum suum. Ubi cum advenerit, inclinet ante sedem. Sed postquam resederit, humiliet se, sicut alii fecerunt, quando primo consederunt. Et qui tenet capitulum, dicat *Benedicite*. Si vero aliquis advenerit, antequam *Benedicite* dicatur, humiliet se inclinans ut alii. Et cum resederit, inclinet, sicut faceret, si primæ confessioni interesset. Si vero post occurrerit, dum assidens inclinaverit, dicat *Benedicite* summissa voce; ita ut alii possint respondere *Dominus*, qui circa illum sedent. Nemo autem loqui præsumat, neque veniam petat, donec ille, qui tenet Capitulum, dicat *Loquamur de ordine nostro*. Et tunc si absolvendus est defunctus, ad admonitionem cantoris absolvatur. Postea si dies ultimus tricenarii commemorandus fuerit, cantor eum commemoret. Denique si aliquid Breve pro defunctis legendum fuerit, legatur a cantore, ipso tamen jubente, qui Capitulum tenet, quo prænunciato dicat, qui Capitulum tenet, *Requiescat in pace*, & dicto *Amen* ab omnibus, injungat pro anima ejus sacerdotibus collectam ter in Missa, ceteris

teris vero VII. psalmos pœnitentiales, vel VII. *Miserere*. Postea vero petat veniam, qui se in aliquo reum noverit. Deinde fiant clamationes, si faciendæ sunt, hoc ordine. Si plures viderint aliquem transgredientem, major illorum teneatur illum in Capitulo proclamare. Quod si non fecerit, secundus clamet utrumque, & sic faciant ceteri gradatim per ordinem descendendo. Nemo irato animo litigare audeat cum aliquo, quod si fecerit, cum indictum fuerit silentium ab aliquo astantium ei, statim taceat, & a lite desistat, vel inde discedat. Ille vero, qui ibi assistit, litigantibus silentium imponere teneatur. Qui autem clamaverit, non quærat circuitiones in clamatione sua, sed aperte dicat, ille fecit hoc. Sed, qui clamatus fuerit, mox ut audierit nomen suum, non respondens in sede sua petat veniam. Tenenti capitulum, eumque interroganti, quid dicitis, respondeat prostratus *Mea culpa*; & ad jussum illius erectus, si reus fuerit, humiliter culpam suam confiteatur, & de reliquo emendationem promittat. Si autem culpabilem se non intelligit, qui eum clamaverit, ipsam clamationem suam non repetat, nisi interrogatus. Alius tamen si noverit, quod culpabilis sit, potest illud dicere. Et sciendum, quod qui clamatus fuerit, non faciat clamationem super illum, qui eum clamavit. Quando autem aliquis surgit in judicium clamatus ab alio, quoties clamabitur in ipso judicio, toties satisfaciat. Qui dum in terra jacuerit, nemo loquatur. At postquam erectus fuerit, dicatur de eo in ipso judicio, quod dicendum est, ne compellatur surgere, postquam resederit, nisi aliqua rationabilis in ipso capitulo contra eum postea succreverit. Si quis sponte sua in judicium venerit, sub una venia confiteatur omnes negligentias, quas confessurus est. Quod si alius eum clamando surgere compulerit, illo clamore pertractato, si de ipso aliquid dicere voluerit, dicat. Porro si plures insimul fuerint in judicio, qui prior fuerit, stet in medio, & prius loquatur, & cum locutus fuerit, statim judicetur, & de judicio dimittatur, nisi forte prior ibi eum remanere fecerit, vel quemlibet ex ipsis, ceteris dimissis, ut majus judicium sustineat, si majorem quam ceteri culpam habeat. Similiter judicentur ceteri singulariter, & singulariter dimittantur, nisi eamdem causam omnes habuerint, vel simul dimittantur. Dimissi vero de judicio stantes redeant ad sedes suas. Nemo etiam amplius quam a tribus clametur; nisi forte ab eo, qui capitulum tenet, & nisi etiam postea in ipso capitulo aliquid deliquerit. Nec pro uno clamante quis plusquam unam veniam petat, licet plures super eo culpas loquantur; nisi rursum, sicut exceptum est, in eodem excesserit capitulo. Nemo præsumat loqui in ipso capitulo, nisi clamando alium vel clamatus ab alio, vel quando quis aliquid perdiderit, præter priorem & priorem claustralem, & quosdam de senioribus, quibus prior consenserit; nisi forte jussus vel interrogatus a priore, aut ipse aliquid de ordine quæsiturus. Quod si forte aliquis jussu prioris salutationem domini papæ Capitulo præsentaverit, assurgendo conventus inclinet profunde; ad salutationem regis, episcopi, abbatis, & aliarum quarumlibet sublimium personarum sedendo profunde inclinetur. Similiter inclinent, quando prior indicit eis facere aliquam communem orationem. Similiter inclinent, quos voluerit promovere vel degradare, vel in gradum suum restituere, seu quos decreverit ligare per pœnitentiam vel solvere; & similiter omnes, quibus jusserit aliquid facere. Nullus faciat clamationes super aliquem ex sola suspicione, nisi de hoc, quod audierit vel viderit, vel referri audierit ab aliquo extraneo. Quando clamatio facta fuerit de aliquo, si in ipso judicio verberandus fuerit, caveat ille, qui capitulum tenet, ne ab eo verberetur, qui super eum clamavit. Qui verberandus est, postquam a priore jussus exui fuerit, mox in eodem loco, in quo stat, exuens cappam, ponat eam ante se subter genua sua, per capitium vero tunicæ exerat brachia, & totum corpus usque ad cingulum, & sic consistens inclinato capite nihil dicat, nisi tantum *Mea culpa; ego me emendabo*. Quod crebrius repetat. Sed neque alius interim loquatur, nisi forte de prioribus aliquis pro eo humiliter intercedat. Qui autem eum verberat, non cesset a verbere usque ad jussionem prioris. Qui dum quieverit, adjuvet illum fratrem ad induendum. Qui indutus & erectus non se moveat, donec prior dicat *Ite sessum*; & tunc inclinans eat ad locum suum. Hoc quoque sciendum est, quod ille, qui inferioris gradus est, non debet verberare superiorem, idest diaconus sacerdotem, sed æqualis æqualem, vel superior inferiorem; hoc etiam caveatur, ne aliquis extra Capitulum loquatur alicui, vel significet de culpis seu de secretis causis, quæ in Capitulo pertractantur. Quod si episcopus vel abbas mona-

monachorum, seu prior clericorum regularium, vel etiam rex aliquando Capitulum intraverit, assurgentes ei omnes inclinent, cum ante eos transierit. Quod si societatem quæsierit, assurgentibus omnibus concedatur ei per librum, & responso *amen*, similiter prior quærat ab eo partem beneficii sui. Qui postquam demoratus fuerit, quantum tenenti Capitulum placuerit, deducat eum ad hospitium prior claustralis, vel cui jusserit prior, antequam conventus egrediatur, nisi prior usque ad finem Capituli eum retinere voluerit. Quod si monachus vel clericus, vel etiam laicus fuerit, sedendo concessa ei societate a quolibet fratre deducatur. Nullus nisi introductus Capitulo interesse permittatur. Quod si quis introductus fuerit, eo præsente confessiones non fiant. Si quis, ex quo fratres ingressi sunt Capitulum, inde exierit, nisi jussus, aut sanguinem de naribus fluens, vel etiam vomens, sive pro tabula ad legendum afferenda satisfacere debet, sed nec licentiam exeundi quis quærat, nisi cocus, aut obedientialis fuerit, aut necessitas naturæ compulerit, vel prior, cui ante indixerit, aut qui in via dirigendus fuerit. Isti namque cum necesse habuerint, solent pro officio suo signo exeundi licentiam quærere. Tractatis igitur, quæ tractanda sunt, surgentes omnes vertant se ad Orientem, & sic, qui tenet Capitulum, dicat *Adjutorium nostrum in nomine Domini*, & responso ab omnibus *Qui fecit cœlum & terram*, inclinent & exeant omnes, nisi aliquis remoretur causa Confessionis vel infirmitatis. Quamdiu tamen aliquis confitetur, nullus ibi remaneat, nisi qui simili occupatus opere. Nam omni tempore lectionis, & in omni intervallo ante Laudes, & Primam possunt ibi confiteri. Audienti Confessionem & confitentem interroganti, quid dicis, respondeat prostratus *Mea culpa*; deinde erigenti se super genua dicat sacerdos *Benedicite* & responso *Dominus*, subsequatur sacerdos *Dominus sit nobiscum* & responso *Amen* confiteatur breviter culpas suas, pro quibus veniam petit. Quibus dictis statim subsequatur *De his & de omnibus meis peccatis me reum confiteor, & veniam deprecor*. Tunc prior facta super eum absolutione injungat ei pœnitentiam. Deinde potest eum confortare vel monere, vel increpare, prout viderit expedire, si voluerit, breviter tamen. Si quis causa Confessionis aliquem eorum, qui Confessiones audiunt, post signum Missæ retinuerit, vel de Missa evocaverit, in Capitulo utroque stante breviter confiteatur.

Qualiter se habeant fratres tempore lectionis? Cap. LXXIV.

FRatres egressi igitur de Capitulo sedeant ad lectionem, exceptis illis, quibus procurantibus officia legere non vacat, quæ tamen postquam compleverint, redeant ad lectionem. Ad orationem vero ire possunt in ecclesiam, non solum tunc omni tempore lectionis, & ad omnia intervalla, ubi non sedeant, & caputia habeant taliter in capitibus, ut possint agnosci, si dormiant, an non; nec legant, nec librum teneant. Similiter cum opus Dei in ecclesia celebratur, hæc omnia servare procurent, præter illos, qui psalterium nesciunt, & qui ad præsens opus prævidere, legere, aut cantare necesse habuerint aliquid. In officiis vero divinis, & maxime in conventu, quicumque aliquid solus dixerit, caputium penitus deponat. Post Nonam vero, qui in claustro sederint, religiose se habeant, singuli in singulis libris legentes, exceptis illis, qui antiphonariis, hymnariis, gradalibus cantaverint, & illis, qui lectiones suas præviderint, quas auscultet cantor, sicut ibi videbitur, aut quilibet frater ad hæc idoneus, & ab ipso præmonitus statim post Nonam vel exeuntes a gratiis, cum dies jejunii fuerit. Neque inquietent se invicem in quæstionibus faciendis, nisi de productis & correptis accentibus, & de dictione, quam legere ignoraverint, & de principiis lectionum ad mensam, & ad collationem, & ad Vigilias, cum necesse fuerit, quæ brevissime sint. Si quis habuerit capitium in capite, dum legerit, taliter habeat, ut possit perpendi, si dormiat. Quod si aliquis necesse habuerit divertere alicubi, librum suum in armario reponat, aut si eum in sede sua dimittere voluerit, faciat signum fratri juxta sedenti, ut illum custodiat. Porro si quis ab aliquo librum, in quo legit aut cantat, accipere noluerit, necesse habens in eo videre, tradat ei alium, & ille, cui tradiderit, in pace dimittat. Quod si ei accommodare voluerit, ille, qui petit, in pace ferat, donec super eo in Capitulo proclamationem faciat. Ita se habeant, dum sedent. Dum vero ambulant, humiliter incedant, supplicantes invicem obviando. Quod si priori obviaverint, divertant se in partem supplicantes ei. Quæ supplicatio ubique fiat extra dormitorium, quoties priori vel sibi obviaverint. In labore tamen cum

ſibi obviant, nec mutuo ſibi ſupplicant, nec *Benedicite* dicunt. Et notandum, quod nulli ſupervenientium priorum in clauſtro inclinatur, niſi ſicuti monacho, niſi illi tamen, qui ſedem prioris tenet, & proprio priori. Nemo per capitium ſignum faciat. Ne quis vocet aliquem per vocem vel per ſonitum tempore ſilentii. Et notandum, quod tempore lectionis poſſunt eſſe fratres in nocturnalibus. Si quis aliquo modo fratrem ſuum ſcandalizaverit, dicat priori, qui clauſtro præſidet, & tunc ſi juſſerit idem prior, vocato illo tamdiu ante pedes ejus proſtratus jaceat, quouſque ille placatus erigat eum.

Quas officinas ingredi debeant Fratres? De Coquina. Cap. LXXV.

NUllus ingrediatur coquinam tempore ſilentii ſine licentia, excepto cantore, & ſcriptoribus ad liquefaciendum engauſtrum, ad exſiccandum pergamenum; & ſacriſta vel quolibet alio pro accendendo lumine in eccleſia, vel prunis in thuribulo vel patellæ imponendis, vel ſale benedicendo. Sed nec iſti intrare debent, ſi in calefactorio ignem ſufficienter invenerint. Exceptis etiam hoſpitalario, portario, infirmario pro officio ſuo. Illo etiam, quem cocus vocaverit ad ponendam ſuper ignem caldariam vel deponendam.

De Refectorio. Cap. LXXVI.

IN refectorio ſimiliter nullus tempore ſilentii ſine licentia ingrediatur, excepto infirmario & coco pro officio miniſterii ſui, & cum a refectorario ad ſe adjuvandum vocati fuerint, & ceteris omnibus, qui bibere indiguerint, & ſervitore eccleſiæ pro ſalino.

De Calefactorio. Cap. LXXVII.

CAlefactorium poſſunt ingredi fratres ad illa, quæ ſuperius diximus, facienda, & ad ſubtellares inungendos, ad ſe minuendum, ad calefaciendum, quod honeſte & non nudis pedibus præſente aliquo faciendum eſt. Notandum tamen, quod has tres officinas ſupradictas ingredi poterunt fratres illi, qui ſecundum Regulam per annum circumeunt clauſtra monaſterii.

De Dormitorio. Cap. LXXVIII.

DOrmitorium ingrediuntur fratres, quoties opus habuerint, in quod ingredientes ponant caputia in capitibus ſuis. Intrantes autem domum neceſſariam, quantum poſſunt, abſcondant vultus in caputiis ſuis, & ita aſſideant cappis ante ſe honeſte & caute collectis. Si quando vero ſederint in ſcapularibus, nihilominus quantum potuerint ſe ab anteriori parte cooperiant. In dormitorio non ſedeant, niſi quando ſe calceant vel diſcalceant, vel quando mutant tunicas, & tunc in lectis ſuis vel in ſubpedaneis, exuentes & induentes ſe honeſte & caute faciant, ne nudi appareant. Quod non extra dormitorium, ſed ad lectum ſuum facere ſolent; & qui extra jacent, ſimiliter ad lectos ſuos. Nullus in lecto aſcendat rectus, ſed de ſponda divertat in ipſum lectum, nec jaceat ſuper cozos præter minutos & infirmos, qui extra chorum ſunt, quos poſſunt in æſtate omnes in porticis ponere, ſi voluerint. Nullus excutiat ibi indumenta vel faciat ibi ſigna, niſi forte cum priore vel etiam priore clauſtri, ſeu quando quis vocat alium prioris ex parte vel etiam prioris clauſtri.

De Mixto. Cap. LXXIX.

SI dies fuerit prandii, mixtum nequaquam ſumitur, excepto lectore menſæ, & ſervitoribus pro communione tantum. Si autem jejunii, percutiatur ſignum in refectorio tribus ictibus poſt Sextam ab aliquo ſervitorum. Quo audito menſæ lector & cocus veniant in refectorium. Quod ſi alter defuerit, qui præſens eſt, non eum expectet. Si ambo aderunt, qui inferioris gradus eſt, dicat *Benedicite*; qui major eſt, benedicens dicat *Largitor omnium bonorum benedicat cibum & potum ſervorum ſuorum*. Poſt Mixtum dicat unuſquiſque ſub ſilentio *Retribuere dignare Domine omnibus benefacientibus propter nomen tuum vitam æternam*. Similiter faciant adoleſcentes, qui ante Tertiam Mixtum ſumunt. Menſura Mixti ſit quatuor unciarum panis & vini, quantum ſemel honeſte bibere poſſit. Sumpto itaque Mixto, ſi aliquid reſiduum fuerit, referant panem in arcam, & vinum in vas. Et ſciendum, quod a Capite jejunii uſque ad Paſcha, & in diebus quatuor Temporum, & Vigiliis Domini & Sanctorum Mixtum non ſumitur.

Qualiter ſe habeant fratres in hyeme privatis diebus? De Vigiliis. Cap. LXXX.

A Kalendis novembris uſque ad Paſcha, excepto a Nativitate Domini uſque ad octavam Epiphaniæ, privaris diebus ad Vigilias proſternantur fratres ad orationem, & ad *Domine ad adjuvan-*

juvandum me festina super formas, & *Kyrie eleison*, sicut ad ceteras Horas. Cetera compleantur secundum Regulam, sicut supra diximus, in capite: *Quomodo conventus se agat ad Missas?*

De Intervallo. Cap. LXXXI.

POst Vigilias vel post officium defunctorum, si dicendum fuerit, eant in dormitorium, qui voluerint, & pausent in lectis suis, vel sedeant in claustro, aut in Capitulo, aut orent in ecclesia, non tamen sedendo; qui taliter habeant caputia in capitibus, ut possint agnosci, si dormiant, an non. Audito horologio eant, quo necesse habuerint, & dum signum pulsaverit, omnes ingredi chorum parati sint. Sacrista vero non solum tunc, sed etiam ad ceteras Horas tantum signum pulset, quantum ei a priore in Capitulo ordinatum fuerit. Quicumque autem ad orationes, quæ ante Horas fiunt, non affuerit, veniam petat in Capitulo; excepto priore claustri, vel alio, qui conventum tenuerit, & exceptis cellerariis, monacho hospitum, & cantore tempore lectionis, & his, qui Missas audiunt. Omnes tamen interesse debent orationibus, quibus *Pater noster*, & *Credo in Deum* dicitur. Sed nec aliquis horum excipitur ab illis orationibus, quæ fiunt ad utrasque Vesperas in præcipuis festivitatibus. Quod si forte post matutinos dies nondum claruerit, a sacrista fiat intervallum, & fratres qui voluerint, sedeant in claustro, sed non legant. Apparente autem die pulsetur signum, & fiat intervallum, & postea iterum pulsetur signum, & facta oratione super formas, aut super Misericordias, si tale tempus fuerit, signantes se inclinent, & similiter faciant omnibus Horis post factam orationem. Dum autem sacerdos finierit *Deus in adjutorium*, ad *Gloria Patri* incumbant super formas, aut incurventur, sicut tempus dictaverit. Et similiter ad omnes Horas diei faciant. Dicta itaque Prima cantetur Missa, post Missam pulsato signo ad Tertiam, fratres intrantes ecclesiam aspergant se aqua benedicta, & dimisso signo fiat oratio, sicut ad Vigilias.

De Labore. Cap. LXXXII.

FInito Capitulo, & positis cappis a fratribus, ubi priori visum fuerit, & præparatis ad laborem, pulsetur tabula a priore claustri vel a subpriore, vel certe ab alio, si idem prior jusserit; ipsi tamen in majori utilitate forsitan occupatis, ad cujus sonitum conveniant omnes, exceptis infirmis & variis officiis deputatis. Servitor tamen infirmorum, nisi apparatu infirmorum detentus fuerit, & cantor, & sacrista, & hospitalis, & magister novitiorum, sicut & alii conveniant; nisi aliquos horum pro majori forte occupatione prior in Capitulo inde absolverit. Prior claustri si domi fuerit, semper tabulam pulset, & ordinet laborem suum in auditorio. Si vero extra chorum fuerit, subprior vel cui injunctum fuerit, pulset tabulam. Prior tamen supradictus nihilominus residens in auditorio ordinet laborem suum. Tunc si quis pro qualibet necessitate remanere voluerit, dicat causam suam, & quod eidem priori visum fuerit, faciat. Quod si concesserit remanere, provideat ipse illo fratre commonente, quod facere debeat, postquam illud compleverit, pro quo remanserit. Quod si aliqua gravi necessitate impediente tabulam pulsare, & laborem, sicut dictum est, ordinare non poterit, subprior vel cui injunctum fuerit, idem faciat; hoc tamen brevius, quam poterit & expeditius, & non multiplicatis verbis nisi de labore. Si vero prior vel etiam claustralis prior aliquem retinere voluerit, qui retinetur, signum faciat ei, qui tabulam percutit. Si autem laborem facere non poterit, post laborem innuat, ferramenta & alia instrumenta ad laborem necessaria claustralis prior dividat, prout viderit expedire. Exeuntes autem sequantur claustralem priorem, vel quem idem prior jusserit, similiter & post laborem. Provideat prior aliquem maturum fratrem, qui conventum sequatur, cum ad laborem jerit, vel redierit inde. Pervenientes vero ad laborem, secundum quod visum fuerit ei, qui laborem tenet, & secundum quod cuilibet ordinaverit, laborent. Non repausent, nec digrediantur alicubi quacumque necessitate sine licentia, sed si contigerit digerendi, expleta necessitate ad laborem citius revertantur. Si lector vel cocus, vel refectorarius ibi fuerint, audito signo ad Mixtum, vel etiam antequam signum pulsetur, secundum quod longius a monasterio vel propius laboraverint, quærant ad laborem a priore licentiam eundi; quid etiam post Mixtum facere debeant, interrogent. Cum repausaverint secundum quod qualitas aeris & situs loci permiserit, circa priorem repausent. Quamdiu autem pausaverint, inter se non significent, nec loquantur usque dum surrexerint. Et sciendum, quod tempore labo-

laboris in labore nec legere, nec etiam ad laborem deferre librum cuiquam liceat. Nullus etiam sine cappa vel scapulari, vel ibi vel alibi loquatur vel significet. Audito signo ad Horam intermittant opus, si ibi etiam Horam cantaturi sint. Et qui in ecclesia fuerint, citius cantent, servato tamen moderamine gravitatis. Si prior signum non audierit, qui audit tam tempore secationis, quam alio, dicat ei. Qui laborem servat, etiamsi sacerdos non fuerit, orationes ante Horas semper ipse terminet. Versiculos & responsoria ipse per se dicat, aut alii injungat. Prior tamen & subprior, si diacones fuerint, *Pater noster* sibi reservent; si infra, qui cantat Horam, totum compleat. Cum conventus infra terminum laboraverit, & forte bajulaverit ligna, vel tale quid, quod sine damno relinqui possit, quando audierit signum, quod ante Horam pulsatur, dimittant ibi, quod bajulant, & festinent ad Horam venire. Si intra auditorium vel claustrum fuerint, quando prædictum signum audierint, onera sua ad destinatum locum bajulent; & sic se ad Horam præparare festinent. Si extra terminum laboraverint, & ad Horam in monasterium occurrere non debuerint, dicant ibi Horam, & postea onera resumant. Et est notandum, quod si quis frater missus fuerit a priore laboris ad monasterium, non teneatur ire in ecclesiam ad Horam, si debet reverti. Revertentes autem de ipso labore, ponant instrumenta, quæ detulerant, ubi ad laborem præparari solent, aut priori reddant, exceptis sarculis, furcis, rastris & falcillis, quæ per totum tempus sarculationis, secationis, vel messionis, unusquisque sua circa lectum suum custodire solet.

De Refectione. Cap. LXXXIII.

POst Horam prior claustri pulset signum, vel cui injunxerit ipse. Quod si forte per negligentiam cibus nondum paratus fuerit, non pulset, donec paratus sit, nec fratres abluant sibi manus, sed interim sedeant in lectione, donec signum pulsetur. Quod etiam ad omnes refectiones similiter teneantur. Ablutis igitur manibus & detersis intrent refectorium, & venientes stent ante sedes suas, donec prior veniat. Si autem prior diu moratus fuerit, quod omnino caveri debet, sedeat interim, qui voluerit. Cum ergo prior venerit, assurgant ei. Qui prior pulset campanam, quantum viderit expedire, ad utramque refectionem. Et dum pulsatur, qui in loco suo est, non divertat alicubi, donec versus prædicatur. Qua dimissa dicat conventus *Benedicite* incipiente cantore, & dicto versu cum dixerit *Gloria Patri*, incurvetur chorus contra chorum dicentes *Gloria patri*. *Kyrie eleison*, & sub silentio *Pater noster*. Cum autem sacerdos hebdomadarius dixerit *Et ne nos* erigat se, & stans versus principalem mensam dicat *Oremus*. *Benedic Domine dona tua &c.*, & faciens unam Crucem signet totum refectorium, & sic compleat totam benedictionem, dicendo tamen *Per Christum Dominum nostrum*. Qua completa, & responso *Amen*, erigant se fratres, & ingrediantur mensas. Porro cellerarius, & coci provideant, ut unum pulmentum priusquam campana pulsetur, per mensas disponatur. Ex quo autem campana pulsatur, si quid adhuc de pulmentis deferendum est, non feratur, donec lector incipiat legere. At si lectore incipiente legere unum pulmentum adhuc per mensas deferendum fuerit, hoc feratur ordine; scilicet ut duæ scutellæ prius deferantur, una scilicet priori, altera vero ei, qui ad lævam ipsius sedet; deinde duæ in dextera parte, & duæ in sinistra, & sic duæ hinc & duæ inde usque ad ultimum. Apposito itaque communi cibo, si cellerarius voluerit superaddere pro misericordia illis, de quibus indictum est ei a priore, ipsemet vel per se, vel per alium deferat eis, & sicut voluerit, distribuat. Hoc idem faciat & minutis. Incepta ergo lectione fratres discooperiant panem, priore tamen prius hoc faciente. Exhinc nullus exeat de refectorio, nullus incedat etiam comedendo, nullus ibi abluat scyphum manu, sed liniat, qui voluerit. Qui manus coclearia vel cultellum tergere voluerit, ad mappulam sibi deputatam tergat. Qui voluerit sal accipere, cum cultello accipiat. Qui bibit, duabus manibus teneat scyphum. Si quis viderit aliquid deesse, quod habere debeat, requirat a coco vel a cellerario aliquo signo. Qui aliquid apponit, vel cui apponitur, invicem sibi inclinent. Quod semper & ubique facere debent, dando & accipiendo de cibo communi & pictantia quilibet possit dare a dextris & a sinistris. Remotis tandem scutellis colligat cocus coclearia, prius a sinistra parte incipiens a priore, dehinc a dextra incipiens juxta priorem; nisi a priore in Capitulo concessum fuerit, ut unusquisque sub mensa in loco apto suum sibi recondat. Cum autem prior viderit omnes comedisse, omnibusque

busque sublevatis, quæ sublevanda sunt, sonitu cujuscumque rei signum faciat, & tunc frater clericus, qui in refectorio servit, accipiens vas ad hoc præparatum recipiat panem prius tamen a priore, & sic recipiendo recurrat usque ad ultimum illius mensæ; postea vero revertens ad initium mensæ sequentis recurrat & illam. Coquus quoque accipiens vas ad hoc aptum simul cum tersorio, & incipiens ab ultimo prioris mensæ, recurrat post ipsum permundans omnia usque ad finem. His tandem ita peractis prior lectori dicat *Tu autem*, & responso *Deo gratias* surgant & stent eo ordine, quo ante refectionem steterunt, & pulsata campana a priore quantum ei visum fuerit, dicant versum, quem cantor incipiat dimissa campana. Quo dicto exeant cantantes *Miserere mei Deus*; quæ incipiat cantor illis cum eo cantantibus, qui stant in dextro choro in ecclesia. Secundum vero versum dicat sinister chorus; & sic cantent ceteros alternatim, bini & bini incedentes, junioribus scilicet præeuntibus, ita tamen ut prior, vel quilibet conventum tenens solus eos in medio utriusque chori sequatur. Sed si abbas aliquis fuerit, eat prior cum socio, abbas autem solus. Si duo abbates aut duo priores fuerint, eant simul. Fratribus itaque intrantibus ecclesiam pulsetur signum. Ingredientes vero chorum ordinentur, sicut ad Missas versis vultibus ad altare usque ad *Gloria Patri*, & tunc prosternantur super formas, vel, si tempus non fuerit prosternendi, inclinent ad *Gloria Patri*; & postea residеant super Misericordias. Finitis vero gratiis surgentes inclinent, & sic redeant cum reverentia. Præterea sciendum, quod servitoribus licet dare de pulmentis, quæ remanserint alicui fratrum, aliis quibus expedire viderint.

De Servitoribus. Cap. LXXXIV.

TUnc pulsetur parum campana ad convocandos servitores. Qui congregati dicant versum voce mediocri, absente priore & priore claustrali, qui prior est in ordine conversionis, nisi ibi sit aliquis superioris gradus, cibum semper benedicat. Ab eo autem, qui superioris vel æqualis gradus fuerit, mensæ lector petat benedictionem, & dicat lectionem ante & post refectionem. Quod si ipse lector superioris gradus fuerit, aliquis clericorum ab eo benedictionem petat, & dicat utramque lectionem. Si vero nullus clericus ibi fuerit, laicus petat benedictionem, & ipse lector dicat lectionem. Post relectionem vero dicta lectione, versum dicant ibidem voce mediocri, adjungentes *Miserere mei Deus*, versis vultibus ad invicem, nullo tempore se ibidem prosternentes. Quo expleto non pulsentur Vesperæ, donec & ad necessaria ire, & lectiones prævidere, si hora permiserit, possint.

De Vesperis. Cap. LXXXV.

AD Vesperas incipiat hebdomadarius primam antiphonam; secundam, qui ante omnes stat in altero choro, exceptis prioribus; tertiam ille, qui stat post hebdomadarium; quartam vero, qui est secundus in alio choro. Absente hebdomadario quicumque primam antiphonam inceperit, sive sit superior hebdomadario, sive inferior, si alius juxta se inferius supervenerit. tertiam antiphonam ei incipiendam nominet. Si nullus inferior fuerit, & alius post primam antiphonam juxta se superior advenerit, tertiam antiphonam ei incipiendam nominet. Similiter faciat, qui secundam antiphonam incipit in alio choro. Qui autem cantat responsorium, antequam illud incipiat, inclinet, & post versum iterum inclinet. Quando vero canitur responsorium de aliqua historia, postquam inceptum fuerit, vertant vultus ad invicem tam ille, qui incipit, quam ceteri. Hymnus sic incipiatur, ut ad Laudes diximus. Si benedictio de via regressis danda fuerit, post commemorationes, si affuerint, detur, & stent fratres versis vultibus ad altare, donec benedictio compleatur. Quod similiter ad omnes Horas sive euntibus, sive egredientibus fiat, præter Completorium, quando super formas jacemus.

Quomodo se habeant fratres post Vesperas omni tempore? Cap. LXXXVI.

POst Vesperas sedentes in claustro, omni tempore non alte legant vel cantent, non significent, nisi de juxta necessitate, quæ convenienter differri non possint, aut quando quis ex parte prioris majoris vel minoris aliquem vocat, sive cum aliquis signum fecit juxta sedenti, ut librum suum custodiat, nec jungantur simul.

De bibere post Vesperas. Cap. LXXXVII.

SAcrista diebus, quibus jejunat conventus, pulsante in ecclesia signum vel alibi, conveniant fratres in refectorium ad bibendum, & venientes ad sedes resideant,

deant, priore tamen prius reſidente. A quo pulſata campana & dicto *Benedicite* a conventu, benedictionem hebdomadarius dicat. Qui vero poſtea occurrerit veniens ante gradum quærat licentiam bibendi; qua percepta eat ad ſedem, nec tamen amiſceat ſe his, qui in ſuperioribus ſedibus ſedent, ſed in ſedibus, quæ ante menſas ſunt, aſſideat, & bibat ibi, niſi forte ad caput alicujus menſæ ſedere debeat. Deinde prior percutiat campanam uno ictu, poſt quem nemo ingrediatur refectorium; & facto intervallo ſequantur tres alii ictus, ad quos ſurgentes exeant. Qui vero huic biberi defuerit, in Capitulo ſatisfaciat, exceptis infirmariis, cellerariis, hoſpitalario, portario, his etiam, qui in ſuſcipiendis hoſpitibus occupantur, ſed etiam illis, quos certis ex cauſis major prior hinc abſolvendos judicaverit. Qui tamen omnes cum competenter adeſſe poterunt, deeſſe non debent. Præterea ſciendum eſt, quod diebus jejuniorum biberes tali hora fieri debent, quod ſtatim poſt exitum de refectorio eant fratres ad collationem. Interim, qui biberi defuerit, ſolus & ſine licentia in refectorio poteſt bibere etiam in ſcapulari.

De Collatione. Cap. LXXXVIII.

POſt biberes vel poſt ſignum Collationis eant fratres in eccleſiam, & pulſata campana ſedeant. Frater autem lecturus Collationem eat ad analogium, ſuper quod nocturnales lectiones leguntur, dum pulſatur campana vel ante. Dimiſſa campana petat benedictionem, & legens lectionem non dicat *Tu autem*, donec, qui Collationi præſidet, jubeat. Lectione igitur finita ſurgent omnes, & ſtantes verſi ad Orientem dicat præſidens *Adjutorium noſtrum in nomine Domini*, & conventus reſpondeat *qui fecit cœlum & terram*. Et facta oratione dicat Completorium. Quod ſi quis ad Collationem non occurrerit, ita ut antequam dicatur *Tu autem* ſedeat, cum incipietur hymnus Completorii, eat ante gradum presbyterii, & verſus altare ibi permaneat, de cetero ſe habens ſicut illi, qui ſunt in choro, uſque ad finem orationis poſt Completorium, excepto illo, qui abſolutionem facit. Si vero alicui de via reverſo benedictio datur, ille, qui hujuſmodi facit ſatisfactionem, in partem prope gradum divertat, & data benedictione ibidem orationem faciat ſolitam.

Qualiter ſe habeant fratres poſt Completorium? Cap. LXXXIX.

DIcto Completorio hebdomadarius evangelii ſtans faciat Confeſſionem omnibus audientibus. Prior vero ſtans faciat abſolutionem dicens *Miſereatur veſtri*, & *Indulgentiam*; poſtea ſubjungat *Benedictio Dei omnipotentis*, & ſignent ſe fratres. Quod, ſi defuerit prior clauſtri, & utroque abſente, hebdomadarius ſacerdos, & dicto *Amen*, dicat orationem *Pater noſter*, & *Credo in Deum*. Quod ſi reverſo de via benedictio danda fuerit, ſi conventus ſuper formas proſtratus fuerit, nequaquam ſurgat, ſed nec ſacerdos, qui benedictionem dederit. Si vero ſuper Miſericordias ſederint, erigant ſe, & ſtent verſi ad altare, dum dicitur benedictio. Qua dicta iterum reſidentes ſuper Miſericordias ſolitam Confeſſionem faciant. Ipſe autem frater loco benedictionem accepit, & orationem faciat, ſi tamen cum aliis in choro ad Completorium fuerit. Completa autem oratione faciat conventus tres genuflexiones ſemper ſuper formas, & exiens prior aſpergat ſingulos aqua benedicta, poſt ſe ordinatim gradientes eo ordine, quo ſtant in choro. Qui mox mittentes caputia in capitibus, & nuſquam divertentes præter ſacriſtam, & eos qui extra dormitorium jacent, & qui ad Vigilias remanent præſentis defuncti, omnes ingrediantur dormitorium, unde nullus excepto ſacriſta, cellerario, hoſpitalario, portario, cuſtode infirmorum exeat; ſine ſcapulari vero & tunica jacere non debent. Verumtamen, qui voluerint, a Paſcha uſque ad feſtum omnium Sanctorum jacere poterunt ſine caligis.

De Vigiliis poſt Veſperas. Cap. XC.

A Kalendis novembris uſque ad octavas Pentecoſtes privatis diebus, cantatur *Venite exultemus Domino* ab uno fratre cum invitatorio; & ab octavis Pentecoſtes uſque ad Kalendas novembris alternatim ab utroque choro, ſicut *Domine quid multiplicati*. Quo tempore ſcilicet ab octavis Pentecoſtes uſque ad Kalendas novembris proſternentur fratres ſuper formas ad orationem, exceptis octavis Aſſumptionis & Nativitatis ſanctæ Mariæ. Cetera vero compleantur, ſicut ſuperius diximus, ſecundum Regulam.

Qua-

Qualiter se agant fratres in æstate? Cap. XCI.

IN intervallo vero post nocturnos regulares & Laudes pro defunctis sedeant in claustro, qui voluerint; aut sint in ecclesia, donec sequantur matutini. Quibus dictis, & facto iterum intervallo, sicut festivis diebus, calcient se diurnalibus, & sumant cultellos, quod & faciant quoties calceant se diurnalibus. Deinde aspersi aqua & pulsato signo, factaque oratione secundum tempus, dicant Primam; deinde sine aliquo intervallo Missam dicant, & dicta Missa statim intrent Capitulum. Post hoc eant ad laborem usque ad primum signum horæ Tertiæ. Quo audito intermittant opus, etiamsi ibi cantaturi sint. Post Tertiam sedeant in claustro; interim usque ad Sextam possunt ire ad Confessionem in Capitulo, possunt orare & legere, & Missas privatas dicere. Quod si dies jejunii fuerit, omnibus ordine prædicto celebratis, post Sextam intrantes dormitorium pausent in lectis suis usque ad horam octavam. Et tunc sacrista excitatus ad sonum horologii pulset primum signum ad Nonam, ad quod fratres excitati, & cappis induti intrent ecclesiam, aut in claustro sedeant, qui voluerint. Et iterum pulsetur signum ad Nonam, dictaque hora Nona eant ad refectionem. Qua peracta reliquum diei peragant, sicut privatis diebus per hyemem. In vigiliis vero Pentecostes dormitionis spatium post Sextam sic debet temperare sacrista, ut subsequens intervallum officio, quod ante Nonam celebrandum est, sufficere possit. Fratribus vero solito signo excitatis statim ministri altaris ad officium se præparent dicendo Nonam. Quod si dies jejunii non fuerit, post Sextam eant in refectorium. Post refectionem ad ecclesiam euntibus nullus fiat obvius, nec quando post versum exierint, vel post Completorium in dormitorium, seu etiam quando Capitulum ingrediuntur. Exeuntibus omnibus de ecclesia nullus se disjungat a conventu, donec intrent dormitorium, post sacristam, & eos, qui licentiati fuerint a priore, & eos qui extra dormitorium jacent. Unde nullus exeat sine licentia, excepto sacrista, cellerario, hospitalario, custode infirmorum, subportario, vel portario, si tunc affuerint causa officii sui. Servitores autem post refectionem cantantes *Miserere mei Deus* versus ibidem compleant, nullo tempore se prosternentes; deinde intrent dormitorium. Facto vero signo ad surgendum fratres aut intrent chorum, aut sedeant in claustro, donec signum iterum ad Nonam pulsetur.

De bibere post Nonam. Cap. XCII.

SI conventus exierit ad laborem post Nonam pulsata tabula, & coadunatis fratribus in auditorio, qui voluerint bibere, eant in refectorium, & sedentibus omnibus, qui prior est in ordine sacerdotii & conversionis, benedicat potum sine pulsatione alicujus signi, & cum biberint, exeant. Et si necesse habent ire ad necessaria, eant antequam exuantur cappis; qui ordo semper ante & post laborem teneatur. Qui post prandium voluerit bibere, ab aliquo de majoribus fratribus licentiam petat, & sic intret & bibat.

De Tempore secationis. Cap. XCIII.

IN tempore secationis & messionis solet conventus vel debet semel in die, sive jejunent fratres sive non, exire ad laborem, scilicet post Capitulum usque ad signum horæ Tertiæ. Plus etiam laborare teneantur ad voluntatem majoris prioris, si necessitas intervenerit, vel evidens utilitas hoc exposcat. His etiam temporibus licet etiam extra monasterium prandere, & dormire, si necesse fuerit. Hoc quoque sciendum est, quod omni tempore in prandio unum pulmentum, & alterum in cœna habere debemus. Lac si habuerit conventus sive crudum, sive coctum, pro uno generalium pulmentorum non reputabitur. De melle autem numquam & nusquam fiat generale; nisi priori visum fuerit pro pulmentorum penuria, & mellis abundantia. Si longe fuerint ab oratorio, possunt, si necesse fuerit, laborare post signum ad Vesperas, seu ad quamlibet Horam pulsatum, quod numquam alio tempore fieri debet. Vesperis ibidem cantatis eant ad monasterium. Quod si necesse fuerit, poterit claustralis prior quosdam ibi relinquere, qui tamen a cœna servitorum deesse non debent. Quod tunc quidem raro, sed alio tempore nunquam fiat. Qui fratres suos ad grangias dirigunt videant, ut præparatas habeant domos, ubi possint honeste & ordinate comedere simul & dormire, & singuli per singulos lectos secundum Regulam. Nullus prior conventum aliquando ad grangiam mittat, nisi pro frugibus colligendis. Hæc & cetera huic tempori congruentia, quia ubique observari æqualiter non possunt, unaquæque ecclesia faciat

ciat secundum positionem locorum, & dispositionem majoris prioris.

De Rasuris. Cap. XCIV.

A Kalendis Octobris usque ad kalendas aprilis per singulas kalendas radantur fratres. A kalendis Aprilis vero usque ad prædictas kalendas Octobris ad vigesimum diem, nisi aliquod impedimentum apparuerit, quod ante vel post radantur, secundum quod visum fuerit sacristæ. Coqui calefaciant aquam, & deferant, in claustrum. Si bonum fuerit tempus, in pratello claustri, sin autem in porticibus fiat rasura, vel alio congruo loco, si puteus fuerit in claustro & cum silentio. Pectines, forpices, linteamina ad hoc præparata, rasoria & affilatorias, vasa cum quibus ministretur aqua, custos eorum acuat & præparet. Fratres radant & tondeant, quibus vel secundum quod jusserit prior. Tonsura coronæ fiat moderata videlicet trium digitorum. Nullus nisi invitatus a priore aliquem radere præsumat, vel se facere significet. Nullus vero invitatus audeat refutare. Signum autem radendi alter alteri non faciat.

De Processione. Cap. XCV.

AD suscipiendum episcopum convocentur fratres in choro campana. Tunc sumat aliquis aquam benedictam nutu cantoris; quo præcedente sequatur prior, deinde conventus & novitii, bini & bini, sacerdotibus præeuntibus eo ordine, quo in choro stant. Cunctisque egressis & stantibus ordinatim ante fores monasterii, portarius vel alius quilibet ad hoc idoneus a priore jussus interim obvius ei adducat episcopum. Quo appropinquante profunde inclinent ante eum. Quibus erectis porrigat prior episcopo sparsorium osculans ei manum. Et incipiente cantore vel *Audi Israel*, si unus, vel *Sint lumbi vestri*, si plures episcopi fuerint, introeant primum novitii, deinde ceteri, itaut prior eat posterior manu tenens episcopum. Cum vero venerit in chorum episcopo incumbente orationi prior veniat in locum suum, ceteris post eum ordinatis sicut ad Missam. Præcantato vero responsorio prior erigens episcopum ducat in Capitulum. Ubi cunctis ordinate sedentibus accepta benedictione ab episcopo legat lectionem, cui cantor innuerit. Qua finita, & dicto *Benedicite*, dicat episcopus, si voluerit, aliquid pro ædificatione. Deinde surgentes omnes & inclinantes ad benedictionem episcopi, quam prior debet requirere, nisi antea in oratorio dederit. Responso *Amen*, egrediantur, & deducant episcopum ad hospitium. Sciendum autem, quod ad nullum recipiendum vadit conventus, nisi ad proprium episcopum, & archiepiscopum, & apostolicæ sedis legatos, & regem, & dominum papam, & proprium priorem. Nulli horum omnium, nisi domino papæ plusquam semel hæc fit processio. Proprio etiam fiat episcopo, quoties de longinquo reversus itinere fuerit.

De hospitibus suscipiendis. Cap. XCVI.

HOspites suscipiantur bene & honeste cum timore Dei secundum facultatem & possibilitatem & positionem loci, & secundum quod jusserit vel ordinaverit prior.

De dirigendis in via. Cap. XCVII.

DIrigendus in via ad Laudes, nisi quando statim subsequitur Prima, & ad ceteras Horas præter Completorium privatis etiam diebus ad nocturnos potest accipere benedictionem, vel etiam post Laudes sanctæ Mariæ. Quam accepturus pergens ad gradum se incurvet. Hoc etiam sciendum, quod si necesse fuerit, possit in quocumque loco a priore vel ab alio, cui commissum fuerit ab eodem priore, benedictionem accipere. Reversus vero omni tempore prosternatur. Si cum priore fuerit exiens, sive revertens ad benedictionem, sive ad orationem post Completorium, post priorem semper se collocet. Qui si etiam ad majorem Missam expectare nequiverit, ad matutinalem communicare poterit. Egrediens de monasterio non comedat ante portam monasterii, nec alicubi infra dimidium milliarium a monasterio. Et dicturus Horas per viam non teneatur flectere genua. Qui vero ad grangias, vel ad cellaria, sive ad aliquam habitationem domus illius, de qua exierit, vadit, nisi se pernoctaturum extra crediderit, benedictionem non accipiat. Similiter & qui inde redit, nisi extra pernoctatus fuerit, benedictionem non accipiat. Jejunia consuetudinaria in hyeme juxta consuetudinem teneat, nisi forte prior ei compensato labore dispensaverit, aut prior quispiam eum secum prandere fecerit, & hoc in sui ordinis tantum monasteriis, aut quilibet episcopus vel archiepiscopus, seu etiam apostolicæ sedis legatus, ac jejunia præcipua, quibus videlicet in ordine nostro cibis tantum quadragesimalibus vesci mos est, juxta morem custodiat. Ad mensam non multum

multum loquatur, sagimine non vescatur. Si stramen vel aliud tale quid, super quod jaceat, sine magno labore aut sumptu habere poterit, habeat. Alioquin quod poterit, faciat. Et sciendum, quod tam priores, quam fratres, sagum, quod vulgo dicitur stratum, secum possunt deferre & cervical. Qui autem pro strato saccum portare voluerit, liceat ei, tantum observet, ne sint pretiosa vel curiosa. Porro rediens domum, nisi eadem, qua exit, die redierit, mox ad orationem eat. Ingressurus oratorium aqua benedicta se aspergat, orationem in choro, si conventum ibidem non invenerit, pronus vel prostratus secundum tempus faciat. Quod si invenerit, oret extra chorum. Si hostium oratorii obseratum invenerit, ibidem oret. Et sciendum, quod in quacumque domorum clericus nostri ordinis venerit, in ecclesia, si sacerdos fuerit, erit superior sacerdotibus, alioquin inferior juxta illos. Psalmum & antiphonam imponat, sed lectionem aut responsorium non dicat, nec quicquam de officio sacerdotis hebdomadarii seu invitatorii, quousque prior vel cantor jubeat. Quod si prioratum claustri vel aliam obedientiam habuerit, pro obedientia sua nihil faciat. Praeterea sciendum est, quod in via directo, dummodo nocte una vel pluribus extra monasterium fuerit pernoctatur, sufficiat semel in die reversionis suæ benedictionem suscipere.

De vomitibus & sanguine fluentibus, & servitore eorum. Cap. XCVIII.

SI sacerdoti ad Missam sanguis de naribus fluxerit, afferatur ei aqua in presbyterium a servitoribus ad sanguinem recipiendum, & ad se lavandum. Quod si ministris contigerit, extra chorum eis similiter serviatur. Alias autem quoties alicui hoc vel etiam vomitus contigerit, frater, cui hoc opus injunctum est, sequatur eum euntem in claustrum. Et si nox fuerit, cum lumine assistat ei; & serviat, donec ablutus in chorum revertatur. Quod si *Venite exultemus*, vel primus psalmus alterius Horæ tunc in ecclesia canitur, si ad *Gloriam* non fuerint, non satisfaciant. Quod si extra conventum ei contigerit, non quidem ad gradum satisfaciat, sed veniens per medium chorum ante priorem facto signo necessitatis suæ in stallum suum redeat. Quod si in refectorio contigerit, servitor non tamen exeat, sed coquo vel cellerario, ut eum adjuvet, significet. Ille vero, si antequam conventus exeat, ad mensas redierit, quod comesturus erat, comedat, quem nec conventus expectet, nec ipse, si surrexerint, propter hoc comedere desinat. Quod si, postquam conventus exierit, revertitur, non servitores expectet, sed statim comedat, & dicto versu sub silentio recedat. Si contigerit, ut aliquem vomentem vel sanguinem fluentem servitor eorum non viderit, significet ei quicumque viderit.

De Minutione. Cap. XCIX.

FRatres in tempore messionis & secationis, & in Adventu, vel per totam illam quarantenam, & in Quadragesima & per totam septimanam Nativitatis, Paschæ, Pentecostes, & quando secunda vel tertia die præcipuum jejunium evenerit, minui non debent. Hebdomadarius quoque Missæ, aut coquinæ, vel lectionis mensæ non se minuunt, nisi dictum fuerit eis vel data licentia. Reversus vero de via eadem die non se minuat, nisi consilio prioris. Et notandum, quod quinquies in anno minui possunt & si fieri potest convenienter, his minuantur mensibus, scilicet Februario, Aprili, Septembri. Quarta vero minutio circa festum sancti Johannis-baptistæ, quinta ante festum sancti Martini fiat. Cum autem debent minui, dicat prior in Capitulo, qui debeant vel qui non debeant. Caveatur etiam, ne secunda vel tertia die duodecim lectionum veniat dies. Erit tamen in arbitrio majoris prioris propter hoc non dimittere, quin illi, de quibus judicaverit, minuantur. Die minutionis Tertia agatur hora secunda vel ante. Post Tertiam fiat minutio. Qua completa dicatur Sexta, & eant ad prandium. Accenso vero igne in loco apto ante Tertiam ab eo, cui prior jusserit, dummodo necesse sit, post Tertiam præparent se fratres ad minuendum, calefactis brachiis, qui voluerint, ad ignem aliquantulum. Interim autem veniat minutor jussu prioris. Qui vero minuti fuerint, si necesse habuerint, poterunt prægustare aliquantulum, etiamsi ibi intrare refectorium non poterint. Ex hinc omni tempore lectionis vel laboris potest minutus aut jacere in lecto suo, aut sedere in Capitulo, & in claustro, usque per totum secundum diem. Si minuti vero debeant intrare chorum vel non, hoc sit in arbitrio majoris prioris. Quod si dixerit non intrandum esse, sic se habeat, ut ceteri, qui sunt extra chorum. Quod si judicaverit eos debere intrare, liceat eis sedere, quandocumque voluerint. Quod si totus con-

ventus vel major pars minuta erit, liceat mitius & expeditius celebrare officium. Et tunc solutum sit silentium die minutionis in loco, quo fratres loqui consueverunt, post Capitulum usque ad Vesperum, ut qui volunt, possint ibi loqui. Per tres dies non jejunabunt, nec per duos ad laborem exibunt. Quarta vero die erunt sicut ceteri de conventu. Si quis, vel si qui pro maxima necessitate extra conventum minuti fuerint, & conventus jejunaverit, provideat eis, ut hora competenti prandeant, & post Vesperas cœnent. Quid vero debeant manducare tam isti, quam conventus, quando minuitur, provideat & ordinet major prior, prout viderit possibilitati loci convenire, dum omnino caveatur, quod conditum carne propter minutionem non comedant.

De Infirmis extra chorum. Cap. C.

QUoties aliquis exierit de choro propter infirmitatem, in subsequenti Capitulo petat veniam, etiamsi jussus fuerit remanere, & dicat causam exitus sui. Quod si septimanarius coquinæ fuerit, dominica die benedictionem egressionis suæ cum socio suo recipiat. Ad omnes vero Horas diei sit in loco talibus constituto, ubi se incurvet sicut ceteri, & prosternat. Qui extra chorum est, tempore lectionis vel laboris potest jacere in lecto suo, aut sedere in Capitulo vel in claustro. Cui provideatur a cellerario bene & honeste, donec ingrediatur chorum. In Capitulo sponte veniam petat, & ad privatas Missas, si necesse fuerit, pro arbitrio prioris adjuvet. Quamdiu extra chorum fuerit, constitutos terminos non excedat, nec aliud quid faciat de obedientia sua sine licentia; sed ejus solatium vicem ipsius suppleat, excepto priore claustri, sacrista, cellerario & magistro novitiorum. In chorum redeat ad quamlibet Horam noctis vel diei si voluerit, sive etiam ad Missam, & de cetero sit in choro. Quod si aliquis talem & tam apertam infirmitatem habuerit, ut videri & intelligi evidenter possit, quod nec conventum tenere, nec in infirmitorio perficere valeat, ejus infirmitas in Capitulo manifestetur, & ex hinc in ecclesia sit, ubi & quomodo prior providerit, cantet, legat, operetur, prout infirmitas ejus permiserit, & prior constituerit. Ceterum, qui certam non habent infirmitatem, si post duos aut tres dies non convaluerint, pro arbitrio prioris ingrediantur infirmitorium vel in chorum. Et sciendum, quod qui de via redierit, si coram omnibus ejiciatur, in Capitulo inde veniam petere non debet.

De Infirmis, qui sunt in infirmitorio. Cap. CI.

INfirmi de infirmitorio possunt loqui cum infirmario, & etiam simul certis Horis, & hoc silenter & honeste. Qui autem ita infirmus fuerit, ut continue jaceat, aut subita infirmitate gravatus, utpote febrium, aut alia aliqua gravi infirmitate jacere lecto compellatur, linteamina linea concedantur. Interim ibi cum infirmario, & infirmarius cum eo, & etiam cum licentiam habentibus loqui poterit, & hoc ipsum silenter & honeste. Et si fuerit ita gravatus etiam post Completorium & in nocte potest loqui, & servitor, si necesse fuerit, cum eo. At ubi melioratus fuerit, huc & illuc deambulare poterit, silentium in certis horis teneat, nisi alicui forte magna debilitate adhuc detento, prior judicaverit loqui ad lectum amplius expedire. Ad mensam non loquantur, neque dum Hora canonica dicitur in infirmitorio, nec ad meridianam, præter eos, qui nequeunt per se de lecto surgere. Vigilias, cum in ecclesia incipiuntur, cantent in infirmitorio, vel quando ordinatum fuerit eis fuerit ab infirmario, qui candelam accensam debet eis deferre in hora constituta. Et si indiguerint solatio ad officium celebrandum, aut per se aut per alios consilio prioris claustralis hoc perficiant. Ad dicendas Vigilias omnes surgant de lectis suis, nisi licentiam habuerit aliquis ab infirmario nimis gravatus, ut jacendo dicat officium. Horas diei insimul congregati cantent. Ad omnes vero Horas eis sedere liceat, præter ad evangelium & ad *Magnificat*, & ad *Benedictus*, & dum dicitur *Te Deum laudamus*; & si priori visum fuerit, contenti sint officio beatæ Mariæ virginis. Ad Missam vero quotidie, nisi multum graventur, veniant, & nisi habuerint inde specialem licentiam. Quam licentiam potest dare etiam infirmarius, & etiam eis præcipere, si sibi visum fuerit, ut non veniant. Notandum tamen, quod illi, quos gravat, neque in ecclesia, neque in infirmitorio, sive ad Horas, sive ad Missam, nisi ad sonum campanæ, quando levatur hostia, & quando sumitur Corpus, genua flectant. Ad benedictionem vero novitii in ordine suo in choro sint, & sedeant, qui voluerint. Qui communicare necesse habuerit, aut ad lectum, aut ad Missam in ecclesia communicare poterit. Ad Communionem com-

communem, & ad pacem, si se movere commode possunt, ordine suo accedant. Ad Missas non auxilientur, nec serviant, nisi magna fuerit necessitas. Nec licet eis ingredi ecclesiam sine licentia, nisi quando in ea opus Dei celebratur. Si quis talem habet infirmitatem, quæ nec multum eum debilitet, nec comedendi turbet appetitum, utpote inflatura vel incisio membrorum, aut aliquid hujusmodi, hic talis nec jejunia consuetudinaria solvat, nec cibos refectorii mutet, nisi aliter visum priori fuerit. Non apparentem quis habens infirmitatem, nec legat, nec operetur; nam cujus evidens infirmitas fuerit, legat & operetur, non ad suum tamen arbitrium, sed horis, quibus ei constituetur. Quod si quis talis fuerit, qui ceteros inquietare, aut de ista institutione infirmorum murmurare, aut in aliquo transgredi præsumat, corripiatur. Quod si correptus non emendaverit, si ita videbitur priori, indicetur ejus perversitas in Capitulo, ubi vocatus coram omnibus arguatur. Quod si nec se correxerit, si ejus permittit infirmitas, etiam regulari disciplinæ subjaceat. Nec redeant in conventum, nisi prius indicaverit priori. Qui accepta licentia, qua hora voluerint, chorum ingrediantur, jejuni tamen, nisi in via dirigendi sint. A signo Completorii usque ad solutum Capitulum venturi diei non loquantur, nisi quæ ad necessitatem corporis, & ad causam infirmitatis pertinent. Similiter faciat infirmarius.

Quo ordine inunguntur Infirmi?
Cap. CII.

AD inungendum infirmum pulsetur signum tamdiu, donec unum *Pater noster* possit dici. Et facto parvo intervallo iterum pulsetur signum eadem mora, & tunc induatur prior alba, & stola, & manipulo. Qui si defuerit, aut prior claustralis, aut subprior faciat. Quod si ex eis præsens sacerdos non fuerit, aut cantor faciat, aut cui innuerit. Quo indicto & signo semel pulsato veniat conventus in chorum, & sic incipientes psalmum *Beatus, qui intelligit super egenum*, deinde dicat & *Judica me Deus*, & *Voce mea* II. unicuique psalmo adjungentes *Gloria patri*. Procedant eo ordine, quo stant in choro, sacerdotibus sequentibus priorem post Crucem & lumen in absconsa, & aquam benedictam. Sacrista vero pergens in ordine suo ferat oleum & stupam ad tergendam uncturam, quam postea in piscinam ad hoc deputatam comburat, & cum pervenerit ad infirmum finitis psalmis, qui unctionis agit officium, dicat *Pax huic domui*, & conventus respondeat *Amen*; & qui fert aquam, aspergat infirmum, & statim sacerdos subsequatur dicens *Dominus vobiscum*, & dicat hanc orationem *Omnipotens sempiterne Deus, qui per beatum Jacobum*. Qua finita & responso *Amen*, dicat infirmus suum *Confiteor*; vel si illud nescierit dicere vel nequiverit, tundens pectus suum dicat *mea culpa de omnibus peccatis meis, precor vos orare pro me*, & dicatur ei ab omni conventu *Misereatur tui omnipotens Deus &c.* Et post, si prior affuerit, dicat hanc absolutionem *Dominus Jesus Christus*; si prior defuerit, dicat ipse, qui inungit, *Indulgentiam & remissionem*. Quo dicto, qui inunxerit, offerat ei Crucem ad osculandum. Quo facto & Cruce reddita dicat *Per istam sanctam unctionem &c.* & sic unctionis compleat officium. Et inuncto infirmo dicat conventus *Benedic anima mea*. I. deinde *Pater noster*, & preces, ut in Collectaneo sunt scriptæ, & postea orationes *Oremus Dominum nostrum Jesum Christum fratres*; secunda *Propitietur Dominus*; tertia *Da veniam Domine*; quarta *Benedicat te Deus Pater, & sanet*. Quinta *Benedicat te Deus cœli*; sexta *Benedicat te Deus Pater, qui in principio*, quibus expletis omnes exeant. Quod si statim communicari debuerit, eat cum ministris, qui eum perunxit ad ecclesiam, & ablutis manibus in piscina, deferat sacram Communionem cum calice offertorio cooperto, præeunte Cruce, lumine, aqua benedicta. Alius etiam inter lumen & aquam benedictam deferat ampullam vinariam ad aspergendos digitos in calice. Cum ad infirmum venerint, qui fert aquam, aspergat eum. Sacerdos vero dicat ei *Ecce frater corpus Domini nostri Jesu Christi, quod tibi deferimus. Credis hoc esse illud, in quo est salus, vita & resurrectio nostra?* Quo respondente *Credo*, moneat eum dicere *Confiteor*. Quo dicto sacerdos cum his, qui aderunt, dicat *Misereatur tui*, & postea solus subjungat *Indulgentiam*. Deinde communicet eum dicens *Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat te in vitam æternam*. Idem quoque fiat quoties gravi necessitate quis tenetur. Similiter etiam aliis vicibus, quando communicant infirmi, non permittat sacerdos aliquam evenire negligentiam; sed de his, quæ ad hoc necessaria sunt, loquatur. Quo communicato discedant.

Quo-

Quomodo circa Defunctum agatur?
Cap. CIII.

CUm morti aliquis appropinquaverit, & nulla erit dubitatio mortis, quin incontinenti veniat, percutiatur crebris ictibus tabula in claustro, & pulsato signo, quod est ante Capitulum, vel alibi, ubicumque fuerint fratres, & audierint tabulam aut signum, occurrant ad morientem velociter dicentes *In viam pacis dirigat te Dominus*. Quod signum debet pulsari, sicut determinatum est in unctione. Si conventus fuerit extra ad laborem, currentibus, qui sunt in claustro ad morientem, mittatur pro eo, si visum fuerit infirmario. Quod si fuerint in gravi labore, & plures fuerint juxta morientem, possunt ceteri relinqui. Quod si missum fuerit pro eis, currant cum gravitate tamen. Cantor vel infirmarius priori deferat Collectaneum, & sacrista stolam ducens secum, qui ferant Crucem, lumen, thuribulum, aquam benedictam. Si ad collationem sederint, audita tabula dicat lector *Tu autem Domine*, & prior *Adjutorium nostrum in*. Si in oratorio ad Missas vel ad canonicas Horas, vel ad Mandatum fuerint, prior aut prior claustralis, & quos prior jusserit, eant. Si autem viderit cantor, quod pro festinatione possint ceteri convenienter ad defunctum occurrere, solito citius impleant opus inceptum, & alios subsequantur. Quod si præcipua fuerit sollemnitas, propter hoc Vesperæ non dicantur vel nocturnum celerius. Dicta itaque letania, si adhuc vixerit, dicantur septem psalmi pœnitentiales. Quod si nondum obierit, discedant relinquentes custodes ad sufficientiam. Egressa anima incipiat cantor *Subvenite sancti Dei*, ceteris idem canticum subsequentibus; & deinde *Kyrie eleison*, *Christe eleison*, *Kyrie eleison*, deinde *Oremus*. *Tibi Domine commendamus*; post illam Collectam deferatur mortuus ad lavandum. Provideat autem prior claustri, a quibus & quomodo abluatur, & involvatur. Involvatur autem sic. In cruribus & in pedibus habeat caligas & pedules. Induatur tunica & scapulari, & hæc sint deteriora vel vetustiora, quæ possint inveniri in loco. Cancellatis brachiis super corpus nudum. Manicis similiter desuper cancellatis & gaidis circa crura. Hæc omnia stricte suantur, similiter capulæ totum suatur ante vultum, partibus scapularii ante & retro dimissis similiter circa crura, & totum corpus stricte suatur, desuper cinctum fune aut aliquo cingulo. Interim fratribus seorsum a defuncto ordinatis circa priorem, sicut in choro, prout locus permiserit, conversis laicis seorsum existentibus, prior ceteras, quæ sequuntur, subsequatur collectas, scilicet *Deus pietatis*; *Divi vulneris*; *Misericordiam tuam*; *Omnipotens sempiterne Deus, qui hominem*; *Suscipe Domine animam servi tui*; *Adjuncta ei illam partem beatæ resurrectionis*; & post hanc responso *Amen* a conventu incipiatur mox psalterium, *Beatus vir*, si corpus celerius non fuerit lavatum, & dicatur quousque ablutum, & involutum fuerit. Post hanc præparationem prior aspergens corpus aqua benedicta, & thurificans incipiat audientibus omnibus *Pater noster*; & responso a ceteris *Sed libera nos a malo*, dicat prior *a porta inferi*; deinde *Nihil proficiat inimicus in eo*, & post *Dominus vobiscum*; *Oremus Deus, cui soli competit*. Quam cum inceperit, procedant ad caput processionis ministri cum aqua benedicta, lumine, Cruce, & thuribulo. Dicta itaque Collecta & responso a conventu, *Amen*, imponat cantor ℟. *Libera me Domine de morte æterna*; & sic efferant corpus in ecclesiam, sequentes Crucem ordine, quo stant in choro, incipientes a junioribus, post quos incedat prior vel quicumque officium fecerit. Deinde defunctus a quatuor vel pluribus, quibus prior claustri jusserit, sublatus, quos & conversi subsequantur. Clericus vel novitius a clericis; conversus a conversis deferatur. Qui venientes ad ecclesiam deponant corpus in choro, nisi ita fætidum fuerit, ut in ecclesia poni non debeat. Prior autem provideat, ubi ponatur extra. Tale corpus cito, quam potest, debet sepeliri. Finito cantu & fratribus ordinatis in suis stallis, dicant residuum psalterii, si inceptum fuerit. Et tunc, qui ab Hora exierant, vel occasione defuncti perdiderant Horas, eant in Capitulum & reincipiant Horam, & compleant, & de hoc in conventu non satisfaciant. Si Capitulum intermiserant, revertantur illuc complentes, quod remanserat; & ibi præsens defunctus absolvatur; quod si prior defuerit, in primo Capitulo, quo affuerit, absolvat eum. Si refectorium intermiserant, revertantur ad refectionem etiam in Quadragesima, ita ut signum in refectorio vel alicubi non pulsetur, nec versus repetatur, nec lector petat benedictionem; sed incipiat, ubi finierat. Qui vero nondum inceperant comedere, remanentes ad corpus, postea comedant. Porro omnimodis prior provideat, ut corpus numquam solum remaneat.

maneat. Quod si conventus vel remanentes dixerint psalterium, ad unumquemque psalmum dicat *Requiem æternam*. Quod si tunc pulsaverit aliqua Hora, ibi dimittant, & post Horam ibi incipiant, ubi reliquerint. Quod si tanta non fuerit Hora, non psalterium, sed tres Vigiliæ cum Laudibus debent dici, & hoc si permiserit hora. Quando una sola Vigilia dicitur, hebdomadarius invitatorii debet dicere lectiones & responsoria. Quando tres dicuntur in primo nocturno, hebdomadarius tertiæ hebdomadæ, in secundo hebdomadarius secundæ hebdomadæ, in tertio præsens hebdomadarius dicat. Si vero nox fuerit, qui erunt ad Vigilias, post quinquaginta psalmos tres dicant lectiones de Job cum responsoriis historiæ *Si bona suscepimus*. Quod si totum finierint psalterium cum lectionibus & responsoriis, quas lectiones, qui major est in choro, debet terminare secundum quod tempus permiserit; interim incipiant psalterium. Hoc tamen provideant, ut sibi agant matutinos, antequam fratres surgant ad Vigilias, ita ut cum ierint dormitum, non surgant, nisi ad Primam. Vigilias mortuorum & totum officium sic temperate legant & cantent, quod conventus non possit excitari. Verumtamen opus Dei non cantando, sed in directo debent dicere. Quicquid pro defuncto dicetur, quamdiu insepultus fuerit, singulariter dicatur, psalterium, sive vigilia finiatur cum orationibus scilicet prius *Inclina Domine*, & postea ceteræ usitatæ, quæ sunt denotatæ super Vigilias. Si dictis Vesperis obierit, si nimium non fuerit fætidum corpus, aut spes non fuerit, ut inafletur, aut in fætorem solvatur, non sepeliatur, nisi in mane post Missam pro eo celebratam. Statim ut fuerit mortuus & præparatus, ut dictum est, in ecclesiam portetur. Quod si in die non fuerit mortuus, & spes est, ut in nocte debeat mori, relinquantur tot fratres in infirmitorio cum omnibus necessariis, ex quibus duo semper vigilent, vel unus ante eum, quousque excitati fuerint, qui sunt in infirmitorio, partitis inter se vigiliis, qui possint corpus lavare, & quicquid necesse fuerit, facere, & ibi suum officium silenter dicere; ita quod conventus, qui est in dormitorio, non excitetur, nisi contingeret, quod moreretur prope horam matutini; & tunc potest excitari conventus. Cum autem conventus surrexerit ad Vigilias, facta oratione in ecclesia, statim in eam deferant mortuum, & postea incipiant officium. Post nocturnos vel Laudes, secundum quod tempus dictaverit, dicant Vigilias mortuorum, & si oportuerit de psalterio. Quod si mortuus fuerit in mane, sepeliatur ante Tertiam. Si usque ad Nonam, & Missa dici potest, dicatur & sepeliatur. Si autem dici non potest, tamen sepeliatur. Similiter si mortuus fuerit usque ad dictas Vesperas, dictis primo tribus Vigiliis cum Laudibus sepeliatur. Quod si forte mortuus fuerit, antequam fratres eant in dormitorium, hora competenti pulset cantor signum, quod est ante capitulum vel alibi; & coadunatis fratribus in capitulo nominet per tabulam, qui debeant vigilare usque ad nocturnos, qui non sint plusquam sex, tales qui possint dicere, quæ dicenda sunt, qui faciant, ut prædictum est. Provideat sacrista, ut hac nocte temperius surgant ad Vigilias, ita ut ii, qui vigilaverint, possint bene dormire. Qui statim debent intrare dormitorium, ex quo fratres incipiunt intrare in ecclesiam, & conventus post suum officium aliquid possit dicere pro defuncto, ut dictum est. Conventualis Missa, si non poterit intermitti, dicatur ante sepulturam, in qua fiat commemoratio præsentis defuncti; & postea dicatur Missa defunctorum, præter si dominica vel præcipua festivitas esset, in qua dicitur Missa hora Tertiæ, vel dies jejunii, quando dicitur hora Nonæ. Una tantum Missa dicitur in conventu pro præsenti defuncto. Privatim ea die ante sepulturam vel post omnes sacerdotes, si possunt, pro eo dicant. Ipsa die pro eo dicitur *Inclina Domine*. Usque ad triginta dies post omnes Horas canonicas omni tempore flectant fratres genua sua, & dicant *Absolve* sub silentio. Omnes Missæ, omnia officia, & omnes eleemosynæ, quæ fiunt in locis omnibus nostri ordinis, volumus, ut pro eis sint, & eis proficiant usque ad novissimum diem.

Quo ordine efferatur ad tumulum? Cap. CIV.

DUm efferendus fuerit ad tumulum, induatur prior alba, stola, manipulo, & pulsato signo, sicut ad Missam, qui psalmos cantant, finito psalmo vertant se ad altare. Prior vero, & qui Crucem, lumen, incensum cum thuribulo, & aquam benedictam ferunt, ordinentur circa caput defuncti; thuriferarius vero juxta priorem, ut quoties prior corpus thurificaverit, ad finem scilicet uniuscujusque collectæ, paratum tribuat thuribulum. Cantor vero, vel cui innuerit ipse,

ipse, teneat ei Collectaneum; interim fratres vertant se ad alterutrum. Expleto itaque officio eat thuriferarius in ordinem suum, scilicet inter lumen & aquam: & tunc imposita a cantore antiphona exeant cantando psalmos, scilicet *In exitu Israel*; *Confitemini*; *Quemadmodum*; *Memento Domine*; *Domine probasti*; *Domine clamavi*; *Voce mea II.* & post psalmos dicatur ℣. *Requiem æternam*, & antiph. *Chorus angelorum*, postea expectent finem collectarum. Incedant autem eo ordine, quo stant in choro, sacerdotibus præeuntibus, itaut prior eat prius scilicet post Crucem, sed & quatuor fratres vel plures a priore claustri provisi induti scapularia sustollant corpus; aliquis autem remaneat, qui & ecclesiam, & claustrum custodiat. Cum ad tumulum pervenerint, prior & ministri ordinentur ad caput fossæ. Qui vero corpus portant ponentes illud a parte meridiana, sint parati ad corpus sepeliendum; quo tumulato reinduti revertantur ad chorum in ordine suo. Fratres vero vertentes facies ad alterutrum, & alternatim seorsum a priore psalmos cantantes, ita ordinentur, ut priores sint a parte defuncti. Interim prior officium peragens, solis ministris sibi respondentibus, si tumulus nondum paratus est, cum ad *Temeritatis quidem* venerit, dicat de sequentibus Collectis hac reservata. Quo præparato, antequam inchoet ipsam collectam, aspergat corpus, postea fossam, deinde thurificato corpore tradat thuribulum illi, qui est in fossa, ut eam thurificet. Moxque deponatur corpus, & iterum aspergatur a priore, & ab illo, qui est in fossa, thurificetur; postea prior super eum terram semel projiciat incipiens *Temeritatis quidem*. Quo facto retrahat se contra sepulcrum, incipiens *Temeritatis quidem* ordinatis ante eum Cruce, lumine, thuribulo, aqua benedicta, & sic consummuntur cetera, quæ restant. Quibus consummatis cantor incipiat antiphonam *Clementissime*. Qua cantata incipientes psalmos septem Pœnitentiales revertantur ad ecclesiam verso ordine; & ingressi medium chorum stent eo ordine, quo venerint, donec sacerdotes a superiori parte prosternantur. Interim prior exutus veste sacerdotali prosternat se in presbyterio ante altare, & priores post eum. Quod si alius fecerit obsequium, exutus veste sacerdotali prosternatur in primo ordine inter priores, & finitis psalmis dicat, sicuti habetur in Collectaneo, & discedant. Fratres, qui extra chorum sunt pro infirmitate & minuti, ad exitum morientis, & ad sepulturam, & ad septem psalmos Pœnitentiales post sepulturam, si possunt, in ordine suo consistant; sin autem impossibilitatem suam priori suggerant. Ab his vero, quæ in ecclesia pro eo aguntur, permittantur abesse. Qui in infirmitorio sunt, similiter, si possunt, ordine suo exeant ad tumulum. Reversi vero in ecclesiam intra chorum se prosternant. Conversi vero in suo choro vel in retro chorum. Dehinc fiant plura Brevia, quæ mittantur ad omnia monasteria nostri ordinis. Quicquid vero pro eo fit, antequam terræ tradatur, erit extra debitum, quod ei debetur. Hoc est autem debitum, ut collecta dicatur pro eo in conventu, & officium defunctorum in Vesperis, & in Laudibus usque ad tricesimum diem, scilicet *Deus cui proprium est*; si fœmina fuerit *Quæsumus Domine*, & hæc eadem in Missa quotidiana, quæ dicitur in conventu diebus totidem repetatur. Quibus finitis tricesima die commemorante cantore absolvatur in Capitulo, & tunc conjungatur in Collecta, scilicet *Omnipotens sempiterne Deus, cui numquam*, & infra supradictum tricenarium ab unoquoque sacerdote tres Missæ privatim, & ab unoquoque clerico psalterium, & qui ipsum ignorant, centies quinquagies *Miserere mei Deus*; qui etiam ipsum ignorant, toties *Pater noster* dicant. Si quis nostri ordinis ad quodlibet monasterium nostri ordinis supervenerit, & ibi obierit, tantum pro eo agatur, ac si illius domus professus fuisset; nihilominus tamen pro eo in propria domo agatur.

De Parentibus nostris. Cap. CV.

QUando vero aliquis frater misericordiam quærit pro patre, matre, fratre, sorore, filio vel filia, quod pro aliis parentibus petere non licet, absolvatur defunctus; & unusquisque sacerdos in Missa privata Collectam pro eo dicat; & reliqui fratres septem psalmos Pœnitentiales, vel totidem *Miserere mei Deus*, aut *Pater noster* totidem, qui psalmos nesciunt.

Quomodo communicentur Hospites infirmi? Cap. CVI.

QUando hospitalarius viderit hospitem debere communicari, dicat priori claustrali, qui provideat quis sacerdos hoc faciat, & qui cum eo eant. Sacerdos vero ablutis manibus inde sumat partem Dominici Corporis de vasculo, in quo reservatur. Quam ponens in calice utraque manu illum tenens offertorio coopertum

eat

eat ad infirmum fratribus præeuntibus hoc modo. Primus cum igne in absconsa, secundus cum vino in ampulla. Porro illi, ante quos transeunt, prosternentur super genua; redeuntibus vero inclinent tantum. Cum autem pervenerint ad infirmum, faciat cum eo Confessionem, & communicet eum sacerdos, postea aspergat digitos suos vino in calice, quod minister ei tenens sinistram manum sub mento illius, & iterum liniens calicem vino det ei, & redeant eo ordine, quo venerint.

Quomodo sepeliantur Hospites?
Cap. CVII.

CUm hospes nuntiatus fuerit obiisse, provideat prior, qualiter anima commendetur hospitalario, qualiter apte præparetur. Prior vero claustri, quando viderit competere, mittat sacerdotem cum Collectaneo & stola, & duos fratres cum Cruce, & quot voluerit ad deferendum eum in ecclesiam. Prior vero claustri provideat, ne corpus solum vel sine lumine maneat. Si interim officium pro defunctis vel Missa cantatur, pro eo Collecta dicatur. Quacumque hora sepulcrum paratum fuerit, potest sepeliri, etiam post refectionem. Tunc signo pulsato ordinentur fratres circa defunctum. Sacerdos, vero, cui cantor injunxerit, habens stolam super cappam, & ceteri, quos ipse providerit, cum Cruce & aqua benedicta, & igne in absconsa & thuribulo, ordinati more solito, compleant officium plane, scilicet non cantando, nisi forte priori visum fuerit pro reverentia personæ debere cantari. Quo expleto, sicut mos est, efferatur ad tumulum. Quo tumulato, si cantor viderit expedire, interrumpat psalmodiam, & dicat *Requiem æternam*; deinde *Chorus angelorum*; postea *Clementissime*. Quo finito sacerdos expleta Collecta, quam dicit, incipiat alte *Pater noster*; deinde *Et ne nos*; *Requiem æternam*; *A porta inferi*; *Ne tradas Domine bestiis animas confitentes tibi*; *Domine exaudi orationem meam*; *Dominus vobiscum*. Collecta *Absolve Domine*; & postea *Deus, cujus miseratione*. Qua dicta discedant. Ab hoc obsequio possunt remanere infirmi & minuti, & qui diversis officiis deputati sunt, cum necesse fuerit.

De Novitiis. Cap. CVIII.

NOviter quis veniens ad conversionem non ei facilis tribuatur assensus; sed post quatuor dies ducatur in Capitulum, qui dum adductus fuerit, prosternat se ante analogium. Interrogatus a priore, quid quærat, respondeat *Misericordiam Dei & vestram*; cui ad jussum prioris erecto, exponat prior asperitatem ordinis, voluntatem ejus exquirens. Quod si responderit, se velle cuncta servare, dicat prior post cetera *Qui cepit in te Deus, ipse perficiat*. Et responso a conventu *Amen*, inclinet recedens ad hospitium. Eodem modo se agat, quoties post lectam Regulam venerit in Capitulum; tertia vero die ducatur in cella novitiorum, si affuerit, & ab hinc annus incipiatur probationis. In ecclesia, in labore, ad collationem ordine suo, sicut fratres, conventum teneat. In Capitulo ante fratres confiteatur excessus suos, & accepta pœnitentia recedat. Iisdem horis, quibus fratres, laboret, quiescat, legat, dormiat. Iisdem cibis vescatur, iisdem pannis induatur, excepto scapulari cum caputio; pro quo habeat scapulare sine caputio. In labore tamen caputium habeat disjunctum a scapulari, nec coronam, nec ordines accipiat. Si contigerit, ut aliquis conjugali nexu ligatus, fratribus hoc ignorantibus, suscipiatur, dum cognitum fuerit, ejiciatur. Quod si postea sigillum sui episcopi vel certum testem adduxerit, quod uxor ejus castitatem vovens eum absolverit, recipi poterit, annum integrum in probatione denuo peracturus. Quod si etiam habitum jam recepit, similiter recedat. Si moritur, de eo, sicut de fratre, fiat. Si vero professionem facere voluerit, completo anno probationis vel ante, si visum fuerit, Capitulo de consensu visitatorum, propter urgentem necessitatem vel evidentem utilitatem, vocatus in Capitulo coram omnibus, quod de rebus suis fieri debeat, disponat; postea benedicatur ei corona a priore, si laicus fuerit, assistente ei cantore & sacrista, compleatque benedictionem, sicut in Collectaneo habetur. Capillos vero comburat sacrista in piscinam ad hoc deputatam, deinde tondeatur. Quod si Missa ea die postea dicenda est, statim post evangelium accedens ad gradum legat professionem. Qua lecta ipse novitius crucem faciat in ipsa, & tunc inclinans accedat ad altare petens veniam ad gradum ipsius. Deinde ponat erectus professionem super altare osculans illud, & iterum inclinans revertatur ad gradum. Prior vero stans in dextro cornu altaris tollat inde cartulam. Interim novitius ter dicat *Suscipe me Domine*, totum versum, petens veniam manibus & genibus in terra positis, tam festis die-

bus, quam privatis, quoties finierit ipsum. Deinde humiliet se ad pedes prioris & ministrorum, postea humiliet se ante priorem claustri, & percurrat chorum ipsius, humilians se ad pedes singulorum. Et iterum rediens per medium chorum percurrat dexteram partem, sicut fecit & sinistram. Et inde exiens in retro chorum prosternatur ante pedes infirmorum, si affuerint. Quo facto revertens per medium chorum prosternatur sub gradu. Interim prior accedens ad gradum dicat *Et ne nos*, fratribusque respondentibus *Sed libera nos a malo*, subsequatur psalmus *Miserere mei Deus*, cantandus alternatim ab utroque choro cum *Gloria patri*, ad quam non est inclinandum, sicut nec ad illam, quæ dicitur post *Suscipe me*. Sequantur quatuor collectæ. Quibus expletis erigatur novitius; deinde benedicto scapulari cum caputio, & aqua benedicta asperso, exuens prior novitium cappa dicat *Exuat te Dominus &c.* fratribus respondentibus *Amen*. Induat eum scapulare cum caputio dicens *Induat Dominus &c.* Fratribus respondentibus *Amen*, & sic reducatur in chorum. Post hæc prior revertens ad altare dicat *Credo in unum Deum*, vel *Dominus vobiscum*. Quod si alius sacerdos Missam cantaverit, post evangelium stet, sicut diximus, priorem stare, donec totum circa novitium compleatur. Novitius vero post priorem eat ad pedes ipsius sacerdotis. Porro si ad Missam benedicendus non fuerit, statim post Sextam benedicatur, fratribus in choro, sicut ad Missam stantibus, verumtamen facies suas habeant ad altare, dum hæc omnia compleantur.

De Hebdomadario sacerdote, & ministris Hebdomadariis. Cap. CIX.

HEbdomadarius sacerdos Horas incipit, & omnia capitula, & ad Laudes & ad Vesperas *Dominus vobiscum*, & *Oremus* & collectas; & in commemorationibus versiculos *Oremus*, & collectas. Ad nullius commemorationis Collectam dicitur *Dominus vobiscum*; neque *Per Dominum*, sed tantum post ultimam dicit *Per Dominum &c.* Dat etiam cocis benedictionem, & in viam euntibus, & redeuntibus, sicut in libro habetur. Hæc omnia dicit stando, nec inclinat, nisi post capitula. Ad ceteras vero Horas prostratus super formas vel residens super Misericordias dicat *Dominus vobiscum*, & *Oremus*, & *Benedicamus Domino*, & ad officium defunctorum psalmos duos scilicet *De profundis* & *Lauda anima mea*, incipiat *A porta inferi*, & dicat. In capitulo etiam & in refectorio versus & benedictiones stando dicat, sed non benedictiones lectionis. Absente etiam priore & priore claustrali, & subpriore per omnia subprioris officium compleat in ecclesia, excepto quod nec fratres excitabit, nec de loco suo movebit. Quod si defuerit sacerdos, qui supra eum in choro stat, hæc omnia pro eo compleat, si nullus super eum fuerit, qui subtus juxta eum steterit. Quod si illo choro nullus sacerdos extiterit, qui prior fuerit, in altero choro hæc eadem faciat. Qui ordo non tenebitur, si in via directus fuerit, aut in infirmitorio fuerit. In labore Horas, si affuerit, incipiat. Candelas in Purificatione sanctæ Mariæ, cineres in Capite jejunii, ramos in Palmis, si uterque prior defuerit, benedicat. Et Missas horum dierum, & Nativitatis & Cœnæ Domini, Paschæ, & Pentecostes cantat, & omnes alias Missas, quas prior tenetur cantare, si defuerit, cantet hebdomadarius. In sua septimana Missas generales, & in sequenti, cum duæ fuerint matutinales, cantet. Minister sive subdiaconus fuerit, sive diaconus epistolam tantum in sua septimana ad generalem Missam legat, & in sequenti ad matutinalem. In secunda & tertia hebdomada ad Missas adjuvent, si necesse fuerit.

De hebdomadario Invitatorii. Cap. CX.

EO tempore, quo privatis diebus Invitatorium canitur, debet hebdomadarius quotidie in sua hebdomada *Venite exultemus Domino*, solus privatis diebus cantare, & in eadem & in sequenti in duodecim lectionibus, & in Vigilia Nativitatis Domini cum socio. In sequenti si extra chorum fuerit, alii commendet officium suum. Versus per omnes Horas & responsoria in Laudibus, & in Vesperis in ecclesia cantet. In secundo nocturno privatis diebus *Alleluja* ad Cantica, & ad Horas diei antiphonas & *Alleluja*. Ad Vesperas vero primam antiphonam debet imponere ad Laudes, & ad Vesperas *Benedicamus* dicere. In Capitulo legere; ad officium defunctorum primam antiphonam incipere; versiculos, lectiones & responsoriorum versus dicere; ad *Benedictus* & ad *Magnificat* antiphonas imponat. Qui si defuerit, qui juxta eum superius steterit, hæc omnia pro ipso compleat, nisi in via directus, aut in infirmitorio fuerit. Si superiorem non habet, inferior hoc faciat. Quod si forte ille, qui superior hebdomadario est, hebdomadarius Missæ fuerit, vel Horas

ras pro alio cantare debuerit, innuat alicui, qui responsoria, & versus & omnia loco hebdomadarii compleat. Similiter faciat, qui inferior illo est, si hebdomadarius Missæ fuerit; & ad eum aliquo casu officium Invitatorii venerit. Semper autem ille, qui inferior est hebdomadario, Invitatorium, psalmos, & Cantica intonet; hebdomadario incipiente antiphonas. In æstate ad nocturnos privatis diebus post lectionem responsorium hebdomadarius cantet *Domine labia mea aperies; Deus misereatur nostri; Quicumque vult; Cum invocarem*, & omnes hymnos privatis diebus; & in festis ad Sextam & ad Nonam similiter fiat in officio sanctæ Mariæ.

De Servitore ecclesiæ. Cap. CXI.

SErvitor ecclesiæ, qui non sit sacerdos, in nocturnis ad lectiones, & ad responsoria, & in Laudibus ad *Kyrie eleison*, nisi clarus dies fuerit, ad Collectam candelam accendere debet. Similiter in Capitulo & lampadem ad Completorium, quando necesse est, accendere. Gradale & indumenta sacerdotis, ac ministrorum ad Missas necessaria in ecclesia ferre & referre; atque ad induendum & exuendum adjuvare. Ad ipsum etiam pertinet lampades in ecclesia quoties expedierit reficere. Lumen si deerit, carbones in patella, & aquam ad abluendas manus ante Missam, & sal & aquam ad benedictionem dominica die ante Tertiam, prunas in thuribulo ante evangelium, vel post, si *Credo in unum Deum* dicitur, in ecclesiam deferre. Salinum quoque unde sumpserat, post Missam referre, & pro his omnibus, si intra claustrum non invenerit, foras exire poterit.

De Hebdomadario Lectore. Cap. CXII.

MEnsæ lector dominico die inclinet se ante gradum presbyterii, erectus ter dicat *Domine labia mea aperies* totum versum, quem conventus omni vice post eum dicat, & accepta benedictione iterum inclinet. Qui significet cantori, quod & ubi legere debeat. Mixtum audito signo, sicut superius diximus, sumat. Librum, antequam fratres ingrediantur refectorium, super analogium ponens, proviso convenienti principio, adveniente, qui nolam pulsare debeat, apertum habeat; dum versus dicitur, ibidem sedeat. Quo finito surgat, & versus ad principalem mensam supplex de eodem loco petat benedictionem. Qua percepta si homiliam lecturus est, incipiat *In illo tempore*, & intermisso *& reliqua* subsequatur homiliam lectionis ejusdem. Dum legit, aurem accommodet tenenti refectorium, ut si quando eum emendaverit, intelligere possit. Si intelligit, quid emendet, humiliter dicat; si non intelligit, versum reincipiat, & hoc toties faciat, quoties emendatorem propter hoc exgrunire cognoverit. Finita lectione librum claudat, ibique sedens, donec recedat conventus. Finitis gratiis in ecclesia pulset nolam, nisi aliquis prior vel prior claustralis cum servitoribus comesturus sit, & in aliis ita se habeat, ut dictum est in Capitulo de servitoribus, etiamsi prior vel prior claustralis ibi comesturus fuerit. In sequenti hebdomada ad Collationem legat. Si autem in infirmitorio vel extra chorum, vel in via directus fuerit, ut ad mensam legere non possit, cantor alteri injungat, qui quamdiu ille absens est, legat & mixtum sumat.

De Hebdomadariis Coquinæ. Cap. CXIII.

DOminico die post matutinos egressi de coquina veniant ante altare, & inclinent ibi, deinde erecti ter dicant *Benedictus es Domine*, & accepta benedictione erigentes se iterum inclinent, & sic revertantur in chorum. Quos subsequantur ingredientes eo modo se inclinantes ter dicant erecti *Deus in adjutorium &c.* Qui benedictione accepta, & sicut anteriores inclinantes exeant. Et ubi priori visum fuerit in illo intervallo induti diurnalibus & scapularibus suis, si spatium habuerint, hauriant aquam ad manus lavandas, ubi necesse fuerit. Ad hebdomadarium pertinet in refectorio ad refectionem, & ad utrosque biberes, & in lavatorio ad manus abluendas aquam præparare, scutellas super mensas fratrum ponere & auferre, justitias sabbato vel ante, si festum, in quo non laboramus, occurrerit, lavare, refectorium & claustrum, Capitulum & auditorium scopare, domum necessariam mundare, & ibi, quæ necessaria sunt, ponere. Ad quæ omnia adjuvandus erit per hebdomadarium sequentis septimanæ, si necesse fuerit; & omnia, quæ ad coquinam pertinent ad voluntatem cellerarii, & alia, quæ continentur in capitulo de Refectione, facere.

De Priore. Cap. CXIV.

PRior debet primum & proprium locum in dextro choro habere; orationes terminare, primam antiphonam ad nocturnos imponere; benedictiones le-

gentibus dare; octavam lectionem dicere; duodecimum reſponſorium cantare; *Te Deum laudamus* incipere; evangelium legere, & poſt *Te decet laus* dicere. Per totam ſeptimanam Nativitatis Domini, Paſchæ, Pentecoſtes, & in duodecim lectionibus ad *Benedictus* & *Magnificat* antiphonas imponere. Ad proceſſiones in Purificatione ſanctæ Mariæ *Hodie beata virgo*, & in Palmis *Ingrediente Domino* & in Aſcenſione *O rex gloriæ*; & in Aſſumptione beatæ Mariæ *Aſcendit Chriſtus* incipere; *Pater noſter* ad matutinum, & ad Veſperas cunctis audientibus dicere; de Miſſis ſicut alii hebdomadam facere, & etiam in Vigilia Nativitatis Domini, & ipſo die, & in octavo, in Epiphania, dominica in Palmis, tribus diebus ante Paſcha, & ipſo die, in Aſcenſione, in Vigilia Pentecoſtes, & ipſo die, in omnibus ſollemnitatibus ſanctæ Mariæ, ſancti Benedicti, in Nativitate ſancti Johannis-baptiſtæ, & apoſtolorum Petri & Pauli, in dedicatione eccleſiæ officia omnia in Veſperis Vigiliarum incipere; capitula & orationes, & benedictiones in refectorio & gratias poſt refectionem his diebus dicere, & in feſtivitate omnium Sanctorum. Pro præſenti defuncto Miſſas ſollemnes cantare, etiamſi nocturna miſeria fuerit gravatus. In Purificatione ſanctæ Mariæ candelas; in Capite jejunii cineres; in dominica in Palmis ramos; in ſabbato Paſchæ ignem; coronas novitiorum & ipſos novitios benedicere; & in ipſis diebus Miſſas dicere; Capitulum & Collationem tenere; prioris clauſtralis, ſubprioris, & cantoris, ſacriſtæ, cellerarii officia, & pœnitentias levis & gravioris culpæ debet in Capitulo fratribus injungere; & ab eis abſolvere; ſimiliter & quem voluerit promovere vel degradare. Cetera poteſt foris injungere, & abſolvere, ſi voluerit. Confeſſiones recipere, aut alii vel aliis injungere; aquam benedictam poſt Completorium de eccleſia exeuntibus dare; in dormitorio jacere; in refectorio comedere; ſi jejunium propter hoſpitem fregerit, cum hoſpite vel cum alio, ſi voluerit, poſtea cœnare; ſilentium ad menſam teneat, in quantum rationabiliter poterit. Et ſciendum, quod cum prior alicui aliquid negaverit, ab alio id petere vel recipere non præſumat. Si quis vero a cellerario aliquid petierit, quod ei dare noluerit, ſi illud idem a priore clauſtrali poſtea poſtulaverit, videat, ne celaverit illi etiam cellerarium id ſibi negaſſe. Similiter qui priorem ſuper aliqua re convenerit, quam ei cellerarius vel prior clauſtralis dare noluerit, nullatenus obmittat, quin in ipſa petitione priori dicat, cellerarium vel priorem clauſtralem, vel alterum horum id ſibi negaſſe. Qui aliter præſumpſerit, doli ſe reum eſſe noverit. Prior, cum in infirmitorio fuerit, non cantet Miſſas, nec privatim, nec in conventu, exceptis Miſſis ſollemnitatum, quas tenetur dicere, & hoc, qui poterit & voluerit. Prior, cum electus fuerit poſt mortem alterius ſecundum Regulam beati Benedicti, non exigat manualem obedientiam a fratribus, & ſororibus clauſtralibus, quia in ſua profeſſione intelligitur, & in veritate fuit, quod non ſolum præſenti, ſed etiam futuris promiſerunt obedientiam. Dicimus & ordinamus, ut talem habeat intellectum, quicumque facit profeſſionem, ſcilicet ut ita teneatur de obedientia futuris, quemadmodum & præſenti, ſub quo fecit profeſſionem.

De Clauſtrali Priore. Cap. CXV.

PRior clauſtralis in eccleſia in primo loco ſiniſtri chori ſtare debet. In Capitulo vero & in refectorio in dextra parte ſedere; hebdomadam invitatorii facere, non tamen in Capitulo legere; duodecimam lectionem legere; tabulam ad laborem pulſare; & fratres illuc, ſi prior non jerit, ducere; nec quando non jerit, niſi ſubpriori, ſi ſubprior ad laborem jerit, committere. Ad convocandos in Capitulo fratres, cum neceſſitas exegerit, ſignum percutere, nolam refectorii, ſi prior deerit, pulſare; ſi vero contigerit, ut de foris veniens nolam pulſari a ſubpriore, vel verſum dici invenerit, ſi expedit, ingrediatur; ſubprior, nola ſufficienter pulſata, non revertatur in locum ſuum, ſed ad dexteram ſedeat prioris clauſtralis, & in loco, quo ſederit, tunc ſubprior eat in eccleſiam. Quod ſi ſubprior jam reſederit, ingrediatur, ut ceteri fratres retrahente ſe paululum ſubpriore; ita ut poſſit prior clauſtralis ſedere in locum ſuum, & ſuum officium deinde exequatur; quod etiam ad Capilum & Collationem faciat. Septimanam de coquina faciat, ſi major utilitas non impedit. Si in infirmitorio jacuerit, ſic ſe agat, ut ceteri infirmi, niſi forte abſente priore neceſſe fuerit aliquando pro aliquo conſilio pluribus loqui, aut pro tenendo Capitulo infirmis. Nam & ad tenendum omne Capitulum conventus poterit ire, ſi magna neceſſitas emerſerit, abſente priore; Confeſſiones etiam in Capitulo vel in infirmitorio ab infirmis,

mis, si priori visum fuerit, recipiat; de cetero præsente vel absente priore intus & foris de omnibus & in omnibus pro voluntate prioris se agat, excepto quod locum ejus in ecclesia non occupabit. Coronas novitiorum & novitios non benedicet; nullum promovebit vel degradabit, nec ordinari faciet. Nullum in gravi culpa mittet, aut nullum absolvet. Fratrem de monasterio non ejiciet, nec novitium recipiet, nisi prior jusserit, nec Confessionem de criminalibus recipiet, nisi in extremis positi. Qui si sacerdos non fuerit, sed tantum diaconus, liceat ei benedictionem dare in Capitulo, lectioni in refectorio, ad Collationem, absente priore, quod in ecclesia facere non debet; liceat ei etiam in ecclesia *Pater noster* dicere, *Te deum laudamus* incipere, & lectionem de evangelio legere.

De Subpriore. Cap. CXVI.

AD Subpriorem pertinet fratres in choro excitare, præsente etiam priore claustrali, & cetera, quæ ad cantorem & sacristam pertinent, cum necesse fuerit, emendare. In claustro tempore lectionis, & in Capitulo ad intervalla, ut fratres se ordinate habeant, sollicite procurare. Confessiones, si ei visum fuerit, tempore lectionis recipere monachorum, scilicet in Capitulo, novitiorum vero & laicorum fratrum, & infirmorum de infirmitorio, ubi ei constitutum fuerit. Quando prior claustralis ad refectionem servierit, ad nolam sedere, si prior defuerit; ad *Gratias* solus posterior ire, & ad ipsas in choro superior stare; & absente priore etiam ad Mandatum sedere. Sed post Mandatum inclinante ante eum cum suis sociis priori claustrali paulisper cedat. Egresso priore claustrali de monasterio subprior nec loquatur, nec quicquam faciat de officio, nisi ad mandatum ipsius, donec aliquid horum, quæ nominatim pertinent ad officium prioris claustralis, occurrat, ut est tenere Capitulum, si defuerit prior; pulsare tabulam ad laborem; pulsare signum ad refectionem, vel nolam ad biberes. In absentia vero ejus nihil det, vel disponat, nisi in quo prior claustralis convenienter expectari non poterit; vel casu aliquid acciderit, quod differri non debeat, nec possit. Quod si forte prior claustralis in infirmitorio fuerit pro arbitrio prioris claustralis, si prior defuerit, intus & foris se agat. In ecclesia locum suum mutare, duodecimam lectionem legere ad ejus non pertinet officium. Similiter nec in Capitulo, nec ad collationem, nec in refectorio locum mutabit, si prior præsens fuerit. Si quando prior claustralis de via regressus cum servitoribus comederit, interim intus & foris loqui poterit. Si in infirmitorio fuerit, nihil plus ceteris præsumat.

De magistro Novitiorum. Cap. CXVII.

MAgister novitiorum debet novitios ordinem suum docere, in ecclesia excitare, & ubicumque se negligenter habuerint, verbo vel signo, quantum poterit, emendare. In labore tamen, etiam si prior tunc conventus fuerit, aliam potestatem non habet in eis, quam in fratribus, nec in cella ipsorum, si eis deputata fuerit, cantet aut legat, nisi quando ter legerit eis Regulam in anno, si legi debet. Necessaria eis quantum poterit, debet procurare; id est, qui habent officium, recordari. In Capitulum, quando ei jussum fuerit, eos adducere. Diem primum ingressionis in probatione scriptum habere; & quando eis legenda sit Regula, priori pronunciare, ac accepta licentia a priore etiam tempore lectionis potest legere, vel etiam tempore laboris, si ei permissum fuerit, seorsum tamen ab aliis legat. Et cum lecta fuerit; priori in Capitulo debet dicere, & ad jussum ejus eos ducere, & cum professio legenda fuerit, ad imponendam Crucem engaustrum præparatum habere, & ad pedes fratrum, si necesse fuerit, eum deducere & reducere. Aquam benedictam, & quicquid necesse habuerit; in ecclesia præparare, quando facit professionem, & eum adjuvare in omnibus. Post hæc si extra refectorium manducavit, scyphum ejus in refectorium deferre, & lectum ei, quem prior claustralis jusserit, si extra dormitorium jacuerit, ostendere. Si in dormitorio debet jacere, in initio probationis hoc faciat; & ibi ipsa die de necessariis cum eo significare.

De Sacrista & solatio ejus. Cap. CXVIII.

SAcrista debet horologium temperare. Ad ipsum vero pertinet omnia ecclesiæ hostia sibi tradita in custodia quoties necesse fuerit, firmare & aperire. Capitulum, biberes, collationem, & omnes Horas sonare. Quæ si citius vel tardius, quam debent, sonuerint, in sequenti Capitulo satisfaciat. Quod si in Vigiliis XII. lectionum tantum tardaverit, ut citius cantare & lectiones abbreviare necesse sit tantum, ante gradum presbyterii satisfaciat, stans incurvus ad *Kyrie eleison* usque post *Deo gratias*. Quan-

Quando Vigiliæ vel Horæ canendæ citius fuerint, cantori significare. Candelas & cereos per se vel per alios facere, & in diversis locis ecclesiæ sufficienter ponere. Ad mensas & Collationem cum negligentia evenerit, candelas portare, cellerario & infirmario, & quibus opus fuerit, candelas distribuere. Stolam pariter ad Missas quoties expedierit priori præparare. Candelas, ramos, ignem ad benedicendum super gradum presbyterii convenienter aptare; & hæc eadem, prout ei visum fuerit, si necesse fuerit, distribuere. Ramos post processionem tollere, candelas post offerendam de manu prioris suscipere. Ad inungendum infirmum oleum sacratum, & ad tergendum stupas portare, & post tersionem in locum aptum comburere. Ad benedictionem coronæ priori, si benedixerit, adesse; & ipsos capillos extra ecclesiam comburere in loco apto. Vasa, linteamina, & cetera utensilia in ecclesia & altari necessaria servare & parare, &, quoties expedit, mutare. Corporalia, offertoria, tersoria, quibus digiti sacerdotis post Communionem terguntur, & pallam altaris, super quam extenditur corporale, in vase ad hoc deputato separatim lavans, & singulas lavaturas in piscinam projiciens; pallam quidem cum ceteris linteis lavandam cellerario assignet. Cetera vero aqua cinericia calefacta in vase mundo ipsemet lavet. Quibus lotis & diligenter exsiccatis indutus alba cum petra, quæ vulgo *Liscia* vocatur, corporalia poliat, cetera plicata recondat. Similiter hostias alba indutus faciat in loco mundis linteis cooperto, cui duo fratres scapularibus induti ita subministrent, ne aliud quam ipsas hostias manibus tractare cogatur. Quorum unus ignem solicite faciat, alter vero instrumentum ferreum ad coquendas hostias teneat; & cum eas faciunt, non loquantur, nisi de necessariis ad opus illud. Quæ cum peractæ fuerint, sacrista convenientes ab inconvenientibus studiose secernens, in repositorio mundissimo conservet. Quod si aliquando humectatæ fuerint, in claustro convenienter exsiccentur. Quater in anno, in Nativitate Domini, in Pascha, in nativitate apostolorum Petri & Pauli, & in festo sancti Michaelis archangeli, calices, si sacerdos vel diaconus fuerit, digitis suis intus & foris cum solatio suo, prius tamen manibus ablutis, honeste lavare studeat, & lavaturas in piscinam projiciat. Postea digitos super piscinam abluat, ipsos etiam calices ad tersorium, quod inter duo lintea pendet, tergat. Quod si sacerdos vel diaconus non fuerit, priorem claustralem moneat, aut hoc alteri facere jubeat. Similiter semel in hebdomada ampullas, & justitias ministerii sui debet abluere intus & foris. Pavimentum presbyterii, & ecclesiam, quoties expedit, scopare, negligentias ecclesiæ extinguere.

De Cantore & solatio ejus.
Cap. CXIX.

Cantor debet stare in dextro choro, & succentor in sinistro; & unusquisque in suo choro fratres ad vigilandum & cantandum excitare; negligentias de antiphonis, psalmis & responsoriis, hymnis atque versiculis imponendis unusquisque in suo choro, & in altero, si alter non emendaverit, corrigere; ut fratres ordinate stent, vel sedeant providere. Ad Missas *Kyrie eleison*, & festis diebus hymnos, excepto ad Sextam & Nonam incipere. Porro cantor pro qualibet negligentia, succentor vero pro inevitabili, in altero choro possunt transire, & etiam de suo in altero negligentias, si necesse fuerit, emendare. Cetera ad cantorem pertinentia cantore præsente & exoccupato succentor facere non præsumat; qui si defuerit, vel occupatus fuerit, cuncta pro illo compleat. Cantoris est libros in ecclesia ferre & referre, sed non eos, qui pertinent ad Missam. Operi Dei in oratorio ante omnes providere; ad nutum sacristæ citius cantare, & lectiones abbreviare, quod utrumque tamen, cum opportunum fuerit, sine signo sacristæ facere poterit. *Alleluja* & antiphonas post psalmos cum *Sicut erat in principio* dictum fuerit in alio choro, in suo incipere, quod in alio faciet succentor. Quod similiter fiet de antiphonis mortuorum post *Requiem æternam*. Antiphonas ad commemorationes & responsoria mortuorum & repetitiones eorum, repetitiones invitatorii & responsoriorum incipere, libros in ecclesia, prout oportuerit, distribuere; antiphonas ad *Benedictus* & *Magnificat* imponere; & priori, quam incepturus est cantando pronunciare, & tunc canticum incipere; ad Missas introitum, responsoria, *Alleluja*, Tractus, Offerendas, *Sanctus* etiam, *Agnus Dei* & Communionem incipere. Ad *Gloria in excelsis Deo*, & ad *Credo in unum Deum* post sacerdotem, & *In terra pax*, & *Patrem omnipotentem* & ad *Te Deum*; *te Dominum confitemur* subjungere. Quæcumque alternatim dicuntur de supradictis, succentor incipiet, quando invitatorium fuerit

fuerit in suo choro, præter *Benedictus* & *Magnificat*. Omnes, qui in ecclesia falluntur, exceptis illis, qui lectiones super analogium ad nocturnos sive ad Collationem legunt, per omnia emendare. Extra vero nusquam præsumat, nisi in capitulo Lunam & Breve pronunciantes, & nisi jussus; lectiones ad Missas in jejuniis; *Gloria laus*, & *Popule meus*, & *Agyos*, & quando bini bini cantant litanias, illos, qui dicturi sunt, præmonere, vel in tabula scribere. Ad cetera vero officia, idest ad Missam pro defunctis, & ad Missam in conventu, ad evangelium, ad epistolam, & ad invitatorium, ad servitium ecclesiæ, ad lectionem mensæ, ad faciendam coquinam in tabula designabit. Qui si per quatuor dies fecerint officia sua, pro hebdomada reputabitur; si minus, iterum detur ei alia, quam si non fecerit, nulla ei amplius injungatur, donec ceteri compleantur. In Cœna quoque Domini ad Mandatum, ad lectiones legendas in ecclesia, & responsoria canenda, ad Missam in die Nativitatis Domini, & in Vigilia Paschæ & Pentecostes, & ad illa, quæ ad Missas dicuntur, in tabula scribere debet. Quod si quid horum, postquam recitatum Breve fuerit, mutare opus fuerit, & illi, quem debet, & illi, quem scribit, debet indicare horum negligentias, vel per se, vel per alium debet extinguere. Officia vero illorum, qui in via directi sunt, vel in infirmitorio fuerint, ex toto providere. Qui ante quam in via dirigantur, aut in infirmitorium dirigantur, si quid habent officii, priori suggerant, & ille cantori. Lectiones vero in claustro terminare, legentibus monstrare, & per se aut per alium auscultare, sicut ei videbitur. Post Collationis sonitum, vel post Completorium armarium debet firmare, & tempore lectionis, dormitionis, & refectionis, & dum Vesperæ cantantur, & dum Missa dicitur, obseratum tenere. Ad aquam benedictam, ad Mandatum in Capite jejunii, & ad omnes processiones omnes versus & omnes antiphonas incipere; excepto quod, si prior affuerit, *Postquam surrexit* ipse incipiat; & etiam *Hodie beata virgo*, & ℟. *Ingrediente Domino*, & antiph. *O rex gloriæ*, & *Ascendit Christus*. Quæ quatuor ipse cantor ei pronunciet. In prima dominica Quadragesimæ, dum dicitur Prima, post *Gloriam* primi psalmi libros in Capitulo ponere, & prior postea fratribus debet assignare; ipsi de manu prioris pro reverentia debent recipere. In Vigilia Paschæ annos Domini, & Epactas, concurrentes Indictiones in cartula scriptas; quinque grana incensi affigenda in cereo præparare. Ad communicandum vel inungendum infirmum quis aquam, quis ignem, quis Crucem ferre debeat, providere. Si major prior, prior claustralis, subprior defuerint, vel præsens ex eis sacerdos non fuerit, infirmum inungat, mortuum sepeliat, aut cui injunxerit. Ad benedictiones & infirmorum unctiones Collectaneum ei preparare, & ante eum apertum tenere. Si quando prior fratre vel converso aliquo moriente a monasterio defuerit, in primo Capitulo, quo affuerit, eum commonefaciat, ut defunctum absolvat. Nomina mortuorum in Kalendario scribere. Si quando accommodantur de libris nomina eorum, quibus dantur, apud se scripta habere; de chartis & libris faciendis, & custodiendis provideat prior, cui hanc curam injungat.

De Infirmario, Cap. CXX.

SErvitor infirmorum, quando sine detrimento eorum potest audire Missam, audiat; similiter aliis officiis intersit, si sine eorum detrimento potest. Alioquin cum eis officia dicat, ut potest, & de hoc non teneatur satisfacere, neque in ecclesia, neque in Capitulo; & quando infirmus vadit in infirmitorium, debet afferre scyphum & stramenta lecti ejus in infirmitorium; & exinde loqui cum eis potest, sicut supra diximus in capite de Infirmis. Ad matutinum candelam accendere, & libros ad hoc necessarios ferre, & in ecclesiam referre, si non habuerit infirmitorium librum suum. Diebus dominicis dicta Tertia, in infirmitorio debet aquam benedictam afferre; & per se aut per alios, quam expeditius ibi Horas cantare, & lectiones legere possint, debet providere, & illis injungere. Libros, qui in infirmitorio sunt, ante Completorium in armarium portare, præter eorum Historiale. Orationes, quæ in Capitulo pro vivis vel mortuis generaliter cunctis injunctæ fuerint, vel si quid statutum vel mutatum in communi fuerit, vel in ipsos clamatum fuerit, hac prima Hora, ad quam post capitulum convenerint, præcantata, eis recitare, cetera vero, quæ ibi dicta vel acta fuerint, omnino tacere. Necessaria vero a cellerario minori atque etiam majori requirat. Si plures fuerint comedentes, & omnia parata ante se habentes, ministrare sibi mutuo poterunt, pergat ad Horam, vel ad refectionem. Quod si unus tantum, si ipse infirmus voluerit, cum

cum eo remaneat, non solum quando reficitur, sed etiam ad alias Horas, ad Collationem, ad Completorium, & ad Vigilias, nisi prior claustralis ipso annuente alium miserit. Quando infirmi comedunt, & quando dicunt Horas suas, nisi pro infirmis omnino silentium teneat. Coquinam & refectorium pro servitio eorum ingredi potest. Sabbato eorum pedes lavet, qui voluerint, & indumenta excutiat. Cum in chorum redierit, quæ detulerat, in refectorium & in dormitorium referat. Cum vero morti penitus propinquaverint, & indubitanter de his certificatus fuerit, mox tabulam crebris ictibus ante hostium in claustro feriat, & signum pulset, & faciat, ut dictum est in capite Mortuorum. Aquam ad lavandum corpus calefaciat, feretrum præparet, de fossa reportet & custodiat. Ad ipsum etiam pertinet minutorum, nisi alii injunctum fuerit, sanguinem condere, vasa ab ipso sanguine mundare. Ad ipsum etiam pertinet omnem coquinam infirmorum facere vel per se solum, vel per solatium sibi concessum, vel cum eo, vel secundum quod ei ordinatum fuerit a priore, omnem coquinam omni hora infirmis præparare.

De Cellerario majori & minori. Cap. CXXI.

CEllerarius major potest loqui omnibus fratribus horis competentibus pro suo officio. Ad ipsum pertinent omnia, quæ vendenda sunt in monasterio, mobilia vendere, quæ emenda sunt emere; ad voluntatem prioris omnibus omnia distribuere; & cum consilio & præcepto prioris claustralis, si tamen jusserit prior, illa habere sub cura sua; & ab illis abstinere, quæ & a quibus ei a priore ordinatum fuerit. Cameram vel scrinea ad hæc custodienda, secundum quod ei ordinatum fuerit, habeat. Ad Cellerarium minorem pertinet panem & vinum, & omnia, quæ comeduntur, sub cura sua in cella habere; pulmenta cocis præparare; infirmario, quæ necessaria sunt, de his quæ habet, benignissime ministrare; nulli nisi fratribus extra chorum & minutis cibum vel potum communem mutare, vel aliquid addere debet, nisi jussu prioris; panem & vinum, & omnia comedenda hora competenti in refectorio ad distribuendum præparare; & si non fuerit refectorarius ordinatus per se distribuere. De dormitorio uterque cellerarius, quoties expedierit, & cum servitoribus comedens de refectorio potest exire. De reliquiis ciborum cellerarius minor, quæ voluerit, retineat, quæ noluerit portario tribuat. Sabbato vasa & utensilia coquinæ ab exeuntibus de coquina, numerando recipiat, & ingredientibus reddat; si tamen hoc visum fuerit priori; nec quicquam horum absque nutu coquorum de coquina transferat. In Capitulo ad audiendos sermones, si quando facti fuerint, & ad faciendas professiones, & in infirmitorium ad inungendum infirmum & moriturum conversos adducat, si ei ordinatum fuerit. In Cœna Domini conversos ad calefaciendam aquam, vasa, linteamina ad Mandatum necessaria præparet, & conversos in claustro adducat. Potest etiam, cum necesse fuerit, fratribus & familiæ de officio suo loqui. Quod si cellerarius major defuerit, officium illius infra monasterium per omnia peragat. Cellerarius potest esse laicus, & etiam continue coquinam habere, si tamen visum fuerit priori; sin autem sit clericus, & laicus conversus ordinetur in coquina, qui ad voluntatem cellerarii majoris & minoris cuncta faciat.

De Refectorario. Cap. CXXII.

REfectorarius in refectorio aptare mantiles, desuper ponere panem & vinum, & cetera quæ sibi a cellerario injuncta fuerint, per mensas disponere debet, ad quod faciendum hebdomadarium coquinæ poterit vocare. Novitiis, si non comederint in refectorio, panem & vinum eis sufficienter ministrare; reliquias conventus cellerario minori in cella assignare. Post biberes post collationem potum recolligat. Claustrum non exeat, nisi fuerit solatius cellerarii majoris.

De Portario claustri & ejus solatio. Cap. CXXIII.

POrtarius claustri in die & in nocte, quotiescumque opus fuerit, portam claustri aperiat & claudat. Nullus alius audeat aperire, si invenerit eam clavi firmatam, nisi ad nutum ejus. Sedile habeat juxta portam intus vel extra, secundum quod ei ordinatum fuerit; super quo, secundum quod possibilitas aderit, semper sedeat, ut cum aliquis intrare voluerit vel loqui, eum paratum inveniat; & postquam *Benedicite* dixerit, humiliter quis sit vel quid velit ab eo requirat; & cum intraturum intellexerit, intra januam recipiat. Quod facere non debet, nisi de his, de quibus ei dictum fuerit. Si intraturus non est, in loco apto faciat eum sedere. Et si responsum

ponſum habere debet de clauſtro, dicat ei: *Expectate me paulum hic, donec cui nunciandum eſt, vos nuntiem, & poſtea revertar ad vos*. Pergens igitur, ſi in clauſtro non invenerit, cui nuntiare debeat, poteſt per omnes officinas monaſterii quærere. Si in loco ſilentii fuerit, ſigno innuat invitanda; ad hoſpitem citius reddat, & reſponſum dicat. Qui ſi poteſt per ſe dimittere, & reſpondere, benigniſſime faciat. Quod ſi dum Hora in eccleſia celebratur, & hoſpes ad portam pulſaverit, vel denunciatum fuerit, quod ad portam pulſetur, ſine mora in qualicumque hora occurrat, & more ſolito *Deo gratias* & *Benedicite* dicat; & poſtquam receperit, & ſi intrare non debet, ſi neceſſe fuerit, dicat non eſſe conſuetudinis, dum Hora canitur, loqui, rogans eum, ut expectet, donec ei poſt Horam reſpondeat. Quod ſi in brevi hora poteſt vel ab afferente recipere, vel perenti aliquid tribuere, faciat, & ad Horam cum feſtinatione revertatur. Similiter faciat exiſtendo in refectorium hora refectionis, vel ſi viſum fuerit priori, hora refectionis & dormitionis diurnæ, poteſt coco vel cellerario minori hoc committere. Portarius debet habere neceſſaria ad eleemoſynas faciendas in cella, vel in loco ſibi ordinato, & ſecundum quod ei ordinatum fuerit, diſtribuere. Qui etiam operetur ad portam ſcapulari indutus tempore operationis, ſi viſum fuerit priori. Et mox, ut ſignum pulſaverit, induat ſe ſuperioribus indumentis, quæ juxta portam in clauſtro debuit reponere, ſecundum quod tempus vel poſſibilitas permiſerit, intret eccleſiam, cum conventu comedat. Quod ſi ei ordinatum fuerit, ut ſerviat hoſpitibus, faciat; & poſt refectionem hoſpitum & fratrum in qualicumque hora poteſt comedere, comedat. Qui ſolet etiam vaſa ſua ad colligendas reliquias ciborum in coquinam deferre, & cetera, quæ cellerarius minor dederit, in ipſis recipere, & tempore congruo in loco apto per ſe vel per ſolatium ejus, ſi datus ei fuerit ad portam, pauperibus diſtribuere. Quam diſtributionem non debet propter ſubſequens officium Dei dimittere, ſed paucis utens verbis & moderatis, citius quam inceperat, perficere. Et poſtquam perfecerit opus Dei, quod diſtulerat, prout potuerit perſolvere. In æſtate poſt Sextam ſi voluerit, in dormitorio dormiat, & ſolatium ejus vel cui commiſſum fuerit per priorem, interim portam cuſtodiat. Et ſi tunc non erit congruum, ut dormiat, poteſt vel poſt Capitulum in mane, vel poſt Nonam aliquantulum in dormitorio dormire, dimiſſo cuſtode ad januam, ut dictum eſt, de meridiana. Poſt Completorium portam viſitet, & ſi bene firmavit ante Completorium, ita dimittat. Sin autem, quæ facienda ſunt, faciat, & quam citius poteſt, dormitorium intret. Provideatur ei de congruo ſolatio, ut ſi quando aliquid fecerit, vel in hebdomada alicujus officii in eccleſia aſcriptus fuerit, quod non debet, in coquina pro eo compleat. Quod ſi alicubi ierit, & cito redire ſperat, poteſt cuilibet fideli commendare portam. Cum mulieribus non loquatur, niſi de neceſſariis ſui officii breviter, & non multiplicando verba. Cum eis non ſedeat. Si quando uni vel pluribus loqui vel reſpondere, dare vel accipere debeat, ſi in auditorio fuerit, vel fuerint mulieres, non intret, ſed ſit ſub porticu interiori, limite exiſtente inter eos. Similiter fiat ad hoſtium eccleſiæ, & ad quodlibet hoſtium; itaut numquam ſit cum eis in eccleſia, vel in auditorio, vel in aliquo angulo; niſi quando communem faciat eleemoſynam, & tunc cum his, quæ debent recipere eleemoſynam, & non cum aliis.

De indumentis fratrum, & iterum de his, quæ conceduntur ejiciendis, vel cum licentia dimittendis. Cap. CXXIV.

LIceat unicuique fratri habere duas cappas, ſcilicet puram vel vetuſtam in æſtate, & villoſam vel groſſam in hyeme. Quatuor tunicas, tria ſcapularia, ſcilicet unum pelliceum, vel amplum laneum, & duo ſtricta lanea, & unum vetuſtiſſimum in nocte, & duo paria caligarum, ſubtellares, & nocturnales non ſiviratos, nec curioſe ſutos, ac pedulium duo paria vel pluria, ſi viſum fuerit priori. Item unuſquiſque fratrum habeat corrigiam ſimplicem cum fibula non curioſa & etiam cultellum honeſtum, & non curioſum, & ſine puncta, exceptis illis cultellis, qui portantur ad laborem. Et notandum, quod diebus dominicis & feſtis, quibus non laboramus, nec veſtimenta excutiantur, nec ad ſolem extendantur in clauſtro, præter ea, quæ fuerint infuſa, nec etiam aliquo die poſt Veſperas excutiantur, excepto tempore ſecationis & meſſionis, cum ante tempus vacuum non habuerint fratres. Si quis vero ejiciendus de monaſterio pro ſua culpa fuerit, vel cum licentia dimittendus, ſibi cappa cum tunica & ſcapulari præbeatur.

Si quis autem furtive de monaſterio exierit, ſacrilegii & furti crimen, & excommunicationis pœnam ſe noverit incurriſſe.

Idem intelligatur de converſis, præter quod pro cappa clamys eis datur.

De Priore, qui habet Sorores regendas. Cap. CXXV.

PRior, qui habet Sorores regendas, intraturus clauſtrum earum, videat, ne cum portaria ſola loquatur aliquando in auditorio, nec ibi ſedeat vel remoretur, ſed ſtatim intret clauſtrum, ſi fuerit ſolus. Cum autem in clauſtro fuerit, caveat, ne aliquas officinarum earum intret, niſi ſint tres ibi præſentes Sorores, & nulli Sororum loquatur, niſi in publico loco. Confeſſiones earum privatas ter in anno audiat, & hoc ſub porticu eccleſiæ, ut videatur; his videlicet temporibus, in Quadrageſima ſancti Martini, in majori, & in Auguſto, niſi forte pro infirmitate, & hoc videntibus tribus. Nulla etiam cauſa comedat, dormiat, caput vel pedes abluat, aut ſibi minuat, vel aliquod hujuſmodi faciat in aliqua parte circuitus earum. A ſigno vero Collationis uſque poſt Primam ſequentis diei, niſi pro inevitabili cauſa, non intret circuitum earum. Quod ſi contigerit, tres ad minus Sorores cum luminaribus ei occurrant. Diebus autem dominicis & feſtis ſollemnibus, ſi debuerit Capitulum Sororibus tenere, quia tempus breve eſt propter Miſſam celebrandam, intrare poſſit ante Primam, ſicut ſuperius dictum eſt. Nulli priorum vel miniſtrarum liceat aliquam minorem duodecim annorum ſuſcipere in probationem. Nullus priorum accipiat regimen alicujus domus vel ædificet de novo, niſi de conſilio generalis Capituli, nec accipiat aliquam, quae non habeat quatuordecim annos in probatione, niſi de conſilio viſitatorum.

De ſubjectis electis in prioratibus. Cap. CXXVI.

STatuimus & ordinamus, ut ſi qua domus noſtri ordinis aliquando paſtore fuerit deſtituta, quemcumque ſubjectum voluerint de ordine noſtro, & non de alio in priorem ſibi poſſint eligere. Electus vero teneatur prioratum ſuſcipere, & ſi fuerit neceſſe, per viſitatores cogatur. Si autem illa domus, de qua ſumptus fuerit, poſtea priore caruerit, illum eumdem nihilominus in priorem ſibi eligat, ſi voluerit, qui redire & prioratum ſuſcipere teneatur, & ſi nollet, a viſitatoribus compellatur.

De ſubjectis proprio vitio egreſſis vel projectis, ſeu etiam cum literis dimiſſis. Cap. CXXVII.

SI quis proprio vitio de monaſterio ſuo fuerit egreſſus vel projectus, aut etiam cum literis dimiſſus, ſi per unum menſem extra ſteterit, de cetero nonniſi in ultimo loco ſuſcipiatur; nulla etiam cum eo poſtea poſſit diſpenſatio fieri, niſi forte in eccleſia pro ſacerdotii reverentia; & tamen poſt alios ſacerdotes. Si vero infra unum menſem ſuſceptus fuerit, in loco ultimo per annum integrum permanebit, & ſecundum modum culpæ uterque ſupradictorum ad voluntatem prioris puniatur. Si autem illum, qui literas habuit, aliqua domus noſtri ordinis recipere in fratrem voluerit, modo ſupradicto recipiat; hoc penitus ſervato, quod infra tres menſes profeſſionem ibidem faciat, alioquin ...

Deſiderantur in Codice decem paginæ.

POſt annum veniat novitius in Capitulum clericorum, ubi relicta omni proprietate faciat profeſſionem hoc modo. In primis proſtratus petat miſericordiam. Deinde ſurgens ad prioris imperium, flexis genibus coram priore jungat manus ſuas, & ponens eas intra manus prioris promittat Stabilitatem & Converſionem morum ſuorum, & Obedientiam in loco præſenti uſque ad mortem. Et reſpondeat prior, *& Dominus det tibi perſeverantiam uſque in finem*, reſpondentibus omnibus *amen*. Tunc oſculato priore diſcedat. Ex hinc in ordine noſtro clericus fiat. Quod ſi ſuadente diabolo de ordine exiens, monachi vel canonici regularis tonſuram acceperit, deinceps non recipiatur. Quod ſi etiam literas didicerit, non recipiatur, niſi promiſerit ſe amplius non lecturum.

De Victu.

Iiſdem cibis veſcentur laici fratres, quibus clerici; ſani ſcilicet ut ſani, minuti ut minuti, infirmi ut infirmi. In monaſterio, qui fuerint, ſemper cum clericis in refectorio comedant; & eadem quantitate, & eodem tempore in victu tractentur. Si quos tamen prior judicaverit oportere ſumere mixtum, ſumant. Si etiam priori viſum fuerit, ut aliquis propter nimietatem laboris comedant aliquando bis in die, concedere poſſit.

De Vestitu.

Vestitus sit mantellus honestus sutus per sumissionem unam. In ceteris indumentis & calceamentis sint, ut clerici. Galmeras, non cipellos habere possunt extra monasterium, pedules subtellares, non tamen nocturnales. Pelles eis concedi possunt, grossæ tamen.

De lectis.

Lectos habeant sicut clerici.

De pena inobedientiæ.

Si quis trangressor ordinis aut contumax fuerit, secundum sui majoris præceptum per omnia satisfaciat.







SERIES

Capitulorum CONSTITUTIONUM congregationis, quæ PATAVII floruit, monachorum ALBORUM.


Cap. CXIX.





APPENDIX
TOMI SEXTI
ANNALIUM CAMALDULENSIUM

Vetera Monumenta & Diplomata complectens.



I.

Clara sanctimonialis S. Marci de Fabriano de licentia suæ abbatissæ transit in monasterium de Bucca-saxorum, & ibi eligitur abbatissa.

Anno 1351. IX. septembris.

Ex archetypo tabularii S. Blasii de Fabriano.



IN Dei nomine, amen. Anno Domini M. CCC. LI. indictione IV. tempore domini Clementis pape sexti die nono mensis septembris, actum in districtu Fabriani in burgo porte burgi sancti Nicolai in ecclesia monasterii sancti Marci, presentibus dompno Francisco Gualterucci, Paulello Massii &c. testibus rogatis. Existens coram presentia religiose & honeste mulieris sororis Ysabet ipsius monasterii abbatisse, soror Clara Tinti Ricchi ipsius monasterii monialis & soror, humiliter, reverenter & cum instantia ab ipsa domna abbatissa licentiam posse ire ad aliud monasterium seu locum postulavit, & ad quod & quem ipsi sorori Clare videbitur & placebit. Que domna abbatissa audita petitione predicta, quamvis pro ipsius Clare bonitate, virtute & industria sit ipsi monasterio dampnosum, & non modicum dampnum, tamen attendens & considerans, quod licentia predicta potest in ipsius monasterii honorem redundare, & etiam in honorem & statum ipsius sororis Clare, eidem sorori Clare licentiam, liberam potestatem & facultatem posse ire ad alium locum vel monasterium pro libito & voluntate, in unum mensem tantum a die presentis licentie computandum concessit & dedit, hoc tamen acto & reservato per ipsam domnam abbatissam nomine dicti monasterii sancti Marci de voluntate ipsius sororis Clare, quod si in dictum tempus ad predictum monasterium vel locum non iverit, ipsa licentia evanescat, & sit nullius valoris, & quod ipsa sorore Clara non sic eunte ipso elapso termino libere redire possit ad monasterium sancti Marci predictum ad eum solum statum & conditionem, quem & quam ipsa soror Clara habebat in dicto monasterio sancti Marci ante petitam licentiam supradictam; & si ipsa soror Clara iverit in locum supradictum, ut dictum est, ex nunc omni juri, si quod haberet in monasterio sancti Mar-

ci predicto, expresse renuntiavit, rogantes predicta domina abbatissa & soror Clara me infrascriptum notarium, quod de predictis publicum conficerem instrumentum.

Dictis anno, indictione, tempore, die XIX. dicti mensis actum in districtu Fabriani in baylia Rosenge in ecclesia sancti Angeli de dicto loco, presentibus domno Antonio domini Albergecti, domno Anestasio Cuitii, Vegnato Mancio, Janne Morono & pluribus aliis testibus. Existens flexis genibus ante altare dicte ecclesie soror Clara Tinti Ricchi, presente reverendo viro domno Francisco abbate monasterii sancti Victoris de Clusis Camerinensis diecesis, ad quod dicta ecclesia sancti Angeli est subjecta, & ad quod monasterium sancti Victoris carcer seu monasterium de Bocca-Saxorum dicitur pertinere, ipsa soror Clara pro arctiori vita tenenda, & pro ipsius sororis Clare remissione peccatorum, ipso domno abbate consentiente, elegit sibi ad standum & morandum, & Deum orandum dictum carcerem seu monasterium de Bocca-Saxorum. Quibus quidem actis cum dictum monasterium de Bocca-Saxorum seu carcer vacet ad presens rectore seu abbatissa, per mortem olim bone memorie sororis Matthiole Angeluccii, olim ipsius carceris seu monasterii de Bocca-Saxorum rectoris seu abbatisse, ad hoc ut ipsum monasterium seu carcer in temporalibus & spiritualibus non patiatur detrimentum, & ad hoc ut salubri regatur consilio, dictus domnus abbas, consideratis comitate, industria, moribus & vita ipsius sororis Clare, de voluntate & consensu dompni Petri Johannis ipsius monasterii sancti Victoris monachi, & de voluntate & consensu sororis Johanne Philippi ipsius carceris seu monasterii de Bocca-Saxorum sororis, sancti Spiritus gratia invocata, ipsam sororem Claram ibidem presentem omni modo, jure & via, quibus melius potuit, in rectorem, abbatissam & gubernatricem dicti monasterii de Bocca-Saxorum seu carceris & rerum suarum in temporalibus & spiritualibus elegit & nominavit, rogans me infrascriptum notarium, quod de predictis publicum conficerem instrumentum. Rogans etiam dictus domnus abbas eamdem sororem Claram, quod sibi placeat & dignetur ipsam electionem acceptare. Qua electione sic facta dictus domnus abbas verbotenus & per dationem cujusdam libri sibi presentavit. Quibus quidem actis dicta soror Clara habita, ut asseruit, diligenti deliberatione super dictis, & inspiciens solum ad Deum, & quod officium prelibatum poterit esse & erit in ipsius anime salute, invocato Christi nomine, ipsam electionem acceptavit &c. & rogavit me notarium infrascriptum, quod de predictis publicum conficerem instrumentum; promittens nihilominus & corporaliter jurans ad sancta Dei evangelia tactis Scripturis regimen & officium predictum facere bona fide, sine fraude, & ipsum carcerem seu monasterium in temporalibus & spiritualibus bene & legaliter regere & gubernare bona fide, ipsumque carcerem seu monasterium manutenere, & res suas pro posse & juxta posse.

Dictis anno, indictione, tempore & die. Actum in dicto districtu & dicta baylia Rosenge in via publica, presentibus dictis testibus. Suprascriptus domnus abbas ibidem coram dictis testibus & me notario infrascripto dictam sororem Claram capiendo eam per manus immisit, & posuit in corporalem tenutam & possessionem tamquam abbatissam & rectorem dicti carceris & monasterii positi in baylia Rosenge, juxta viam, Philippum Angeli, & Petrum Cicchi a duobus lateribus. Rogans me infrascriptum notarium, quod de predictis publicum conficerem instrumentum.

Ego Franciscus Philippuccii de Fabriano imperiali auctoritate notarius predictis omnibus interfui, & ea rogatus scribere, scripsi & publicavi.

II.

Ecclesia S. Stephani de Arcellis in commendam redacta.

Anno 1351. XIV. decembris.

Ex autographo archivi S. Romualdi de Urbe. XV. 17.

IN Dei nomine, amen. Anno Domini M.CCC.LI. indictione IV. tempore domini Clementis pape VI. die XIV. mensis decembris. Convocato & adunato capitulo & conventu monasterii Vallis-castri Camerinensis diecesis de mandato & voluntate ven. domini fratris Albrici abbatis dicti monasterii &c. in quo quidem capitulo interfuerunt idem domnus abbas, dompnus Compagnus de Cingulo, frater Benvenutus de Alvacina, frater Guillielmus de Sancto Severino, frater Bartholus de Eugubio, frater Angelus de Aqua-pagana & frater Genti-

Gentilis de Piro monachi dicti monasterii, qui sunt videlicet due partes monachorum dicti monasterii, in quo quidem capitulo idem dictus dominus abbas una cum dictis monachis &c. constituerunt &c. sindicos & procuratores &c. magistrum Nicolam domine Bene, & magistrum Oppicinum de Sesre &c. specialiter ad prosequendam quamdam appellationem interpositam per religiosum virum fratrem Benvenutum monachum dicti monasterii, & prepositum ecclesie sancti Stephani de Arcellis Eugubine diecesis membri dicti monasterii Vallis-castri, suo proprio nomine & aliorum omnium, quorum interest, & a quadam impetratione, supplicatione & petitione commende facte per reverendissimum patrem & dominum Ranaldum sancti Adriani diaconum cardinalem coram sanctissimo in Christo patre & domino domino Clemente divina providentia summo pontifice VI. & obtentione de speciali gratia, ut dicitur, de prepositura seu ecclesia sancti Stephani antedicta, & de concessione literarum gratie sibi, ut dicitur facte, & executorum in eis deputatorum, seu literarum executionis concesse eidem domino cardinali, prout in dictis literis dicitur plenius contineri &c. Actum in territorio terre Fabriani in monasterio Vallis-castri predicto in solito capitulo &c.

Et ego Stephanus Romaldi [de Piro notarius &c. ss.

III.

Albricus abbas Vallis-castri recipit in prœbendatum nobilem virum Thomasuccium de Clavellis.

Anno 1352. XXIX. januarii.

Ex originali tabularii S. Blasii de Fabriano.

IN nomine Domini amen. Anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo secundo indictione quinta tempore domini Clementis pape VI. die vigesima nona mensis januarii actum in castro Albacine in domo Maynardutii domini Zellini, presentibus Petro ma.....nco Fortis, Mossiarello Angeli, & aliis testibus ad hec vocatis & rogatis. Reverendus vir domnus Albricus abbas monasterii Vallis-castri districtus Fabriani Camerinensis diecesis, & capituli & conventus ipsius monasterii sedens super quoddam scamnum lapideum in domo, & dicens, quod cum monasterium predictum & membra ipsius monasterii semper, ut recordabatur & audiebat, per filios domini Zelini de Clavellis de Fabriano & eorum antecessores juxta eorum posse manutenebatur & juvabatur, & recursum ipsius domini abbatis & monachorum ipsius erat & est semper ad eos, sic etiam nolens dictus abbas tanti beneficii esse ingratus, considerans etiam amorem & affectum eorum de presenti, & suorum filiorum & descendentium, ad quos totidem dictus domnus abbas & conventus pro tuitione & defensione & statu dicti monasterii recurrere solebat, idem dominus abbas pro se suo nomine, & vice & nomine capituli & conventus ejusdem recepit in prebendatum ad mensam monasterii prelibati Thomassuccium filium quondam Chosi Francutii domini Clavellini ibidem flexis genibus coram dicto domino abbate existentem in quinque brachiola grani annuatim, que quinque brachiola grani sunt & esse dicuntur de prebenda x. brachiol., in quibus x. brachielibus jam prebendatus fuit nobilis vir dominus Franciscus filius dicti domini Zelini prior olim hospitalis de Clusis, capiendo eum infra manus ipsius domini abbatis, qui Thomassuccius predictam prebendationem grani humiliter acceptavit. Et hec omnia promisit dictus dominus abbas per se & suos successores perpetuo firma & rata habere, tenere & observare, mandans etiam dictus dominus abbas mihi infrascripto notario, ut de predictis ad perpetuam rei memoriam & cautelam ad sensum sapientis ipsius prebendati publicum conficerem documentum.

Et ego Dionisius magistri Johannis de Cerreto Dei gratia & imperiali auctoritate notarius publicus predictis omnibus, ut supra legitur, interfui, & rogatus a dicto domino abbate scribere scripsi & publicavi.

IV.

Benedictus Johannis de Porcarella renuntiat eidem Albrico abbati ecclesiam S. Mariæ de Pietate urbis Maceratæ.

Anno 1352. XIV. julii.

Ex eodem archivo S. Blasii.

IN Dei nomine, amen. Anno Domini millesimo CCC. quinquagesimo-secundo

cundo indictione quinta, tempore domini Clementis pape VI. die XIIII. mensis julii. Constitutus Benedictus Johannis de Porcarella clericus & rector ecclesie sancte Marie de la Pietate sine cura posite extra civitatem Macerate institutus & electus ad dictam rectoriam faciendam per rev. virum dompnum Albricum abbatem monasterii Vallis-Castri, ad quem spectat institutio & electio de dicta ecclesia pleno jure, genuflexus in capitulo dicti domini abbatis & monachorum dicti monasterii, coram ipso dompno abbate cognoscens se ipsum non esse sufficientem ad dictam rectoriam ecclesie supradicte sine cura gerere & operare, & ipsam rectoriam esse sibi magis ponderosam, & potius dampnosam, quam lucrosam, & nolens ad officium clericatus predicti ulterius accedere, propter quas causas & alias dictam electionem & rectoriam de se factam a dicto domino abbate de ecclesia supradicta sine cura in manibus dicti domini abbatis renuntiavit expresse omni jure & modo &c.

Actum sub porticu enclaustri ecclesie sancti Nicolai de sancto Severino membri monasterii ecclesie sancti Eustachii de Domoris, presentibus domno Dominico Syg. . . . de sancto Severino monacho dicti monasterii, Johanne Leonardi de sancto Severino, & Valentino Acti Giudecte de la Porcarella testibus ad hec vocatis.

Ego Munaldutius Scangni de sancto Severino auctoritate imperiali notarius publicus predictis omnibus, ut supra legitur, presens fui rogatus, scripsi & publicavi.

V.

Nicolaus ep. Maceratensis confirmat Guillielmum monachum Valle-castrensem in rectorem ecclesiæ S. Mariæ de Pietate.

Anno 1352. XXVIII. julii.

Ex eodem chartulario S. Blasii.

IN Dei nomine, amen. Anno Domini M. CCC. LII. indictione V. tempore domni Clementis pape VI. die XXVIII. mensis julii. Noverint universi presens instrumentum publicum inspecturi, quod vacante ecclesia sancte Marie de la Pietate districtus civitatis Macerate sine cura per renuntiationem honesti viri Benedicti Johannis de Porcarella districtus terre Fabriani quondam rectoris ipsius ecclesie constituti, rationabilibus causis factam in manibus ven. viri domni Albrici monasterii sancti Romaldi Vallis-castri Camberinensis diecesis, ad quem nominatio & electio rectoris instituendi ad curam & regimen ipsius ecclesie noscitur pertinere, prout de ipsa renuntiatione constat publico documento scripto manu Monaldutii Scangnii de sancto-Severino, reverendus pater domnus frater Nicolaus Dei & apostolice sedis gratia Maceratensis episcopus, visa electione, & nominatione facta per dictum abbatem & capitulum &c. de fratre Guillielmo Mariani de sancto-Severino monacho dicti monasterii Vallis-castri ad curam & regimen dicte ecclesie, prout &c. & visa presentatione facta ipsi domno episcopo de dicto fratre Guillielmo &c. & considerans, quod ecclesiarum diuturna vacatio est canonibus inimica, & viduatio ecclesiis afferre consuevit non modicum detrimentum in temporalibus & divinis, & considerans personam dicti dompni Guillielmi honesti & discreti viri idonei & sufficientis ad curam & regimen ipsius ecclesie, & quod per eum jura ecclesie supradicte verisimiliter manuteneri poterint & augeri, tam in temporalibus quam in divinis, ad laudem & reverentiam omnipotentis Dei & gloriose virginis Marie dictam electionem & nominationem factam de dicto domno Guillielmo tamquam provide & salubriter factam acceptavit, & confirmavit, dictum domnum Guillielmum personaliter genuflexe constitutum humiliter acceptavit in rectorem & capellanum dicte ecclesie sancte Marie, & instituit & prefecit, curam, regimen dicte ecclesie cum juribus & pertinentiis suis temporalibus & spiritualibus, secundum jus & canonicas sanctiones &c. per submittendum ipsum manualem instituit, eidemque honestum virum scilicet Stachium priorem ecclesie sancti Sal. . de Macerata membri monasterii sancti Stachii districtus Camerinensis diecesis absentem tamquam presentem executorem concessit, cui imposuit & commisit, quod dictum domnum Guillielmum in corporalem tenutam & possessionem vel quasi intramentorum vel pertinentiarum ipsius ecclesie induceret &c.

Actum in civitate Macerate in capella domni episcopi supradicti &c.

† Et ego Julianus magistri Francisci de Macerata imperiali auctoritate notarius, & nunc notarius supradicti domini episcopi, & a supradicto domino episcopo rogatus scripsi & publicavi.

VI.

VI.

Jacobus Azzolini eligitur in rectorem S. Christinæ de Clanis, & præstat obedientiam abbati Agnaniensi ejusdem ecclesiæ patrono.

Anno 1353. xxx. junii.

Ex autographo tabularii S. Romualdi de Urbe. I. 7.

IN Dei nomine, amen. Anno Domini a nativitate ejusdem M. CCC. LIII. indictione VI. domino papa Innocentio VI. residente, die ultimo mensis junii. Vacante ecclesia sancte Christine ad Clanas comitatus Aretii & diecesis Aretine per mortem domni Orlandi olim rectoris ejusdem ecclesie, cujus vacationem rev. vir domnus Baxilius abbas monasterii sancte Marie de Agnano Aretine diecesis patronus dicte ecclesie, & ad quem de jure & de antiqua consuetudine pertinet presentandi rectorem in dicta ecclesia, quando vacat, asseruit ad se pervenisse notitiam de mense septembri die penultima sive ultima dicti mensis, ipso existente in curia Romana; nolens idem domnus Baxilius *&c.* propter diuturnam vacationem pati in spiritualibus vel temporalibus lesionem, attendens & considerans honestatem & virtutem honesti viri presbyteri Jacobi filii quondam Johannis Azzolini Aretini civis viri providi & discreti in presbyteratus ordine constituti, sufficienti scientia, moribus & etate, per quem dicta ecclesia in spiritualibus & temporalibus melius quam per aliquem alium debet verisimiliter deserviri, ad laudem & reverentiam omnipotentis Dei & gloriose virginis Marie matris ejus, & beate Christine, sub cujus vocabulo est dicta ecclesia insignita, invocata gratia Spiritus-sancti, prefatum presbyterum Jacobum *&c.* in ejus presentia constitutum presentavit, & elegit in rectorem ecclesie supradicte, rogans eumdem cum summa instantia, quod dignaretur acceptare presentationem & electionem predictam; qui presbyter Jacobus auditis presentatione & electione predictis, & precibus dicti domini abbatis veri patroni dicte ecclesie, se trahens ad partem, & habens super predictis deliberationem cum viris honestis & amicis ipsius, & immediate rediens, ad laudem & reverentiam omnipotentis Dei & gloriose virginis Marie matris ejus, & beate Christine & totius celestis curie & ad honorem domini episcopi Aretini, & predicti domini abbatis patroni dicte ecclesie, invocata gratia Spiritus-sancti, cum reverentia presentationem & electionem ipsius acceptavit, rogantibus me notarium infrascriptum de predictis publicum debere conficere instrumentum.

Actum Aretii subter portechalia domus ecclesie sancte Marie in Gradibus, sapiente viro domino Jacopo Judice olim Muccii de Bibbiena, ser Bettino Mini rectore ecclesie sancte Marie de Angelis, & Damiano Benciveni civibus Aretinis testibus ad hec habitis, vocatis & rogatis.

† Ego Angelus quondam ser Bialdi civis Aretini imperiali auctoritate judex ordinarius & notarius predictis omnibus interfui, rogatus scripsi & publicavi.

In Dei nomine amen. Anno Domini &c. *eisdem anno & die ut supra.* Genuflexus discretus vir ser Jacobus olim Johannis Azzolini Aretini civis ad pedes rev. viri domini domni Baxilii abbatis monasterii sancte Marie de Agnano ordinis sancti Benedicti & Aretine diecesis recognovit dominum abbatem in verum & unicum patronum ecclesie sancte Christine in Clanibus Aretine diecesis, & juravit ad sancta Dei evangelia tactis sacris Scripturis numquam alium patronum admittere, recipere, vel confiteri per patronum dicte ecclesie, & quod dictam ecclesiam tenebit & possidebit pro dicto domino abbate & successoribus, sive & ipsi domino abbati semper erit legalis & obediens omnibus mandatis ejus, tamen licitis & honestis, volentes & rogantes me notarium infrascriptum de predictis publicum facere instrumentum; & dare & mensurare dicto domino abbati & successoribus suis quolibet anno nomine census & recognitionis domui dicte ecclesie tres solidos g....... ad dictam ecclesiam sancte Marie in Gradibus de mense augusti, prout consueti fuerunt alii rectores dicte ecclesie.

Actum Aretii, *eisdem testibus & notario, ut supra.*

VII.

Monachi S. Johannis-baptistæ de Judaica Venetiarum præstant obedientiam Andreæ priori S. Mathiæ de Muriano, uti eorum domino.

Anno 1354. xv. aprilis.

Ex autographo archivi S. Mathiæ.

IN Christi nomine, amen. Anno nativitatis ejusdem M. CCC. LIV. indictione VII. die martis XV. mensis aprilis. Rev. in Christo pater dominus frater Andreas de Faventia Dei & apostolice sedis gratia prior monasterii sancti Mathie de Murano ordinis Camaldulensis diecesis Torcellane constitutus in capitulo monasterii sancti Johannis-baptiste de Judecha de Venetiis Castellane diecesis in loco prioris, penes videlicet Crucifixum, ibique presentes coram eo ven. & religiosus vir dompnus Andreas de Venetiis prior prefati loci sive monasterii sancti Johannis, necnon dompni Ventura de Verona presbyter, Lucas de Venetiis, & Francischinus de Foro-livio diaconi, & Jacobellus de Padua in minoribus constitutus monachi, ac etiam fratres Petrus de Venetiis, & Johannes Facibene de Bononia conversi predicti loci sancti Johannis publice, sponte, viva voce & ex certa scientia confessi fuerunt predictum monasterium sancti Johannis manualiter ac pleno jure pertinere ad predictum domnum Andream de Faventia priorem ejusque monasterium sancti Mathie predictum, & ad ipsum dominum priorem sancti Mathie & successores suos solum & insolidum pertinere correctionem & visitationem monasterii sancti Johannis, necnon institutionem & remotionem ipsius prioris sancti Johannis & aliorum priorum, qui pro tempore fuerint in predicto loco sancti Johannis, quoties & quando sibi & successoribus suis placuerit & visum fuerit expedire pro suo libito voluntatis; positionem etiam & remissionem monachorum & conversorum ac familiarium predicti loci sancti Johannis, administrationemque temporalium & spiritualium predicti loci sancti Johannis, recipientes ipsum dominum priorem sancti Mathie ad osculum pacis predicti prior sancti Johannis, & monachi, conversis solum osculantibus sibi manum, & promittentes sanctam obedientiam secundum regulam beati Benedicti & Camaldulensis ordinis instituta, ipso domino priore sancti Mathie regulam tenente in manibus, asserentes predicti prior, monachi & conversi sancti Johannis-baptistæ ea omnia supradicta pertinuisse ac pertinere ad predictum priorem sancti Mathie a fundatione predicti monasterii sancti Johannis. Addentes, quod licet sint collocati in predicto loco sancti Johannis per priorem sancti Mathie, tamen sunt monachi sancti Mathie, cum in predicto loco sancti Johannis non sit collegium, nec unquam fuerit, postquam fuit fundatus, imo monachi, qui stant & habitant in predicto loco sancti Johannis, licet donec ibi stant, habeant victum & vestitum a dicto loco & de redditibus dicti loci, vocem tamen habent solummodo in capitulo sancti Mathie & non alibi, quando contingit eos ibi esse presentes; rogantes me notarium infrascriptum predicti prior sancti Mathie, prior sancti Johannis, monachi & conversi, ut de omnibus & singulis suprascriptis conficere debeam publicum instrumentum.

Actum in predicto capitulo sancti Johannis-baptiste de Judecha, presentibus dompno Petro de Luca camerario predicti monasterii sancti Mathie de Murano, fratre Johanne de Verona converso ejusdem monasterii, Marcho de Cavarcio quondam magistri Libanorii de contrata Judeche, & Johanne de Clugia quondam ser Agironi de contrata Judeche testibus ad suprascripta vocatis, & rogatis, & aliis.

† Ego Barnabas quondam domini Thome Vercellensis nunc Venetiis habitator in contrata sancte Euphemie de Judecha publica & imperiali auctoritate notarius his omnibus interfui & rogatus scribere scripsi & publicavi.

VIII.

Privilegium Caroli IV. regis pro universa congregatione Camaldulensi.

Anno 1455. XVI. kal. aprilis.

Ex archivo S. Michaelis in Burgo Pisarum.

CArolus Dei gratia Romanorum rex semper augustus & Bohemie rex ad perpetuam rei memoriam. Divine retributionis meritum, & temporalis prosperitatis augmentum indubie consequi feliciter speramus, dum personis presertim religiosis Altissimi obsequiis & divinis

vinis laudibus deputatis liberalitatis gratiam benevole impertimur. Sane cum Otto quartus & Henricus sextus Romanorum imperatores antecessores nostri venerabilibus & religiosis eremi & ordinis Camaldulensis libertates, exemptiones, immunitates, gratias, privilegia & jura infrascriptas vel subscripta in ipsorum literis patentibus per sapientes aule nostre regalis prudenter visis & diligenter perspectis provide contulissent; nos ob zelum singularis devotionis, quo sanctam Camaldulensem eremum & ordinem prefatum pre aliis singularius votivo desiderio prosequimur, pro ipsius commoditatibus fructuose augmentandis, adinstar divorum nostrorum predecessorum Comanorum imperatorum, quorum vestigiis volumus inherere, prefatis Camaldulensi eremo & ordini eorumdem predecessorum nostrorum libertates, exemptiones, immunitates, gratias, privilegia & jura, ut supra scribitur, de innata nobis virtutis clementia, & ex certa nostra scientia, sapientum & procerum nostrorum provida & matura deliberatione prehabita, duximus concedenda, & gratiosius renovanda. In primis enim sanctam Camaldulensem eremum cum toto suo ordine, necnon universis & singulis ejusdem ordinis monasteriis, locis, possessionibus, rebus atque pertinentiis, quas nunc habent, vel imposterum Domino concedente juste poterunt adipisci, in speialem nostre majestatis protectionem recepimus & recipimus in his scriptis, dignum & congruum decernentes predicti ordinis Camaldulensis certos conventus ac specialia monasteria & quorumdam locorum nomina singulariter inferius annotare. In episcopatu Aretino ipsam eremum cum suo manso & territorio, cujus confines sunt, ex parte orientis locus, qui dicitur Sanguineta, & ascendendo versus alpes fossatus Arsicensis, & Corezzo, & via Romana, ex parte vero septemtrionis alpium juga dividentia Thusciam a Romandiola in ea parte, que dicitur Galeata, & includunt planum Soglii proprium dicte eremi, ex parte autem occidentis locus, qui dicitur Fagiolus, & via que dividit aquam a segutitiis eremi, & descendit ad locum, qui dicitur Trappola, ex parte quoque meridiei curia & districtus castri Mogione, quod est proprium ipsius eremi, & locus, qui dicitur Cala Suffolonis, & via, que ascendit a fundo ipsius Cale ad curtem Focojolam, & ultra versus orientem est mons Rotundus; monasterium Fontisboni cum hospitali & omnibus pertinentiis & bonis suis. In ipsa civitate Aretina monasterium sancti Petri in Picculo, ecclesiam sancti Michaelis cum pertinentiis suis, ecclesiam sancti Laurentini prope civitatem Aretinam, & omnia, que ab episcopis Aretine civitatis eremo predicte concessa esse noscuntur, & ipsorum scripti assertione firmata; ecclesiam sancti Martini, que est juxta Letarcle, monasterium Silve-munde, monasterium de Pratalia cum castro Frasinete, & aliis castris, & villis & curiis, & omnibus pertinentiis suis, sicut donavit & incorporavit prefate eremo quondam Guillielmus episcopus Aretinus; monasterium sancte Marie de Agnano, monasterium sancti Petri de Rota, monasterium sancti Salvatoris Berardingorum, cum omnibus eorum pertinentiis; monasterium sancti Savini in Chio, monasterium sancti Andree de Castellione, monasterium sancti Quirici de Rosis, ecclesiam sancti Nicolai de Curte-luponis, eremum de Fleri cum monasterio suo, monasterium sancti Viriani cum omnibus pertinentiis eorum; monasterium sancti Bartholomei in Anglari cum toto castro Anglari, & cum ecclesiis, villis, castellis & omnibus pertinentiis suis; plebem sancte Marie de Micciano cum ecclesiis & pertinentiis suis; ecclesiam de Monte-aureo dicto Fatalbechio cum sua curia & omnibus suis pertinentiis, & ipsum Montem-aureum; ecclesiam de Viario, castrum de Trecciano cum ecclesia & suis pertinentiis, & jus quod habet in castro de Caprese cum toto ejusdem castri districtu, & omnia, que jam fuerunt Bernardini olim filii Sidonie, & omnia, que Quintavallis & Astuldus dederunt sive concesserunt per instrumenta vel alio modo prefate eremo; ecclesiam sancte Marie, que est sita in Montione; ecclesiam de Mojona & totum castrum cum omnibus suis pertinentiis, ratam & gratam habentes & imperiali auctoritate approbantes refutationem omnis usus & abusus, & cujuscumque jurisdictionis dicti castri & ejus curie factam dudum per Guidonem comitem, ut constare dicitur publicis instrumentis; ecclesiam de castello Laurentano, & loca sive jura, que sancta eremus habet in castro predicto, ecclesiam sancti Vitalis prope ipsum castrum cum omnibus suis pertinentiis; ecclesiam de Agna cum curia & hominibus, quos habet in predicto loco & cum omnibus pertinentiis tam ecclesie, quam ejusdem curie; ecclesiam de Soci cum toto castro

& ejus-

& ejusdem castri curia & aliis suis pertinentiis universis, ecclesiam de Condolese cum suis pertinentiis omnibus, & homines, quos habet predicta eremus in villa de Lonnano, in villa de Tegiano, & in toto Casentino atque Muscello, & proprietatem, sive partem, sive jus, quod habet prefata sancta eremus in Partina, & in toto ejusdem districtu, & homines, quos habet in castro de Serravale, & quidquid juris habet in ipsis castro & ejus curia, & omnes curtes, quas habet predicta eremus in episcopatu Aretino & Castellano, sive Fesulano, atque Florentino & quibuscumque aliis locis. In episcopatu Castellano sive Civitate-castelli monasterium sancte Marie de Diciano, monasterium sancti Sepulcri cum toto Burgo sancti Sepulcri & aliis suis pertinentiis, pro ut in privilegiis apostolicis & imperialibus continetur; ecclesiam de Planetolo cum castello & omnibus suis pertinentiis, plebem sancte Marie de Soara, ecclesiam de Vallialla cum curte & toto jure, quod habet in ipso castro & ejus curia. In episcopatu Fesulano monasterium sancte Marie de Poplena, & ecclesiam sancti Michaelis juxta ipsam cum omnibus eorum pertinentiis; monasterium sancti Johannis in Prato-veteri, ecclesiam sancti Bartholomei in Astra-petroni, ecclesiam sancti Egidii de Gaviserre, ecclesiam sancti Nicolai de Monte-mezzano, ecclesiam sancti Miniatis de Lonnano cum curte & ejus pertinentiis, monasterium Montis-muri, ecclesiam sive canonicam sancte Margarite de Tosina, & juspatronatus ejusdem ecclesie, quod fuit concessum eremo predicte a Raynerio quondam Guidalotti & in plebe de Pomino & in plebe de Glaceto, & in aliis ecclesiis, sicut in publicis instrumentis continetur, & quidquid dictus Raynerius eremo prefate concessit. In episcopatu Florentino monasterium sancti Salvatoris de Camaldulo juxta civitatem Florentinam, monasterium sancti Petri de Luco, eremum Buldronis, monasterium & hospitale sancti Bartholomei de Mugnone, monasterium & hospitale sancti Andree de Candiculis cum omnibus eorum pertinentiis. In episcopatu Lucano monasterium sancte Jucunde cum omnibus suis pertinentiis, monasterium sancti Petri in Puteolis cum capella burgi Porcarie, monasterium sancti Salvatoris de Cantignano cum illo statuto & omni libertate, quam dive recordationis Henricus sextus Romanorum imperator antecessor noster dicto monasterio concessit, ut in ejus privilegio continetur; hospitale juxta burgum sancti Genesii cum omnibus suis pertinentiis. In episcopatu Vulterrano monasterium sancti Justi prope civitatem Vulterranam, monasterium sancti Petri de Cerreto, monasterium sancte Marie in Pulliciano, monasterium sancti Petri in Fontiano. In episcopatu Pisano monasterium sancti Stephani in Cintorio, monasterium sancte Marie de Morrona, monasterium sancti Savini in Montione cum omnibus eorum pertinentiis & possessionibus. In ipsa civitate Pisana monasterium sancti Michaelis, monasterium sancti Frigdiani, monasterium sancti Zenonis cum omnibus eorum pertinentiis. In episcopatu Clusino monasterium sancti Petri in Vivo Montis-amiati cum monasteriis, ecclesiis, castris, villis, rebus, bonis & aliis suis pertinentiis universis. In marchia Anconitana in episcopatu Exinensi monasterium Eremite, ecclesiam sancti Georgii. In episcopatu Auximano monasterium sancte Marie in Serra. In episcopatu Anconitano ecclesiam sancte Lucie. In episcopatu Camerinensi monasterium sancte Helene Esine cum omnibus suis pertinentiis, eremum Aque perellense, & ecclesiam de Quadrigaria cum eorum pertinentiis. In episcopatu Pensauriensi monasterium sancti Decentii, & eremum Sajoli. In episcopatu Ariminensi eremum de Montali. In episcopatu Cesenatensi hospitale de Rovereto. In episcopatu Ravennatensi monasterium sancti Apollinaris in Classe cum omnibus suis pertinentiis. In episcopatu Montis-feretrani monasterium sancte Trinitatis Montis-herculis. In episcopatu Foro-populiensi hospitale Aymerici in Cava de Colle, monasterium sancti Paterniani de Ferracciano, monasterium sancte Marie de Urano juxta Brittonorium. In Galiata monasterium sancte Marie de Insula, eremum de Fajola, monasterium sancte Marie in Trivio, monasterium sancti Angeli de Vergareto cum omnibus pertinentiis suis. In episcopatu Foro-liviensi ecclesiam sancte Marie juxta ipsam civitatem. In episcopatu Faventino monasterium sancti Hippolyti juxta civitatem. In episcopatu Imolensi monasterium sancti Eustachii. In episcopatu Bononiensi monasterium sancti Archangeli juxta castellum Britti, monasterium sancte Christine; in ipsa civitate monasterium sancti Damiani, eremum Camaldulensem juxta ipsam civitatem, hospitale sancte Marie de Ravone. In episcopatu Tervisiano monasterium sancte Christine,

ne, monasterium sancti Martini de Opitergio. In episcopatu Concordiensi monasterium sancti Martini de Prata. In episcopatu Adriensi monasterium sancte Marie de Vangaticia cum omnibus membris & pertinentiis suis. In episcopatu Castellano monasterium sancti Michaelis juxta canale. In episcopatu Torcellano monasterium sancti Mathie cum ejus membris & bonis. In episcopatu Veronensi monasterium sancte Marie de Camaldulo. In episcopatu Vicentino monasterium sancti Viti. In episcopatu Senensi monasterium sancti Georgii de Api, monasterium sancti Vigilii infra civitatem Senensem. In insula Sardinia monasterium sancte Trinitatis de Sacraria, ecclesiam sancte Eugenie de Samanar, ecclesiam sancti Michaelis & sancti Laurentii in Vanari, ecclesiam sancte Marie & sancti Johannis in Altasar, ecclesiam sancte Marie in Contra, ecclesiam sancti Johannis & sancti Simeonis in Salvenero, ecclesiam sancti Johannis de Trulla, ecclesiam sancti Petri in Scano, ecclesiam sancti Pauli in Cotrignano, ecclesiam sancti Petri in Vinculis, & monasterium de Orrea. In episcopatu Spoletano monasterium sancti Silvestri de Monte-subasi cum omnibus pertinentiis suis. In episcopatu Perusino possessionem, quam dedit Raynerius quondam Bertrami civis Perusinus eremo prefate. Hec igitur omnia cum omnibus ad ipsa monasteria, loca, vel ecclesias pertinentibus, & ea que imposterum juste Camaldulensis eremus poterit adipisci, sibi auctoritate imperiali perpetuis temporibus confirmamus, confirmantes etiam singulis monasteriis, ecclesiis & locis Camaldulensis conventus & ordinis, quidquid juste & rationabiliter possident vel imposterum dante Domino sibi poterunt obtinere. Eximimus quoque predictam eremum & ejus monasteria & loca sui conventus ab omni gravamine injusto; precipientes districte civitatum, castrorum, villarum, burgorum & aliorum locorum ducibus, marchionibus, comitibus, potestatibus, consulibus, rectoribus, officialibus & aliis ecclesiasticis secularibusque personis, quod predictam eremum & ejus conventum ad dationem aliquam, vel collectam, seu libram, vel ad aliquam aliam exactionem illicitam, quocumque nomine nominetur, ad fossata facienda & muros edificandos, vel ad alia illicita munera aliquatenus cogere non presumant, sed predicta eremus, & omnia loca sui conventus & ordinis a predictis gravaminibus imperiali auctoritate libera in Dei servitio liberius valeant immorari. Inhibemus etiam patronis predictorum monasteriorum, ecclesiarum & locorum, quod sub pretextu jurispatronatus ac perversarum consuetudinum, quas sibi contra sacros canones & sacras leges usurpare consueverunt, ne dictis monasteriis, ecclesiis & locis molestiam seu violentiam aliquas in personis vel in rebus mobilibus seu immobilibus, vel aliter quomodolibet inferre presumant. Prohibemus etiam, quod fratres & nuncii predictorum locorum, euntes & redeuntes pro personis & animalibus, & omnibus rebus eorum ab aliquo vel ab aliquibus pedagia vel passagia, datia vel gabellas solvere non cogantur, sed stando, eundo & redeundo auctoritate Dei & nostra perpetua & firma securitate fruantur. Pro remedio autem anime nostre & omnium parentum nostrorum, ad imitationem predecessorum nostrorum Ottonis & Henrici Romanorum imperatorum predictorum, sicut in ipsorum privilegiis continetur, donamus ecclesie predicte sancti Salvatoris Camaldulensis eremi fodrum de curte Socii & de Mojona, & omnibus aliis castris, villis & curiis ad predictam eremum pertinentibus, & de hominibus in eisdem locis manentibus seu curiis eorumdem locorum cum collectis, impositionibus, albergariis, quas nuncii nostri ibidem accipere consueverunt, volentes, ut predicti homines, quia ipsi eremo vicini noscuntur, ipsis religiosis in dicta eremo manentibus in lignis, aliisque commodis familiaribus eo expeditius debeant providere, de aliis vero locis ipsius eremi & monasteriorum sui ordinis & hominibus juxta concessionem ipsius Henrici imperatoris antecessoris nostri predicti inde factam, sicut in ipsius privilegio continetur, fratres Camaldulensis ordinis fodrum nostrum imperiale competenter colligant, & cui tunc dandum fuerit, persolvant, nisi forte nobis placuerit illud eisdem Dei servis donare. Concedimus preterea & statuimus, ut nulla ecclesiastica, secularisve persona aliquam possessionem Camaldulensi eremo seu alicui domui sui conventus competentem, vel in aliquo jure pertinentem sine Camaldulensis prioris licentia & uniuscujusque domus, conventus, prelati & fratrum consensu vendere vel alienare, donare vel permutare presumat, nec aliquis eam accipere audeat; & quod aliqua statuta vel consuetudines civitatum, vel ullius communitatis, aut persone predicte eremo, seu conventui & ordinis monasteriis,

riis, domibus & personis aliquatenus contra debitum non obsistant. Concedimus etiam eremi nominate ecclesie, seu conventus monasteriis & domibus, quod nulla alia prescriptio, quam quod octogenaria eis ab aliquo possit opponi, vel aliquod prejudicium facere, non obstante lege: *Quod quisque juris*; vel alia lege. Indulgemus quoque, quod homines Camaldulensis eremi & monasteriorum & locorum sui conventus injuste ab aliquo non inquietentur. Pascua vero eremi jamdicte, & monasterii Fontis-boni animalibus, & ligna dictis eremo seu monasterio necessaria in alpibus convicinis supra dicto territorio eremi absque aliorum gravi jactura vel damno concedimus, & ex certa nostra benignitate largimur. Districtius inhibemus, ut nulla persona alta vel humilis intra terminos territorii eremi superius designatos animalia pascere, ligna incidere, seu incidi facere, tollere vel asportare, sive opus aliquod exercere presumat, absque prioris ejusdem eremi, vel ejus officialis legitimi licentia & assensu; concedentes predicte eremo Camaldulensi ad instar Ottonis & Henrici imperatorum antecessorum nostrorum predictorum, ut castris aut villis suis, sicut hactenus Camaldulenses priores & eorum officiales consueverunt, castaldiones, vicecomites seu officiales quoscumque voluerint, preficiant, eosque, quotiens ipsis placuerit, nostra auctoritate removeant, & alios, qui ipsis idonei videantur, pro voluntate sua substituant. Molendina quoque ipsius eremi ab omnibus exactionibus libera reddimus penitus & exempta, & licitum atque possibile sit fratribus predicte eremi facere novum aque-ductum per competentia loca, ubicumque illis melius atque opportunius visum fuerit, in fluvio Arno, & in fluvio de Larclano, & in fluvio de Soara, & specialiter in villa de Viajo, sancte Crucis & in villa de Montione, & que habent in curte de Lorenzano constituta in fluvio Arno, & que habent in castello de Biblena similiter in fluvio Arno, & que habent in fluvio de Larclano, nulla prorsus contradicente vel resistente persona. Imperiali vero auctoritate prohibemus, ut nullus infra unum milliare a superiori ecclesia ipsorum, que in eremo sita est, aut inferiori monasterio Fontis-boni ejus speciali obsequio pertinenti, juxta concessionem Ottonis & Henrici imperatorum predictorum inde factam, ipsis munitionem aut villam vel habitationem cujuscumque quantitatis audeat edificare de novo. Ad hec autem nunciis nostris per Italiam constitutis, qui modo sunt, & qui pro tempore erunt, firmiter precipiendo mandamus, quatenus prenotatam eremum & conventum sibi commissum, ac totum ordinem, & omnia sibi pertinentia non audeant molestare, & intuitu divine pietatis a malefactoribus tueantur, & cum fuerit eis aliqua ex parte predictorum querimonia proposita, sine gravamine, dilatione & difficultate qualibet faciant sibi justitiam summariam exhiberi; nostris successorum nostrorum Romanorum imperatorum & regum sacri imperii, & quorumlibet aliorum juribus in omnibus & singulis .... semper salvis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostre majestatis paginam infringere, vel ei ausu temerario quomodolibet contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem nostram, & penam centum marcharum puri auri, quarum medietatem nostre regali camere, reliquam vero injuriam passorum usibus applicari volumus, se noverit incursurum, presentium sub nostre majestatis sigillo testimonio literarum. Datum Pisis anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo-quinto indictione octava XVI. kalendas aprilis regnorum nostrorum anno nono.

Ego Gialdus quondam Giani de Burgo ad sanctum Laurentium de Mucello imperiali auctoritate judex ordinarius notarius publicus Florentinus, & notarius & scriba reverendi in Christo patris & domini domini Philippi Dei gratia episcopi Florentini & sue curie originales literas imperialis hujus exempli sigillo pendenti in filis sericis nigris & croceis sigillatas more imperialis majestatis, non abrasas, non vitiatas, nec in aliqua sui parte suspectas, vidi & legi, ipsasque cum exemplo presenti cum infrascriptis Johanne & Roberto notariis in presentia venerabilis viri domni Johannis prioris ecclesie sancti Michaelis de Plano-radicis generalis vicarii in spiritualibus reverendi in Christo patris & domini domini Philippi Dei gratia episcopi Florentini predicti, & sue episcopalis curie Florentine diligenter & fideliter ascultavi, & & quia ipsum exemplum cum dicto suo authentico per omnia concordare invenimus, ipsius domini vicarii pro tribunali sedentis, & suam & dicte episcopalis curie auctoritatem & decretum huic exemplo, ut eidem tamquam suo originali habeatur de cetero plena fides, interponentis mandato, me in testem cum soliti mei episcopalis curie Florentine

predi-

predicte notarii sigilli appositione subscripsi, sub annis Domini ab ejus incarnatione M. CCC. LXIII. indictione I. secundum morem nostre civitatis Florentine die XX. mensis aprilis pro episcopali audientia Florentina, presentibus testibus domino Simone domini R..... de Cortignano populi sancti .... Florentie.... *&c.* scripsi.

† Ego Johannes Florentinus civis filius quondam Cambini de Prato *&c.* notarius *&c.*

† Ego Robertus Talenti Berti de Fesulis *&c.* notarius *&c.*

IX.

Carolus IV. imp. declarat suum consiliarium Gualterium abb. S. Michaelis in Burgo Pisarum.

Anno 1355. III. kl. julii.

Ex archivo prædicti monasterii.

KArolus quartus divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus & Bohemie rex religioso Gualterio abbati monasterii sancti Michaelis de Pisis ordinis Camaldulensis nostro & sacri Romani imperii devoto dilecto gratiam suam & omne bonum. Ad honorem nostri culminis credimus pertinere viros nostris aggregare consiliis, qui fide prediti, mente preclari, ratione nobiles & virtutibus locupletes circa latus nostrum scientie luce resplendeant, & morum venustate clarescant. Hec itaque in personam tuam, sicut & vera testimonia recommendant, laudabiliter cognoscentes, te in consiliarium & familiarem nostrum domesticum & commensalem assumimus, & liberaliter acceptamus ..... te, successores tuos ac dictum monasterium sancti Michaelis cum omnibus & singulis bonis, juribus & jurisdictionibus .... nostram & sacri Romani imperii .... protectionem & gubernationem recipimus & tutelam. Volentes & decernentes .... immunitatibus, gratiis & modis, quibus ceteri consiliarii .... tam de consuetudine, quam de jure etiam ubilibet ..... securum habeas cum fiducia speciali recursum, & ut talis .... omnibus & singulis principibus, ducibus, comitibus & baronibus, ac nostris & sacri imperii, ad quos te declinare contingat, personam tuam recommendamus attente, subditis fidelibus injungentes ac exhortantes benivolos & devotos, ut cum famulis, equitatibus, rebus & arnesiis tuis per loca ..... sus & districtus eorum per terram aut aquam absque alicujus exactione platee seu portus, atque pedagii vel gabelle, & omni prorsus molestia vel impedimento cessante, transire libere patiantur, ac provideant, quod celsitudinis nostre contemplatione securi tibi pateant accessus, & residentia & recessus, presentium sub imperialis majestatis nostre sigillo testimonio literarum.

Datum Petre-sancte anno Domini M. CCCLV. VIII. indictione III. kalendas julii regnorum nostrorum anno IX. imperii vero I. per dominum cancellarium Pucthomuslensem episcopum.

Angelus de Arretio.

X.

Unio monasterii S. Pauli de Burgo-sicco cum altero S. Trinitatis de Florentia monialium.

Anno 1357. XIX. januarii.

Ex tabulario S. Agathæ de Florentia.

IN Christi nomine, amen. Nos Nerius de Corsinis prepositus Florentinus & vicarius venerabilium virorum canonicorum & capituli ecclesie Florentine sede vacante ad rei memoriam sempiternam. Porrecta nobis petitio pro parte sororis Johanne monialis professe monasterii sancti Pauli de Burgo-secco Florentine diocesis continebat, quod ipsa sola in dicto monasterio monacha remanserat, & quod ipsum monasterium ad tantam paupertatem & exinanitionem devenerat, quod nondum convenienter ibi posset existere, & ex bonis & proventibus ejusdem commode sustentari, sed nec ipsa soror Johanna, que in eo sola remansit, potest exinde absque penuria ducere vitam suam; quare pro parte ejusdem sororis Johanne nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus dictum monasterium sancti Pauli cum juribus & pertinentiis suis monasterio monialium Trinitatis de Florentia, ad quod afficitur, unire, submittere, & incorporare canonice dignaremur. Nos igitur de predictis in dicta supplicatione contentis veridica informatione recepta, & reperto ipsam abbatissam, monasterium, capitulum & conventum Trinitatis dictam submissionem & incorporationem

libenter amplecti, & utriusque dictorum monasteriorum utilitate & necessitate pensatis, venerabilium virorum canonicorum, & capituli predictorum accedente consensu, dicti monasterii sancti Pauli unionem, submissionem & incorporationem cum bonis, juribus, & pertinentiis suis dicto monasterio Trinitatis providimus faciendam. Et iccirco Trinitatis & beati Pauli suffragiis invocatis dictum monasterium sancti Pauli cum bonis, juribus & pertinentiis suis, & que sibi competunt actionibus, dicto monasterio Trinitatis unimus auctoritate vicarie supradicte, submittimus & incorporamus modis & forma inferius adnotatis; videlicet quod monasterium sancti Pauli cum sua familia presenti & futura, & cum suis juribus & pertinentiis, ut superius fertur, sit & esse intelligatur de cetero membrum dicti monasterii Trinitatis, & per abbatissam, que nunc est, & que pro tempore prefuerit dicto monasterio Trinitatis, regatur, disponatur, ac etiam gubernetur, & sub eodem monasterii Trinitatis habitu & regula, & ita & taliter, quod deinceps in dicto monasterio sancti Pauli nullus sit conventus vel abbatissa, sed per illum vel illam disponatur & gubernetur, & prout & sicut, quomodo & quando videlicet abbatissa, que nunc est, & que pro tempore prefuerit dicto monasterio Trinitatis, & ita quod unum & idem sit monasterium dictorum monasteriorum, videlicet Trinitatis, & predicta omnia & singula facimus auctoritate vicariatus predicti, & omni via, forma & jure, quibus melius possumus. Committentes presbytero Francisco rectori ecclesie sancte Marie de Trivalle Florentine diocesis, quatenus se ad dictum monasterium sancti Pauli predicti conferat, & abbatissam, moniales, capitulum & conventum dicti monasterii Trinitatis, vel earum syndicum & procuratorem inducat, ponat & immittat in corporalem possessionem dicti olim monasterii sancti Pauli, & bonorum, jurium & pertinentiarum ipsius, & defendat inductum, faciatque eis seu earum syndico & procuratori pro eis de redditibus, proventibus & obventionibus universis dicti olim monasterii sancti Pauli integre responderi, amoto exinde quolibet illicito detentore, & contradictore per censuram ecclesiasticam compescendo, & mandavimus per Dinum notarium nostrum infrascriptum confici publicum instrumentum.

Acte & facte Florentie in ecclesia sancti Salvatoris fuerunt dicta unio, submissio & incorporatio per dictum dominum Nerium vicarium, & omnia & singula suprascripta ipso pro tribunali sedente ad suum solitum banchum juris, ubi per eum jura redduntur, sub anno Domini ab incarnatione ejusdem millesimo trecentesimo quinquagesimo-sexto indictione decima secundum morem & consuetudinem civitatis Florentie die XIX. mensis januarii, presentibus testibus ad hec vocatis reverendis viris dominis Guidone de Boncianis, & Gughono olim Bencivenis juris peritis, & ser Francisco Masi notario Florentino ad hec vocatis & rogatis.

Ego Dinus filius ser Octaviani de Puliciano de Mucello imperiali auctoritate judex ordinarius & notarius *&c.* scripsi rogatus & publicavi.

XI.

Stephanus archiep. Tholosanus & papæ Camerarius adprobat exemplum ex autographa bulla Gregorii papæ IX. anni 1227. qua confirmat jura in quamplurimas ecclesias & bona Raynerio episcopo Bethleemitano.

Anno 1360. xx. maji.

Ex ipso exemplo authentico S. Christinæ de Bononia. P. 5.

IN nomine Domini amen. Anno a nativitate ejusdem Domini millesimo tricentesimo sexagesimo indictione decimatertia pontificatus sanctissimi in Christo patris domini nostri domini Innocentii divina providentia pape sexti anno octavo, & die mercurii vicesima mensis madii hora vespertina vel quasi. Existens & personaliter constitutus in civitate Avinioni, in qua Romana curia residet de presenti, coram rev. in Christo patre domino domino Stephano permissione divina archiepiscopo Tholosano domini nostri pape camerario in palatio apostolico in camera ejusdem domini camerarii, ipso supra quodam banco, quod sibi idoneum ad infrascripta peragenda elegit, sedente, discretus vir Albricus de Canonica clericus Papiensis ibidem prefato domino camerario & coram eo exhibuit, produxit & realiter presentavit quasdam literas felicis recordationis domini Gregorii pape noni, ipsius domini pape vera bulla plumbea in filis sericis rubei & coloris crocei pendente more Ro-

Romane curie bullatas, non vitiatas, non cancellatas, non abolitas, non abrasas, nec in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vitio & suspicione carentes, & petiit & supplicavit, ac instanter requisivit idem Albricus prefatum dominum camerarium, quatenus cum ipse habeat & velit uti literis predictis, & propterea ipse habeat easdem literas producere in diversis curiis & judiciis diversarum provinciarum & locorum, timeatque ne propter incursus latronum seu predonum, aut inundationes aquarum, corruptione murium aut tinearum, & ne per multos alios varios & diversos casus fortuitos & non fortuitos, qui quotidie contingunt, & contingere possunt, ipse litere perdantur vel adnichilentur, & ne propter amissionem, corruptionem seu adnichilationem ipsarum literarum, si ipsas perdi, corrumpi vel adnichilari contingeret ex incursibus & casibus predictis, seu alias quoquomodo, ipse Albricus a jure, quod eidem competit, & competere potest, vel poterit in futurum vigore dictarum literarum, cadere valeat, seu detrimentum pati modo aliquali, de ipsis literis transumptum seu transcriptum, quod communiter vidimus, appellatur, cum possit & debeat in judicio & extra judicium ubicumque locorum fides plena adhiberi sub manu notarii publici seu notariorum publicorum concedere & fieri dignaretur, cum auctoritatis ipsius domini camerarii interpositione pariter & decreti. Quibus quidem petitione, supplicatione, & requisitione per dictum Albricum factis, & per prefatum dominum camerarium attente & benigne auditis, idem dominus considerans & attendens, quod casus per dictum Albricum camerarium allegati quotidie contingunt & eveniunt, & contingere & evenire possunt, quodque eventu dictorum casuum seu alterius eorum dicte litere perdi, corrumpi & adnichilari possunt, ipsas petitionem, supplicationem & requisitionem, tamquam juri & rationi consonas, admisit & prefatas literas originales non vitiatas, non cancellatas, non abolitas, non abrasas, non corruptas, nec in aliqua ipsarum parte suspectas vidit, tenuit & diligenter inspexit, ac publice de verbo ad verbum in presentia & conspectu notariorum publicorum & testium subscriptorum, & quamplurium aliorum ibidem existentium perlegi fecit per me Johannem Clerici de Ghistella clericum Tornacensis diocecesis notarium publicum infrascriptum. Quarum quidem literarum tenor de verbo ad verbum inferius est insertus, precipiens dominus camerarius prefatus mihi Johanni Clerici notario supra & infra scripto, quatenus transumptum seu transcriptum de dictis originalibus literis in formam publicam extraherem & redigerem, & extractum & in forma publica redactum dicto Albrico in formam publicam restituerem, nota tamen ipsius transcripti vel transumpti penes me notarium supra & infrascriptum de verbo ad verbum retenta, necnon & magistris Guillelmo Geraldi de Tholosa, & Johanni Rogerii diocesis Montis-albani notariis publicis & scribis infrascriptis ibidem presentibus, & audientibus ac intelligentibus, quatenus facta collatione diligenti de transcripto seu transumpto hujusmodi ad originales literas supradictas una mecum Johanne Clerici notario memorato transcriptum sive transumptum cum dictis originalibus literis, & e converso ipsas originales literas cum presenti transcripto seu transumpto invenerint in omnibus & per omnia concordare, nihil addito, nihil remoto, quod sensum mutet, seu variet intellectum, in ipso transcripto sive transumpto se subscribant, & eorum signa consueta apponant, & ad majorem fidem & cautelam, & ad memoriam perpetuam omnium & singulorum in transumpto seu transcripto hujusmodi contentorum voluit prefatus dominus camerarius presens publicum transumptum seu transcriptum dicti camerariatus sigilli munimine roborari. Tenor literarum originalium, de quibus superius facta est mentio, sequitur sub hiis verbis.

Gregorius episcopus servorum Dei ven. fratri Raynerio Bethleemitice civitatis episcopo ejusque successoribus canonice substituendis in perpetuum. Sanctorum Patrum decernit auctoritas ecclesiarum & monasteriorum privilegia intemerata & inviolata omni tempore permanere. Quecumque enim Sedis apostolice privilegiis sunt ordinate disposita, sine aliqua refragatione perpetua debent stabilitate firmari, nec a quoquam in totum vel in partem convelli, vel aliqua occasione mutari. Sicut autem ex transcripto privilegii predecessoris nostri felicis memorie pape Innocentii predecessor noster sancte recordationis Lucius secundus cognovit predecessorum nostrorum Paschalis videlicet & Calixti bone memorie Romanorum pontificum . . . . . .
. . . .
pravorum hominum dolo & malicia erasa sunt & corrupta. Ne igitur tanta impie-

impietas Bethleemitice ecclesie in posterum dampnosa sit, eorumdem predecessorum nostrorum Innocentii & Lucii secundi, & bone memorie Lucii & Honorii tertii Romanorum pontificum vestigiis inherentes apostolica auctoritate statuimus, ut propter erasionem illam Bethleemitica ecclesia nullam sue justitie diminutionem vel detrimentum sustineat, sed eadem privilegia eamdem vim & idem robur, ac si erasa non essent, obtineant. Preterea quascumque possessiones, quecumque bona eadem ecclesia inpresentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu justis modis prestante Domino poterit adipisci, firma tibi & tuis successoribus & illibata permaneant, in quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis. Decimam Thecue, decimam de Scy..r & decimam Bethscuar, casale sancti Georgii, casale Bethenase, casale Bethelaam cum pertinentiis suis, casale Berbetham, casale Quercus, & jardinum Archas. In episcopatu Ramensi terram & hebir Belmekim & Oliban. In archiepiscopatu Cesariensi Belveir. In archiepiscopatu Nazaret Bedaica. In episcopatu Thabarie Hami ecclesiam sancti Martini de Tyro, ecclesiam sancte Marie de Gibeleto, ecclesiam sancte Marie de Monte peregrin. cum Calamon, & cum omnibus pertinentiis suis. Ecclesiam unam in Joppen. In Constantinopoli ecclesiam sancte Marie de Bethleem, que de Ytica nuncupatur, cum ecclesiis & omnibus pertinentiis suis; ecclesiam sancti Petri in Calo. civitate. In Messan. ecclesiam sancti Thome de Conturbery. In diocesi Messan. ecclesiam sancti Basilii in Melacio cum omnibus pertinentiis suis. In Capicio ecclesiam sancti Jacobi, ecclesiam unam in Nicosia. In Syracusana diocesi ecclesiam sancte Marie de Terran cum casale ejusdem & suis pertinentiis. In Meac ecclesiam sancte Marie. In Bussem. ecclesiam sancti Georgii. In Cathaniensi diocesi ecclesiam sancte Marie in Lambaccar cum pertinentiis suis. Hospitale inter Beneventum & Salernum in silva situm cum omnibus pertinentiis suis, hospitale juxta Fortas, ecclesiam sancte Marie in Trajecto. In episcopatu Theanensi ecclesiam sancte Marie. In episcopatu Hostiensi prope Nipham hospitale Marchionis. In Fortassi ecclesiam sancti Egidii. In episcopatu Viterbiensi ecclesiam sancti Pauli. In episcopatu Castrensi ecclesiam sancti Johannis in Bulgis. In Ansidonia unum hospitale. In episcopatu Urbevetano ecclesiam sancte Marie cum hospitali. In episcopatu Balneoregiensi ecclesiam sancti Benedicti de Piliano. In episcopatu Tudertino plebem sancti Andree de Podio. In episcopatu Eugubino ecclesiam sancti Herasmi cum hospitali. In episcopatu Tuscanen. ecclesiam sancti Johannis de Marana cum pertinentiis suis. In diocesi Pisana ecclesiam sancti Martini de Vectulis. In diocesi Senensi ecclesiam sancti Salvatoris, & ecclesiam sancte Marie cum hospitali & omnibus possessionibus suis, ecclesiam sanctorum Philippi & Jacobi cum hospitali, ecclesiam sancte Marie de Cormolo, ecclesiam sancte Marie de Agresto cum hospitali, & ecclesiam sancte Marie de Craticula cum omnibus possessionibus earumdem. In episcopatu Cesenati ecclesiam sancte Marie de Bethleem. In episcopatu Bononien. ecclesiam sancte Marie de Bethleem, & ecclesiam sancte Marie de Botri. Extra civitatem Paduanam ecclesiam sancte Marie de Via-nova cum hospitali, molendinis & omnibus possessionibus suis. In Trivisio ecclesiam sancte Marie de Bethleem cum molendinis, domibus, & omnibus pertinentiis suis. In episcopatu Ceneten. ecclesiam sancti Floriani & sancti Blaxii. In episcopatu... *sic.* nen. ecclesiam de Campo-longo. In episcopatu Vicentino ecclesiam sancti Michaelis de Valle Trepona. In civitate Veronensi unam ecclesiam. In diocesi Veronensi ecclesiam sancte Marie de Bethleem in monte sancti Johannis. In Mantua ecclesiam sancte Marie in Foro. In episcopatu Placentino hospitale cum oratorio nuper constructo. Extra civitatem Papie ecclesiam sancte Marie juxta pontem Tycini. In episcopatu Terdonensi ecclesiam, que vocatur Casa-Dei, & domum pontis Vomuleti, ecclesiam in Marinquo. In civitate Alexandrie unam ecclesiam. In episcopatu Aquensi ecclesiam in Bostamio, ecclesiam in Bellomonte. In episcopatu Vercellensi ecclesiam sancte Marie de Tervene, ecclesiam sancti Petri de Molisingo, ecclesiam sancte Anne de Palestrina, & ecclesiam sancti Laurentii de Bialco. Juxta civitatem Vercellensem ecclesiam sancte Marie. In episcopatu Astensi hospitale de Quartese. Juxta civitatem Astensem ecclesiam sancti Georgii, & ecclesiam sancti Pancratii. In episcopatu Aquensi ecclesiam de Pentema. In civitate Albensi ecclesiam sancte Marie de Ponte. In episcopatu Albensi ecclesiam sancti Pastoris, ecclesiam de Monismo & hospitale de Corena. In epi-

episcopatu Sagonensi ecclesiam sancti Ambrosii de Voragine. In episcopatu Taurinensi ecclesiam sancti Michaelis de Coll.. & ecclesiam in Ysasca. In episcopatu Ymporiensi ecclesiam de Fontana-Morena, & aliam apud Barbarin. Seylon situm in territorio Neapolitano cum omnibus pertinentiis suis; casale Bethleem cum omnibus pertinentiis suis; terram, quam tenent Jerosolymitani Burgenses sitam inter Bethleem & Jherusalem cum omnibus pertinentiis suis; casale in Galylea, quod Bedar dicitur, cum omnibus appendiciis suis; duo quoque casalia in confinio Vallis de Cursu, que Caphrapalos & Caxusum vulgariter appellantur, cum omnibus pertinentiis suis; domos & ortos, quos Jerosolymis habetis cum pertinentiis suis, unum hominem cum possessionibus suis; domum, quam habetis apud Acton, inter ecclesiam sancte Marie de Platea, & vetus palatium situm juxta Bethleem, Bethlezan & Artasium; possessiones & terras, & majus stagnum, unde antiquitus aqua in Bethleem solebat defluere cum omnibus pertinentiis & adjacentiis suis ab Anselmo de Parencela de assensu regio ecclesie vestre intuitu pietatis collata; duas carrucatas terre, quas Geroldus in territorio Phagor predicte ecclesie vestre donavit; terras quoque in territorio Bethamar, & unum villanum cum hereditate sua in casale Sayr ab Andrea de Templo vobis donata inter Bethleem & Jerusalem; casale, quod Cadichinos dicitur, cum pertinentiis suis, quod ex dono Piselli Vicecomitis & Gisle uxoris ejus habetis in territorio sancti Abrahe; casale Bethenasipli cum omnibus pertinentiis suis ex feudo Radulphi de Fontaneto; casale Bechfassam cum omnibus adjacentiis suis. In Cesarea Palestine domum unam, & in ejus territorio casale Belveir cum omnibus pertinentiis suis. In territorio Bamensi casale Thaeria cum omnibus pertinentiis suis. In casale sancte Marie octo carrucatas terre, casalia Bethmelchi, Heberre & Luban. In Joppe domos omnes & terras, quas ibidem habetis; juxta flumen Cleutherum duas carrucatas terre. In Caypha domum unam juxta portam, qua itur Ptolemaidam, & in territorio ejusdem duas carrucatas terre. In Tyberiade domum unam, & in ejus territorio casale Ann.. cum omnibus pertinentiis suis, cis & citra tamen, quod a mari Tedelee defluit, existentibus; casale Sembra ex dono Ulrici vicecomitis Neapolitani, & casale Capracule ex dono Bernardi Vaccarii; casale Ramadec cum limitationibus & omnibus adjacentiis suis. In Ascalona domum cum stationibus & appendiciis suis, & balneum eidem domui contiguum, jardinum quoque extra portam civitatis, que respicit ad Orientem, prope murum situm; terras ad plantandum; vineas, furnum, molendinum venales omnibus & conductitios; quatuor carrucatas terre ad sanctum Michaelem; casale Bethamam prope Ascalonam; juxta viam sancti Michaelis quinque carrucatas terre; vineam vero, que fuit Guillielmi Ruffi vicecomitis Ascalonitani, sitam & contiguam jardino Bethleem, quod est extra portam Ascalone ad sinistram. Item Zacharie & sancti Georgii casalia cum omnibus pertinentiis & integritatibus suis, cultis & incultis, quas ex dono Gonfredi de Turre habetis cum aliis omnibus ex feudo ipsius ex dono Hugonis domini de sancto Habraham; casale Bethaleam cum omnibus adjacentiis & pertinentiis suis; domos sane, quas in Neapoli optinetis, cum omnibus pertinentiis suis. In Tyro prope castellum unam domum. In diocesi Anthiochena casalia Carcasia, Baldadia, Gabamo, vineas de Norsinac. In Antiochia sex domos in vico Panticelli in parochia sancti Thome, & domus, que est juxta ecclesiam sancti Petri, & una domus, ubi fiunt calamite, & tres petie jardinorum, que sunt in parochia sancti Jacobi. Sane laborum vestrorum decimas, quas propriis manibus aut sumptibus colitis, de possessionibus habetis ante concilium generale, sive de nutrimentis vestrorum animalium nullus omnino clericus sive laycus a vobis exigere vel extorquere presumat. Commutationem vero inter ecclesiam Bethlehemiticam & Nazarenam super ecclesiam Acconensem rationabiliter factam confirmamus, & ratam manere censemus. Adjicimus quoque, ut omnes libertates & immunitates a predecessoribus nostris Romanis pontificibus ecclesie vestre concessas, necnon libertates & exemptiones secularium exactionum a regibus & principibus vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas auctoritate apostolica confirmamus, & presentis scripti privilegio communimus. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum fas sit prefatam Nativitatis Christi ecclesiam, vel ecclesias ad eum in quocumque episcopatu pertinentes temere perturbare, aut earum possessiones auferre vel ablatas retinere,, minuere, aut in eis indebitas exactiones facere, vel absque manifesta & rationabili causa divina officia interdicere, seu quibuslibet mole-

stiis

ſtiis fatigare, ſed omnia integra conſerventur eorum, pro quorum gubernatione ac ſuſtentatione conceſſa ſunt uſibus omnimodis profutura, ſalva in omnibus ſedis apoſtolice auctoritate. Si qua igitur in futurum eccleſiaſtica ſecularisſve perſona hanc noſtre conſtitutionis paginam ſciens contra eam temere venire temptaverit, ſecundo, tertiove commonita, niſi reatum ſuum congrua ſatisfactione correxerit, poteſtatis honoriſque ſui careat dignitate, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo corpore & ſanguine Dei & Domini redemptoris noſtri Jheſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtricte ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco ſua jura ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jheſu Chriſti, quatenus & hic fructum bone actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem premia eterne pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

Fac meum †	*Domine*
SCS	SCS
PETRUS	PAULUS
GREGO	RIUS
PP.	VIIII.

ſignum in bonum.



Ego Gregorius catholice eccleſie epiſcopus ss.

† Ego Pelagius Albanenſis epiſcopus ss.

† Ego Guido Preneſtinus epiſcopus ss.

† Ego Oliverius Sabinenſis epiſcopus ss.

† Ego Stephanus baſilice duodecim apoſtolorum presb. card. ss.

† Ego Thomas tt. ſancte Sabine presb. card. ss.

† Ego Oc.. ſanctorum Sergii & Bacchi diac. card. ss.

† Ego Raynerius ſancte Marie in Coſmydin diac. card. ss.

† Ego Stephanus ſancti Adriani diac. card. ss.

† Ego Petrus ſancti Georgii ad velum aureum diac. card. ss.

Datum Anagnie per manum magiſtri Sinibaldi ſancte Romane eccleſie vicecancellarii XII. kal. ſeptembris indictione XV. incarnationis Dominice anno M. CC. XXVII. pontificatus vero domini Gregorii pape IX. anno primo.

Volens itaque prefatus dominus camerarius, quod hujuſmodi ...... tranſumpto ex literis originalibus predictis extracto & eidem domino camerario ...... lecto per me notarium publicum ſupra & infraſcriptum, & per alios ſubſcriptos notarios, & ſcribas ſuperius nominatos diligenter cum dictis originalibus literis auſcultato, & de eiſdem ſumpto & extracto, quod idem dominus camerarius novit, & invenit totaliter cum ipſis originalibus literis concordare, nihil addito nihilque remoto, quod ſenſum variet, vel mutet intellectum, facta in ipſius domini camerarii collatione diligenter de preſenti tranſumpto cum literis originalibus predictis per me Johannem Clerici cum aliis notariis ſupra & infraſcriptis tanta fides exhibeatur in judicio & extra judicium, quanta dictis originalibus literis hic incorporatis & inſertis adhiberetur. In quibus omnibus & ſingulis ſupraſcriptis, tamquam rite & legitime actis prefatus dominus camerarius ſuam & dicte curie camere apoſtolice auctoritatem interpoſuit pariter & decretum, inſtante & requirente Albrico de Canonica ſupradicto, voluitque prefatus dominus camerarius & mandavit, prout ſuperius eſt expreſſum, preſens tranſumptum ſeu tranſcriptum ſigilli prefati camerariatus officii muniminе roborari in fidem & teſtimonium omnium premiſſorum, de quibus omnibus & ſingulis ſupradictis prefatus Albricus ſibi fieri petiit publicum inſtrumentum per me Johannem Clerici notarium ſupra & infra ſcriptum. Acta ſunt hec omnia univerſa & ſingula Avinioni, ut ſupra, in palatio apoſtolico in camera ipſius domini camerarii, preſentibus ven. & diſcreto viro domino Johanne de Cario juris utriuſque perito judice curie domini Mareſcalli domini noſtri pape & Romane curie ordinario, & Petro de Hottoti ſcutifero dicti domini camerarii, Guilielmo Juliani dioceſis Vinarienſis, Jacobo de Bertonis de Papia Romanam ſequentibus curiam teſtibus ad premiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis.

Et ego Guilielmus Geraldi clericus Tholoſanus publicus apoſtolica & imperiali auctoritate notarius preſentationi, exhibitioni, oſtenſioni, viſioni predictarum literarum apoſtolicarum, & copie ſeu tranſumpti petitioni, & decreti interpoſitioni ſupradictis preſens interfui una cum magiſtris Johanne Rogerii, & Johanne Clerici notariis publicis ſupra & infra ſcriptis mandato ipſius domini .... camerarii me ſubſcripſi, ſignoque meo conſueto ſignavi rogatus & requiſitus in fidem & teſtimonium omnium premiſſorum una cum appenſione ſigilli prefati domini camerarii.

Et ego Johannes Rogerii clericus Montis-albani diocesis publicus *&c.* notarius *&c. ut supra.*

Et ego Johannes Clerici de Ghistello clericus Tornacensis diocesis publicus *&c.* notarius *&c. ut supra.*

Ex funiculo serico flavi & rubei coloris pendet cereum sigillum, sed male habitum.

XII.

Testamentum Johannis quondam Sanpiroli, quo fundatur monasterium S. Mariæ de Pisauro sub ditione monasterii S. Mathiæ de Muriano.

Anno 1360. IV. octobris.

Ex autographo S. Mathiæ de Muriano.

IN Christi nomine amen. Vir providas & discretus ser Johannes quondam Sapiroli de castro Monvetularum comitatus Pensauri per gratiam Jesu Christi sanus mente & sensu, licet corpore languens, dispositionem omnium suorum bonorum per presens suum nuncupativum testamentum sine scriptis in hunc modum facere voluit & procuravit, in quo quidem suo testamento in primis reliquit, videlicet pro lumine & offertionibus ad suam sepulturam triginta-quinque libras denariorum V.. quam sepulturam sibi elegit apud locum fratrum Minorum de Pensauro. Et inter alia, que in dicto ejus testamento reliquit, disposuit & legavit, tale fecit relictum & legatum, seu relicta & legata hiis verbis expressa, videlicet. Item reliquit conventui loci heremitarum de Murano de Venetiis ordinis Camaldulensis terrenum suum situm in loco dicto Padule de civitate Pensauri juxta vias a duobus lateribus, rem Zunte Zutii & alios fines, si qui forent, cum domibus, que ibidem sunt, tali modo & conditione, quod de suis bonis fieri & construi debeat in dicto terreno quidam locus & ecclesia beate Virginis gloriose Marie, & hic locus & ecclesia sit sub protectione & dominio conventus dicti loci de Murano, & fiat locus & ecclesia secundum dispositionem fratrum illius loci cum domibus opportunis & necessariis ad minus pro octo fratribus, de quibus sint semper sex presbyteri bone vite & conversationis, & duo servientes, dummodo in constructione semper ratio videatur per fideicommissos suos infrascriptos. Item reliquit & legavit loco sic construendo, & fratribus ibi existentibus totum suum podere in curte castri Puth..y comitatus Pensaurensis cum terris cultis, silvis, pratis, pascuis & buschis, cannetis & rem..otis, excepta quadam petia terre laboratorie, que est prope castrum ipsum, & nunc eam laborat Ciccholinus Vidutoli de dicto castro, & unum par bovum, qui sunt nunc super dicto podere, & causa ejusdem poderis aratorium. Item reliquit & legavit eodem modo dicto loco & fratribus vineam suam sitam in curte civitatis Pensauri, & in parochia ecclesie sancte Marine, & in fundo dicto sancta Marina, juxta viam a duobus lateribus, rem domini Ranerii de castro Plebis, & rem . . . . cum canneto existente in dicta vinea, & cum alio canneto, quod est in curte Cospisani infra suos confines, ut ex fructibus ipsarum possessionum predicti octo fratres existentes in dicto loco habere possint victum & vestitum condecentem. Item aliam petiam terre vineate cum olivis curtis Pensauri, & fundi sancti Bartoli juxta viam, rem Apollinarini Baldutii, & alia sua latera. Et tales possessiones nunquam vendi possint vel alienari, aut alio titulo in alium transferri, scilicet perpetuo remaneant, ut dictum est. Item reliquit eidem conventui loci pro constructione dicti loci & ecclesie fiendis in dicto suo terreno mille libras denariorum de suis bonis, mandans predictum locum & ecclesiam fieri debere per conventum predictum a tempore mortis ipsius testatoris. Item reliquit eidem conventui pro dictis locis & ecclesia constituendis mille quartos Calave, quos sibi dare tenetur Johannes Terentii de Pensauro, dictus Reghia, dummodo dicatur eidem ante tempus per tres menses, de hoc debito constat manu Pisani Ging..li notarii. Item reliquit eidem loco construendo septem vegetes de suis, ut habeant, ubi vinum reponere possint. Item reliquit eidem loco centum paropsides, quinquaginta masoria, unum calderium, unum lebetem de metallo, quatuor capitones ferreos ad unguem, & duos somerios de suis. Quod si dictus locus & ecclesia non fierent, ut dictum est, & numerus predictorum fratrum, ut dictum est, non ibi continue staret, cessante impedimento legitimo, dictus locus cum omnibus predictis bonis ipso jure & facto deveniant in locum fratrum Carmelitarum de Venetiis, si proprium in communi

habere

habere possint, & si habere proprium non possint, deveniant in locum sancte Marie de Vincareto districtus castri Bretenorii diocesis Foripopiliensis, cum dictis conditionibus & modo & tempore scientie..... deveniat ipse locus cum omnibus suis juribus in locum sancte Marie a Misericordia de Senis plenissimo jure, hoc addito, quod si aliquis suorum nepotum infrascriptorum vellet aliquando sumere habitum illius religionis, & intrare & stare in dicto loco construendo, ut dictum est, teneatur conventus loci de Murano, & per consequens omnia loca succedentia in dictum jus, sicut supra dictum est, illum recipere, & eundem ponere pro presbytero vel serviente in dicto loco construendo, prout exegerit conditio ipsius nepotis sine aliqua solutione pecunie vel alterius rei, *&c. In fine vero dicti testamenti hoc continetur*. In omnibus autem aliis suis bonis mobilibus & immobilibus, juribus & actionibus, presentibus & futuris suum universalem heredem instituit ser Franciscum Zannis Coradini nepotem suum ex Guidutia sorore ipsius testatoris, jubens ipsum non debere recipere, vel detrahere aliquam Falcidiam vel Trebeleanicam de legatis, & relictis aliis quibuscumque per eumdem testatorem factis in hoc testamentó vel codicillis, si aliquos facere contingat eundem non.... que sunt vires sui patrimonii, & hanc suam ultimam voluntatem adseruit esse velle, quam valere voluit, & jussit jure testamenti nuncupativi, quod si jure testamenti nuncupativi non valeret, vel non valebit, valeat saltem jure codicillorum, vel cujuscumque alterius ultime voluntatis, prout de jure melius valere potest & tenere, cassans omne aliud testamentum seu ultimam voluntatem ab eo retroactis temporibus factum vel factam, quibus hoc suum presens testamentum prevalere voluit, & mandavit.

Lectum & publicatum fuit hoc testamentum integrum in domo ipsius testatoris, quam inhabitat in camera, ubi consueverat hospitare, & ubi nunc jacet infirmus, que domus est posita in civitate Pensauri in quarterio sancti Jacobi juxta viam publicam, rem heredum domini Ugolinotii, rem heredum Samperivi Sampiroli, domini Tristani & alios suos fines sub anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimo, tempore domini Innocentii pape sexti, tertia-decima indictione die quarto mense octobris, presentibus religioso viro fratre Peruntino de Pensauro ministro provinciali Marchie Anconitane, fratre Nicola de Cessapalumba guardiano loci sancti Petri de Pensauro, fratre Perino de Monte-pectorino, fratre Martino de valle sancti Anastasii, fratre Johanne de Monte-pectorino, fratre Nicolao de Tolentino, fratre Vagnarello de Monte-luppone, fratre Johanne de Arbe, fratre Andrea de Duratio, fratre Paulino de Monte-pectorino, fratre Antonio, & fratre Samperino de Pensauro testibus ad predicta vocatis, & a dicto testatoré rogatis.

Ego Fuscus Arcolani imperiali auctoritate notarius predictis omnibus presens una cum Johanne Fuscutii notario de predictis a predicto testatore rogatus ea scripsi & publicavi, & signum meum consuetum apposui.

XIII.

Philippus ep. Florentinus unit monasterium S. Francisci de Vicchio cum altero S. Agathæ de Florentia.

Anno 1362. XVII. februarii.

Ex originali tabularii Agathæ n. 5.

IN Christi nomine, amen. Anno ab ejus salutifera incarnatione millesimo trecentesimo sexagesimo secundo indictione prima die decimo-septimo mensis februarii. Actum Florentie in episcopali camera episcopalis palatii, presentibus ven. viris dominis Johanne de Albergottis de Arretio decretorum doctore, Leonardo de Chasulis vicariis infrascripti domini episcopi, domino Silvestro priore sancti Bartoli de Corso Florentino & aliis testibus ad hec adhibitis & rogatis. Pateat publice, quod reverendus in Christo pater & dominus dominus Phylippus Dei & apostolice sedis gratia episcopus Florentinus sane considerans, quod monasterium monialium sancti Francisci de Vichio de Mucello Florentine diocesis situatum est in loco multum remoto a Florentia, & in loco quodammodo silvestri & non multum tuto, nec apto ad honestatem monialium dicti monasterii & ipsarum animarum salutem, quodque in illo non est abbatissa, nec sunt in eo nisi due moniales dumtaxat, quarum neutra sufficiens est ad abbatissatum dicti monasterii, nec in concordia sunt de electione abbatisse dicti monasterii, quodque sepe occurrit propter guerras & hostium incursus & invasiones, quod expedit ipsis monialibus relinquere ipsum

mona-

monasterium, & aufugere, & vagari per villas & loca circumstantia, & conversationes secularium, volensque exinde saluti animarum dictarum monialium & dicti monasterii salubri statui providere, ex predictis & aliis justis & rationabilibus causis motus, attenta fama laudabili monasterii sancte Agathe de Florentia, & abbatisse & monialium dicti monasterii, in quo monasterio sancte Agathe ipse moniales monasterii de Vicchio poterunt longa mentis & corporis quiete Deo indefessis studiis famulari, omni via, jure, modo, forma &c. ipsum monasterium sancti Francisci de Vicchio, ejusque ecclesiam, domos, terras, vineas &c. incorporavit, atque univit, & subjecit &c. dicto monasterio sancte Agathe de Florentia, & ipsis monasterio, abbatisse, monialibus & conventui, ita quod deinceps in perpetuum dictum monasterium sancti Francisci, & ejus moniales cum universis bonis, juribus & pertinentiis suis predictis, & que sibi competunt actionibus, sint unum corpus cum dicto monasterio sancte Agathe &c. & sint & intelligantur monasterii sancte Agathe moniales ipse moniales monasterii sancti Francisci, & in ipso monasterio sancte Agathe stare & morari debeant toto tempore earum vite sub obedientia abbatisse dicti monasterii sancte Agathe, que nunc est, & que erit, & pro tempore de cetero gubernaverit. Concedens dicte abbatisse & monialibus & conventui dicti monasterii sancte Agathe licentiam & plenariam potestatem per se vel alios, quem & quos voluerint propria auctoritate adipiscendi, & de cetero perpetuo retinendi corporalem possessionem & quasi possessionem monasterii sancti Francisci, ejusque ecclesie, domorum, bonorum &c. & decernens in perpetuum deinceps ipsum monasterium sancte Agathe esse & debere esse caput dicti monasterii sancti Francisci, & ipsum monasterium sancti Francisci esse & debere esse membrum dicti monasterii sancte Agathe, & ad ejus mensam spectare, & per ipsius monasterii sancte Agathe abbatissam, ut prefertur, tamquam de corpore ipsius monasterii sancte Agathe gubernari.

Item dictis anno, indictione, die, loco, & presentibus & rogatis dictis testibus prefatus rev. in Christo pater & dominus dominus Phylippus episcopus Florentinus sane considerans, quod monasterium & moniales sancte Trinitatis de Florentia in tante inopie & paupertatis miseria constitute sunt, quod pro victu proprie vite querendo vagari coguntur extra dictum monasterium, & ad ipsas moniales in dicto monasterio patet aditus laicis portantibus ad ea laboreria manualia per eas fienda, ut ex hiis lucra percipiant pro earum alimonia & substentatione, ex quibus earum fame & religiose honestati detrahitur, quodque abbatissa dicti monasterii, nota est satis, apostatavit ab ipso monasterio, & per mundum vagando discurrit, timensque verisimiliter, ne moniales ipse necessitate proprii victus & substentationis compulse, & laicorum predictorum conversatione & sollicitatione adtracte vestigia dicte abbatisse sequantur, & propterea volens earum & dicti monasterii saluti & bono statui providere, attenta fama laudabili dicti monasterii sancte Agathe de Florentia, & ipsius monasterii abbatisse & monialium, advertensque, quod moniales ipse monasterii sancte Trinitatis in dicto monasterio sancte Agathe integraliter & sine impedimento aliquo Deo poterunt famulari, & quod in ipso monasterio necessaria suscipient alimenta, ex predictis & aliis necessariis rationabilibus causis motus omni via, jure &c. dictum monasterium sancte Trinitatis &c. incorporavit &c. dicto monasterio sancte Agathe de Florentia &c. *ut in superiori mox allato instrumento*.

Ego Jo. Baptista . . . quondam Cambini de Prato auctoritate imperiali ordinarius judex & not. &c. & domini episcopi scriba &c. scripsi, meoque signo consueto signavi.

XIV.

Abbas S. Hippolyti de Faventia eligit rectorem ecclesiæ S. Martini de Villa-nova.

Anno 1365. xxx. decembris.

Ex originali S. Romualdi de Urbe. XXII. 7.

IN Christi nomine, amen. Anno a nativitate ejusdem millesimo trecentesimo sexagesimo-quinto indictione III. tempore sanctissimi in Christo patris & domini nostri domini Urbani divina providentia pape quinti die xxx. mensis decembris. Vacante ecclesia sancti Martini de Villanova Faventine diocesis per acceptationem factam de altare sancti Donini constructo in ecclesia sancti Emiliani de Faventia per dompnum Guidonem de Sezata olim & immediatum rectorem ejusdem

dem ecclesie, per quam acceptationem ecclesie predicte renuntiavit, idcirco ven. vir domnus Girardus a Jatheo abbas monasterii sanctorum Laurentii & Hippolyti de Faventia ordinis Camaldulensis una cum infrascriptis monachis dicti monasterii &c. ad quos dictum abbatem, monasterium, capitulum & conventum tamquam ad patronos tam de jure, quam approbata consuetudine spectat jus eligendi, & presentandi rectorem in dicta ecclesia pro dimidia vocum; & Ugolinus filius quondam Matthei, Muzolus quondam Simonis, Binus quondam Paganutii, Mattheus Simonis & Mengus Guidotii omnes de schola Ronchi territorii Faventie parochiani dicte ecclesie, qui sunt ultra quam due partes parochianorum ecclesie antedicte, ad quos tamquam ad patronos & ad alios eorum comparochianos de jure, & antiqua & approbata consuetudine spectat jus eligendi, & presentandi rectorem in dicta ecclesia pro alia dimidia vocum. Congregati & coadunati dictus dominus abbas & dicti ejus monachi ex una parte, & dicti parochiani superius nominati ex altera in dicto capitulo ejusdem monasterii, ipsi dominus abbas & dicti ejus monachi pro se ipsis, & nomine & vice dicti monasterii pro dicta dimidia vocum ex dicto jure eis competenti & dicti parochiani superius nominati pro seipsis, & nomine & vice aliorum suorum comparochianorum absentium pro dimidia vocum, volentes eidem ecclesie de rectore idoneo solemniter providere, ne dicta ecclesia propter diutinam vacationem ipsius patiatur in spiritualibus & temporalibus detrimentum, ac considerantes honestatem & discretionem dompni Guidonis filii quondam Salinbene de plebe Sezate Faventine diocesis de legiptimo matrimonio nati, in sacerdotio constituti, etatis legitime, & scientie competentis, plena inter se deliberatione habita, ad honorem & reverentiam omnipotentis Dei & beate Marie semper virginis matris ejus, & beatorum Laurentii & Hippolyti martyrum & beati Martini, in cujus honorem dicta ecclesia est fundata, & Sanctorum omnium, necnon ad honorem & reverentiam sacri collegii canonicorum majoris ecclesie Faventine, ipsum dompnum Guidonem absentem in rectorem dicte ecclesie concorditer elegerunt, presentandum dicto collegio & capitulo dictorum canonicorum, & preposito ipsorum, vel ipsorum vicario, promittentes dictis nominibus dictam electionem firmam & ratam habere & tenere &c.

Acta fuerunt predicta in civitate Faventie in capitulo dicti monasterii, presentibus testibus Bartholo quondam Perucii de Lonzano, Rodolfino quondam Johannis de Prata & Nicolao Guidonis omnibus habitis Faventie in capitulo sancti Hippolyti ad hec vocatis & rogatis.

† Ego Bartholomeus quondam domini Andree de Casali civis Faventinus imperiali auctoritate notarius & judex ordinarius predictis omnibus & singulis presens fui, & rogatus a dictis electoribus scripsi & publicavi.

XV.

Petrus Venerius abbas Sanæ-vallis de Folina eligit Luisium monachum in rectorem S. Nicolai de Fonte.

Anno 1366. xxv. Martii.

Ex autographo monasterii Sanæ-vallis, n. 553.

† IN Christi nomine, amen. Anno nativitatis ejusdem millesimo trecentesimo sexagesimo sexto indictione quarta die vigesimo-quinto mensis martii in monasterio sancte Marie Sanevallis de Folina ordinis Cisterciensis in capitulo dicti monasterii, presentibus Gabriele filio ser Nicolai de Prata, Bonanno quondam Donati monerio de Clugia, Bartholomeo quondam ser Guati de Mareno, Nasenbene quondam Viani de Paganeto, Petro quondam Jacobi de Ricarda & aliis testibus vocatis & rogatis. Ibique congregato capitulo monasterii & conventus predicti, in quo quidem capitulo interfuerunt due partes & ultra monachorum ipsius monasterii, habito respectu ad tres partes, prout dixerunt & confessi fuerunt monachi dicti monasterii, videlicet rev. vir domnus frater Petrus Venero Dei & apostolice sedis gratia abbas monasterii sancte Marie de Folina predicti, frater Andreas prior ejusdem monasterii, frater Christoforus, frater Zaninus omnes monachi dicti monasterii, simul unanimiter & concorditer eorum nemine discrepante, de voluntate, licentia & expresso consensu supradicti domini abbatis, & ipse dominus abbas verbo, voluntate & expresso consensu dictorum monachorum, revocaverunt investituram alias dompno Francisco monacho & sindico dicti monasterii factam sub quondam Nordiglo olim abbate dicti monasterii de beneficio sine cura ecclesie & capelle sancti Nicolai

lai de Fonte diocesis Tarvisine, ad quem dominum abbatem & monachos ex antiqua & prescripta consuetudine institutio & destitutio predicti beneficii sine cura spectare pertinere noscitur pleno jure. Volens igitur, cupiens & intendens ipse domnus abbas & predicti monachi dicti monasterii simul cum eo in dicto capitulo congregati prefato beneficio sine cura ecclesie sive capelle sancti Nicolai predicti sic vacanti ob revocationem predictam de persona idonea & benemerita providere, ac personam in Christo dilecti religiosi fratris Luisii monachi ejusdem monasterii idoneam, condignam & benemeritam favore prosequi gratioso, prefatum beneficium sine cura dicte ecclesie sive capelle sancti Nicolai de Fonte cum omnibus & singulis juribus spiritualibus & temporalibus, ac redditibus & proventibus eidem beneficio sine cura spectantibus & pertinentibus quoquomodo, ut premittitur, sic vacanti, eidem fratri Luisio coram ipso domino abbate flexis genibus constituto recipienti & humiliter acceptanti, idem dominus abbas verbo, voluntate & expresso consensu suorum monachorum presentium, volentium, & consentientium benigne & graciose contulit atque dedit, & eidem fratri Luisio de prefato beneficio sine cura graciose providit, ac eundem fratrem Luisium cum uno privilegio cardinalitio, quod idem dominus abbas habebat in manu, de ipso beneficio sine cura cum omnibus suis juribus spiritualibus & temporalibus antedictis presentialiter & actualiter investivit.

Ego Christoforus, qui dicor Thofolus, de Cisono Vallis-mareni publicus imperiali auctoritate notarius his omnibus interfui, & rogatus ea scribere scripsi & in publicam formam redegi.

XVI.

Sententia circa castrum Vicarelli de jure monasterii S. Gregorii de Urbe.

Anno 1367. XVI. julii.

Ex codice antiquo membranaceo ejusdem monasterii. pag. 249.

IN nomine Domini amen. Nos Nicolaus de Stabia judex palatinus & camere Urbis cognoscentes de causa, lite & questione vertente, & que versa est coram nobis inter magistrum Johannem de Gallexio notarium procuratorem camere Urbis, Ciecchum Luce de Rogeriis camerarium dicte camere, Ciecchum Rosarium notarium dicte camere, Sylvestrum de Mutis, & Paulum de Tartaris syndicum Urbis pro ipsa camera actores ex una parte, & abbatem, monachos, capitulum & conventum venerabilis monasterii sanctorum Andree apostoli & Gregorii de Urbe, & religiosum virum fratrem Oddonem de castro Monaxellorum monachum dicti monasterii syndicum, yconomum, procuratorem & personam legitimam dictorum abbatis, monachorum, capituli & conventus dicti monasterii, syndicario, yconomario & procuratorio nomine, quo supra, & monasterii prelibati, cujus monasterii infrascriptum castrum Vicarelli est, reos ex parte altera, pretextu & occasione imposite salis, focatici, jurium, mensurarum, sequimentorum, grasciarie & aliorum jurium petitorum pro parte dicte camere communi, & hominibus castri Vicarelli dicti monasterii, occasione mandati facti communi & hominibus dicti castri super predictis, a quo quidem mandato nomine dicti monasterii comparuit coram nobis dictus frater Oddonus syndicus & procurator predictus asserens dictum castrum fuisse & esse inhabitatum, dirutum & deguastatum, & ad solutionem predictorum non teneri. In qua quidem causa processimus ad dationem termini octo dierum ad probandum utrique parti de juribus ipsorum. Unde viso per nos dicto termino dictis partibus dato ad probandum, visis capitulis productis pro parte dicti monasterii, visis testibus productis, juratis, & examinatis supra dictis capitulis, visis citationibus factis in dicta causa, viso toto processu in dicta causa facto, visis & auditis juribus partium predictarum, & ea, que coram nobis per sese & earum advocatos & procuratores dicere, proponere & allegare voluerunt, habita nobiscum super his plena & matura deliberatione, & consilio quamplurium sapientum, & specialiter totius assertamenti presentium dominorum septem reformatorum reipublice Romanorum Senatus officium exercentium ad beneplacitum domini nostri pape, per ea, que vidimus, & cognovimus, nunc videmus & cognoscimus, Christi nomine invocato, in his scriptis pronuntiamus, decernimus & declaramus dictum castrum Vicarelli fuisse & esse reductum ad casale, & ipsum tamquam inhabitatum, destructum & deguastatum ad casale reductum esse, & ad solutionem imposite salis, focatici, jurium, mensurarum, se-

quimentorum, grasciarie & aliorum jurium, pronuntiamus in his scriptis ulterius non teneri, ipsumque a dictis impositis absolvimus, & sententialiter reddimus absolutum, pro eo quod constat nobis per idoneos testes dictum castrum Vicarelli propter societates & brigas fuisse & esse inhabitatum, distructum & dirutum, & dicte camere, dictisque officialibus dicte camere dictis occasionibus perpetuum silentium imponentes, ac etiam mandantes officialibus dicte camere dictum castrum Vicarelli de libris & requisitis dicte camere cancellari & deleri in totum. Lata, data & pronuntiata fuit dicta sententia per dictum dominum Nicolaum judicem supradictum sedentem ad banchum in palatio Capitolii pro tribunali ad jura reddenda, ut moris est, sub anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimo septimo pontificatus domni Urbani pape quinti indictione quinta mensis julii die sextodecimo, tempore nobilium virorum Ciecchi de Corciano, Ciecchi Jannecte & collegarum ipsorum septem reformatorum reipublice Romanorum Senatus officium exercentium ad beneplacitum domini nostri pape, presente & cum instantia petente dicto fratre Oddone monacho syndico & procuratore dictorum abbatis, monachorum, capituli & conventus dicti monasterii, & absentibus dictis officialibus dicte camere, quorum absentia Dei presentia repleatur. Ad quam sententiam, & omnia & singula videnda & audienda legitime citati fuerunt per Barnabeum mandatarium curie mihi infrascripto notario referentem, & presentibus his testibus, scilicet Johanne de Gangiano, Jano Nicolai Oddonis, & Nutio Thome Secce notario.

Scripta per me Jacobum Mascii notarium palatinum & actorum camere Urbis, & dicte cause mandato, conscientia & voluntate domini Nicolai judicis supradicti.

XVII.

Licentia concessa episcopo Parentino incidendi nemus pro reparatione ecclesiæ S. Michaelis de Lemmo.

Anno 1370. 11. januarii.

Ex tabulario S. Mathiæ de Muriano in lib. H. pag. 7.

IN Christi nomine, amen. Hoc est exemplum scripture, que reperitur in quodam quinterno actuum scriptorum, sive que scripta dicuntur manu ser Michaelis de la Mirandula tempore regiminis egregii & potentis viri domini Fantini Mauroceno olim honorandi capitanei Paisinatici sancti Laurentii, & ejusdem loci potestatis millesimo trecentesimo septuagesimo indictione octava die secundo mensis januarii. Congregato consilio communis & hominum sancti Laurentii in ecclesia sancti Martini de mandato egregii & potentis viri domini Fantini Mauroceni honorandi capitanei Paisinatici sancti Laurentii, & ibidem potestatis, sono campane & voce preconis more solito, in quo quidem consilio interfuit idem capitaneus cum suis judicibus ser Naru de Bononia, Pertuccio Gavisso, ac infrascriptis bonis hominibus de consilio sancti Laurentii, videlicet: ser Petro Sorbini, Petro ser Eppi, Francisco Calamita, Almerico de Congaro, Nicola de Antignano, Colundio Eliseo, Candosio Clemente de Taulo Cliva, & Andrea quondam ser Masoli, exposita & porrecta oretenus petitione una per rev. in Christo patrem & dominum dominum fratrem Gilibertum Georgium de Venetiis episcopum Parentinum, cujus quidem petitionis tenor per omnia talis. Coram vobis domino capitaneo vestroque consilio supplico ego frater Gilibertus episcopus Parentinus, quod cum nemus seu territorium sancti Michaelis de Lemo sit sub mea custodia atque cura; & ecclesia quotidie vadat in ruinam, concedatur mihi de gratia speciali, quod vos domine capitanee & vestrum consilium, quod incidere possim, & incidi facere ligna dicti territorii ad reparationem & sustentationem loci & ecclesie sancti Michaelis predicti, & de vestro mandato fiant termini, & concerni inter territorium seu nemus sancti Michaelis predicti, & territorium seu nemus sancti Laurentii, & hoc persupplico concedi mihi de gratia speciali tempore vite mee, me tantum existente episcopo Parentino, qua petitione audita & intellecta per dominum capitaneum suosque judices & alios de consilio, captum & firmatum fuit per omnes in dicto consilio existentes nemine discrepante, quod ad honorem Dei & ad reparationem ecclesie predicte sancti Michaelis fiat sibi gratia secundum petitionem porrectam per ipsum dominum episcopum, & sic factum & firmatum est per omnes nemine discrepante de gratia speciali per totum tempus vite dicti domini episcopi, dum tamen sit episcopus Parentinus.

Ego

Ego Laurentius de Gambarana de Terdona quondam domini Francisci imperiali auctoritate publicus notarius & judex ordinarius, atque prefati domini capitanei & communis antedicti cancellarius *&c.* fideliter exemplavi *&c.* currente anno nativitatis Domini M. CCC. LXXIII. indictione XI. die XXIX. mensis decembris, pro quorum testimonio signum meum apposui consuetum.

XVIII.

Rector ecclesiæ S. Severini de Utriculo subjectæ monasterio S. Gregorii de Urbe locat quædam bona ejusdem ecclesiæ.

Anno 1370. XXIV. martii.

Ex codice ejusdem monasterii S. Gregorii pag. 201.

IN nomine Domini amen. Anno nativitatis ejusdem millesimo trecentesimo septuagesimo pontificatus domini Urbani pape quinti indictione VIII. mensis martii die vigesimoquarto, in presentia mei notarii & testium subscriptorum ad hec specialiter vocatorum & rogatorum. Venerabilis vir dominus Johannes Petri Berte de Urbe clericus ac rector ecclesie sancti Severini de pertinentiis terre Utriculi monasterii sancti Gregorii de dicta Urbe immediate subjecte, sponte nomine dicte ecclesie & pro ea locavit, & locationis titulo dedit, cessit & concessit Nargisello Cecconi de Narnia presenti, recipienti pro se suisque heredibus & successoribus, id est omnes & singulos fructus, redditus & proventus ad ipsum dominum Johannem clericum seu rectorem predictum ecclesie supradicte spectantes & pertinentes de consuetudine vel de jure, de omnibus & singulis terris, domibus & possessionibus, arboribus fructiferis & infructiferis, silvis, stirpariis, pratis & pratarinis ipsius ecclesie sancti Severini, & ad ipsum dominum Johannem spectantibus & pertinentibus pleno jure, ad accipiendum, recipiendum, petendum & exigendum a quibuscumque personis & hominibus singularibus, & de eis quietandum, componendum, refutandum & quicquid ei & suis heredibus & successoribus placuerit faciendum pro novem annis proxime futuris incipiendo & finiendo, ut sequitur: in quibus novem annis veniant & venire debeant novem recollecte; & ex tunc dedit quoque & concessit idem dominus Johannes dicto Nargisello presenti & recipienti titulo locationis predicte plenam licentiam & liberam potestatem omnes & singulas terras, domos, sylvas & possessiones, quascumque arbores fructiferas & infructiferas locandum, laborandum & laborari faciendum per se vel alium seu alios pro dicto tempore novem annorum, prout & sicut eidem Nargisello, suisque heredibus & successoribus placuerit, & voluerint secundum tenores & pacta infrascripta. Hanc autem locationem, cessionem & concessionem, & que dicta sunt & infra dicentur, fecit dictus dominus Johannes, quo supra nomine, eidem Nargisello presenti & recipienti, ut dictum est, pro eo quod idem Nargisellus promisit, & per sollemnem stipulationem convenit prefato domino Johanni presenti & recipienti pro se ipso, & vice & nomine dicte ecclesie sancti Severini omni anno singulis dictorum novem annorum in festivitate nativitatis Domini nostri Jesu Christi proxime venture dare, reddere & respondere pro affictu & redditu, sive censu dictorum fructuum & reddituum, sive terrarum & possessionum quatuor congitellas boni & puri olei in Urbe in domum habitationis ipsius domini Johannis positas ad mensuram Romanam. Promisit insuper dictus Nargisellus, quo supra nomine, dicto domino Johanni presenti & recipienti, ut dictum est, dictam locationem & jura dicte locationis nulli potenti persone, ecclesie, nec pio loco vendere, donare, pignorare, nec aliquem contractum facere, sine consensu dicti domini Johannis: que omnia & singula supradicta prefatus dominus Johannes pro se ipso & nomine, quo supra, promisit eidem Nargisello supradictam locationem *&c.* non revocare *&c.* Actum Rome presentibus his testibus, videlicet dompno Nicolao rectore ecclesie sancte Marie in Via, dompno Ceco rectore ecclesie sancte Lucie de Columpna, & Johanne de Missore de regione Columpne.

Ego Sanctolus Petri Berte civis Romanus publicus auctoritate notarius, quia predictis omnibus & singulis interfui, ideo ea rogatus scribere scripsi, publicavi, signumque meum apposui consuetum.

XIX.

XIX.

Urbanus V. confirmat aliquot monasteria subjecta priori S. Mathiæ de Muriano.

Anno 1370. III. nonas junii.

Ex exemplo S. Blasii de Fabriano.

URbanus episcopus servus servorum Dei dilectis filiis.. priori & conventui monasterii sancti Mathie de Muriano per priorem soliti gubernari Camaldulensis ordinis Torcellane diocesis salutem & apostolicam benedictionem. Vestre devotionis & sinceritatis affectus, quem ad nos & Romanam geritis ecclesiam, promerentur, ut petitiones vestras, illas presertim, que statum & honorem monasterii, quam etiam eis alias pia fidelium largitione collatis sancti Johannis baptiste de Zudecha, & sancti Joannisbaptiste de Bagnavavallo Castellane, & Faventine diocesis, & sancti Johannisbaptiste Clugiensis, sancte Marie Pensauriensis, & sanctorum Mathie & Catharine Forolíviensis prioratus dicti ordinis canonice fundaverunt & construxerunt. Quodque postmodum dicti prioratus continue tamquam membra suo capiti ipsi vestro monasterio subjecti extiterunt, prout adhuc existunt, & per ipsius monasterii monachos gubernantur, & quod prior ejusdem vestri monasterii, qui fuit pro tempore, in eisdem prioratibus a tempore hujusmodi fundationis & constructionis consuevit deputare priores, ipsosque ad nutum revocare pro sue libito voluntatis, vosque prioratus eosdem veluti a predicto vestro monasterio dependentes tenuistis & possedistis, prout adhuc tenetis & possidetis pacifice & quiete. Quare pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut eosdem prioratus vobis confirmare de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati prioratus predictos & superioritatem, quam in ipsis, ut premittitur, obtinetis, vobis & per vos eidem monasterio vestro ad majus robur juris vestri ex certa scientia confirmamus, & presentis scripti patrocinio communimus tenore presentium; nihilominus statuentes, ut nulli liceat aliquem de prioratibus ipsis a subjectione dicti vestri monasterii aliquatenus eximere, seu etiam liberare, vel in eorum aliquo contra predictam consuetudinem quemquam deputare vel preficere in priorem, ac decernentes ex nunc irritum & inane, si secus super premissis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli ergo &c. Si quis &c. Datum apud Montem-flasconem III. nonas junii pontificatus nostri anno VIII.

G. Morus Nu.

XX.

Urbanus V. vetat mulieribus, ne ingrediantur silvam circa eremum Camaldulensem.

Anno 1370. VI. id. augusti.

Ex archivo abbatiæ Balneensis lib. A. pag. 139.

URbanus episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Regularem vitam eligentibus, ut stabiliter ipsorum in sancta religione propositum perseveret, precludendum est opportune cautele studio concupiscentie cujuslibet incentivum. Cum itaque, sicut accepimus, heremus Camaldulensis Aretine diocesis, que caput ordinis Camaldulensis existit, & in qua gratiarum auctore opus suum misericorditer & jugiter prosperante hactenus exemplariter viguit vis & observantia regularis, quedam magnarum abjetum silva sit quasi murali vallo per ambitum circumsepta. Nos prioris & conventus heremi congregationem ejusque singulares personas, quas precipua in Domino affectione complectimur, a sathane astutiis, qui se in lucis transfiguratur Angelum, pie intentionis viros per mulierum versutias consuevit artibus impugnare, volentes paterne diligentia cure tueri, universis & singulis mulieribus cujuscumque conditionis, status, ordinis, seu dignitatis extiterint, sub excommunicationis pena, quam transgredientes incurrere volumus ipso facto, statuendo districtius inhibemus, ne ipse vel earum alique silvam ingredi audeant memoratam. Non obstante si eis vel earum aliquibus communiter vel divisim ab apostolica sede sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, per literas apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi, ac eorum ordinibus, locis & nominibus propriis mentionem, & qualibet alia dicte sedis indulgentia gene-

generali vel speciali cujuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam statuti ac inhibitionis nostrorum hujusmodi effectus valeat quomodolibet impediri, & de qua cujusque tenore habenda esset in hujusmodi nostris literis mentio specialis. Nulli ergo omnino hominum &c. Datum apud Montem-flasconem VI. idus augusti pontificatus nostri anno VIII.

Ego frater Benedictus de Planeto Galeate humilis Dei & apostolice sedis gratia abbas Balnei copiavi suprascriptam bullam ex propria bulla prefati pape Urbani quinti cum sigillo plumbeo & aliis, ut convenit hujusmodi indultibus papalibus, presentibus rev. patre in Christo domno Alexio de Civitate-castelli majore heremi prefate, & domno Angelo de castro sancti Johannis Vallis-arni ibidem heremita anno Domini M. CCCC. LXXXIII. die XVIII. martii.

XXI.

Fundatio monasterii S. Mariæ de Angelis prope Bononiam.

Anno 1370. v. septembris.

Ex originali S. Mathiæ de Muriano.

HOc est quoddam transumptum seu exemplum quarumdam scripturarum & instrumentorum, & cujusdam bulle apostolice, sumptum & exemplatum per me presbyterum Antonium quondam Georgii de Modoetia notarium & officiatorem in ecclesia sancti Severi de Venetiis Castellane dyocesis, & inferius descriptum, scriptum & exemplatum ex originalibus scriptis, quarum scripturarum & instrumentorum & primi instrumenti tenor talis est.

In Christi nomine, amen. Ejusdem nativitatis anno millesf. CCC. LXX. indictione VIII. die v. mensis septembris pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri domini Urbani divina providentia pape quinti, Johannes, cui dicitur Nannes quondam Cichi de Armis civis Bononiensis de capella sancti Donati ob reverentiam omnipotentis Dei & beate virginis Marie, & beati Mathie apostoli, & totius curie celestis, & pro suorum remedio peccatorum, & ad salutem, & pro salute sue anime, necnon animarum parentum & mortuorum suorum, & ex singulari devotione, quam ipse Johannes gerit & habet ad monasterium sancti Mathie de Murano prope Venetias ordinis Camaldulensis, & fratres dicti monasterii, sperans ab ipsis fratribus, & per eos in suis Missis & orationibus ac divinis officiis, que per eos continue in eorum ecclesia celebrantur, & que in futurum in infrascripto loco & oratorio sive ecclesia continue celebrabuntur, & fient per fratres ibidem deputandos, speciales recommendationes suscipere, & ex suis meritis & devotis intercessionibus suorum facilius consequi veniam peccatorum. Constitutus personaliter in presentia sapientis & discreti viri domini Thome Matthei de Firmo jurisperiti judicis disco & officio Aquile deputati nobilis militis domini Pauli de Stafulo honorabilis potestatis civitatis Bononie pro sancta Romana ecclesia, pro tribunali sedentis in palatio veteri juridico communis Bononiensis ad suum solitum discum Aquile, infrascriptis omnibus & singulis suam & communis Bononiensis, & sancte Romane ecclesie auctoritates & decretum interponentis & prestantis, significavit & insinuavit eidem domino judici, se esse intentionis & propositi faciendi infrascriptam donationem priori fratrum capituli & conventus dicti monasterii sancti Mathie de Murano ordinis Camaldulensis, & fratribus capitulo & conventui dicti monasterii sancti Mathie, legibus tamen, conditionibus, & modis infrascriptis, & quod interveniente scriptura & personis publicis ad hoc adhibitis ipsam donationem & ejus effectum adimplere intendit. Quocirca dictus Johannes sponte, & ex certa scientia, animo deliberato & nullo errore ductus per se & suos heredes jure proprio & in perpetuum, pure, mere, libere, simpliciter, inrevocabiliter & inter vivos dedit, obtulit, tradidit & donavit legibus tamen conditionibus seu modis infrascriptis venerabili viro domino fratri Mercuriali priori dicti monasterii sancti Mathie de Murano ordinis Camaldulensis ibidem presenti & recipienti suo nomine, & nomine ipsius monasterii, & fratrum, capituli & conventus ejusdem monasterii, & pro ipso monasterio, a quibus etiam asseruit se ad infrascripta recipienda eorum nominibus habere solemne & sufficiens mandatum ex infrascripto facto Murani Torcellane dyocesis in presenti millesimo & indictione die.......manu Angeli condam Luce de Eugubio clerici Tarvisani notarii, & animo & intensione ipsi monasterio, & ipsi priori, fratribus, capitulo & conventui querendi dominium, proprie-

prietatem & possessionem infrascriptarum rerum ; videlicet : In primis unam petiam terre broylive & ortive cum domibus balchionatis pro parte, & pro parte planis, & cum quadam logia & quodam oratorio in figura ecclesie, licet locus ille omnino sit profanus, positam in capella sancti Mamii extra portam sancti Mamii civitatis Bononien. juxta stratam publicam sancti Mamii , juxta possessionem fratrum sancti Michaelis de Busco , sive Montis-oliveti prope Bononiam , & juxta infrascriptam petiam terre, in qua petia terre includuntur & incluse sunt due partes & octo tabule unius tornature terre juxta dictos fratres de Buscho sive Montis-oliveti , de quibus & pro quibus duabus partibus & octo tabulis terre inclusis in dicta petia terre annuatim solvuntur dicto monasterio , fratribus , capitulo & conventui sancti Michaelis de Buscho sive Montis-oliveti triginta solidi Bononienses , & salvo semper jure dictorum fratrum & monasterii. Item unam petiam terre buschive , ortive , & laborative & vineate, super qua sunt plura edificia domorum de cupis, que sunt conductorum ipsius petie terre, & salvo jure conductorum dicte petie terre , & cum quodam puteo posito in dicta petia terre , que petia terre cum superstantibus posita est in dicta capella sancti Mamii extra dictam portam sancti Mamii juxta suprascriptam petiam terre a duobus lateribus juxta possessionem dictorum fratrum sancti Michaelis de Buscho sive Montis-oliveti juxta Apposam desubtus a latere posteriori, & juxta viam publicam a latere anteriori , vel alios veriores confines, hiis tamen legibus & conditionibus sive modis, videlicet , quod ipse dominus prior & fratres, capitulum & conventus dicti monasterii sancti Mathye de Murano non possint perpetuo dictas res vel aliquas earum vendere, vel alienare, vel obligare , seu in alium transferre , possint tamen & etiam teneantur ipsas res tradere & assignare fratribus , capitulo & conventui deputandis per eos , ut inferius continetur , in loco & oratorio seu ecclesia predicta pro habitatione, victu & substentatione ipsorum fratrum , quos pro tempore ibidem assignari, & deputari seu transmitti contigerit. Qui dominus prior ac fratres, capitulum & conventus sancti Mathye de Murano, qui pro tempore fuerint in ipso monasterio , teneantur & debeant ibidem in loco , & oratorio seu ecclesia predictis , cum locus ille & oratorium seu ecclesia fuerint consecrata, deputare , & deputatum tenere , & assignare unum collegium sive conventum fratrum dicti ordinis Camaldulensis, in quo collegio & conventu sint & esse debeant ad minus quatuor fratres continue dicti ordinis , ibidem continue residentiam facientes , ex quibus duo ad minus sint & esse debeant in sacerdotio constituti . Qui fratres ibidem deputandi & assignandi , ut dictum est , teneantur & debeant Missas & divina officia horis debitis & congruis celebrare, & animas ipsius Johannis ac parentum & mortuorum suorum continue commendatas habere , & suscipere in eorum Missis & orationibus ac divinis officiis celebrandis per eos , & de & pro predictis omnibus peragendis, observandis, & adimplendis cujuscumque prioris & fratrum dicti conventus , qui pro tempore fuerint , tam in dicto monasterio sancti Mathye , quam in loco , oratorio seu ecclesia predictis , animas & conscientias aggravavit, & eorum cujuslibet conscientie dumtaxat reliquit , de eorum legalitate & bonitate confixus. Voluit etiam dictus Johannes, quod locus predictus & oratorium predictum seu ecclesia , etiam cum consecrata fuerit, sit & esse intelligatur manualis dicti monasterii sancti Mathye de Murano , & prioris ejusdem loci . Et ad alium locum , monasterium vel ecclesiam prohibuit ipse Johannes dictum locum , & oratorium seu ecclesiam posse quomodolibet deputari , assignari seu transferri, maxime cum velit ipse Johannes, & sue intentionis existat dictum locum, & oratorium seu ecclesiam , cum consecrata fuerit , ac etiam priorem & fratres , qui ibidem pro tempore deputabuntur, esse perpetuo sub cura , gubernatione, visitatione, correptione & obedientia dicti monasterii sancti Mathye de Muriano, & prioris ac fratrum, qui pro tempore fuerint in ipso monasterio & ecclesia sancti Mathye. Ita quod prior dicti monasterii sancti Mathye , qui nunc est , vel qui pro tempore fuerit, habeat & habere debeat liberam institutionem , & destitutionem prioris, & fratrum, qui proponentur in loco, oratorio seu ecclesia predictis, & quod pro libito voluntatis ipsius prioris sancti Mathye possit priorem & fratres, qui debebunt ibidem permanere in loco, oratorio seu ecclesia predictis ponere & removere, & ad claustrum ipsius monasterii revocare , si & quoties visum fuerit expedire absque contradictione alicujus ipsorum, sicut in aliis manualibus monasteriis seu ecclesiis observare

vare

vare & fieri poteſt de jure. Quam eccleſiam nuncupari & nominari voluit, prout etiam ad preſens nuncupatur oratorium prediƈtum, videlicet eccleſia ſanƈte Marie de Angelis. Propterea etiam voluit ipſe Johannes, ſi contingat caſus, quod Deus avertat, quod prior & fratres diƈti monaſterii ſanƈti Mathye de Murano vellent totaliter derelinquere diƈtum locum ſeu eccleſiam eiſdem per diƈtum Johannem donatam & donatum, & ibidem vel in civitate, vel comitatu Bononienſi nollent habere conventum, vel locum aliquem, ubi prior & fratres aliqui diƈti ordinis morentur, & divina officia celebrentur; tunc & eo caſu voluit, quod diƈta donatio ſit & eſſe intelligatur totaliter revocata, & eo caſu tantum diƈtus Johannes diƈtas res donatas ſibi & ſuis heredibus integre reſervavit; ita quod in caſu prediƈto tantum ipſe Johannes & ejus heredes poſſint & valeant de loco & rebus prediƈtis diſponere & ordinare, prout equum & juſtum eis viſum fuerit expedire, & eo caſu quelibet aquiſita & obventa prediƈtis loco, oratorio ſeu eccleſie, tam ex donationibus faƈtis per diƈtum Johannem, quam ex alia quacumque cauſa libere remaneant prediƈtis loco & oratorio, & illa omnia relaxare teneantur, ubi & prout ipſe Johannes diſponet in ſua ultima voluntate ſeu alio quovis modo. Et ſic legibus & conditionibus prediƈtis voluit ipſe Johannes prediƈtas res donatas perpetuo eſſe ſubieƈtas ad habendum, tenendum, poſſidendum, &c. Et inſuper ex cauſa hujus donationis & aliis ſupraſcriptis & infraſcriptis prediƈtus Johannes ſalvis tamen legibus, conditionibus, modis & prohibitionibus ſupradiƈtis per ſe & ſuos heredes cum auƈtoritate & decreto diƈti judicis dedit, ceſſit, tranſtulit & mandavit prediƈto domino fratri Mercuriali pro ſe & vice & nomine diƈti monaſterii ſanƈti Mathye recipienti omnia jura & aƈtiones, &c. que & quas diƈtus Johannes habet, habere poteſt & poſſet, & ſibi ſpeƈtant & competunt, ſive competere reperirentur & poſſent in diƈtis rebus donatis & qualibet earum contra & adverſus dominam Franciſcham filiam & univerſalem heredem quondam nobilis militis domini Mathei quondam domini Zere olim domini Romei de Pepolis de Bononia, & Thomam filium Federici Oƈtaviani de Ubaldinis habitatorem civitatis Bononie in capella ſanƈti Mamii & utrumque ipſorum in ſolidum & eorum heredes, & bona & bonorum ipſorum & utriuſque eorum in ſolidum, detemptores & poſſeſſores nomine & occaſione promiſſionis & obligationis faƈte per diƈtam dominam Franciſcham de ſupradiƈtis rebus & bonis donatis diƈto Johanni pro pretio in ſumma noningentorum oƈtuaginta quatuor Florenorum auri & dimidium alterius de Florentia. Et etiam nomine & occaſione promiſſionis & obligationis faƈte per diƈtam dominam Franciſcham ſuo & hereditario nomine prediƈti quondam domini Mathei, & ejus precibus & mandatis & inſtantia Thomam de Ubaldinis prediƈtum & utrumque ipſorum in ſolidum diƈto Johanni de Armis ſtipulanti ad defenſionem & ſuper defenſione, tuitione & emptione diƈtarum rerum fienda ab omni perſona, communi, collegio & univerſitate, & in penis, promiſſionibus, & obligationibus & aliis contentis & compoſitis in inſtrumento de prediƈtis & ſuper prediƈtis confeƈto faƈto die tertio preſentis menſis ſeptembris manu Johannis Angelini notarii infraſcripti. Quas res &c.

Aƈtum in Bononia in palatio veteri juridico communis Bononie ad diſcum Aquile, preſentibus Bartholo quondam Thome de Plaſtellis, Vſeppo quondam Catelani de Plaſtellis not. ad memorial. communis Bononie, Arpinello quondam Nicolai de Folca notario, Bonaventura filio Johannis Bona... vis ſpatario de capella ſanƈte Marie Magdalene, Bodore quondam Nicolai Cannelvarii not. Floriano quondam Petri de Vilola cartolario, dompno Dominico reƈtore eccleſie ſanƈti Laurentii de Guarinis de Bononia, qui dixerunt ſe cognoſcere contrahentes prediƈtos, Vandino quondam Gilini de Pizolis de Scanelo not. Johanne quondam Bonaventure de Curgelinis notario, & Tordino quondam Albergiti de Papazonibus, & pluribus aliis teſtibus ad prediƈta vocatis & rogatis. Qui Johannes donator ibidem & incontinenti, & preſentibus ſupraſcriptis teſtibus, & ab ipſis cognitis ſupradiƈtis Johanne & Floriano, & in preſentia diƈti judicis ſupraſcriptis omnibus & ſingulis ſuam & communis Bononie & ſanƈte Romane eccleſie auƈtoritatem & decretum interponentis & preſtantis fecit, conſtituit & ordinavit Florianum quondam Petri de Vilola cartolarium teſtem ſupradiƈtum preſentem & volentem ſuum verum & legitimum procuratorem, aƈtorem &c. ad inducendum procuratorio nomine pro eo diƈtum dominum fratrem Mercurialem priorem &c. ſuo nomine & ſindicario nomine diƈtorum fratrum &c. re-

&c. recipientem in tenutam & corporalem poſſeſſionem ſupraſcriptarum petiarum terre, domuum, & oratorii & aliorum ſupereſtantium & eidem domino priori dicto nomine recipienti & in ſuis manibus dandum & tradendum hoſtia & vectes hoſtiorum dictorum domuum & oratorii, & de terra, vitibus & ramis arborum dictarum petiarum terre & in eis eſtantibus in ſignum poſſeſſionis hujuſmodi, & ipſum dominum priorem dicto nomine dimittendum & relaxandum in dictis petiis terre, domibus & oratorio, & qualibet earum, per ipſum Johannem eidem domino priori ſuperius traditis & donatis. Et generaliter ad omnia & ſingula faciendum, que in predictis fuerint neceſſaria & opportuna, & que eidem procuratori in predictis viſum fuerit expedire, promittens dictus Johannes dicto domino priori *&c.* & nobis notariis infraſcriptis, ut perſonis publicis ſtipulantibus, & recipientibus vice & nomine dicti domini prioris *&c.* ſe perpetuo firma & rata habiturum quicquid per dictum ſuum procuratorem in predictis factum, geſtum & procuratum fuerit ſub ypotheca & obligatione omnium ſuorum bonorum preſentium & futurorum.

Ego Jacobus quondam Curſii Vicentii publicus Imperiali auctoritate notarius Bononie predictis omnibus interfui, & ad predicta petitus, adhibitus & rogatus cum Johanne Angelini olim Alberti Angelelli notarii predicta ſcribere publicavi, ſcripſi, ſubſcripſi.

Et ego Johannes Angelini olim Alberti Angelelli publicus Imperiali & communis Bononie auctoritate notarius *&c.* me ſubſcripſi.

XXII.

Marcus epiſcopus Camerinenſis concedit licentiam permutandi quaſdam terras monaſterii Valle-caſtrenſis.

Anno 1370. IV. novembris.

Ex autographo S. Blaſii de Fabriano.

IN Dei nomine, amen. Anno Domini M. CCC. LXX. indictione VIII. tempore donni Urbani pape quinti die IV. menſis novembris. Actum Camerini ante capellam domus Camerinenſis epiſcopatus, preſentibus domno Nicolao magiſtri Philippi de Saxo-ferrato, domno fratre Andrea abbate ſancti Laurentii, dompno Heuſtachio Paulutii de ſancto Severino, magiſtro Mattheo Thodinutii & Henrigho Contis de Camerino teſtibus una mecum rogatis teſtibus ad hec vocatis & rogatis. Pateat omnibus evidenter, quod conſtitutus coram reverendo in Chriſto patre & domino domno fratre Marcho Dei & apoſtolice ſedis gratia Camerinenſi epiſcopo religioſus vir frater Angelus Boncambii de Camerino ſyndicus & procurator honeſti & religioſi viri fratris Corradi abbatis monaſterii ſancti Romualdi Vallis-caſtri diſtrictus terre Fabriani Camerinenſis dioceſis & religioſorum virorum monachorum, capituli & conventus dicti monaſterii ſyndicario & procuratorio nomine eorum expoſuit coram eo, quod cum ipſe frater Angelus, quo ſupra nomine, pro cuomodo & utilitate dicti monaſterii intendat & velit jure permutationis & cambii dare, tradere & concedere nobili viro Bartholomeo Smidutii de Sancto-ſeverino unam petiam terre laborative dicti monaſterii poſitam in territorio caſtri Piri provincie Marchie Anconitane in contrata caſtri Ficani, que terra vocatur ager Martignoni juxta dictum Bartholomeum a duobus lateribus, viam communis ad aliud latus & alia latera, & recipere a dicto Bartholomeo dicto jure permutationis & cambii terras dicti Bartholomei infraſcriptas, videlicet terram poſitam in territorio caſtri Piri laborativam in contrata Umbriani juxta Vannutium Marcutii, ſer Romanum Benencaſe notarium de Fabriano, viam communis & alia latera, item terram campeſtrem & vineatam *&c.* Qui quidem domnus Camerinenſis epiſcopus auctoritate ordinaria eidem ſyndico, quo ſupra nomine, terram dicti monaſterii ſecundum latera dicto Bartholomeo jure permutationis & cambii dandi, tradendi, & concedendi, & recipiendi ab eo jure predicto terras dicti Bartholomei ſecundum latera cum rogatione notarii, & omnibus & ſingulis promiſſionibus penarum obligationibus & cautelis contractui permutationis & cambii conſuetis, neceſſariis & opportunis ad ſenſum ſapientis dicti Bartholomei licentiam, auctoritatem & poteſtatem plenariam concedere dignaretur. Qui quidem domnus Camerinenſis epiſcopus audita petitione & expoſitione predictis, comperto etiam a religioſis viris abbate monaſterii ſancti Laurentii de Sancto-ſeverino, priore monaſterii Suavicini montis, & a rectore eccleſie ſancti Salvatoris de Piro Camerinenſis dioceſis, quibus idem dominus

Came-

Camerinensis episcopus commisit, ut perquirerent & viderent, utrum permutatio terre dicti monasterii cum terris dicti Bartholomei faceret ad commodum & utilitatem dicti monasterii, eo quod terre dicti Bartholomei essent majoris fructus & etiam magis adjacentes dicto monasterio, quam terra dicti monasterii secundum latera. Idcirco idem domnus Camerinensis episcopus eidem syndico, quo supra nomine, presenti & recipienti terram dicti monasterii supra contentam & latera jure permutationis & cambii nomine dicti monasterii terras dicti Bartholomei supra contentas & latera cum rogatione notarii, & omnibus & singulis promissionibus, penarum obligationibus & cautelis contractui permutationis & cambii consuetis, necessariis & opportunis ad sensum sapientis dicti Bartholomei recipientis auctoritate ordinaria licentiam, auctoritatem & potestatem plenariam contulit atque dedit omni modo, via, jure & causa, quibus melius potuit, mandavitque mihi ejus notario infrascripto, ut de predictis presens conficerem publicum instrumentum.

Et ego Nutius domni Jacobi de Camerino publicus imperiali auctoritate notarius & officialis dicti domini Camerinensis episcopi & sue curie predictis omnibus rogatus interfui, scripsi & de mandato dicti domini Camerinensis episcopi subscripsi & publicavi.

XXIII.

Charta ejusdem permutationis.

Anno 1370. XII. novembris.

Ex autographo præfati monasterii.

IN nomine Domini, amen. Anno Domini M. CCC. LXX. indictione VIII. tempore domni Urbani pape V. die XXIII. mensis novembris. Actum in monasterio sancti Romualdi Vallis-castri districtus terre Fabriani Camerinensis diocesis in capitulo sive sacristia ipsius monasterii posita in dicto monasterio juxta ecclesiam sancti Romualdi & res ipsius monasterii &c. frater Angelus Boncambii de Camerino monachus sindicus & procurator domni abbatis, monachorum &c. Vallis-castri &c. consentientibus domno fratre Corrado abbate dicti monasterii &c. titulo permutationis & cambii dedit &c. nobili viro Bartholomeo Smidutii de sancto Severino ibidem presenti recipienti &c. pro se suisque heredibus & posteris successoribus unam possessionem campestrem & arboratam ipsius monasterii, que vocatur agrum Mantignoni positam in districtu castri Piri & fundo Ficani juxta ipsum Bartholomeum, vias & alia latera ad habendum, tenendum &c. & hoc pro eo quod versa vice dictus Bartholomeus ibidem presentialiter constitutus &c. dedit, cessit &c. dicto fratri Angelo sindico &c. unam petiam terre positam in districtu castri Piri in fundo Umbriani &c. Item unam aliam petiam terre &c. positam in contrata Bordoni in dicto districtu &c. Item unam aliam petiam terre positam in dicto territorio & districtu in fundo Plani murorum &c. ad habendum, tenendum &c.

Ego Romaldus ser Stephani de Piro &c. notarius &c. scripsi & publicavi &c.

XXIV.

Licentia concedendi in emphyteosim bona ecclesiæ S. Michaelis de Quadrigaria viris nobilibus de Rovelone.

Anno 1372. XXVII. maji.

Ex autographo S. Blasii de Fabriano.

IN nomine Domini. Anno a nativitate Domini Millesi. CCC. LXXII. indictione X. tempore sanctissimi in Christo patris & domini domini Gregorii divina providentia pape XI. die XXVII. mense maji. Constare dicitur publicis instrumentis, quod jamdudum rev. pater domnus Fridianus prior generalis heremi & totius ordinis Camaldulensis una cum heremitis capituli dicte heremi, videlicet dompno Orlando sacrista, dompno Petro de Castilione, dompno Petro Lucensi, dompno Johanne de Curteregia heremitis reclusis, & dompno Johanne de Civitate-castelli, dompno Guidone de Cortona, dompno Petro de Bononia, dompno Johanne de sancto Justo, & dompno Antonio de Vergareto heremitis apertis dicte heremi, & ipsi omnes heremite, qui faciebant & representabant totum capitulum &c. dederunt &c. nobili viro Gentili de Rovelone recipienti pro se & suis heredibus & descendentibus in perpetuum jure dominii & proprietatis sub spe sequentis permutationis & cambii totum territorium pertinens ad dictam heremum pleno jure, super quo est quedam ecclesia sub titulo

titulo sancti Michaelis cum aliis domibus & pertinentiis dicti territorii & ecclesie site in loco dicto vulgariter Quadrigaria intra sua confinia cum hominibus, qui habitant intra se & ad habendum, tenendum, possidendum, & omnia sua commoda faciendum. Et hoc ideo fecerunt, quia supradictus Gentilis in cambium & permutationem predictarum rerum sibi datarum, ut supra dicitur, dedit, tradidit & concessit supradicto domino priori, & supradictis heremitis recipientibus pro dicta heremo jure proprio, & in perpetuum quasdam suas possessiones bonas, & fertiles ac utiliores eidem heremo, sitas in districtu castri Accole Esine diocesis ad habendum, tenendum *&c.* Constat etiam per evidentiam facti, quod dicte possessiones recepte dudum a supradicto Gentile pro dicta heremo, sunt per alios occupate, ita & taliter, quod per presentes priorem & heremitas recuperari non possunt, & nobiles viri Florenus Coradutii & Tomassucius ejus nepos de Rovellono descensi ex dicto Gentile, qui possident presentialiter supradictum territorium & ecclesiam sancti Michaelis de Quatrigaria pro suarum animarum salute dispositi sint ad restituendum, dimittendum & relaxandum libere predictam ecclesiam sancti Michaelis cum medietate possessionum dicti territorii, dummodo alia medietas eisdem remaneat jure emfiteotico, & tali titulo concedatur eisdem a rectore constituendo in dicta ecclesia: idcirco rev. pater domnus Johannes prior generalis dicte heremi & ordinis supradicti una cum ven. viris domno Anthonio abbate monasterii sancte Marie de Vangaticia, domno Justo abbate monasterii sancti Justi de Vulterris, domno Mercuriale priore monasterii sancti Mattie de Murano, domno Francisco priore monasterii sancte Trinitatis de Perusio, domno Romualdo Majore heremi & domno Johanne heremita dicte heremi definitoribus generalis capituli totius dicti ordinis Camaldulensis presentialiter congregati in monasterio sancti Michaelis de Pisis ejusdem ordinis habentibus plenam & liberam potestatem *&c.* commiserunt & mandaverunt ven. viro domno Tomasio abbati monasterii sancte Elene ejusdem ordinis Camerinensis diocesis, quatenus instituere debeat aliquem monachum dicti ordinis vice & auctoritate ipsorum dominorum prioris Camaldulensis & definitorum in rectorem & administratorem dicte ecclesie sancti Michaelis & omnium ejusdem jurium & bonorum, & quod dicto rectori auctoritate predicta det & concedat plenam, licitam & liberam potestatem locandi, concedendi jure enfiteotico ad censum infrascriptum annualiter persolvendum medietatem integram omnium supradictarum possessionum & bonorum dicte ecclesie sancti Michaelis sive dicte Camaldulensis eremi facta ex eis congrua & equali divisione supradictis nobilibus viris Floreno & Tomassuccio recipientibus pro se & suis heredibus descendentibus in perpetuum usque in tertiam generationem ad renovandum finita linea aliis descensariis ex eis pro annuo censu duorum solidorum usualis monete, solvendo omni anno a dicto Floreno & Tomassuccio & descendentibus ab eisdem in festo sancti Michaelis de mense septembri apud dictam ecclesiam sancti Michaelis ejusdem rectori *&c.* quod tempore renovationis ille vel illi descensuri *&c.* solvent *&c.* libras viginti usualis monete, quam quidem concessionem *&c.*

Actum Pisis in capitulo monasterii sancti Michaelis de Pisis, presentibus ven. & religiosis viris dompno Girardo abbate monasterii sancti Hyppoliti de Faventia, dompno Petro priore monasterii sancte Marie de Poplena, & dompno Johanne de Fabriano monacho Camaldulensi testibus ad hec vocatis, habitis & rogatis.

Ego Leonardus olim Francisci de Castilione Aretino publicus imperiali auctoritate notarius atque judex ordinarius predictis omnibus presens fui rogatus, scripsi & publicavi, signumque meum apposui consuetum.

XXV.

Charta concessionis ipsius emphyteosis.

Anno 1372. XXII. junii.

Ex autographo ejusdem archivi.

IN Dei nomine, amen. Anno Domini millesimo CCC. LXXII. indictione x. tempore domini Gregorii pape XI. die XXI. mensis junii. Actum in burgo Vallis communis Serre sancti Quirici in ecclesia sancte Marie, presentibus Andrea Maze de Serra sancti Quirici, Johagnono Marcutii de Fuxiano districtus Rocche-contrate, & Johanne Venture de Saltaria ad hec vocatis testibus & rogatis. Cum hoc sit, quod dudum rev. pater domnus Fridianus prior generalis heremi

remi

remi & totius ordinis Camaldulensis una cum heremitis capituli dicte heremi reclusis ibidem nominatis, & aliis heremitis apertis dicte heremi singulariter specificatis & nominatis, & ipsi omnes una cum dicto domino priore, qui faciebant & representabant totum dictum capitulum ipsius heremi, unanimiter & concorditer dederit, tradiderit & concesserit nobili viro Gentili de Rovellono recipienti pro se & suis heredibus & descendentibus ab eisdem, in perpetuum jure dominii & proprietatis sub spe sequentis permutationis & cambii totum territorium pertinens ad dictam heremum pleno jure, super quo est quedam ecclesia sub titulo sancti Michaelis cum aliis domibus & pertinentiis dicti territorii & ecclesie predicte siti in loco, vulgariter Quatrigarie dicto, infra sua confinia & latera cum omnibus, que habent infra se, ad habendum, tenendum, & possidendum, & omnia commoda faciendum, ut in dicta datione, traditione & concessione latius continetur. Et hoc fecerint ideo, quia & ex converso dictus Gentilis in cambium & permutationem predictarum rerum sibi datarum, ut supra continetur, dedit, tradidit & concessit, & supradicto domino priori & supradictis heremitis recipientibus pro dicta heremo jure proprio & in perpetuum quasdam suas possessiones bonas & fertiles eidem heremo sitas in districtu castri Accole Exine diocesis ad habendum, tenendum &c. post quam predicti contrahentes, ut dixerunt apparere per evidentiam facti, quod dicte possessiones recepte a supradicto Gentile pro dicta heremo sunt per alios occupate, ita & taliter quod dicti prior & heremite habere & recipere non possunt. Et quod nobiles viri Florinus Corraducii, & Tomassucius ejus nepos de Rovellono descendentes ex dicto Gentile presentialiter supradictum territorium & ecclesiam sancti Michaelis de Quatrigaria pro suarum animarum salute dispositi sint ad restituendum, dimittendum & rellaxandum libere predictam ecclesiam sancti Michaelis cum medietate possessionum dicti territorii eidem heremo, dummodo alia medietas eisdem remaneat jure emphiteotico, & tali titulo concedatur eisdem a rectore constituendo in dicta ecclesia: idcirco rev. pater dompnus Johannes prior generalis dicte heremi & ordinis supradicti successor dicti domni Fridiani &c. una cum ven. viris dompno Anthonio abbate monasterii sancte Marie de Vangaticia, dompno Justo abbate monasterii sancti Justi de Vulterris, dompno Mercuriale priore monasterii sancti Mattie de Murano, dompno Francisco priore monasterii sancte Trinitatis de Perusio, dompno Romaldo majore heremi, dompno Johanne de Heremita dicte heremi diffinitoribus generalis capituli totius dicti ordinis Camaldulensis unanimiter congregatis mandato dicti domni Johannis generalis prioris in monasterio sancti Michaelis de Pisis ejusdem ordinis &c. unanimiter &c. mandaverunt ven. viro dompno Tomassio abbati monasterii sancte Elene ejusdem Camaldulensis ordinis Camberenensis diocesis, ut instituere deberet aliquem competentem monachum dicti ordinis vice & auctoritate ipsorum dominorum prioris Camaldulensis & definitorum in rectorem & administratorem dicte ecclesie sancti Michaelis, & omnium jurium & bonorum, & quod dicto rectori ipsius ecclesie auctoritate predicta det & concedat plenam licentiam & liberam potestatem locandi & concedendi jure emphitheotico ad censum infrascriptum annualiter persolvendum medietatem integram omnium supradictarum possessionum & bonorum dicte ecclesie sancti Michaelis &c. facta ex eis congrua & equali divisione supradictis nobilibus viris Florino & Thomassuccio recipientibus pro se & suis heredibus & descendentibus ab eisdem in perpetuum usque in eorum tertiam generationem finitam ad renovandum &c. pro annuo accensu duorum solidorum usualis monete &c. & ex causa renovationis dicte locationis &c. solvant libras xxv. &c. Post que facta per ipsum domnum Thomasium abbatem dicti monasterii sancte Elene deputationem, electionem &c. de dompno Christofano de Noceria monacho dicti monasterii sancte Elene. Et demum facta congrua & equa divisione dictorum bonorum per dimidium una cum dicto domno Thomasio abbate &c. & cum dicto dompno Christofano rectore &c. ex una parte, & dictis Florino & Thomassucio ex parte altera, de qua divisione medietas dictorum bonorum de voluntate dictarum partium dicto jure emphiteotico obvenit dictis Florino & Thomassucio versus montem, & versus castrum Castellecte districtus Fabriani; alia vero dimidia obvenit dicto dompno Christofano rectori dicte ecclesie nomine ipsius ecclesie, & pro ea recipienti versus dictam ecclesiam sancti Michaelis, & flumen incipiens a flumine Exino per medietatem conarum de Conzuntolis, & per conam

Busii,

Busii, & tendens per vallonem Gualtregarie versus planum Gualtregarie, & exiens & tendens per viam, qua itur ad fomitem Gualtregarie, & tendens per rivum fontis, qua itur ad flumen Exinum, & juxta conam olim Matthei, quam possidet dictus Florinus, & tendens per vallem Pecorinam, & per viam plani Gualdregarie, & per viam veterem, qua itur ad Sassumtalliatum usque ad flumen Exinum. Idcirco dictus domnus Christofanus rector &c. concessit in emfitheosim &c. dictis Florino & Thomassucio &c. usque in ipsorum tertiam generationem finitam dictum territorium &c. ad habendum &c.

Et ego Floranus Franzoni de Serra sancti Quirici imperiali auctoritate notarius constitutus, ut supra legitur, predictis omnibus interfui, & rogatus scribere scripsi & publicavi.

XXVI.

Philippus de Offida abbas S. Gregorii de Urbe locat castra Mazzani, & Castri-veteris.

Anno 1373. II. januarii.

Ex codice ejusdem monasterii. pag. 196.

IN nomine Domini, amen. Anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo tertio pontificatus domni Gregorii pape undecimi indictione XI. mensis januarii die secundo, in presentia mei notarii & testium subscriptorum ad hec specialiter vocatorum & rogatorum. Reverendus pater & dominus domnus Philippus de Offida Dei gratia humilis abbas monasterii sanctorum Andree & Gregorii de Urbe, vice & nomine dicti monasterii, & pro eo & ad ipsius monasterii commodum & utilitatem sponte locavit, & titulo locationis dedit, & accabellum concessit, ac dedit domino presbytero Luce de monte sancte Marie in lapide de provincia Marche presenti, accipienti & legitime stipulanti, idest omnes & singulos fructus, proventus, introitus, redditus & . . . . . quos ipse domnus abbas habet, & ad eum spectant & pertinent pleno jure nunc, vel in futurum spectare & competere possent ad mensam ipsius domni abbatis, prout hactenus tempore retroacto ipse domnus abbas vel alter pro eo consuevit percipere & habere, videlicet de castro Mazzani & extra dictum castrum Mazzani. Item fructus proventus, & . . . . us eodem modo tenimenti castri Veteris & ville, & certarum terrarum & sylvarum, vinearum, quas habet ipse domnus abbas in tenimento Mazzani, ac domos & gryptas existentes etiam in dicto castro Mazzani, reservatis eidem domno abbati omnibus gallinis, quas habere debet omni anno in dicto castro Mazzani. Item eodem modo locavit & concessit idem abbas eidem presbytero Luce, forma qua supra, sanctam Fortunatam cum suo tenimento existentem in tenimento Sutrii cum molendino, terris, ortis, domibus, vineis, silvis, & rebus & fructibus aliis quibuscumque, quocumque modo, jure vel causa ad ipsum domnum abbatem spectantibus & pertinentibus, cum omnibus & singulis introitibus & exitibus, & adjacentiis & pertinentiis universis, hoc ordinato, & firmato & reservato de communi partium voluntate, quod omne obsequium, & unaqueque collecta debita episcopo Sutrino, vel aliis officialibus ecclesie Romane ratione dicte ecclesie, vel si de novo quocumque modo collecta aliqua imponeretur, quod idem presbyter Lucas ad omnia teneatur, & ipse domnus abbas ad aliquid non teneatur, quia sic actum & conventum extitit inter eos pro tribus annis proxime futuris, incipiendo in kalendis mensis januarii, & finiendo ut sequitur, ad habendum, tenendum &c. Hanc autem locationem & concessionem in agabellum fecit idem domnus abbas eidem presbytero Luce presenti & recipienti & legitime stipulanti, pro eo quod idem domnus presbyter Lucas promisit, & per sollempnem stipulationem convenit eidem dicto abbati presenti & recipienti omni anno dictorum trium annorum dare, reddere & respondere pro dictis terris & omnibus supradictis sexaginta florenos boni & puri auri, recti ponderis, videlicet triginta florenos auri in festo sancte Marie, videlicet assumptionis domine nostre virginis Marie de augusto proxime venturo, & triginta alios florenos auri in festo nativitatis Domini nostri Jesu Christi proxime sequenti, & sic eodem modo aliis duobus annis futuris. Et idem domnus abbas constituit & ordinavit suum verum & legitimum procuratorem, actorem, factorem, defensorem & nuntium specialem ipsum presbyterum Lucam presentem & acceptantem ad agendum, petendum & defendendum, & de calumpnia jurandum, & veritatem dicendum, & libellum dandum &c. Et promisit idem domnus abbas

bas eidem presbytero Luce dictam locationem & agabellum toto dicto tempore non reaccipere , & ipse presbyter Lucas promisit eidem domno abbati ipsam locationem & agabellum non renuntiare aliquo quesito colore, sed predicta omnia promiserunt in vicissim rata & firma habere, & contra non facere vel venire &c. Actum in palatio & monasterio predictis, presentibus his testibus, videlicet fratre Dominico monacho dicti monasterii, Antonio Stefanecti de Casacorbula, Berto domine Philippe de Prato , & Ceccarello Frederici olim de Pedeluco , & nunc de regione sancti Marci de Urbe, ad hec specialiter vocatis & rogatis.

Ego Angelus ser Jacobi scriniarius de Urbe &c. notarius &c. subscripsi rogatus.

XXVII.

Licentia evocandi testes circa quoddam privilegium monasterii de Gualdo.

Anno 1374. VIII. junii.

[*Ex archivo S. Blasii de Fabriano.*

IN nomine Domini amen . Anno domini a nativitate ejusdem millesimo trecentesimo septuagesimo-quarto indictione XII. tempore pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri domini Gregorii divina providentia pape XI. anno quarto die octava mensis junii Gualdi Nucerine diocesis in palatio communis Gualdi predicti posito juxta plateam dicti communis, dominum Nicolam Petri, & Magistrum Franciscum Egidii de Gualdo predicto , presentibus fratre Bartholomeo Macinule monaco monasterii sancti Benedicti de Gualdo predicto , & Tomaso Donati Angeli de dicto loco testibus ad hec habitis, vocatis & rogatis. Universis & singulis pateat evidenter , quod litere infrascripti tenoris fuerunt presentate vener. viro dompno Nicole plebano plebis Taini de Gualdo Nucerine diocesis, & nobili viro domino Maxio de Cingulo potestati terre Gualdi predicti per Nicolaum Cuitii de Perusio nuntium juratum egregii decretorum professoris domini Andree de Amelia generalis auditoris &c. quarum quidem tenor talis est.

Andreas de Amelia juris canonici professor prior majoris ecclesie Ameliensis generalis auditor in spiritualibus rev. in Christo patris domini domini G.. Dei gratia abbatis Majoris-monasterii Turonensis, alme Urbis, Patrimonii beati Petri in Thuscia , Spoletani ducatus, Campanie, Maritimeque provinciarum ac civitatis Perusine & quarumdam aliarum civitatum & terrarum in partibus Ytalie consistentium vicarii generalis, ven. & religioso viro dompno Nicole plebano plebis Taini de Gualdo & nobili viro domino Maxio potestati terre Gualdi predicte salutem. Missa fuit nobis quedam commissio ex parte prefati domini presentis tenoris, & continentie subsequentis, videlicet: R. P. V. Supplicatur humiliter pro parte fratris Alexandri Baldetti de Gualdo, quod cum dictus frater Alexander habeat necesse quosdam testes clericos & laicos, qui sunt in terra Gualdi, facere examinari super facto cujusdam privilegii, & dicti testes sint senes, & non possint huc accedere , quatenus dignemini mandare uni ex auditoribus vestris, quod mandet potestati terre Gualdi & plebano plebis Tayni , quod dictos testes ad predicta recipiant & examinent omni difficultate postposita, & quod dictus dominus auditor mandet dictis testibus examinandis, quod super hiis , super quibus fuerint examinati , veritati testimonium debeant perhibere. Committimus domino Andree de Amelia. Cumque post predictam commissionem nobis factam fuerimus pro parte dicti fratris Alexandri instantissime requisiti , ut dignaremur eidem in premissis de opportuno remedio providere, nosque volentes dicti domini parere mandatis , & dicto supplicanti justitiam ministrare , idcirco tenore presentium vobis & utrique vestrum committimus, & mandamus, quatenus infrascriptos testes inductos pro parte dicti fratris Alexandri super quodam privilegio ad juramenta & dicta fideliter recipere debeatis, eosque censura ecclesiastica compellendo. Scientes , quia quod rite feceritis in predictis, faciemus Deo duce inviolabiliter observari. Insuper harum serie sub pena excommunicationis, quam ex nunc incurrere volumus ipso facto, mandamus infrascriptis testibus, quatenus in predictis & circa predicta vobis & utrique vestrum omni difficultate postposita pareant & intendant, & veritati testimonium perhibeant super examinatione dicti privilegii ad perpetuam rei memoriam; alias &c. In quorum testimonium nostras litteras nostro solito sigillo munitas vobis duximus presentandas per Nicolaum Cuitii de Perusio nostrum nuntium in hac parte juratum, relationi cujus dabimus plenam fidem . Datum Perusii M. CCC. LXXIIII. die VI. junii anno quarto XII. indictione.

Frater

Frater Nicolaus Ritii)
Dominus Bertolus Petri) de Gualdo
Dominus Joh. olim Angeli) testes ad
Frater Lellus Andrutii &) predicta
Frater Bortolomeus Mantie)

inducti & recipiendi. In pede vero dictarum literarum scriptum erat Antonius de Monte Fortino notarius subscripsit. A tergo vero dictarum literarum sigillatum erat cum quodam sigillo cere rubee dicti domini Andree, in quo scultum erat quodam scutum cum certis verbis, que videri non poterant propter impressionem cere, & circum circa sculte videbantur certe littere, que pro majori parte propter dicte cere impressionem legi non poterant.

Qui plebanus & potestas cum reverentia, qua decuit, dictas literas receperunt, mandantes mihi notario infrascripto, ut de predictis publicum conficerem instrumentum. Et statim post predicta volentes exequi dictas literas, presentibus dictis testibus elegerunt me Nicolaum notarium infrascriptum in eorum notarium, & in eorum nuntium Angelutium Petri publicum bayulum communis Gualdi predicti.

XXVIII.

Benigna abbatissa S. Annæ de Bononia restituit quamdam pecuniæ summam.

Anno 1378. IX. novembris.

Ex tabulario S. Christinæ de Bononia. I. 24.

IN Christi nomine, amen. Anno nativitatis ejusdem millesimo trecentesimo septuagesimo octavo indictione prima die nono mensis novembris tempore pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri domini Urbani divina providentia pape sexti. Domina Johanna quondam Ubertini de Spinelis de Mutina &c. accepit a ven. domina domna Benigna quondam Useffi de Taybano abbatissa monialium & sororum monasterii sancte Anne de Bononia ordinis Camaldulensis dante &c. sexaginta libras Bonen. &c. pro restitutione &c. dicte quantitatis &c. in presentia ven. patris domni fratris Gerardi abbatis monasterii sancti Ypoliti de Faventia dicti ordinis earum prelati, & patris abbatis monasterii predicti sancte Anne consentientis &c. quibus omnibus & singulis peractis prefatus domnus Gerardus pater abbas suam & dicti sui ordinis auctoritatem & decretum interposuit & prestavit.

Actum Bononie in ecclesia predicta seu monasterio sancte Anne, presentibus domno Laurentio Adoardi de Florentia monacho Camaldulensi, fratre Paulo Lazari monacho monasterii dicti ordinis, dompno Symone priore sancti Damiani de Ponteferri, & domno Onofrio monacho dicti ordinis Camald. testibus omnibus vocatis & rogatis.

Ego Bartholomeus quondam Aymerici olim domni Bartholomei de sancto Alberto &c. notarius &c.

XXIX.

Urbanus VI. monet abbatem Sanæ-vallis de Follina, ut regat moniales SS. Gervasii & Protasii prope Bellunum.

Anno 1379. idibus martii.

Ex veteri membrana monialium S. Gervasii.

HOc est exemplum cujusdam privilegii monasterii sancti Gervaxii civitatis Belluni.

Urbanus episcopus servus servorum Dei dilecto filio . . abbati monasterii sancte Marie de Sanevalli Cisterciensis ordinis Cenetensis diocesis salutem & apostolicam benedictionem. Vota personarum humilium divinis laudibus ascriptarum, que fructum salutis eterne continere perspicimus, ad effectus gratiam pio dirigere favore debemus. Cum itaque dilecte in Christo filie . . ministra & conventus sancti Gervasii Belluni ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, Cisterciensis ordinis instituta servantes, sicut asserunt, nondum alicui religioni vel ordini sint astricte, cupiantque ad illa devotionis augmenta proficere, per que felicitatis eterne premium eis possit facilius pervenire. Nos earum piis desideriis affectu benivolo concurrentes discretionem tuam attente rogandam duximus & monendam, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus circa ipsas pie in Domino dirigens benignitatis affectum, ipsas, cum ab eis fueris requisitus, per te ipsum visites, aut per aliquos fratres tui monasterii Deum timentes ad hoc idoneos facias visitari, qui eis opportunis temporibus ecclesiastica sacramenta ministrent, ipsasque salutaribus monitis & disciplinis regularibus instruen-

ſtruendo, eas ad concurrendum in odorem Regine virginum reddant divina faciente gratia promptiores, dioceſani epiſcopi jure ſalvo.

Datum Viterbii id. martii pontificatus noſtri anno primo.

XXX.

Viſitatores & Reformatores Camaldulenſium inſtituunt abbatem in monaſterio S. Frigdiani Piſarum.

Anno 1381. III. idus martii.

Ex archivo Carthuſiæ Piſanæ.

IN eterni Dei nomine, amen. Ex hoc publico inſtrumento ſit omnibus manifeſtum, quod venerabiles & religioſi viri frater Bartholomeus de Ravenna prior monaſterii inſule Gorgone ordinis Cartuſienſis Piſane dioceſis, & frater Dionyſius de Mediolano olim prepoſitus monaſterii ſancti Torpetis de Piſis ordinis Humiliatorum commiſſarii, reformatores, & viſitatores heremi & totius ordinis Camaldulenſis citra alpes, ac in Sardinie, Corſice, Montis-Chriſti, Ilbe inſulis, ſequentes in his formam commiſſionis & viſitationis facte iiſdem per literas reverendi in Chriſto patris & domini domni fratris Thome miſeratione divina epiſcopi Tuſculani S. R. E. cardinalis commiſſarii ad infraſcripta a ſede apoſtolica ſpecialiter deputati ſigillatas ſigillo dicti domini cardinalis cere rubee in cordula ſerici rubei pendente, datas Rome in hoſpitio habitationis ejuſdem die XIX. menſis decembris anno nativitatis dominice M. CCC. LXXX. indictione III. pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri domini Urbani pape VI. anno III. habentis de his & aliis commiſſionem a ſanctiſſimo in Chriſto patre & domino domino Urbano divina providentia papa VI. ſecundum quod in predictis literis dicti domini cardinalis plenius & latius continetur; quarum literarum tenor talis eſt, videlicet: Frater Thomas miſeratione divina epiſcopus Tuſculanus S. R. E. cardinalis commiſſarius ad infraſcripta a ſede apoſtolica ſpecialiter deputatus dilectis nobis in Chriſto fratribus Bartholomeo de Ravenna priori monaſterii inſule Gorgone ordinis Cartuſienſis Piſane dioceſis, & Dionyſio de Mediolano prepoſito monaſterii ſancti Torpetis de Piſis ordinis Humiliatorum ſalutem in Domino, & mandatis noſtris, immo verius apoſtolicis, firmiter obedire. Literas ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri pape bulla plumbea ad cordulam canapis more Romane curie bullatas, non vitiatas, nec in aliqua ſui parte ſuſpectas, ſed omni prorſus vitio & ſuſpicione carentes nos recepiſſe noveritis in hec verba. Urbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Thome epiſcopo Tuſculano ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Dudum ad audientiam noſtram non ſine mentis perturbatione perducto, quod ordo Camaldulenſis, in quo ab olim viguerat obſervantia regularis, adeo collapſus erat tam in capite, quam in membris, & maxime in vita & obſervantia regulari, quod de ejus totali ruina merito formidabatur, niſi ſuper ipſius reformatione per ſedem apoſtolicam adhiberetur remedium opportunum. Nos de ipſius ordinis collapſione hujuſmodi ab intimis condolentes, & ad ipſius ordinis reformationem paternis & ſollicitis ſtudiis intendentes, dilectis filiis Bartholomeo de Ravenna inſule Gorgone Piſane dioceſis, & Jacobo de Padua ſancte Marie de Montemurcino prope Peruſium, & Johanni de Florentia ſancti Laurentii prope Florentiam, Cartuſienſis & Montis-oliveti ordinum monaſteriorum prioribus per priores ſolitorum gubernari, per noſtras literas dedimus in mandatis, quatenus ipſi vel duo ipſorum eremum & totum dictum ordinem Camaldulenſem viſitarent per ſe vel per alios, & in eis requirerent, corrigerent, punirent & reformarent, ac ſtatuerent & ordinarent certa poteſtate eiſdem conceſſa, prout in dictis literis plenius continetur. Cum autem, ſicut accepimus, poſtquam predicti Bartholomeus & Johannes viſitationem dicti ordinis in dicta eremo & ejus monaſterio Fontisboni inchoaverunt, & eamdem ad finem perducere nequiverunt propter quaſdam appellationes a nonnullis dicti ordinis prelatis ad nos interpoſitas; nos cupientes omnino, ut dicti ordinis viſitatio & reformatio plenum ſortiatur effectum, fraternitati tue, de qua in his & aliis in Domino fiduciam gerimus ſpecialem, curam & ſollicitudinem viſitationis & reformationis hujuſmodi totaliter & plene committimus cum poteſtate & bailia per te, vel alium ſeu alios inquirendi, corrigendi, puniendi, reformandi, ſtatuendi, ordinandi, precipiendi & diſponendi in toto dicto ordine, tam in capite, quam in membris, prout tibi videbitur expedire, tibique privandi, transferendi, permutandi de loco ad locum, ſuſpendendi,

dendi, deſtituendi in perpetuum vel ad tempus, tam priorem dicte eremi & totius ordinis generalem, quam abbates & priores, abbatiſſas & prioriſſas, ac hoſpitalarios ſeu prepoſitos, vel alios preſidentes in monaſteriis ſeu locis, vel eccleſiis dicti ordinis. Abbatias quoque & beneficia quecumque quomodocumque vacantia & vacatura in dicto ordine conferendi & reformandi, uniendi & ſeparandi tam in capite, quam in membris, etiamſi eſſent per ſedem apoſtolicam ſpecialiter vel generaliter reſervata, commendas revocandi, lites & diſcordias quaſcumque vertentes, ſeu que verti poſſent inter perſonas dicti ordinis ſedandi & terminandi, juriſdictionem inſuper & omnem poteſtatem, quam dictus prior generalis in dicto ordine exercere poteſt jure ordinario & extraordinario, communi vel privato, ſeu ſecundum conſtitutiones ejuſdem ordinis exercendi, ac perſonaliter vel legitime etiam per edictum omnes & ſingulas perſonas dicti ordinis cujuſcumque ſtatus, dignitatis, & conditionis exiſtant in locis, ad que tu, vel ille, aut illi, quibus id commiſeris, accedere formidaretis, ad loca ibi propinqua, prout videbitis expedire, citandi, de expenſis circa predicta omnia occurrentibus faciendis providendi, & demum in predictis omnibus & ſingulis per te vel alium ſeu alios procedendi ſummarie & de plano, ſine ſtrepitu & figura judicii ſola rei veritate inſpecta, prout tibi, aut illi vel illis, quibus id commiſeris, viſum fuerit expedire, omni prorſus remoto appellationis obſtaculo, uſque ad finem & conſummationem viſitationis & reformationis hujuſmodi, plenam & liberam tenore preſentium concedimus facultatem: mandantes dicto priori generali, aliiſque prelatis dicti ordinis, ad quos alias de jure vel conſuetudine ſpectat dignitatum & officiorum dicti ordinis ordinario jure collatio ſeu diſpoſitio, quatenus ſub excommunicationis pena ipſo facto contrafacientes incurrant, ne dicta viſitatione pendente de proviſione ſeu diſpoſitione alicujus dignitatis ſeu beneficii interim a data preſentium vacantis ſe intromittant, ſed per te, alium vel alios, quibus id commiſeris, ipſa beneficia reformentur; decernentes ex nunc quidquid ſecus fieret, irritum & inane. Contradictores quoque per cenſuram eccleſiaſticam & alia opportuna remedia appellatione poſtpoſita compeſcendo: non obſtantibus quibuſcumque privilegiis & literis apoſtolicis generalibus vel ſpecialibus, etiam in favorem dicti prioris generalis aliquid innovari non poſſit, prout in eiſdem literis plenius continetur, quas ex certa ſcientia revocamus, earum tenorem habentes preſentibus ſufficienter pro expreſſo, ac non obſtantibus ſtatutis & conſuetudinibus eremi, monaſteriorum & ordinis predictorum, ſeu exemptionibus quibuſcumque conceſſis ratione ſubcollectorie camere apoſtolice, aut predicationis Crucis contra anti-papam, ſeu penitentiarie aut capellanie per ſedem apoſtolicam, aut quemlibet alium alicui dicti ordinis conceſſis & quibuſcumque effectus preſentium valeat impediri quomodolibet vel diferri. Seu ſi eidem ordini a ſede apoſtolica generaliter vel ſpecialiter ſit indultum, quod perſone dicti ordinis ſuſpendi vel excommunicari, ſeu ipſe vel dicti ordinis loca interdici non poſſint per literas apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Nos enim proceſſus, ſententias & penas, quas & quos formare, ferre & infligi, ac omnias que in predictis fieri contigerit per te, vel alium aut alios, quibus predicta commiſeris, rata habebimus & faciemus auctore Domino inviolabiliter obſervari. Datum Rome apud ſanctum Petrum XIII. Kal. octobris pontificatus noſtri anno III. Nos igitur mandatum apoſtolicum ejuſmodi, & in ipſis apoſtolicis literis, ut tenemur, exequi cupientes, & ad ſtatum bonum & reformationem omnimodam predicti ordinis, qui, ut audivimus dolenter, eget non modica, totis conatibus anhelantes: & quia id perſonaliter exe. qui non valemus, quod noſtre ſuggerit intentionis affectus, de veſtra prudentia, ſollicitudine & induſtria circumſpecta gerentes in Domino fiduciam ſingularem, in predictis omnibus & ſingulis nobis in hac parte commiſſis in eremo dumtaxat Camaldulenſi & in ejus monaſterio Fontis-boni, ac aliis monaſteriis, prioratibus, eccleſiis, hoſpitalibus atque locis utriuſque ſexus ordinis prelibati citra alpes, ac Sardinie, Corſice, Montis-Chriſti, & Ilbe inſulis conſiſtentibus prelatis, preſidibus, monachis, converſis & aliis perſonis degentibus in ejuſdem ordinis antedictis monaſteriis, cum poteſtate etiam transferendi prelatos, monachos & converſos, ac perſonas alias dicti ordinis de locis vobis commiſſis ad alia loca ultra alpes conſiſtentia, & alios de ultra alpes ad vos & ad loca vobis, ut ſupra, commiſſa citra alpes & in dictis inſulis ſituata, prout dicti ordinis ſoliditati & reformationi videbitis expedire, libere evocandi auctoritate apoſtolica, qua fungimur

mur in hac parte, tenore presentium vobis & utrique vestrum committimus totaliter vices nostras, donec eas ad nos duxerimus revocandas; ita tamen ut ambo simul eremum & ejus monasterium, & alia monasteria, prioratus & loca predicta citra alpes visitetis, & in insulis predictis consistentia vos vel alter vestrum visitare, & alia commissa vobis exercere libere valeatis. Vobis nihilominus & utrique vestrum mandantes in virtute sancte obedientie, & sub excommunicationis pena, quatenus infra quindecim dierum terminum a presentatione presentium vobis facta computandorum hujusmodi visitationem incipere, seu alias inceptam per te fratrem Bartholomeum, & alium tuum tunc collegam prosequi sollicite procuretis, & circa ipsius ordinis reformationem & statum solertius intendatis: Non obstantibus omnibus & singulis, que prefatus dominus noster papa in suis literis noluit non obstare; vosque taliter in premissis habentes, quod preter eterne retributionis premium, apostolice sedis gratiam & nostram benevolentiam consequi merito habeatis, & quidquid in premissis feceritis, nobis per literas vestras, aut publica documenta, cum tempus aderit opportunum, intimare curetis. In quorum omnium testimonium presentes literas fieri fecimus, & nostri sigilli jussimus appensione muniri. Datum Rome in hospitio habitationis nostre die decima-nona mensis decembris anno nativitatis Dominice M. CCC. LXXX. indictione III. pontificatus suprascripti sanctissimi in Christo patris & domini mei domini Urbani pape VI. anno III. Cum predicti commissarii, visitatores & reformatores dicte eremi & totius dicti ordinis Camaldulensis citra alpes ac Sardinie, Corsice, Montis-Christi & Ilbe insulis invenerint monasterium sancti Frigdiani de Pisis ordinis Camaldulensis presentialiter vacare rectore per translationem ven. patris domni Laurentii de Venetiis, olim abbatis dicti monasterii sancti Frigdiani, a sede apostolica nuper factam ad monasterium sancte Marie de Brittonorio dicti ordinis Camaldulensis, nolentes dictum monasterium sancti Frigdiani propter diutinam vacationem lesionem incurrere vel jacturam, tractantes vicissim de reformatione dicti monasterii, & vias ac modos salubres cogitantes, quibus melius & utilius possit dicto monasterio provideri de abbate & patre utiliori; & tandem divina gratia invocata Spiritus-sancti inspirante clementia, precibus etiam instantibus domni Dominici de Corressa sacriste, & domni Petri de Castellione-aretino monachorum dicti monasterii sancti Frigdiani, qui sunt omnes monachi ad presens degentes in dicto monasterio, & totus conventus dicti monasterii sancti Frigdiani, faciunt assensum reformationi domni Stephani filii Richomani de Florentia infrascripti postulati pro salute ipsius monasterii penitus facienda coram me Francisco notario infrascripto & testibus infrascriptis, ad honorem & reverentiam omnipotentis Dei, & beate semper virginis Marie, & beati Frigdiani, & totius curie celestis, & ad honorem & exaltationem S. R. E. & sanctissimi in Christo patris & domini nostri domini Urbani divina providentia pape VI. & reverendissimi in Christo patris & domini domini Thome miseratione divina S. R. E. cardinalis suprascripti, & totius collegii dominorum cardinalium, & ad honorem & augmentum totius ordinis Camaldulensis, auctoritate eis concessa per literas suprascriptas suprascripti domini cardinalis vice & nomine dicti monasterii omni via, jure & modo, quibus melius possit, sedentes & quiescentes unanimiter & concorditer ac deliberantes de reformatione salubri dicti monasterii sancti Frigdiani & populi sibi commissi & ad consolationem dictorum monachorum dicti monasterii venerabilem & religiosum virum domnum Stephanum Richomani de Florentia suprascripti monasterii monachum, & sacerdotii dignitate munitum, nunc priorem claustralem dicti monasterii, per omnia sui corporis membra sanum, & de matrimonio legitimo procreatum, in abbatem & patrem spiritualem & temporalem suprascripti monasterii sancti Frigdiani juridice, ut postulatum, prout late constat per chartas ipsius postulationis & tractatuum rogatas & scriptas a me Francisco notario infrascripto Dominice incarnationis anno M. CCC. LXXXI. indictione IV. tertio idus martii secundum cursum notariorum Pisane civitatis, elegerunt & sollemniter constituerunt in abbatem, rectorem, patrem & gubernatorem dicti monasterii, ipsumque monasterium de ipso & ipsius patrocinio tamquam utilissimo & per omnia fructuoso, auctoritate per suprascriptas literas commissa reformaverunt, ipsum domnum Stephanum eidem monasterio & monachis prefecerunt in abbatem, & monasterium ipsum cum omnibus juribus suis & pertinentiis ipsi domno Stephano sollemniter contulerunt dispensative, eumque presentem & suscipientem insti-

instituerunt sollemniter in idem, committentes ei curam & administrationem proprii & bonorum spiritualium & temporalium monasterii antedicti; de quibus omnibus eum legitime investiverunt, & in corporalem possessionem & tenutam dicti monasterii sancti Frigdiani induxerunt, dictam reformationem & electionem, ac prelationem in his scriptis coram Francisco notario infrascripto & testibus infrascriptis publicaverunt, & taliter me Franciscum notarium infrascriptum rogaverunt, ut inde publicum conficerem instrumentum. Actum Pisis in ecclesia sancte Agnetis Pisane civitatis, presentibus presbytero Jacobo quondam Fabiani de Arestano insule Sardinie rectore ecclesie sancti Apollinaris de Barbaricina Pisane civitatis, fratre Johanne quondam Masini de Pisis monacho monasterii insule Gorgone ordinis Cartusiensis Pisane diocesis, & domno Nicolao quondam Querai hospitalario hospitalis sancti Andree de Candiculis ordinis Camaldulensis diocesis Florentine testibus ad hec vocatis & rogatis, Dominice incarnationis anno M. CCC. LXXXI. indictione quarta III. idus martii secundum cursum & consuetudinem notariorum Pisane civitatis, & in testimonium premissorum supradicti visitatores hoc ipsum instrumentum suorum sigillorum appensione roborarunt.

† Ego Franciscus quondam ser Jacobi notarii de Vico-Pisano civis imperiali auctoritate judex ordinarius atque notarius predictis omnibus interfui, & ea rogatus scribere scripsi, firmavi & publicavi, & in hanc publicam formam redegi, & hic meum nomen & signum meum apposui.

XXXI.

Donatio facta ecclesiæ SS. Trinitatis de Faventia.

Anno 1382. XVI. maji.

Ex tabulario ejusdem parthenonis.

IN Christi nomine, amen. Anno a nativitate ejusdem M. CCC. LXXXII. indictione V. sanctissimi in Christo patris & domini nostri domini Urbani divina providentia pape VI. die XVI. maji. Domina Francischa filia quondam magistri Mainetti de Mainettis de Faventia de capella sancti Michaelis de Faventia sana per Christi gratiam mente, sensu & intellectu *&c.* In primis quidem elegit sepulturam apud ecclesiam fratrum Minorum de Faventia ..... *& post nonnulla.* Item reliquit pro anima sua loco & sororibus loci sancte Trinitatis de burgo porte pontis de Faventia unam petiam terre vineatam positam in comitatu Faventino in schola sancte Luce in fundo Albirelli juxta olim Bartholomeum Deotaydi, Francischinum Mattiucii de capella sancti Antolini, continentem in se tornaturas tres & perticas tres vel circa. Item reliquit dicto loco & sororibus sancte Trinitatis unam domum positam in civitate Faventie in capella sancti Michaelis juxta heredes Vulgani vi.... viam publicam communis & alios suos confines pro anima sua & suorum defunctorum. Item loco seu ecclesie sancte Trinitatis de Burgo porte pontis de Faventia pro substentatione & vita sororum in dicto loco seu ecclesia residentium unam petiam terre arativam positam in comitatu Faventino in schola Pergule in fundo Castagneti, juxta Nanem Amadei, viam communis a duobus lateribus, & Guidonem Nanis schole Pergule, que continet in se viginti tornaturas & quatuor perticas vel circa, ita tamen quod dicta petia terre numquam per aliquem vel per dictas sorores possit vendi vel alienari modo aliquo, sed perpetuo ad dictum servitium stare & permanere debeat *&c.* Actum Faventie in loco fratrum Minorum in sacristia *&c.*

Ego Franciscus filius quondam Bettuccii olim Minii scriptoris de Faventia notarius & judex ordinarius *&c.*

XXXII.

Testamentum Richardi comitis de Prata.

Anno 1382. X. septembris.

Ex autographo archivi S. Mathiæ de Muriano.

ANno Domini M. CCC. LXXXII. indictione V. die X. septembris in Prata in domo egregii viri domini Ricardi quondam egregii viri domini Maynardi comitis de Prata in ejus camera, presentibus ven. viro domino fratre Daniele preceptore ecclesie sancti Johannis de Prata, ven. viro domno Paulo priore sancti Martini rupti comitatus Prate, nobili viro domino Nicolao comite de Porcilia, providis viris ser Bonaventura dicto Viratia notario, Petro quondam domi-

domini Zanini de Vinea juris perito, Johanne quondam Odorici notario, Francischino de Fantis de Padua, Bartholomeo quondam ser Franceschoti Prate habitante, & Zuchuto quondam Marchuti de Cavelano & aliis pluribus testibus ad hoc specialiter vocatis & ab infrascripto testatore rogatis & vocatis. Suprema hòminum judicia, quibus & anime suffragiis, & temporali cure patrimonii post vite presentis exitum providetur, etiam languente corpore, dum tamen in mente presideat, legiptime disponuntur, hinc est, quod dominus Ricardus quondam egregii viri domini Maynardi comitis de Prata licet eger corpore, tamen sue mentis compos & sobrius, bonorum suorum dispositionem per presens nuncupativum testamentum scriptum in hunc modum facere procuravit; imprimis quidem jussit, voluit & ordinavit, quod quandocumque contigerit ipsum de hac vita emigrare, corpus ejus sepeliri in ecclesia sancti Johannis de prope Pratam, cui ecclesie reliquit libras centum parvorum. Item reliquit ecclesie sancte Marie de Battutis de prope Pratam libras quinquaginta parvorum. Item legavit ecclesie sancti Jacobi libras quinquaginta parvorum. Item legavit ecclesie sancte Lucie de Prata libras quinquaginta parvorum. Item legavit ecclesie sancti Symeonis de Prata libras quinquaginta parvorum. Item inter cetera alia legata legavit ecclesie sancti Martini rupti mansum laboratum per Johannem nepotem quondam Petri de Rivarota, & domum dicti & avogariam dicti mansi, & decimam mansi laborati per Johannem quondam ser Corradi del Pastre, & Bartoluxium ejus fratrem. In omnibus autem aliis suis bonis mobilibus & immobilibus, juribus & actionibus, presentibus & futuris Johannem & Albertum ejus filios sibi heredes instituit. Tutores autem & ejus testamenti executores reliquit & esse voluit egregium virum dominum Nicolaum ejus socerum comitem de Porcilia, & dominum Johannem militem & comitem de Prata, & dominam Jacobinam ejus uxorem. Et hanc suam ultimam voluntatem, & suum ultimum testamentum asseruit etiam velle, quam valere voluit jure testamenti, & si jure testamenti non valet, valeat jure codicillorum, vel alterius ultime voluntatis, quibus melius valere potest de jure, & tenere.

Et ego Nicolaus quondam ser Fasini de Prata imperiali auctoritate notarius presens instrumentum scriptum ex . . . ser Johannis notario de Portunavone Prate habitatore auctoritate mihi tradita per dominum potestatem Prate, & ejus consules fideliter scripsi, & in publicam formam redegi, nil addens vel minuens, quod ejus sententiam variet vel mutet preter sillabam vel punctum.

XXXIII.

Urbanus VI. instituit Angelum Vannis in abbatem S. Christophori de Castrodurante.

Anno 1382. XVII. kl. octobris.

Ex archivo S. Blasii de Fabriano.

URbanus episcopus servus servorum Dei dilectis filiis conventui monasterii sancti Christophori de Castro-durante ordinis sancti Benedicti Urbinatis diocesis salutem & apostolicam benedictionem. Suscepti cura regiminis cor nostrum continua pulsat instantia, ut sollicitudinis debitum, ad quod universis orbis ecclesiis & monasteriis nos apostolice servitutis necessitas obligat, eorum singulis, prout ex alto conceditur, exsolvamus in eo potissime, ut illorum regimina, que propriis sunt destituta pastoribus, personis talibus committantur, per quorum solertiam circumspectam ecclesie & monasteria ipsa in spiritualibus & temporalibus valeant adaugeri. Dudum siquidem quondam Angelo abbate vestri monasterii regimini ipsius vestri monasterii presidente nos cupientes ipsi monasterio vestro cum vacaret per apostolice sedis providentiam utilem & idoneam presidere personam, provisionem ipsius monasterii vestri ordinationi & dispositioni nostre ea vice duximus specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum & inane, si secus super his *&c.* Postmodum vero dicto vestro monasterio per obitum ipsius Angeli abbatis, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacante, nos vacatione hujusmodi fide dignis relatibus intellecta, ad provisionem ipsius monasterii celerem & felicem, de qua nullus preter nos ea vice se intromittere potuerat, neque poterat, reservatione & decreto obsistentibus supradictis, ne monasterium ipsum longe vacationis exponeretur incommodis, paternis & sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem vestro monasterio personam utilem & etiam fructuosam cum nostris fratribus diligentem, demum ad

dile-

dilectum filium Angelum Vanis de Civitate-castelli abbatem dicti vestri, tunc monachum sancte Catharine de Fabriano ordinis sancti Benedicti Camerinensis diocesis monasteriorum, ordinem ipsum expresse professum, & in sacerdotio constitutum, cui de religionis zelo, literarum scientia, vite mundicia, honestate morum, aliisque multiplicium virtutum donis apud nos fide digna testimonia perhibentium, direximus oculos nostre mentis, quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona sua vobis & eisdem fratribus ob suorum exigentiam meritorum accepta, de eorumdem fratrum consilio eidem monasterio vestro sancti Christophori auctoritate apostolica providimus, ipsumque illi preficimus in abbatem & administratorem ejusdem monasterii in spiritualibus & temporalibus plenarie committendo. In illo, qui dat gratias & largitur premia, confidentes, quod dirigente Domino actus suos prefatum monasterium sancti Christophori per sue industrie & circumspectionis studium fructuosum regetur utiliter & prospere dirigetur, & grata in eisdem spiritualibus & temporalibus suscipiet incrementa. Quocirca universitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus eumdem abbatem tamquam patrem & pastorem animarum vestrarum grato admittentes honore, & exhibentes sibi obedientiam & reverentiam debitam & devotam, ejus salubria monita & mandata suscipiatis humiliter, & efficaciter adimplere curetis; alioquin sententiam, quam idem abbas tulerit in rebelles, ratam habebimus & faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Datum Viterbii XVII. kal. octobris pontificatus nostri anno quinto.

Gratis pro Deo. Bernardus. *Visitur locus sigilli.* Jo. de Manso.

XXXIV.

Hieronymus Ægidii de Florentia abbas Adelmensis instituitur camerarius generalis omnium monasteriorum Camaldulensium.

Anno 1383. mense julio.

Ex archivo Angelorum Florentiæ.

IN Christi nomine, amen. Pateat omnibus evidenter, quod venerabilis & religiosus vir frater Hieronymus Egidii de Florentia abbas monasterii sancte Marie de Adelmo ordinis Camaldulensis Vulterrane diocesis, licentiatus in jure canonico, auditor reverendissimi patris & domini domini cardinalis Veneti, camerarius & revisor omnium & singulorum bonorum, & pecuniarum monasteriorum & locorum Camaldulensis ordinis prelibati venerabilibus patribus abbatibus, prioribus, abbatissis, priorissis, prepositis, hospitalariis, iconomis, vicariis & aliis quibuscumque prelatis vel subditis dicti ordinis Camaldulensis salutem in Domino sempiternam. Noverit caritas vestra, quod reverendissimus pater & dominus dominus Nicolaus miseratione divina S. R. E. presbyter cardinalis tituli sancti Ciriaci de speciali commissione, & mandato domini nostri pape Urbani VI. protector, visitator & reformator, corrector, punitor, institutor & destitutor dicti ordinis Camaldulensis per suas veras literas bullatas suo vero sigillo publica manu scriptas, non vitiatas, nec cancellatas, nec in aliqua sui parte suspectas dedit ipsi fratri Hieronymo abbati & officiali predicto, quibus mediantibus voluit & mandavit eidem fratri Hieronymo, qui in toto ordine Camaldulensi prefato camerariatus officium exercet, rationes dicti ordinis revideret, & alia faceret, que in ipsis literis latius & plenius continentur, & ad predicta substituere posset aliquos de dicto ordine, fide & facultatibus dictis, quarum literarum tenor per omnia talis esse dignoscitur, videlicet: Nicolaus miseratione divina tituli sancti Ciriaci S. R. E. presbyter cardinalis protector, visitator, reformator, corrector, punitor, institutor & destitutor cum potestate omnium & singulorum monasteriorum, prioratuum & locorum Camaldulensis ordinis ubique consistentium, necnon prelatorum & personarum in eo degentium tam in capite, quam in membris cujuscumque status, ordinis, sexus vel conditionis existant, per sedem apostolicam specialiter deputatus, venerabili viro fratri Hieronymo Egidii de Florentia abbati sancte Marie de Adelmo Vulterrane diocesis dicti ordinis licentiato in jure canonico reverendissimi in Christo patris & domini domini Ludovici cardinalis Venetiarum auditori, & dicti ordinis procuratori in Romana curia, necnon generali camerario, collectori, exactori, revisori, receptori omnium & singularum pecuniarum, collectarum, impositionum, & mutuorum impositorum in capitulis generalibus dicti ordinis per generalem

ralem priorem & definitores seu alios officiales dicti ordinis conjunctim vel divisim, vel per se imponendorum vel imponendarum abbatibus, prioribus, abbatissis, priorissis, prepositis, plebanis, hospitalariis, vicariis, iconomis & aliis quibuscumque eremitis, monachis, monialibus, conventibus, monasteriis, prioratibus, hospitalibus, ecclesiis & aliis locis quibuscumque dicti ordinis salutem in Domino sempiternam, & mandatis nostris, immo verius apostolicis firmiter obedire. Ex fideli & prudenti, diligenti, aliisque virtutibus, quibus per fide dignorum relationem nobis innotuit, fulgere dignosceris, presumimus confidenter, quod ea, que tibi exequenda commiserimus, solerti & diligenti studio fideliter exequeris. Hinc est, quod nos volentes dictum ordinem Camaldulensem reformare in officio prelibato, utilitate & necessitate pensatis omnes & singulos camerarios, collectores, seu revisores vel impositores pecuniarum locis & personis predictis debitorum & exigendorum per camerarium dicti ordinis cassamus & revocamus, & quarumcumque electiones in preterito vel futuro decernimus nullius esse valoris, & nunc te Hieronymum predictum in locis & personis, & in toto ordine Camaldulensi predicto constituimus, facimus, deputamus, ordinamus & creamus camerarium generalem collectorem, exactorem, revisorem rerum, & receptorem omnium & singularum collectarum, pecuniarum, datorum, mutuatorum, impositorum vel impositarum & per te imponendorum vel imponendarum omnium & singulorum locorum & personarum dicti ordinis Camaldulensis auctoritate apostolica prelibata, & commissione nobis super hoc facta a sanctissimo domino nostro domino Urbano divina providentia papa VI. ejus vive vocis oraculo per te vel alium, seu alios fide & facultatibus idoneos viros, & dicti officii camerarios imponere & exigere, nomine & auctoritate predictis omnes & singulas collectas hactenus impositas per generalem priorem dicti ordinis Camaldulensis, definitores vel officiales predictos, vel eorum alterum, vel imposterum vel quacumque necessaria causa, vel quocumque a locis vel personis predictis fuerint petenda, imponenda, exigenda, & recipienda seu imponendas, petendas, recipiendas & exigendas, recipere, imponere, petere & exigere valeas, rationes etiam & computa a quibuscumque camerariis, impositoribus, exactoribus, collectoribus quocumque nomine censeantur, seu prelatis vel locis predictis, hactenus factis vel creatis, aut quibuscumque vel quocumque presidentibus vel presidente, superioribus vel superiore a generali priore predicto & domino Mattheo priore sancte Margarite de Tosina vel de Bursellis, vel a quibuscumque aliis prelatis vel subditis, ad quorum manus qualitercumque & quocumque pecunie dicti ordinis pervenissent *&c.* Datum & actum Rome in hospitio habitationis nostre sub anno nativitatis Domini M. CCC. LXXXIII. indictione VI. mensis julii pontificatus domini Urbani pape VI. anno VI. presentibus rev. patre domino Antonio episcopo Theanensi & religioso viro fratre Augustino de Arimino ordinis Predicatorum testibus ad premissa vocatis & rogatis.

Et ego Ghiselbertus de Intface clericus Trajectensis publicus apostolica & imperiali auctoritate notarius, & prefati domini cardinalis scriba *&c.*

XXXV.

Simon abbas Vallis-umbrosæ concedit licentiam monialibus S. Hieronymi de Florentia intrandi monasterium monialium congregationis Pulsanensis S. Mariæ Intemeratæ de Scalziis Florentiæ.

Anno 1383. XIX. novembris.

Ex autographo tabularii S. Agathæ de Florentia. num. 13.

IN Dei nomine amen. Anno Domini ab ejus salutifera incarnatione millesimo trecentesimo octuagesimo-tertio indictione septima die decimo-nono mensis novembris. Actum Florentie in populo sancti Salvi, loco, qui dicitur Guarlona, presentibus testibus ad hec vocatis habitis & rogatis Aghinolfo de Florentia, domno Bernardo Bertoldi de Jamfigliazis abbate monasterii sancti Laurentii de Cultu-bono, fratre Antonio Bernardi monacho monasterii Vallis-umbrose & aliis pluribus presentibus. Pateat omnibus evidenter presentem paginam inspecturis, quod infrascripte religiosissime domine, videlicet domna Paula Pieri magistri Pauli, suora Nicholaja, & suora Margherita sorores & filie Amelii de Foraboschis, suora Francischa Romuli, suora Cinga Jacopi Rinaldi, suora Jacopa Johannis, & suora Andrea Lapi, & domina Fili.... Pepi omnes moniales, sive converse & religiose monasterii, capituli

pituli & conventus sancti Gerolami de Florentia ordinis sancti Benedicti Vallisumbrose comitatus Florentie, constitute dicta domna Paula & suora Andrea in presentia ven. patris & domini domni Simonis Dei gratia abbatis monasterii sancti Benedicti Vallis-umbrose dixerunt & exposuerunt ipsa domna Paula abbatissa dicti monasterii, & dicta suora Andrea pro se ipsis, & vice & nomine dictarum aliarum dominarum supra nominatarum *&c.* qualiter prefate domine stant & cohabitant Florentie in quodam chasamento sive monasterio, quod *&c.* appellant, & vulgariter appellatur monasterium sancti Gerolami de Florentia, & quod chasamentum sive monasterium est imperfectum, & non completum, nec sine magna impensa & pecunia poest compleri & hedificari, & taliter aptari, quod ipse possent apte recludi, & ibidem honeste, pie & religiose vivere, & Deo servire, ut earum requirit habitus, & quod ipse sunt multum pauperes, & non habent penes se res vel alia bona, que vendi vel alienari possent pro ipso hedificio sive monasterio complendo, nec unde possent se commode substentare, & quod ipse domine cupiunt & affectant pro salute animarum suarum permutare dictum monasterium sive hedificium, & ingredi monasterium beate Marie virginis de Scalzis eadem via sancti Galli de Florentia, & ibidem vestiri habitu & vestibus dicti monasterii beate Marie Virginis, prout & quemadmodum alie moniales dicti monasterii, necnon regi & gubernari, & se & sua bona, & bona dicti monasterii sive hedificii sancti Gerolami predicti, & dictum hedificium sive chasamentum, sive monasterium dedicari, protegi atque defendi sub protectione, & gubernatione, & defensione abbatis & superioris abbatisse dicti monasterii sancte Marie de Schalziis. Quare humiliter & devote petierunt prefate domna Paula, & suora Andrea pro se ipsis, & vice dictarum aliarum dominarum a dicto domno Simone abbate prelibato licentiam & auctoritatem eisdem concedi & dari, ut possint libere licite & expedite mutare dictum monasterium sancti Gerolami, & intrare & cohabitare dictum monasterium sancte Marie & ibidem vestiri habitu & vestibus *&c.* Qui domnus Simon abbas predictus auditis predictis divina misericordia motus, consideratis dictarum dominarum honestate & probitate, & earum paupertate & periculis, quibus subjacent stando, prout stant, & considerato, quod ipse & dictum suum monasterium sancti Gerolami, sive dictum earum hedificium & chasamentum non habet, unde eas commode alimentare, hedificare *&c.* & insuper considerato, quod petita per dictas domnam Paulam & Andream, ut supra, sunt sibi & dicto monasterio potius utilia, quam damnosa. Et omnibus & singulis visis & consideratis, que videnda & consideranda fuerunt, pro evidenti utilitate & commoditate dicti sui monasterii, & super hiis omnibus & singulis habitis, & solempni & matura deliberatione Christi nomine invocato, pro tribunali sedens ad cautelam in dicto loco, qui dicitur Guarlona, dedit & concessit predictis dominabus Paule & Andree ibidem presentibus & petentibus, & cuilibet earum pro predictis aliis dominabus supranominatis, & mihi Paulo not. *&c.* licentiam & parabolam dictum monasterium sancti Gerolami egredi, & habitum mutandi, & in dictum monasterium sancte Marie ingrediendi, & vestiri habitu & vestibus dicti monasterii sancte Marie, & quemadmodum alie moniales dicti monasterii, & se & sua bona, & dictum hedificium & casamentum monasterii sancti Gerolami dedicandi, & omnia & singula alia faciendi & exercendi, ad que secundum ordinem dicti monasterii sancte Marie tenebantur, & eisdem videbitur & placebit cum omnibus & singulis earum, & cujuslibet earum & dicti monasterii sancti Gerolami bonis, juribus *&c.* liberans & absolvens eas, & earum quamlibet, & dictum monasterium sancti Gerolami, & earum bona ab omni nexu & vinculo submissionis & obligationis sibi & suis successoribus vel dicto monasterio sancti Benedicti debitis, debendis, seu factis quacumque ratione, modo, jure *&c.* rogantes me Paulum not. ut de predictis publicum conficerem instrumentum.

Ego Paulus Philippi de Biozzis imperiali auctoritate notarius *&c.*

XXXVI.

Antonius Venerio dux Venetiarum permittit monachis S. Mathiæ de Muriano, ut viam possint erigere prope eorum monasterium.

Anno 1383. 30. decembris.

Ex archivo ejusdem monasterii.

ANtonius Venerio Dei gratia dux Venetiarum &c. nobili & sapienti viro Petro Pisani de suo mandato potestati

testati Muriani fideli dilecto salutem & dilectionis affectum. Significamus vobis, quod per nos, & nostra consilia minus de XL. & majus captum est, quod concedatur de gratia priori & fratribus eremitis de Muriano, quod apud suam cavanam, ubi est quedam palus, propter quam paludem barche cum gentibus nullo modo possunt accostare vel appropinquare ad monasterium suum, possint fieri facere unum fundamentum latum a quatuor & medio passibus in quinque, & extendere illud pet sex passus versus canale, ut barche cum personis devotis illuc accedentibus pro visitatione dicti monasterii se valeant melius accostare, quia sicut scribitis, nulli prejudicant communi, videlicet specialibus personis. Quare mandamus vobis per nos & dicta nostra consilia, quatenus, ut dictum est, debeatis inviolabiliter observare, & facere observari. Data in nostro ducali palatio die penultima decembris VI. indictione.

XXXVII.

Datur in commendam ecclesia S. Nicolai de Luco.

Anno 1386. xxv. junii.

Ex archivo monasterii de Luco. n. 525.

NOs Philippus de Cavalcantibus canonicus Florentinus in infrascriptis & nonnullis aliis Thuscie partibus apostolicus collector generalis volentes, ut ex debito obligamur, ejusdem camere negotiis omnibus fideliter & sollicite providere, unde cum de presenti repertum sit, quod ecclesia sancti Nicolai de castello Luci plebanatus sancti Johannismajoris Florentine diocesis prefate apostolice camere devoluta sit, eo quia sit gubernatore presentialiter destituta propter generalem revocationem per nos factam de quibuscumque beneficiis & ecclesiis ad prefatam cameram devolutis: Nolentesque, ut supradicta ecclesia destitutione predicta in spiritualibus presertim & in temporalibus sustineat detrimentum, confisi de probitate & sollicitudine monialium monasterii sancti Petri de Luco, & dicti plebanatus & diocesis, pro quo eidem ecclesie de bonis & gubernatione plenarie satisfiet. Ea propter provido viro ser Deo quondam Feo quondam Bindi procuratori & sindico dictarum monialium & monasterii presenti & humiliter dicto nomine recipienti dictam ecclesiam sancti Nicolai, ac ejus possessiones & bona immobilia & mobilia locamus, damus & concedimus in commendam pro tempore novem annorum inceptorum infra calendas novembris, promittentes nos Philippus collector prefato dicto ser Deo procuratori predicto recipienti, ut supra, dictam ecclesiam & bona non tollere, sed eam pacifice potius eis dimittere, possidere, & gubernare, & fructus & redditus omnes ex ea sequentes dicto tempore pro se ipsis percipere & habere, & ecclesiam & ejus possessiones, & bona & jura eis defendere & obligare ab omni persona, loco, collegio, universitate qualibet pretendente in eadem ecclesia, vel bonis aliquod jus habere, & viceversa dictus ser Deus, nomine quo supra, promisit nobis collectori prefato pro dicta camera apostolica recipienti & stipulanti dictam ecclesiam sancti Nicolai pro predicta camera apostolica tenere, possidere, ac pro nullo alio conducere, sine expressa licentia vel mandato dicti collectoris prefati, & prefatam ecclesiam sancti Nicolai in spiritualibus & temporalibus salubriter deservire, vel facere per alium salubriter deserviri. Et in die festo sancti Nicolai quolibet anno ipsam ecclesiam precipue de Missis & divino officio honorare, & facere in predictis & ab aliis honorari, eamdemque ecclesiam ruinam minantem omni exceptione remota aut temporis dilatione earum propriis expensis facere reparare, & de ornamentis, paramentis, libris, supellectilibus dicte ecclesie inventarium facere in unum mensem, & non fidem credulam adhibere, & ipsa ornamenta & omnia predicta augmentare & conservare, & non alienare vel diminuere, & in fine dicti temporis de consensu & voluntate nostra, aut in nostro officio successori predicte ecclesie salva omnia resignare & restituere, & possessiones omnes dicte ecclesie bonas facere, coltivare, arbores fructiferos nullos incidere, aut divellere, neque per alium incidi facere vel divelli ratione vel causa aliquali. Insuper impositiones & onera predicte ecclesie dicto tempore novem annorum, ut premittitur, de suo proprio solvere, & unum florenum auri quolibet anno dictorum annorum novem per totum mensem octobris proximi futuri nobis collectori, aut nobis in presenti subcollectori, aut nostro tunc temporis successori pro ipsa apostolica camera accipienti nomine commendationis prefate aut census persolve-

re sub pena excommunicationis, & annulationis aut privationis commende, aut concessionis predicte. Juravit dictus ser Deus, nomine quo supra, ad sancta Dei evangelia, manu tactis Scripturis in manibus dicti collectoris pro predicta apostolica camera recipientis & stipulantis omnia & singula, que in presenti publico instrumento continentur, promisit observare, & efficienter adimplere. In quorum omnium testimonium presentes literas seu presens publicum instrumentum sibi fecimus, & nostri consueti sigilli impressione munimus.

Datum & actum Florentie in domo nostre residentie posita in majori ecclesia Florentie, presentibus Albizo Johannis dicti populi, & Dolfo Curadi populi sancti Laurentii de Florentia, & aliis testibus ad hec vocatis & rogatis, sub anno Domini ab ejus incarnatione millesimo trecentesimo octuagesimo-sexto indictione nona die XXV. mensis junii pontificatus domini in Christo patris domini Urbani divina providentia pape VI. anno nono.

Ego Johannes ser Dominici quondam Panocchini de Panocchinis, & olim de Forateschis civis Florentinus, & apostolica & imperiali auctoritate notarius publicus, eademque imperiali auctoritate judex ordinarius, & nunc notarius & scriba supradicti domini collectoris, predictis omnibus & singulis, dum fierent per eum, presens interfui, eaque rogatus scribere scripsi & publicavi, ideoque me subscripsi, & signum meum imposui consuetum.

XXXVIII.

Urbanus VI. *transfert Jacobum ex abbatia S. Zenonis Pisarum in abbatiam Vangaticiensem, sed eo renuntiante eligit Antonium Ferro.*

Anno 1387. III. kl. augusti.

Ex archivo S. Romualdi de Urbe. LIII. 3.

URbanus episcopus servus servorum Dei dilecto filio .. priori eremi Camaldulensis Aretine diocesis salutem & apostolicam benedictionem. Summi dispositione rectoris ad regimen universalis ecclesie deputati curis assiduis angimur, & continua meditatione pulsamur, ut opem & operam, quantum nobis ex alto conceditur, impendamus, quod orbis ecclesie & monasteria universa pastorum regiminibus destituta per nostre providentie ministerium viris committantur idoneis, qui sciant, velint & valeant ecclesias & monasteria ipsa eis commissa studiose regere, & feliciter gubernare. Dudum siquidem quondam Antonio abbate monasterii sancte Marie de Vangaticia Camaldulensis ordinis Adriensis diocesis regimini ejusdem monasterii presidente, nos cupientes eidem monasterio cum vacaret, per apostolice sedis providentiam utilem & idoneam providere personam, provisionem ipsius monasterii ordinationi & dispositioni nostre duximus ea vice specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum *&c.* Postmodum vero prefato monasterio per obitum dicti Antonii abbatis, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, abbatis regimine destituto, nos vacationem hujusmodi fide dignis relationibus intellectam de persona dilecti filii Jacobi abbatis monasterii sancti Zenonis Pisan. dicti ordinis eidem monasterio sancte Marie auctoritate apostolica duximus providendum, preficiendo ipsum eidem monasterio sancte Marie in abbatem, qui quidem Jacobus literis apostolicis super hujusmodi provisione non confectis, provisioni ipsi ac omni juri sibi exinde in dicto monasterio sancte Marie quomodolibet competenti in nostris manibus libere & sponte renuntiavit, nosque renuntiationem hujusmodi duximus admittendam. Cum autem dictum monasterium beate Marie tunc, ut premittitur, vacare nosceretur, nullusque preter nos ea vice se de ipsius provisione potuisset, nec posset immiscere, reservatione & decreto obsistentibus supradictis, ne monasterium ipsum longe vacationis exponeretur incommodis, paternis & solicitis studiis intendentes post deliberationem, quam de preficiendo eidem monasterio sancte Marie personam utilem & etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad dilectum filium Antonium abbatem dicti sancte Marie, tunc priorem sancti Petri de Monte-silice per priorem soliti gubernari predicti ordinis Paduane diocesis monasteriorum in presbyteratus ordine constitutum, cujus de religionis zelo, literarum scientia *&c.* testimonia perhibentur, convertimus oculos mentis nostre; quibus omnibus attenta meditatione pensatis de persona ipsius abbatis nobis & dictis fratribus ob dictorum suorum exigentiam meritorum accepta eidem monasterio sancte Marie de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providimus, ipsum illi prefecimus

cimus

cimus in abbatem, curam & administrationem ipsius monasterii beate Marie sibi in spiritualibus & temporalibus plenarie committendo, firma spe fiduciaque conceptis, quod dirigente Domino actus suos dictum monasterium sancte Marie per ipsius Antonii abbatis circumspectionis industriam & studium fructuosum regetur utiliter & prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus & temporalibus suscipiet incrementa. Cum igitur, ut idem abbas in commissa sibi cura predicti monasterii sancte Marie, quod sibi ex institutis ejusdem ordinis per sedem apostolicam approbatis subesse dinoscitur, facilius proficere valeat, tuus favor ei fore noscatur plurimum opportunus, discretionem tuam hortamur attente per apostolica scripta tibi mandantes, quatenus eumdem Antonium abbatem, & commissum sibi monasterium habens pro nostra & dicte sedis reverentia propensius commendatos, tamen ampliandis & conservandis juribus suis sic eos tui favoris presidio prosequaris, quod idem abbas in commisso sibi ejusdem monasterii sancte Marie regimine se possit utiliter exercere, tuque divinam misericordiam & dicte sedis benevolentiam & gratiam exinde uberius consequi merearis.

Datum Janue III. kal. augusti pontificatus nostri anno nono.

XXXIX.

Urbanus VI. eligit in priorem S. Margaritæ de Tosina Petrum abbatem Silvæ-mundæ.

Anno 1387. kl. maji.

Ex autographo S. Romualdi de Urbe. XXV. 5.

URbanus episcopus servus servorum Dei dilecto filio Petro priori sancte Margarite de Tosina per priorem soliti gubernari Camaldulensis ordinis Fesulane diocesis salutem & apostolicam benedictionem. Inter sollicitudines varias, quibus assidue premimur, illa potissime pulsat & excitat mentem nostram, ut status ecclesiarum & monasteriorum omnium cure nostre divina providentia commissorum spiritualiter & temporaliter augeatur, quodque illis, que suis destituta pastoribus, vacationis incommoda deplorare noscuntur, tales ministros preficere studeamus, per quorum regimen ecclesie & monasteria ipsa utiliter & salubriter valeant gubernari. Dudum siquidem quondam Mattheo priore monasterii sancte Margarite de Tosina per priorem soliti gubernari Camaldulensis ordinis Fesulane diocesis regimini ejusdem monasterii presidente, nos cupientes eidem monasterio, cum vacaret, per apostolice sedis providentiam utilem & idoneam presidere personam, provisionem ipsius monasterii ordinationi & dispositioni nostre duximus ea vice specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum & inane, si secus &c. postmodum vero prefato monasterio per ipsius Matthei obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacante, dilectus filius Nicolaus de Faventia antiquior monachus eremi Camaldulensis Aretine diocesis, Major nuncupatus, de consilio & consensu dilectorum filiorum conventus dicti eremi, & de commissione dilecti filii Jacobi abbatis monasterii sancti Zenonis Pisarum dicti ordinis generalis vicarii ejusdem ordinis per sedem predictam deputati, cum provisio ejusdem monasterii ad antiquiorem monachum ipsius eremi, Majorem nuncupatum, dicta eremo vacante, prout vacabat, tunc de consensu eorumdem conventus, alias de antiqua & approbata & hactenus pacifice observata consuetudine pertineat, reservationis & decreti predictorum forsan ignarus, de persona tua, qui abbas sancti Salvatoris de Silva-munda ordinis & Aretine diocesis predictorum, tunc temporis existebas, eidem monasterio sancte Margarite, a cujus regimine prior pro tempore existens pro solo nutu prioris ipsius eremi amoveri consuevit, & ad claustrum dicte eremi revocari auctoritate ordinaria providit, teque ipsi prefecit in priorem, licet de facto, tuque hujusmodi reservationis & decreti similiter inscius provisioni & perfectioni hujusmodi etiam de facto consentiens possessionem administrationis bonorum dicti monasterii sancte Margarite fuisti pacifice assecutus similiter de facto, & demum reservatione & decreto predictis ad tuam deductis notitiam provisionis & perfectionis negotium hujusmodi proponi fecisti coram nobis. Nos igitur provisionem & perfectionem hujusmodi, utpote post & contra reservationem & decretum predictos de facto, ut premittitur, attemptatas reputantes, prout erant, irritas & inanes, ac ad provisionem dicti monasterii sancte Margarite celerem & felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit, neque potest, reservatione & decreto obsistentibus supradictis, ne monaste-

rium ipsum sancte Margarite longioris vacationis exponeretur incommodis, paternis & sollicitis studiis inherentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem monasterio sancte Margarite personam utilem & etiam fructuosam intra nos habuimus diligentem, demum ad te, consideratis grandium virtutum meritis, quibus personam tuam, pro ut fide dignorum testimonio accipimus, illarum largitor bonorum Dominus insignivit, & quod tu, qui regimini ejusdem monasterii sancti Salvatoris hactenus laudabiliter prefuisti, prefatum monasterium sancte Margarite scies & poteris auctore Domino salubriter regere & feliciter gubernare, direximus oculos nostre mentis, quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua nobis ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta eidem monasterio sancte Margarite, cujus fructus, redditus & proventus ducentorum & quinquaginta Florenorum auri secundum communem estimationem valorem annuum, ut asseritur, non excedunt, auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in priorem, curam & administrationem ipsius monasterii sancte Margarite tibi in spiritualibus & temporalibus plenarie committendo, & que per te alias circa administrationem hujusmodi rite gesta sunt, nihilominus ratificando & etiam approbando, firma spe fiduciaque conceptis, quod dirigente Domino actus tuos predictum monasterium sancte Margarite per tue circumspectionis industriam, & studium fructuosum regetur utiliter, & prospere dirigetur, grataque in eisdem spiritualibus & temporalibus suscipiet incrementa. Volumus autem, quod in eodem monasterio sancte Margarite solitus monachorum & ministrorum numerus nullatenus minuatur. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus impositum tibi a Domino onus regiminis dicti monasterii sancte Margarite suscipiens reverenter, sic te in ejus cura salubriter exercenda diligentem exhibeas, & etiam fructuosum, quod dictum monasterium sancte Margarite gubernatori provido, & fructuoso administratori gaudeat se commissum, tuque pariter eterne retributionis premium, nostram & dicte sedis benedictionem & gratiam exinde uberius consequi merearis. Datum Luce XVII. kal. maji pontificatus nostri anno nono.

In plumbeo sigillo legitur
URBANUS PP. VI.

XL.

Indulgentia concessa a Gilberto ep. Parentino visitantibus ecclesiam S. Mathiae de Muriano ab ipso consecratam.

Anno 1387. XVIII. augusti.

Ex autographo monasterii S. Mathiae.

NOs frater Gilbertus Dei gratia episcopus Parentinus universis presentes literas inspecturis salutem & sinceram in Domino caritatem. Splendor paterne glorie, qui sua mundum illuminat ineffabili caritate, sic nos provocat seminare in terris, ut fructum plurimum colligere mereamur in celis, quoniam, ut ait apostolus, omnes nos stabimus ante tribunal Christi recepturi, prout in corpore gessimus, sive bonum sive fuerit malum, oportet nos diem messionis extreme misericordie operibus prevenire, ac eternorum interventu id seminare in terris, quod reddente Domino multiplicato fructu colligere valeamus in excelsis, firma spe fiduciaque tenentes, quoniam qui parce seminat, parce metet, & qui seminat in benedictionibus, metet vitam eternam. Cupientes itaque Christifideles ad fruitionem illorum bonorum celestium ipsius eterne vite inducere, quantum possumus, ac etiam ut ecclesiam sancti Mathie apostoli de Murano ordinis Camaldulensis Torcellane diocesis, quam consecravimus die dominica XVIII. augusti in honorem dicti sancti Mathie apostoli cum tribus altaribus, majore in honorem dicti Sancti, altari dextro in honorem sancte Marie, altari sinistro in honorem sancti Johannis-baptiste, tempore rev. patris domni fratris Jacobi de Faventia tunc prioris, per Christi-fideles congruis honoribus frequententur, & suffragiis augmententur, omnibus vere penitentibus & confessis, qui ad dictam ecclesiam causa devotionis accesserint, & dicta altaria visitaverint, & manus suas porrexerint adjutrices, totiens quotiens hoc fecerint, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum apostolorum Petri & Pauli confisi suffragiis, dies quadraginta indulgentie de injunctis sibi penitentiis, auctoritate diocesani accedente, misericorditer relaxamus. In quorum omnium testimonium has patentes literas scribi fecimus, ac sigillo nostro pontificali muniri.

Datum Murani die XVIII. augusti anno Domini M. CCC. LXXXVIII.

Pendet ex funiculo sigillum cereum.

XLI.

XLI.

Hieronymus prior Camaldulensis constituit Nicolaum abb. S. Helenæ de Æsino in procuratorem pro negociis ordinis.

Anno 1388. XXIV. januarii.

Ex autographo S. Blasii de Fabriano.

IN Dei nomine, amen. Anno ab ejusdem sanctissima incarnatione millesimo trecentesimo octuagesimo septimo indictione undecima secundum cursum & consuetudinem Florentinam tempore sanctiss. patris domini Urbani divina providentia pape sexti die vigesima-quarta mensis januarii. Actum Florentie in monasterio heremitarum sancte Marie de Angelis ordinis Camaldulensis, presentibus testibus fratribus Mattheo Guidonis, Clemente Francisci, Nicolao Nicolai, & Taddeo Filippi omnibus de Florentia monachis dicti monasterii ad infrascripta vocatis & rogatis & aliis. Rev. in Christo pater & dominus domnus frater Jeronymus sacre Camaldulensis heremi prior & totius ejusdem ordinis generalis pro se & ejus successoribus, & dicta sacra Camaldulensi heremo & ejus capitulo, ac vice & nomine totius ordinis antedicti & ejus prelatorum & personarum, vigore sui prioratus & generalatus officii, & omni modo via *&c.* constituit, creavit *&c.* ejus verum & legitimum procuratorem *&c.* fratrem Nicolaum abbatem monasterii sancte Helene de Marchia dicti ordinis, licet absentem, ad impetrandas in Romana curia & alibi ubicumque litteras tam simplices, quam legendas, & tam gratiam, quam justitiam continentes, & impetranti seu impetrantibus contra eundem constituentem vel dictam sacram Camaldulensem heremum & ejus capitulum, aut contra ipsum ordinem, vel ipsius ordinis monasteria, & prelatos, & personas, & quodlibet, seu quemlibet vel quamlibet eorum & earum in judicio & extra se modis omnibus opponendum & contradicendum, de loco, judice & notario conveniendum, & eos eligendum, suspectos recusandum, & confidentes dandum, excipiendum, protestandum *&c.* Dans & concedens eidem procuratori *&c.* plenum, liberum & generale mandatum *&c.*

Ego Feus quondam Bindi de Podiobonizi civis Florentinus publicus apostolica & imperiali auctoritate notarius *&c.*

XLII.

Monachi S. Mariæ de Porcilia declarantur exempti a solutione decimæ villæ Campi-longi.

Anno 1390. XXVII. januarii.

Ex originali tabularii S. Michaelis de Muriano.

JAcobus Regna super possessionibus Padue illustris principis, & magnifici & excelsi domini domini Johannis Galeaz Vicecomitis, comitis Virtutum, Mediolani, Padue &c. imperialis vicarii generalis negotiorum gestor ad executionem literarum prefati domini tenoris infrascripti. Dominus Mediolani *&c.* comes Virtutum imperialis vicarius generalis mandamus tibi, quatenus super contentis in supplicatione fratrum monasterii sancte Marie de Porcilia civitatis nostre Padue presentibus introserta facias jus ipsius supplicationibus summarium & expeditum sine strepitu & figura judicii, frivolis exceptionibus & cavillationibus quibuscumque cessantibus quanto magis fieri poterit cum honore nostro, sic quod ipsi supplicantes sibi debitum consequantur, & justam causam non habeant conquerendi. Datum Mediolani die XVIII. augusti M. CCC. LXXXVIIII. Signatum per Gasparinum. A tergo: Nobili viro Jacobo Regne magistro possessionum nostrarum in Padua. Tenor supplicationis: Ex parte oratorum vestrorum fratrum sancte Marie de Porcilia de Padua, necnon monialium dicti monasterii supplicat frater Johannes monachus dicti monasterii vobis nobilissimis & sapientibus viris consiliariis illustris principis domini nostri domini comitis Virtutum, quatenus dignemini facere gratiam specialem, super quadam possessione sita in villa Campi-longi de Padua sine aliqua decimatione libera scribere literas officialibus prefati domini nostri, ne ipsi molestent laboratores prelibati monasterii solvere decimam, que pertinet solummodo fratribus & monialibus, quia ille olim dominus de Carraria extorquebat, & ut ne aliqui alii officiales gravent, dignemini amore Dei virginisque gloriose Marie facere de libris factorie ipsas delere, quia participes eritis suis divinis officiis, atque liberi vestri. In quorum executionem prefatus Jacobus fecit recipi infrascriptos testes pro declaratione antedictorum significatorum per fratres

tres & moniales suprascriptos, quorum testium attestationes sequuntur. M. CCC. XC. die XI. januarii. Antonius Zilioli dictus Cantonus de Campo-longo testis productus pro parte ipsorum fratrum, necnon & monialium ipsius monasterii juratus, interrogatus & examinatus super predictis suo sacramento testificando dixit, se tantum scire de predictis, videlicet quod dicta decima gavisa & possessa fuit per magistrum & fratres, & moniales dicti monasterii. Interrogatus quomodo scit; respondit quod erat eorum laborator. Interrogatus de tempore; respondit, quod sunt bene quadraginta anni preteriti, quod primo vidit ipsos dictam decimam gaudere. Interrogatus quantum tempus gavisi sunt ipsam decimam; respondit nescire. Interrogatus, si cognoscit campos ipsius possessionis, de quibus percipiebant ipsam decimam; respondit, quod sic, videlicet campos quos laborabat ipse testis, de aliis autem dicit nescire. Interrogatus quantum tempus est, quod dicti de Carraria gavisi sunt ipsa decima; respondit quod bene sunt XL. anni, quod ipsos de Carraria vidit gaudere. Interrogatus qualiter scit; respondit quia solvit. Interrogatus, si scit, quod dicta decima sit de jure ipsius monasterii; respondit, quod sic. Interrogatus quomodo scit; respondit quia postquam terre ipsius possessionis erant & sunt dicti monasterii, sic & decima deberet esse dicti monasterii. Interrogatus quot campi sunt illi, qui laborantur per ipsum testem; respondit quod laborat XXXII. campos & qui reddunt decimam. Interrogatus quantum reddit de decima pro dictis campis; respondit starium unum frumenti pro campo, & dicit, quod est annorum LXXVI. Super generalibus recte respondit, die martis XI. januarii. Sgierius Petri de Campo-longo testis productus pro parte ipsorum fratrum &c. dixit se tantum scire de predictis, videlicet, quod sunt preteriti XLV. anni, vidit ipsum monasterium seu agentes pro eo colligere ipsam decimam. Interr. quomodo scit; respondit quia fuit presens non solum semel, sed pluries, quod colligi facere vidit ipsam decimam. Interr. super quibus possessionibus; respondit super possessionibus Campi-longi ipsius monasterii. Interr. super quot campis. ℞. plus de CLVI. vel circa. Interr. quantum tempus est, quod illi de Carraria gavisi fuere ipsam decimam; ℞. suo recordare esse circa XLV. annis. Interr. si ab eo tempore citra ipsi de Carraria semper gavisi sunt; ℞. quod sic usque in hodiernam diem. Interr. qualiter scit ipsam decimam spectare ipsi monasterio; ℞. quod campi predicti dicti monasterii per agentes pro ipso monasterio affictabant nomine ipsius monasterii cum decimis, & solvebant in ratione unius starii frumenti pro quolibet campo. Super generalibus recte respondit, & dixit esse annorum LXVI. die martis suprascripto. Franciscus Bartholomei Favi de Campo-longo &c. dicit quod decima, de qua supra, erat ipsius monasterii, & quod indebite dominus Marsilius de Carraria occupaverat dictam decimam, & aliud nescit &c. Preterea fratres & moniales &c. pro majori certitudine produxerunt coram ipso factore duo publica instrumenta facta usque anno M. CC. XL. diebus nono intrante septembris & decimo intrante mense predicto, & scriptis per Rodulfum Patavinum Clavi sacri palatii notarii inter cetera effectualiter continentia, sicut fratres & moniales predicte domus investiverunt certas personas, & ad certam temporis quantitatem de decima possessionum dicte domus situatarum in dicto loco & territorio de Campo-longo, specificatarum in instrumentis predictis. Super quibus omnibus ipse Jacobus factor habita plena matura & diligenti deliberatione cum dominis Segniorino de Homedeis juris civilis, & Paulo de Dugano ordinario ecclesie majoris Mediolanensis juris utriusque sublimium doctorum in Padua, utrum dicta decima, quamvis annis XL. & pluribus tenta sit per olim dominos de Carraria, sit de jure restituenda ecclesie de Porcilia antedicte; & deliberato, quod in hoc prescriptio temporis duplici de causa non potuit carere, & primo & maxime, quia agi non potuit contra donantem & possidentem, ut erant illi de Carraria olim dicto tempore domini Padue & districtus, secundo quia rei spiritualis possessionem vel quasi nemo secularis aliquo modo habere potest, & sic per consequens nec ipsam rem spiritualem prescribere. Idcirco in executione ipsarum literarum prefati domini, & subsecutarum exinde & delibatarum super ipsis, tenore presentium relaxavit & relaxat predictis fratribus & monialibus ecclesie sive monasterii sancte Marie de Porcilia decimam omnem terrarum & possessionum dicti monasterii sitarum in territorio & villa de Campo-longo majori; ita quod ipsam decimam predicti fratres, & moniales ac ecclesia suprascripta possideant & gaudeant eadem &c. Scribens

proin.

proinde fictabilibus gastaldie Plebis Sacci & ceteris, ad quos spectat, quod de cetero de dicta decima se nullatenus intromittant, sed per ipsos fratres & moniales amodo permittant libere possideri &c. sigillatis & subscriptis presentibus in testimonium premissorum. Datum Padue die XXVII. mensis januarii M. CCC. XC. indictione XIII.

Johannes de la Cruce rationator factorie Padue prelibati domini ejus negotiorum gestoris impositione subscripsit.

Loco † sigilli.

XLIII.

Bonifacius IX. confirmat bullam Urbani VI. concedentis Camaldulensibus indulgentiam dilargitam visitantibus basilicas Urbis.

Anno 1390. V. nonas martii.

Ex autographo S. Michaelis de Muriano. XII. 22.

BOnifacius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Jeronymo priori heremi Camaldulensis, necnon abbatibus, & prioribus, ac dilectis in Christo filiabus abbatissis & priorissis, ac etiam fratribus & monialibus, novitiis & conversis utriusque sexus Camaldulensem ordinem professis universis salutem & apostolicam benedictionem. Sincere devotionis affectus, quem ad nos & Romanam geritis ecclesiam, non indigne meretur, ut votis vestris, illis presertim, per que animarum vestrarum saluti consulitur, libenter intendamus, illaque prosequamur favoribus opportunis. Dudum siquidem pie memorie Urbanus papa VI. predecessor noster ex certis causis rationabilibus ejus ad id inducentibus animum, de fratrum suorum consilio S. R. E. cardinalium, de quorum numero tunc eramus, & apostolice potestatis plenitudine statuit, ut omnes Christi-fideles vere penitentes & confessi, qui in anno a Nativitate domini nostri Jesu Christi millesimo trecentesimo nonagesimo instante tunc futuro, ac deinceps perpetuis temporibus de triginta tribus annis in triginta tres annos beatorum apostolorum Petri, & Pauli basilicas, ac Lateranensem & sancte Marie-majoris ecclesias de Urbe causa devotionis visitarent, plenissimam omnium peccatorum suorum veniam & remissionem consequerentur. Ita videlicet, ut quicumque vellet hujusmodi indulgentiam assequi, si Romanus, ad minus triginta continuis vel interpolatis semel saltem in die, si vero peregrinus aut forensis existeret, modo simili quindecim diebus ad easdem basilicas & ecclesias accedere teneretur, prout in dicti predecessoris literis.... inde confectis plenius continetur. Cum autem sicut exhibita nobis pro parte vestra petitio continebat, vos basilicas & ecclesias supradictas in personis propriis libenter visitaretis pro consequenda indulgentia antedicta, sed propter viarum discrimina, & etiam alia incommoda diversa, que si propter indulgentiam hujusmodi consequendam ad Urbem predictam personaliter accederetis, vobis ac monasteriis & locis ordinis vestri verisimiliter imminerent, seu contingere possent, desiderium vestrum hujusmodi non potestis commode adimplere; quare pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut super hoc vobis salubriter providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui saluti animarum Christi-fidelium, quantum cum Deo possumus, libenter intendimus, hujusmodi supplicationibus inclinati, vobis, ut confessor, quem quilibet vestrum duxerit eligendum, labore personali, quem in veniendi, standi, & redeundi itinere, si propterea ad ipsam Urbem personaliter venissetis, passi fuissetis, in alia per eum vobis pietatis opera, videlicet jejuniis & orationibus commutato, vobis & cuilibet vestrum vere penitentibus & confessis, loco visitationis basilicarum & ecclesiarum predictarum indulgentiam antedictam concedere valeat, ac si prefatas basilicas & ecclesias personaliter visitassetis, tenore presentium auctoritate apostolica indulgemus. Nulli ergo &c. nostre concessionis &c. Si quis &c.

Datum Rome apud sanctum Petrum V. nonas martii pontificatus nostri anno primo.

Sept. S. de Aquila. N. de Piperno.

XLIV.

Sententiæ circa jura salis monasterii S. Gregorii de Urbe.

Anno 1392.

Ex codice antiquo ejusdem monasterii. pag. 126.

IN nomine Domini, amen. Noverint universi presens transumptum publicum

cum inspecturi, quod nos Franciscus de Mercatello decretorum doctor archipresbiter plebis sancte Marie de Confinio Perusine diecesis domini nostri pape capellanus, ejusque, ac camerarii ipsius, & curie camere apostolice generalis auditor vidimus, tenuimus, ac diligenter inspeximus tria publica instrumenta, unum videlicet sententie late per sapientem virum dominum Stephanum domini Petri de Occidementinis dudum judicem palatinum & camere Urbis, scriptam & publicatam manu Cecchi Jacobi Paulini de Albertis. Aliud vero sententie late per dominum Bartholinum de Placentia dudum capitaneum & judicem appellationum & nullitatum Romani populi, scriptum & publicatum manu Petri Pauli quondam Thome de Proficis. Aliud vero sententie late per Lucium Johannis Gottifredi, & Johannem Augustum Jacobelli Paloni dudum Banderensis felicis societatis Balistariorum & Pavesatorum Urbis, & quatuor eorum consiliarios scriptum & publicatum manu Ludovici Blanci de Pellegrinis publicorum notariorum, non vitiata, non abolita, non cancellata, non abrasa, sed omni prorsus vitio & suspicione carentia nobis per reverendum patrem domnum Dominicum de Pensano abbatem venerabilis monasterii sanctorum Andree & Gregorii de Urbe exhibita. Quorum quidem instrumentorum cum subscriptionibus notariorum in eis subscriptorum de verbo ad verbum tenores sequuntur, & sunt tales, videlicet.

In nomine Domini amen. Nos Stephanus domini Petri de Occidementinis judex palatinus & camere Urbis, cui infrascripta causa per magnificum virum Johannem de Cinthiis Dei gratia alme Urbis senatorem illustrem, ejusque providum assertamentum extitit jam commissa vigore cujusdam memorialis seu supplicationis coram ipso domino senatore & ejus assertamento prefate oblationis, cujus quidem supplicationis & memorialis tenor sequitur ascriptus.

In nomine Domini amen. Coram vobis magnifico viro Johanne de Cinthiis Dei gratia alme Urbis senatore illustre, & vestro provido assertamento humiliter supplicatur, & narratur pro parte monasterii sancti Gregorii de Urbe, & dicitur, quod cum ipsum monasterium a tempore, cujus memoria non existit, habuerit in campis Hostiensibus & salinis quamplura fila, in quibus fit sal per salinarios Urbis, & consuevit ab ipsis salinariis ipsum monasterium nomine census & redditus seu pensionis certam quantitatem salis omni anno percipere & habere tempore, quo sal fit, & ipsi salinarii de presenti anno fecerint sal in filis dicti monasterii, pro quibus offerunt sese paratos velle eidem monasterio sal debitum respondere, & ipsum sal coadunatum in dictis campis dimiserunt, & ipsum monasterium interpellaverunt, ut censum eidem monasterio debitum pro dictis filis dictorum camporum vadat & tollat, cum ipsum videlicet sal debitum dimiserint in campis prefatis, & sese excusaverint, & dicant nolle amplius teneri, cum fecerint illud, ad quod tenentur, & monachi dicti monasterii dictum sal non audeant facere de campis predictis asportare vel asportari facere timore prohibitionis pro parte .... donationis facte, quod nullus audeat vel presumat sal de dictis campis extrahere sine dicta speciali licentia & mandato sub pena in bandimento super premissis facto contentis, & quia dictum monasterium ac monachi & conventus dicti monasterii egeant dicto sale in immensum, & ut jura dicti monasterii non habeant deperire, immo semper gaudere valeant donatione dicto monasterio facta per quondam sancte memorie Gregorium papam ejusdem monasterii fundatorem, ad quem dicta territoria jure successionis paterne plene spectabant, & ut nostrum monasterium in perceptione salis per censum dictorum filorum a tanto tempore citra debitum perceptum non turbetur: supplicatur igitur, ut Dei intuitu & misericordia dignemini ipsum monasterium in perceptione census & redditus dicti salis manuteneri juxta formam sacramenti per vos prestiti in publico parlamento tempore senatus officii prelibati coram populo attemptat .. & concedere eidem monasterio & monachis ejusdem, vel alteri pro eis apodixam ac licentiam, ut ipsum sal de campis predictis sine impedimento aliquo valeant ad ipsum monasterium facere asportare, prout ab infinitis temporibus consuevit pro ipsorum libito voluntatis, cum tenemini in his & aliis similibus & majoribus ipsum monasterium favere & in suis juribus conservare. Consideratis, quod ipsum monasterium pro subsidiis presentis guerre solvendis fuit fortiter aggravatum & damnificatum, ut omnibus manifestum existit: cum etiam quia per Petrucium de Columpna castrum sancti Gregorii ipsum monasterium extitit spoliatum, tum etiam quia quantitas salis predicti est

est modica, que in ipso monasterio & pro ejus necessariis divescitur, que non ascendit ad quantitatem viginti-quinque rublorum salis ad plus. Super quo quidem memoriali die ultimo mensis augusti tertie indictionis fuit deliberatum per supradictum senatorem & ejus prefatum assertum, quod satisfiat dominis abbati & monachis dicti monasterii de dicto sale, prout consuevit per tempora retroacta, & quod in predictis adhibeat judicem cause, qui in predictis procedat summarie, & de plano, sine strepitu, & figura judicii, sola facti veritate inspecta. Cecus protonotarius.

Cognoscentes igitur de causa, lite & questione vertente, & que versa est coram nobis inter monasterium sanctorum Andree & Gregorii, prelibatum abbatem & monachos & capitulum .... notarium, procuratorem, syndicum & personam legitimam dicti monasterii, abbatis, monachorum & capituli predictorum procuratores & syndicatores ipsarum, & pro eis actores ex parte una, & nobilem virum Silvestrum de Mutis syndicum Romani populi, dominum Alexium de Rocca-contrata advocatum, & ser Gagliardum Gelli de Orco .... procuratores, & defendentes ex parte altera, pretextu & occasione dicti memorialis & ejus deliberationis prefate, in qua quidem causa processimus secundum formam statutorum Urbis & dicte deliberationis. Unde visis per nos dicto memoriali & ejus deliberationibus predictis, visis productionibus eorumdem *&c.* Visa petitione *&c.* Visis terminis *&c.* Visis omnibus, que videnda fuerunt, & auditis sepe sepius dictis partibus, & his, que dicte partes per sese ipsas & earum advocatos & procuratores eorum nobis dicere, proponere & allegare voluerunt; habita super his matura deliberatione, & quamplurium sapientum consilio, & maxime omnium judicum de assertamento ipsius domini senatoris, in his scriptis, Christi nomine invocato, pro tribunali sedentes ad nostrum solitum banchum juris, & jura reddendi die juridica & hora causarum, ut moris est, hac nostra sententia pronuntiamus, decernimus & declaramus, quod liceat dicto monasterio sancti Gregorii, abbati & monachis ipsius monasterii extrahere, & extrahi facere de campo majori salinario Urbis totum sal debitum ipsi monasterio pro censu filorum, que dictum monasterium habet in dicto campo, & ipsum sal portari facere, quo voluerint pro utilitate dicti monasterii sine contradictione custodum & castellani dicti campi, quibus custodibus & castellano perpetuum silentium imponimus, necnon & quod dominus senator & conservatores camere Urbis, qui nunc sunt, & per tempora erunt, ac alii officiales Urbis, quibus spectaret ad presens, vel spectare contigerit in futurum, teneantur & debeant concedere apodixam & licentiam dicto monasterio dictum sal de dicto campo extrahendi, & portandi pro utilitate dicti monasterii sine solutione aliqua camere Urbis, vel ejus camerario vel officialibus societatis fienda. Lecta, lata, data & pronuntiata fuit dicta sententia, declaratio interlocutoria seu quocumque alio nomine censeatur per dictum dominum Stephanum judicem pro tribunali sedentem, ut supra, presente, & cum instantia petente dicto Meolo procuratore & syndico dicti monasterii procuratorio & syndicatorio nomine ipsius monasterii, nomine ipsius monasterii, & pro eo ac etiam presente, audiente & intelligente dicto ser Gagliardo de Orco procuratore & syndico dicte camere Romane contradicente, sub anno Domini millesimo trecentesimo octuagesimo pontificatus domini Urbani pape sexti indictione quarta mensis septembris die vigesimo-quarto, presentibus his testibus, scilicet Laurentio Stalgn.. notario de regione sancti Eustachii, domino Paulo de Vallat.. & Stefanello domini Pauli Mangracucie notario de regione sancti Angeli ad predicta vocatis specialiter & rogatis. Scripta & publicata fuit presens sententia per me Ceccum Jacobi Paulini de Albertis imperiali auctoritate notarium publicum, & nunc protonotarium & officialem curie Capitolii de mandato dicti judicis.

In nomine Domini amen. Nos Bartholomeus de Placentia licentiatus in decretis & jurisperitus, capitaneus Romani populi & judex appellationum, nullitatum & reductionum ad arbitrium boni viri sententiarum, arbitrorum, & arbitramentorum latorum in Urbe, ipsiusque suburbiis & districtu cognoscentes de causa appellationis & appellationum interpositarum pro parte abbatis & conventus monasterii sanctorum Andree & Gregorii in clivum Scauri de Urbe, a quibusdam gravaminibus & pressionibus factis in prejudicium, ut asseritur, dictorum abbatis & conventus, & a revocatione mandati, de quo infra dicetur, illati & facti per sapientes viros infrascriptos dominos Petrum Nicolai Jacobi jurisperitum, & egregium legum doctorem

ctorem dominum Nicolaum de Calvis, tunc successorem dicti domini Petri, judices palatinos & collaterales curie Capitolii, de & super lite & questione, que versa fuit coram dicto sapiente viro domino Petro Nicolai Jacobi tunc judice palatino & collaterali dicte curie inter dictos abbatem & conventum dicti monasterii, & Nardum Venectum syndicum & procuratorem dicti monasterii ex parte una; & Locente Paulo Smanta, Lello Petri Pecudis, Lucio Eunufri, Sabba Ceccoli & Danesi omnes de regione Transtiberi salinarios, in quibus dicti monasterii de & super censu certo debito per ipsos inquilinos, ut pretendebatur, pro parte ipsius monasterii in festo sancte Marie de mense augusti de certis filis & occasione cujusdam mandati facti ipsis inquilinis per ipsum dominum Petrum tunc judicem & collateralem predictum, de solvendo, dando & reddendo ipsum censum debitum ipsi monasterio, abbati & conventui dicti monasterii ad certum tempus sub certa pena, & priorem, canonicos & capitulum basilice principis apostolorum de Urbe, qui presentaverunt se adversarios dictorum abbatis & conventus in dicta causa, & qui susceperunt in se onus defendendi dictam causam & dictos inquilinos . . . . extra urbem in loco, ubi dicitur in Campo-salini suis confinibus terminato, & eorum occasione ex altera. Viso mandato facto per dictum dominum Petrum collateralem dictis inquilinis &c. Visa comparitione facta per syndicum prioris, canonicorum & capituli basilice principis apostolorum de Urbe &c. Visis pluribus citationibus factis de mandato dicti domini Petri tunc collateralis ad videndum revocari dictum mandatum; Visis quibusdam significatoriis & mandatis factis domino Petro collaterali antedicto per reverendum patrem dominum Jannoctum tunc episcopum Venusinum subconservatorem privilegiorum & jurium dicte basilice, ut pretendebatur sub dat. Rome in hospitio sue habitationis indictione nona die XXI. mensis octobris, quod dictus dominus Petrus nullatenus procederet contra dictos inquilinos ad instantiam dicti domini abbatis asserentis litem hujusmodi pendere coram ipso inter ipsas partes, & alio mandato facto ipsi domino abbati ex parte ipsius domini episcopi subconservatoris &c. Visis omnibus & singulis coram nobis productis & assertis hinc inde, & aliis videndis & considerandis in nostro animo revolutis, Christi nomine invocato, habentes pre oculis solum Deum, pro tribunali sedentes &c. sententiamus, pronuntiamus, decernimus & declaramus dictam sententiam dicti domini Nicolai tunc judicis & collateralis antedicti, & ipsam revocationem dicti mandati ex causis in dicta appellatione contentis, & aliis rationabilibus ex causis nostrum animum moventibus fuisse & esse in causa ipsa nulliter & minus bene processum & sententiatum, ipsiusque domini Nicolai sententiam, quantum de facto processit, infirmandam & revocandam fore, & ipsam infirmamus & revocamus, & ab ipsa pro parte dictorum abbatis & conventus fuisse & esse bene appellatum, & quantum constat nobis ex tenore dicti mandati domini episcopi tunc Venusini subconservatoris antedicti causam negotii principalis inter ipsos abbatem & conventum, priorem & capitulum dicte basilice inchoatam in foro ecclesiastico, & ipsas partes esse ecclesiasticas, & quod agitur de re ecclesiastica. Ideo de partium consensu remittimus ad Romanam curiam ibidem examinandum, & fine debito terminandum, cum partes ipse immediate sint subjecte sedi apostolice, condempnationem expensarum obmittentes ex causa, & predicta dicimus, sententiamus, pronuntiamus, & declaramus omni meliori modo, via, jure & forma, quibus melius possumus & debemus. Lecta, lata, data & in his scriptis sententialiter promulgata fuit dicta sententia per supradictum dominum Bartholinum judicem & capitaneum predictum sedentem pro tribunali, ut supra sub anno Domini millesimo trecentesimo octuagesimo-octavo indictione undecima, pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri domni Urbani divina providentia pape sexti mensis januarii die vigesima-quarta, presente & petente Nardo Benedicto notario procuratore & syndico dicti domini abbatis & conventus dicti monasterii sanctorum Andree & Gregorii, & acceptante, in quantum faciunt pro eis, & contradicente quantum faciant contra eos: & presente & petente Colluccio Nicolai Angelini notario, syndico & procuratore dictorum canonicorum & capituli supradicte basilice, & acceptante in quantum faciat pro eis, & contradicente in quantum faciant contra eos: & presentibus Johanne Laurentio Cecchi Pucii, Johanne Tucii calzozarii, & Cethego Cocciola de Urbe notariis testibus ad predicta vocatis specialiter & rogatis. Scripta & publicata fuit dicta sententia, pronuntiatio seu quovis

vis alio nomine censeatur per me Petrum Paulum quondam Thome Pauli de Proficis de Urbe Dei gratia publicum imperiali auctoritate notarium & judicem ordinarium, & nunc notarium appellationum, de mandato & licentia supradicti domini Bartholini judicis & capitanei supradicti, & ad fidem omnium premissorum meum signum apposui consuetum.

In nomine Domini, amen. Anno a nativitate ejusdem millesimo trecentesimo nonagesimo-secundo pontificatus domini Bonifacii pape noni indictione quinta-decima mensis februarii die decima-septima in presentia mei notarii & testium subscriptorum ad hec specialiter vocatorum & rogatorum. Comparuit personaliter reverendus in Christo pater & dominus domnus frater Dominicus de Pensano abbas venerabilis & sacri monasterii sanctorum Andree & Gregorii in clivo Scauri de Urbe coram nobilibus & egregiis viris Lucio Johannis Gotthifredi, & Johanne Angelo Jacobelli Palani Banderensium, Cecco Johannis Paulicii, Nucio, item Gabriele Paulo Megalocci, & Bucciarono Neapolitano Bucciaroni quatuor consiliariis felicis societatis Balistariorum & Pavesatorum Urbis sedentibus pro tribunali in domibus eorum solite residentie ad banchum audientie ipsorum, & dixit, exposuit & narravit, quod cum a tempore, cujus in contrarium memoria non existit, Campus-saline major, & .... stagnum cum porte maris & cum tota fauce fuerit & sit dicti monasterii, & ad dictum monasterium spectaverit & pertinuerit, & spectat & pertineat pleno jure dominii vel quasi, in quo campo sint fila apta & preparata pro sale conficiendo per emphiteotas & locatarios dicti monasterii pro filis predictis, pro quorum quolibet quilibet emphiteota .... solitus fuit respondere continue anno quolibet, dum sal in eo confectum fuit & conficitur, unam rubicellam salis in dicto campo dicti monasterii & ejus ministris pro censu & canone dictorum filorum singulorum, quod sal licuerit eis abbati & monachis dicti monasterii extrahere de dicto campo, & illud deferre pro utilitate dicti monasterii ad . . . . . . eorum sine licentia custodum, & officialium dicti campi secundum antiquam Urbis consuetudinem. Quo monasterio, & abbati & monachis ejusdem possidentibus dictum campum dicti juris acta fuerit questio inter eos abbatem & monachos dicti monasterii, & fiscum ac officiales Urbis & Romani populi, & castellani & custodes dicti campi, nolentes nec permittentes dictum sal extrahere de dicto campo per abbatem & monachos predictos ratione census jamdicti in anno Domini millesimo trecentesimo octuagesimo, quo anno currente mensis septembris die vigesima-quarta ... lata fuerit sententia pro dictis abbate, & monachis & dicto monasterio per sapientem virum dominum Stephanum domini Petri de Occidimendinis jurisperitum judicem palatinum & camere Urbis predicte, cui hujusmodi causa fuit commissa per nobilem virum Johannem de Cinthiis cancellarium Urbis, & nunc alme Urbis senatorem illustrem, inter alia continetur, quod liceat dicto monasterio, abbati & monachis dicti monasterii extrahere & extrahi facere de dicto campo totum sal debitum dicto monasterio pro censu predictorum filorum, que dictum monasterium habet in dicto campo, & illud totum sal portari facere, quo voluerint pro utilitate dicti monasterii, sine contradictione aliqua, & quod dicti senator, conservator camere & alii officiales Urbis teneantur & debeant concedere apodixam & licentiam dicto monasterio dictum sal de dicto campo extrahendi & portandi pro utilitate dicti monasterii sine solutione aliqua fienda camere, vel camerario Urbis vel officialibus societatis. De qua sententia patet manu Cecchi Jacobi Paulini publici notarii, tunc protonotarii curie Capitolii. Demum post predicta, & ante annis singulis continue usque nunc preter de proxime preterito anno predicti abbas & monachi dicti monasterii dictum censum habuerunt, & dictum sal ab eis emphiteotis receperunt, licentia obtenta ab officialibus Urbis, etiam non obtenta licentia. De quo disposuerunt ad velle eorum extrahendi de dicto campo, portari faciendi ad Urbem, & illud vendendi & distrahendi ad velle eorum pro utilitate dicti monasterii, secundum antiquam consuetudinem, & juxta tenorem dicti monasterii, instrumenti & sententie predicte. Adveniente vero anno proxime preterito, quo sal in dicto campo fuit consuetum, dictus dominus abbas per se & alios, suo & dicti monasterii nomine, habuerunt, receperunt in dicto campo pro censu dictorum filorum ab emphiteotis & locatariis hujusmodi filorum, & dicti campi videlicet rubla salis septuaginta-quatuor, que obtenta licentia a dominis Urbis tunc presidentibus extrahi fecerunt de dicto campo, & illa deferri ad portum Mar-

Marmorate per flumen, quo toto sale ibi portato & delato, domini tunc presidentes alme Urbis misceri fecerunt in sal & infra sal dicte camere, & illud deferri fecerunt ad salaria dicte reipublice, denegantes velle dictis abbati & monachis dictum sal tradere & resignare, immo eos impedientes in predictis nulla legitima causa subsistente in tantum & in effectum, quod ejus totum dictum sal.. dicta septuaginta-quatuor rubla salis ipsi monasterio debita sunt reclusa & recondita in salario dicte camere una cum alio sale reipublice eorum, in prejudicium dicti monasterii & contra juris dispositionem, & contra & preter voluntatem abbatis & monachorum predictorum. Petiit igitur reverenter dominus abbas predictus a dominis antedictis presentibus & intelligentibus, quatenus liceat eis potestate eorum officiorum mandare antepositis ministris, mensuratoribus & officialibus dicte saline Urbis, ut dicta septuaginta-quatuor rubla salis eidem abbati restituant & resignent, & ipsis licentiam tribuent & tribuant illud portandi ad dictum monasterium, & de eis disponendi & faciendi ad velle ejus abbatis & monachorum dicti monasterii pro utilitate eorum, & monasterii antedicti, juxta antiquam Urbis consuetudinem, & juxta dispositionem juris & continentiam dicte sententie. Visis primo juribus & instrumentis, & dicta sententia dicti monasterii, vel dignaretur bonitas eorum Bandi & quatuor habere colloquium de predictis, ea fieri vel non fieri cum aliquo valente viro causidico, qui habeat predicta audire, videre & inspicere, & ipsis dominis & predictis, quod fiendum consulet & persuadeat, & eis dominis dictum monasterium, & ejus jura per omnia tamquam opus pium recommendavit, qui quidem domini Bandi & quatuor sedentes pro tribunali auditis & intellectis seriosius omnibus & singulis predictis, audiente & intelligente dicto domino abbate, auctoritate & potestate eorum officiorum predictorum commiserunt, imposuerunt, & mandaverunt nobili & sapienti viro domino Lucio Calisci legum doctori, quatenus de predictis se informet, & veridicam informationem recipiat, & jura dicti monasterii inspiciat, & ipsis dominis demum consulet, referat, alleget & dicat, quid in premissis sint facturi, & ejus consilium sequi velint, cum jura dicti monasterii non intendant auferre, nec eum ledere, immo ea in omnibus & per omnia augere & ea servare, & jus ipsi monasterio & unicuique alii, ut tenentur, effectualiter tribuere. Actum, ut supra, presentibus & intelligentibus his testibus, videlicet Lello Mattucci notario, Jacobello Petruccii Eunufrii notario de regione Transtiberis, & Cecco Martini notario de regione Capitolii ad hec vocatis specialiter & rogatis. Eodem anno mense februarii die decimo-nono, pontificatus ejusdem, in presentia mei notarii & testium subscriptorum specialiter vocatorum & rogatorum, comparuit personaliter coram dominis antedictis sedentibus pro tribunali, ut supra, nobilis & sapiens vir dominus Lucius Calisci legum doctor & consultor predictus, & retulit dominis antedictis presentibus & intelligentibus se vidisse predictam petitionem dicti domini abbatis, se vidisse etiam omnia jura, acta, instrumenta & documenta dicti monasterii facientia ad petita per dictum dominum abbatem, & dictam sententiam, de qua fit mentio in petitione prefata, & sibi constare recepisse fratrem Petrum Cole Oddonis monachum dicti monasterii nomine dicti monasterii ab emphiteotis & locatariis dicti Campi-salini majoris in anno preterito, dum ibi sal conficiebatur, pro censu filiorum dicti monasterii in totum, videlicet septuaginta-quatuor rubla salis, & ea fore delata ad portum Marmorate a dicto campo per flumen dicti monasterii nomine; & ea fore demum a dicto portu portata ad salarium reipublice, & mixta inter salem dicte camere Urbis, & se vidisse nonnullas scripturas corroborantes jura dicti monasterii, & maxime quamdam assertionem factam per dictum dominum abbatem factam in dicto portu ...... notario publico, tunc notario Taracenorum Urbis, & dicte saline de LXXIIII. rublis salis receptis per dictum fratrem Petrum pro censu filorum predictorum. Et dixit per ea, que vidit & videre potuit, per ea que cognovit & cognoscere potuit, attentis etiam certis consiliis super hac parte quamplurium sapientum virorum, & maxime domini Anselmi de Mediolano utriusque juris doctoris, & domini Bartholomei de Novaria legum doctoris eidem domino Lucio ostensis pro ejus declaratione, prout idem dominus retulit eisdem dominis dicto monasterio deberi dicta LXXIIII. rubla salis pro censu filorum predictorum pro anno proxime preterito, & quod dicti domini possint & debeant declarare dicta LXXIIII. rubla salis deberi pro ipso monasterio, & ea fore injuste ablata dicto monasterio, nec-

non

non condemnat cameram Urbis ad restituendum dictis abbati & monachis dicti monasterii dicta LXXIIII. rubla salis, necnon mandarunt mensuratoribus, ministris, carrateriis & aliis officialibus antepositis dicte saline, quod dicta LXXIIII. rubla salis dent, tradant, mensurent, restituant & assignent dicto abbati & monachis suis vel alteri monachorum predicti monasterii .... abbati & monachis dicti monasterii, eos abbatem & monachos posse dictum totum sal predictum de Urbe extrahere, & de eo disponere, & facere pro utilitate eorum, & dicti, prout eis abbati & monachis videbitur, & placebit, tamquam de re propria dicti monasterii absque solutione aliqua .... dixit, quod sibi de jure videtur fieri in predictis. Actum Rome, ut supra, presentibus & intelligentibus supradictis testibus ad hec vocatis specialiter & rogatis.

In nomine Domini, amen. Nos Banderenses & quatuor antefati cognoscentes de lite, controversia & questione predictis vertentibus coram nobis inter eos abbatem, & monachos dicti monasterii sancti Gregorii ex una parte, & officiales camere Urbis & saline reip. Romane ex alia ratione LXXIIII. rublorum salis petitorum pro parte dictorum abbatis & monachorum a camera Urbis, ut in petitione &c. Unde visa per nos petitione, & habito consilio &c. sedentes pro tribunali in sedibus ligneis dicti palatii nostre residentie sequentes formam juris & dicti consilii, Altissimi nomine invocato, solum Deum habentes pre oculis, in his scriptis dicimus, declaramus & sententiamus dictam cameram Urbis esse obligatam, & teneri dicto monasterio & dictis abbati & monachis ejusdem in dictis LXXIIII. rublis salis, & ea dictis abbati &c. deberi pro anno proxime preterito pro censu filorum dicti Campi-saline majoris ipsi monasterio debito, & ea LXXIIII. rubla salis eos abbatem &c. posse disponere, & in eorum usus & causam dicti monasterii facere pro utilitate dicti monasterii, & de eadem Urbe extrahere pro libito voluntatis eorum abbatis & monachorum, videlicet sine impedimento, & sine aliqua solutione fienda camere Urbis & sociis vel aliis, tamquam & proprium dicti monasterii &c. & condempnamus dictam cameram Urbis ad restituendum dicta LXXIIII. rubla salis dicto abbati &c. Lecta, lata &c. fuit dicta sententia &c. per dictos dominos Banderenses & quatuor sedentes pro tribunali &c. sub anno Domini, M. CCC. XCII. pontificatus domini Bonifacii pape VIIII. indictione XV. mensis martii die XX. presentibus & intelligentibus testibus supradictis &c. Scripta & publicata per me Ludovicum Blanci de Pellegrinis curie Romane &c. notarium.

Que quidem instrumenta nos Franciscus auditor prefatus ad instantiam & requisitionem dicti domini abbatis autorizavimus, & presentium tenore auctorizamus, ipsaque transumi & transcribi & in formam publicam redigi mandavimus, & fecimus per Johannem de Soen nostrum & dicte curie camere apostolice notarium infrascriptum, volentes &c. quod hujusmodi transumpto &c. adhibeatur plena fides &c. Datum & actum Rome apud sanctum Celsum in domo habitationis nostre, presentibus honoratis & discretis viris domino Benedicto Henrico literarum apostolicarum abbreviatore, magistro Pascutio Ceti de Perusio dicte curie camere notario, & Mathia de Turis canonico Panormensi, testibus ad premissa vocatis specialiter & rogatis, sub anno a nativitate Domini M. CCC. XCII. indictione XV. die X. mensis junii pontificatus &c. domini Bonifacii pape VIIII.

Et ego Johannes de Soen clericus Coloniensis diocesis &c. notarius predictorum instrumentorum visioni, inspectioni &c. una cum prenotatis testibus presens interfui &c. & ideo hujusmodi transumptum &c. una cum originalibus instrumentis diligenter auscultatum, & quia ad invicem concordare inveni, in hanc formam publicam redegi &c.

Ego Nicolaus Signorilis notarius, quod olim videlicet sub anno &c. M. CCCC. I. pontificatus domni Bonifatii pape VIIII. indictione IX. mensis augusti die XX. nobiles viri Johannes Palotii de regione Montium, & Sabbas de Gratulis de regione Columpne tunc antepositi salis camere Urbis in anno hujusmodi laborati in campo salineo Urbis dicte, auctoritate eorum officii de CXXIIII. sachis salis ad portum Marmorate conductis nomine domini abbatis sancti Gregorii de Urbe de sale dicto monasterio debito pro jure filorum ipsius, in quo & in quibus sal hujusmodi extitit laboratum & collectum, concesserunt dicto monasterio pro jure ipsius monasterii sacca XXIIII. dicti salis. Residuum autem, videlicet quod nectatum fuit ad rubra salis necta & abinsulata LXIIII. posuerunt in salare Urbis, de quibus fuit dicto monasterio satisfactum de pretio ad illam

illam rationem, ad quam satisfactum fuit aliis salinariis, prout patet inter in libris mei Nicolai predicti tunc notarii dictorum antepositorum.

Item, quod anno &c. M. CCCC. IIII. pontificatus domini Bonifatii pape VIIII. indictione XII. mensis augusti die XXI. nobiles viri Paulutius Petri Matthei, Gotius Nardi Gotii tunc antepositi alterius salis in dicto anno facti & laborati in campo predicto, auctoritate eorum officii concesserunt dicto monasterio de LXXXII. sachis salis ad dictum portum conductis nomine dicti monasterii pro jure filorum monasterii predicti, in quibus dictum sal extitit factum & recollectum, videlicet pro XCV. partibus filorum dicti monasterii ad rationem unius rubicelle salis pro qualibet parte, rubla salis XXXXVII. & dimidium. Residuum vero in utilitatem Urbis converterunt, & ideo ad fidem predictorum presentem cedulam propria manu scripsi & subscripsi.

Nicolaus Signorilis notarius dictorum antepositorum.

XLV.

Bonifacius IX. concedit indulgentiam visitantibus ecclesiam S. Mariæ de Vertighe.

Anno 1393. IV. kl. septembris.

Ex tabulario ejusdem ecclesiæ.

BOnifacius episcopus servus servorum Dei universis Christi-fidelibus presentes literas inspecturis salutem & apostolicam benedictionem. Licet is, de cujus munere venit, ut sibi a suis fidelibus digne & laudabiliter serviatur, de abundantia sue pietatis, que merita supplicum excedit & vota, bene servientibus sibi multo majora retribuat, quam valeant promereri. Nihilominus tamen desiderantes Domino reddere populum acceptabilem & bonorum operum sectatorem, fideles ipsos ad complacendum sibi quasi quibusdam allectivis muneribus, indulgentiis scilicet & remissionibus . . . . tamus, ut exinde reddantur divine gratie aptiores. Cupientes igitur, ut ecclesia sancte Marie de Vertighe Aretine diocesis congruis honoribus frequentetur, & etiam conservetur, & ut Christi-fideles eo libentius causa devotionis confluant ad eamdem, & ad ipsius conservationem manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono celestis gratie uberius conspexerint se refectos, de omnipotentis Dei misericordia & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus & confessis, qui in Nativitatis, Circumcisionis, Epiphanie, Resurrectionis, Ascensionis & Corporis Domini nostri Jesu-Christi, ac Pentecostes, necnon Nativitatis, Annunciationis, Purificationis & Assumptionis beate Marie virginis, ac Nativitatis beati Johannis-baptiste, ac apostolorum Petri & Pauli predictorum, ac ipsius ecclesie dedicationis festivitatibus, & celebritate omnium Sanctorum, & per ipsarum Nativitatis, Epiphanie, Resurrectionis, Ascensionis & Corporis Domini, ac Nativitatis & Assumptionis beate Marie, & Nativitatis beati Johannis, ac Petri & Pauli predictarum festivitatum octavas, & per sex dies dictam festivitatem Pentecostes immediate sequentes ecclesiam ipsam devote visitaverint annuatim, & ad ejus conservationem manus porrexerint adjutrices, singulis videlicet festivitatum, ac celebritatis septem annos & totidem quadragenas, octavarum vero & sex dierum predictorum diebus, quibus ecclesiam eamdem visitaverint, & ad dictam conservationem manus porrexerint adjutrices, ut prefertur, centum dies de injunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus. Volumus autem, quod si alias aliqua indulgentia visitantibus ecclesiam predictam vel ad ejus fabricam aut hujusmodi conservationem manus porrigentibus adjutrices, aut alias inibi pias eleemosynas erogantibus in perpetuum vel ad certum tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit, hujusmodi presentes litere nullius existant roboris vel momenti. Datum Perusii IV. kal. septembris pontificatus nostri anno quarto.

Pendet sigillum plumbeum cum literis BONIFACIUS pp. VIIII.

XLVI.

Abbas Morronensis concedit castrum Montanini & alia bona in feudum Nicolao comiti Montis-scudarii.

Anno 1394. XI. junii.

Ex apographo ecclesie Volaterranæ.

IN nomine sancte & individue Trinitatis, amen. Ad honorem omnipotentis Dei & beate Marie semper virginis

nis gloriose matris ejus & totius celestis curie Paradisi, & ad honorem & exaltationem reverendi in Christo patris & domini domni fratris Andree generalis prioris infrascripti & totius ordinis Camaldulensis. Venerabilis in Christo pater donnus frater Georgius de Venetiis abbas monasterii & abbatie sancte Marie de Morrona Pisani comitatus & ordinis Camaldulensis, in presentia, voluntate & consensu reverendi in Christo patris & domini domni fratris Andree de Faventia Dei & apostolice sedis gratia sancte Camaldulensis eremi & totius ejusdem ordinis prioris generalis, ejusque decreto & auctoritate in his omnibus & singulis interposita, vice & nomine dicti monasterii, & pro ipso monasterio sancte Marie, & pro ipsius monasterii magna, imo maxima exaltatione & utilitate, & totius ordinis Camaldulensis predicti, considerata presertim magna potentia & excellentia egregii & potentis viri Nicolai comitis de Monte-scudario honorabilis civis Pisani, filii olim egregii viri Johannis comitis de Monte-scudario; considerato etiam quod memoratus dominus haberi possit pro fideli & defensore monasterii & ordinis supradicti, occasione infrascriptorum, que sibi inferius in feudum tradi debent, & maxime etiam cum de infrascriptis, que sibi conceduntur in feudum, ipsum monasterium nulla potest, nec actenus potuerit emolumenta percipere vel proventus propter quorumdam aliorum magnatum potentiam jura infrascriptorum concedendorum in feudum indebite occupantium, quos prefatus comes Nicholaus per suam potentiam desistere faciet ab occupatione predicta; & consideratis etiam aliis, que horum occasione deveniunt in utilitatem & exaltationem monasterii & ordinis supradicti, hec omnia & singula prefato domino generali priore & dicto domino abbate tractantibus inter se, esse vera & utilia, ut dictum est; & considerato etiam maxime per prefatum dominum generalem priorem & dictum dominum abbatem grata devotionis obsequia & favoris, que olim bone memorie magnificus & potens vir Bonifacius comes de Donoratico & sexte patris regni Galluritani dominus, cui per cartam rogatam a ser Oliverio Maschione notario olim Michaelis Dominice incarnationis anno M. CCC. VI. indictione quarta XV. Kalendas februarii infrascripta omnia per religiosum virum dompnum Conradum tunc dicti monasterii & abbatie abbatem in feudum fuerunt concessa pro conservatione monasterii supradicti; & etiam considerato, quod prefatus comes Nicholaus est de prosapia & in patrimonio, ut dicitur, prefati magnifici domini Bonifacii comitis, & ex dicto domino comite Bonifacio nullus appareat filius masculus seu descendens, per hoc publicum instrumentum dedit & tradidit & libere concessit prefato domino comiti Nicholao de Monte-scudario stipulanti & recipienti pro se & omnibus suis heredibus & proheredibus masculini sexus, ex eo & eis descendentibus in perpetuum, in feudum & jure feudi medietatem integram pro indiviso totius castri Montanino pleberii Balnei de Aquis, & ejus territorii, dominii & proprietatis, pastus & pasture nemorum, salvis honoribus patronatus, & jurisdictionis pertinentiarum & confinium poderium, & adjacentiarum ejus; & etiam omnia jura & nomina & actiones, & partem aliam, que & quas & quam ipse abbas pro ipso monasterio sancte Marie de Morrona & ipsum monasterium habet & habere potest, & sibi quoquomodo & jure competunt & competere possunt in ipso castro de Montanino & ejus jurisdictione, appendiciis, proprietatibus, dominio, pastu, & pastura, nemoribus, saltibus, honoribus, proventibus, pertinentiis & confinibus & poteribus & adjacentiis. Et etiam potere olim lucratum seu alio modo concessum per ipsum monasterium domino Rainerio de Vivario & nunc Mino Pieri de Vivario, & potere aliud emptum per ipsum monasterium a domino Rubaldino, quod nunc tenet aliquis de Aqua in dicta contrata de Montanino vel parum distanti positum, & cum omni jure, proprietate & pertinentiis & adjacentiis predictorum. Et insuper omnia jura & nomina, & omnes actiones & rationes utiles & directas, reales, personales & mixtas, & quaslibet alias in predictis ei & dicto monasterio quoquomodo & jure competentes & competentia, & cujus quidem castri hii sunt & protenduntur confines, videlicet a prima parte usque ad confines Montis-vagi, & a secunda parte Rivalti & consortum, & a tertia communis Morrone, & a quarta communis Parlasci & Balnei de Aquis, vel si qui alii vel alia, aut ultra vel minus protenduntur ejus confines. Quod iis omnibus & singulis suprascriptis vel infrascriptis suprascriptus dominus comes Nicolaus & sui heredes & proheredes in perpetuum inde agant & excipiant & recipiant, & se & predicta tueantur, & agere, excipere & experiri, & se & predicta tueri possint & valeant contra omnem personam & locum, & ab

omni

omni persona & loco, & per stipulationem solemnem suprascriptus dominus abbas vice & nomine dicte sue abbatie promisit & convenit suprascripto comiti Nicolao stipulanti & recipienti pro se & suis heredibus & proheredibus in perpetuum, ut dictum est, eum & eos non inbrigare vel molestare, aut per placitum, vel alio modo fatigare in infrascriptis supra ab eis ipsi domino comiti Nicolao in feudum traditis & concessis, sed predicta omnia ei & suis heredibus & proheredibus, ut dictum est, defendere & disbrigare, & auctor & defensor & principalis disbrigator inde esse & existere ei & suis heredibus & proheredibus ab omni imbriganti persona & loco, & vacuam, liberam & corporalem possessionem de predictis eidem domino comiti Nicolao & suis heredibus & proheredibus dare & tradere, & eum & suos heredes & proheredes semper facere potiores & auctores omni alia persona & loco circa predictarum & possessionum & prediorum supra concessorum. Et hanc concessionem & omnia & singula suprascripta firmam & firma habere & tenere, & contra non facere & venire ullo modo vel jure, alioquin si predicta hec omnia & singula, & quodlibet eorum sic non fecerit & non observaverit, & facta & observata non fuerint, aut si contra vel aliquid eorum fecerit vel venerit, aut si contra factum vel ventum fuerit in aliquo, penam dupli librarum quingentorum denariorum Pisanorum & tertiam totius ejus, de quo ageretur, & damnum & dispendium totum & interesse, quod propterea sequeretur, eidem domino comiti Nicolao per stipulationem solemnem componere & dare convenit & promisit; obligando inde se predicto monasterio de Morrona & ipsum monasterium ac ejus bona & successores ei & suis heredibus & proheredibus, renuntiando omni juri, auxilio *&c.* & sic precepit, & baliam & potestatem dedit eidem domino comiti Nicolao pro se & suis heredibus & proheredibus ingredi, & apprehendere possessionem predictorum, quatenus eorum nomine proprio & jure predicto ea possideant. Et sic se pro eo & ejus heredibus & proheredibus se constituit precario possidere, intellecto semper in omnibus supradictis, quod in predictis non intelligatur concessus patronatus ecclesie sancti Laurentii de Montanino, & rumitorium terre veteris & nove, qui & quod in hoc contractu non veniant. Quapropter suprascriptus dominus comes Nicolaus pro se & suis heredibus & proheredibus masculi sexus solempni stipulatione interposita convenit & promisit suprascripto domino abbati sancte Marie de Morrona, ut dictum est, & ad sancta Dei evangelia juravit, tactis corporaliter Scripturis esse fidelis & defensor suprascripti monasterii & dicti domini abbatis & aliorum abbatum dictum monasterium canonice intrantium, & ipsum monasterium & ejus bona defendere & tueri, & etiam defendere prefatum dominum priorem Camaldulensem & ipsum ordinem Camaldulensem ubique locorum toto ejus posse bona fide in perpetuum. Et alias in festo Nativitatis beate Marie virginis gloriose mensis septembris per se vel suum procuratorem dare annuatim in perpetuum ipsi monasterio super altare ipsius monasterii de Morrona unum candelum cere ponderis unius libre ponere seu poni facere pro censu & nomine census predictorum. Et se reverenter misit in manibus dicti domini abbatis, & sacramentum debite & solite fidelitatis fecit & prestitit, ipsumque comitem Nicolaum prefatus dominus abbas ad osculum pacis recipiendo, predicta quidem prefatus dominus comes Nicolaus facere & observare promittit ad suprascriptam penam, & sub ypoteca & obligatione sui & heredum bonorumque suorum, renuntiando omni juri & legum auxilio *&c.* rogantes me Jacobum notarium de Ceuli, & ser Leonardum de Castillione Aretino notarium & scribam publicum prefati domini generalis prioris, & quemlibet nostrum insolidum, ut de predictis & quolibet predictorum publicum & publica conficeremus instrumenta. Actum Pisis in capitulo monasterii sancti Michaelis de Burgo Pisano, presentibus ven. in Christo patre & domino Rainerio de Pisis abbate supradicti monasterii sancti Michaelis, & ven. in Christo patre domno Bartholomeo de Burgo-sancti-Sepulchri abbate monasterii de Burgo ordinis supradicti, & nobili viro presbytero Corradino quondam Jacobi Bandini de nobilibus de Caprona de Pisis testibus ad hec vocatis & rogatis Dominice incarnationis anno M. CCC. XCIII. indictione I. die secundo januarii secundum ritum & consuetudinem Pisanorum.

In Dei nomine, amen. Pateat omnibus evidenter presentium suprascriptorum duorum instrumentorum paginam inspecturis, qualiter postea egregius vir comes Nicolaus suprascriptus fecit *&c.* suum procuratorem & certum nuncium Sigerium quondam Tondi de Cascina de capella

capella sancte Cecilie presentem ad recipiendum & apprehendendum, & corporaliter intrandum in possessionem & tenutam corporalem omnium suprascriptarum rerum & poderium sibi domino comiti supradatarum & concessarum a fratre domino Georgio abbate predicto &c. Actum in rei corpore plebis Balnei de Aquis, videlicet in plebe sancte Marie posite in dicto communi &c. Dominice incarnationis anno M.CCC. XCIV. indictione I. die XI. junii.

Postea vero etiam ven. pater domnus Georgius abbas predictus &c. coram me Jacobo notario &c. induxit suprascriptum procuratorem suprascripti domini comitis Nicolai in corporalem possessionem suprascriptarum rerum & poderium &c. qui vero Sigerius procurator procuratorio nomine &c. apprehendit corporalem possessionem & tenutam omnium predictorum jure & nomine feudi &c. anno M. CCC. XCIV. indictione I. die XI. junii.

Ego Jacobus filius Pieri olim ser Jacobi dudum ser Pieri de Cieulo civis Pisanus imperiali auctoritate notarius & judex ordinarius predicta omnia & singula rogata & scripta a suprascripto ser Jacobo ser Pieri di Cieulo notario avo meo, prout in ejus actis inveni, ita hic fideliter scripsi &c.

XLVII.

Scarpetta de Ordelaffis ep. Foro-liviensis & Benedictus ep. Sarsinas concedunt indulgentiam visitantibus ecclesiam parthenonis S. Christinæ de Foro-livio.

Anno 1394. VIII. maji.

Ex autographis archivi S. Salvatoris de Foro-livio.

SCarpetta de Ordelaffis Dei & apostolice sedis gratia episcopus Foro-liviensis dilectis in Christo . . abbatisse & monialibus monasterii sancte Christine de Foro-livio Camaldulensis ordinis salutem in Domino sempiternam. Sanctorum meritis inclyta gaudia fideles Christi assequi minime dubitantes, qui eorum patrocinia per condigne devotionis obsequia promerentur, eumque voveant in ipsis, quorum gloria ipse est & retributio premiorum. Nos enim ad predicta consequenda gaudia causam dare fidelibus cupientes, de omnipotentis Dei misericordia & gloriose Marie semper virginis, necnon & beatorum Valeriani martyris, sociorumque ejus, & beati Mercurialis confessoris patronorum nostrorum meritis confidentes, omnibus vere penitentibus & confessis, qui ad monasterium predictum in festo sancte Christine, quod ipsius sancte vocabulo insignitur, in Nativitate & Resurrectione Domini ac Ascensione ipsius, & die Pentecostes, in quatuor festivitatibus B. V. Marie, in festivitatibus omnium apostolorum ac in die omnium Sanctorum, causa visitationis accesserint reverenter, & qui vobis grata pietatis subsidia & pias eleemosynas duxerint erogandas, quadraginta dies de injunctis sibi penitentiis misericorditer in Domino relaxamus. Omnes quoque indulgentias vobis & vestro monasterio per quoscumque dominos pontifices vel prelatos concessas ratificamus & acceptamus, ipsasque tenore presentium confirmamus. In quorum omnium testimonium, & ad predicte nostre confirmationis & concessionis roboris firmitatem has patentes literas fieri jussimus nostri sigilli munimine roboratas. Datum Foro-livii in episcopali palatio anno a nativitate Domini M. CCC. XCIV. indictione secunda pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri domini Bonifacii divina providentia pape IX. die VIII. madii.

Benedictus Dei & apostolice sedis gratia episcopus Sassanatensis dilectis in Christo . . abbatisse & monialibus monasterii sancte Christine predicti salutem in Domino sempiternam. Cum ad nostram pervenerit notitiam, quod vos reedificare domos vestras & dicti monasterii intendatis, nec vestre & dicti monasterii proprie non suppetant facultates, universos & singulos presentium literarum lectores hortamur in Domino, quatenus de bonis ipsis a Deo collatis pias ad hec eleemosinas & grata eis caritatis subsidia debeant erogare, ut per ipsorum subventionem dictarum monialium inopie consulatur. Nos vero de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum apostolorum Petri & Pauli, necnon beatorum Valeriani & Mercurialis patronorum predictorum, beatique Vicini patroni nostri gratia confidentes, ac etiam de auctoritate rev. in Christo patris & confratris nostri domini Scarpette prenominati, omnibus & singulis vere penitentibus & confessis, qui ad prefatum monasterium sancte Christine in ipsius festo ac etiam omnibus aliis festivitatibus prefatis causa visitationis reverenter accesserint, & grata subsidia pietatis, piasque eleemosinas vobis erogandas duxerint seu porrexerint, XL. dies de injunctis sibi penitentiis misericorditer in Domino relaxamus.

mus, In quorum omnium testimonium presentes literas fieri per Andream magistri Simonis dicti rev. patris & fratris nostri domini Scarpette episcopi predicti capellanum & scribam infrascriptum jussimus, nostrique pontificalis sigilli una cum prefati rev. patris & fratris nostri domini episcopi nostri sigillo fecimus appensione muniri. Datum Foro-livii in episcopali palatio anno, indictione, die & pontificatu predictis.

Andreas magistri Simonis Foro-liviensis dicti domini episcopi Foro-liviensis capellanus & scriba utriusque mandato scripsi.

XLVIII.

Andreas prior Camaldulensis abbati S. Michaelis de Muriano Paulo Venerio concedit licentiam alienandi bona immobilia, utpote nimis dissita ab eodem monasterio.

Anno 1394.

Ex autographo ejusdem monasterii. Caps. LXVI. 26.

FRater Andreas sancte Camaldulensis heremi prior, ac totius ejusdem ordinis generalis dilecto filio nostro dompno Victori priori claustrali monasterii sive abbatie sancti Michaelis de Murano prope Venetias dicti Camaldulensis ordinis & Castellane diocesis salutem cum benedictione perenni. Sane petitio pro parte ven. viri dompni Pauli Venerii de Venetiis abbatis abbatie prefate nobis exhibita continebat, quod licet ipsa abbatia nonnullas res, possessiones & loca immobilia habeat posita in partibus nimium separatis ab ipsa abbatia, scilicet in castro Pirani, Instrie, Justinopoli, in civitate Triesti, in castro Ruigni, in civitate Tarvisii, & in castro Opitergii comitatus civitatis proxime supradicte, & seu in comitatibus, territoriis sive districtibus dictorum locorum, paucos tamen fructus, non sine gravibus laboribus & expensis ex illis percipit, seu percipere potest. Quare pro parte dicti dompni Pauli abbatis jamdicti nobis pluries petitum fuit & humiliter supplicatum, ut sibi res, possessiones & bona, ut premittitur, positas infeudandi, vendendi &c. licentiam de benignitate concedere dignaremur. Nos igitur dictarum rerum possessiones atque bona &c. habentes presentibus pro expressis, petitioni & supplicationi hujusmodi inclinati discretioni tue &c. per presentes literas nostras committimus & mandamus, quatenus de premissis &c. te diligenter informes, & si per informationem hujusmodi repereris, quod hujusmodi infeudatio, venditio &c. si fiant, cedant in evidentem utilitatem abbatie prefate &c. ipsi abbati vendendi, infeudandi &c. consensum prebeas & licentiam largiaris &c.

Datum &c. in monasterio Fontis-boni anno Domini a nativitate ejusdem M. CCC. XCIV. indictione secunda secundum usum nostrarum partium Casentini, tempore sanctissimi patris & domini domini Bonifacii pape noni die ultima mensis julii, presentibus religioso viro dompno Stephano Guilielmi de Francia monacho Camald. ordinis, Dominico Ducii de Castelione Aretino, & Nicolao Johannis de Faventia familiaribus dicti domini generalis &c. testibus ad predicta omnia vocatis & rogatis.

† Ego Franciscus olim ser Pieri de Montegranelli partium Romandiole publicus imperiali auctoritate notarius & judex ordinarius, & nunc notarius & scriba subscripti domini generalis &c. scripsi & fideliter publicavi &c.

Pendet sigillum cereum.

XLIX.

Bonifacius IX. unit eremo Camaldulensi abbatiam Vallis-castri.

Anno 1394. II. nonas septembris.

Ex veteri apographo in volumine Umbriæ archivi S. Michaelis de Muriano.

BOnifacius episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. In superne dignitatis specula constitutus &c. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Andree prioris eremi Camaldulensis & Angeli abbatis monasterii sancti Romualdi Vallis-castri & ordinis sancti Benedicti Aretine & Camerinensis diocesis, necnon eremi & monasterii predictorum conventuum petitio continebat, quod monasterium ipsum, in quo corpus dicti sancti Romualdi, qui etiam principium fuit Camaldulensis ordinis, requiescit & quod per eum primo fundatum extitit, adeo in suis edificiis est collapsum, qdod neque ipse abbas, neque alius monachus residet, sed porci & alia bruta reducuntur in eo, ipsique prior & dicti eremi conventus parati sunt

dictum

dictum monasterium facere reparare, & inibi monachos prefati Camaldulensis ordinis ponere, dum tamen monasterium ipsum ad eumdem Camaldulensem ordinem reducatur. Quare pro parte ipsorum prioris, abbatis & conventuum nobis fuit humiliter supplicatum, ut dictum ordinem sancti Benedicti in suo prefato monasterio supprimere, dictumque monasterium eidem eremo incorporare, annectere & unire, ita quod monasterium ipsum Camaldulensis, & non sancti Benedicti ordinum predictorum existat & nuncupetur de cetero, de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui religiosorum locorum & personarum quietem & piorum locorum instaurationem & augmentum intensis desideriis affectamus, sperantes per hoc divinum cultum in dicto monasterio adaugeri, hujusmodi supplicationibus inclinati, prefatum monasterium, ac in eo abbatialem dignitatem auctoritate apostolica supprimimus per presentes, ipsumque monasterium ad conventualem dicti Camaldulensis ordinis reducimus, prioratumque illius eidem eremo incorporamus, annectimus & unimus, statuentes ac etiam ordinantes, quod perpetuo censeatur ac etiam nuncupetur, cum omnibus membris, juribus, jurisdictionibus ac pertinentiis suis prefate eremo subsit, prout alia monasteria & loca dicti Camaldulensis ordinis eidem eremo subesse dinoscuntur. Et etiam monachi & conventus ipsius prioratus illis gaudeant & gaudere debeant privilegiis, exemptionibus & immunitatibus, quibus alie persone dicti Camaldulensis ordinis quomodolibet potiuntur; & nihilominus indulgemus, ut prefatus Angelus abbas & monachi dicti prioratus, qui nunc sunt, possint & debeant eumdem Camaldulensem ordinem profiteri, & habitum regularem ejusdem Camaldulensis ordinis assumere, & ibi perpetuo remanere juxta ritum & consuetudinem Camaldulensis ordinis antedicti; quodque quamprimum abbas & major pars conventus ejusdem prioratus ipsum Camaldulensem ordinem professi fuerint, statutum & ordinatio hujusmodi & non alias vendicent sibi locum, & quod dictus abbas de cetero, non abbas, sed prioratus ejusdem absque alia institutione prior existat. Et quod imposterum quandocumque ipsum prioratum vacare contigerit, prior per electionem dictorum conventuum dicte eremi & ejusdem prioratus ad ejus regimen assumatur. Constitutionibus apostolicis &c. non obstantibus &c. Nulli ergo &c. paginam nostre suppressionis, reductionis, incorporationis, annexionis, unionis, statuti, ordinationis, concessionis & constitutionis &c.

Datum Rome apud sanctum Petrum secundo nonas septembris pontificatus nostri anno quinto.

L.

Sententia circa bona & jura monasterii S. Michaelis de Lemmo.

Anno 1394. x. decembris.

Ex tabulario S. Mathiæ de Muriano.

IN Christi nomine, amen. Cum nos Thomas Justiniano pro serenissima & excellentissima Ducali dominatione nostra Venetiarum potestas sancti Laurentii Ducales literas recepimus cum una dotatione & una sententia ipsis Ducalibus literis introclusis, quarum literarum (ommissa hic brevitatis causa serie predictarum dotationis & sententie, quia alibi in allegationibus partium ipsarum continentiam sive effectum latius declarabimus) tenor sequitur & talis est.

Antonius Venerio Dei gratia Dux Venetiarum &c. Nobili & Sapienti viro Thomasino Justiniano de suo mandato potestati sancti Laurentii fideli dilecto salutem & dilectionis affectum. Rev. pater dominus abbas sancti Michaelis de Muriano asserit, quod per homines sancti Laurentii occupantur certa territoria pertinentia monasterio sancti Michaelis de Lemo conjuncto & copulato per generalem ordinis, ut clare nobis apparuit, cum monasterio antedicto, & propterea nobis humiliter supplicavit, ut dignaremur vobis tradere in mandatis, quod debeatis ipsum audire, & jura sua, & similiter partem alteram, ac eidem ministrare debitum juris & justitie complementum, & licet nos videri & examinare fecimus dotationem quamdam factam ipsi monasterio sancti Michaelis de Lemo, & unam sententiam latam per nobilem virum olim ser Marcum Cornario in M. CCC. XLIV. precessorem vestrum missas, & quas vobis mittimus presentibus introclusas; tamen quia hujusmodi differentie terminorum & confinium male decerni possent, nisi ad oculum viderentur, fidelitati vestre cum nostris consiliis Rogatorum & Additionis scribimus & mandamus, quatenus audire debeatis dominum abbatem predictum vel

vel suum procuratorem, & jura sua, ac examinare tam ipsum instrumentum dotationis, quam sententiam dicti quondam ser Marci Cornario, & omnia alia jura & instrumenta, que producentur per partes, facientia ad istud factum, & si necesse fuerit videre territoria & loca ad oculum, & ipsis omnibus auditis, visis & examinatis sententiare & terminare, sicut vobis secundum Deum & justitiam justum & conveniens apparebit. Datum in nostro Ducali palatio die XXV. octobris indictione III.

Nos volentes literas ipsas executioni, modo quo possumus meliori, mandare, rev. patri domino fratri Paulo Venerio de Venetiis abbati monasterii predicti sancti Michaelis de Muriano Torcellane diocesis ordinis Camaldulensis literarum Ducalium predictarum exhibitori seu procuratori audientiam prebere obtulimus juris debitum tam sibi, quam parti alteri ministrare. Quocirca coram nobis comparuit religiosus vir frater Lazarus de Venetiis dicti ordinis monachus sancti Michaelis de Muriano tamquam sindicus & procurator capituli & conventus monasterii predicti in solidum constitutus una cum nobili viro domino Laurentio Bembo qu..... cive Veneto & habitatore in contrata sancti Canciani, absente tamquam presente, necnon & religiosis viris domno Jacobo de Parentio, & fratre Bartholomeo de Vincentia monachis dicti monasterii sancti Michaelis de Muriano, prout de dicto sindicatu & procuratoriatu constare vidimus publico instrumento scripto manu Bartholomei Lodovici filii quondam Soliti de Venetiis notarii &c. sub die XVIII. mensis octobris M. CCC. XCIV. indictione secunda, & coram nobis producto, lecto & publicato per notarium & cancellarium nostrum infrascriptum, ac etiam recommendato per literas Dominationis Ducalis nostre prefate; & presentavit sive porrexit sindicario & procuratorio nomine supradicto, presentibus discretis viris ser Andrea quondam ser Maxuli & Valcogna de Antinagna civibus & habitatoribus sancti Laurentii tamquam sindicis & procuratoribus, ac sindicario & procuratorio nomine communis & hominum sancti Laurentii comparentibus, prout de sindicatu predicto & procuratoriatu constat publico instrumento per dictum notarium & cancellarium nostrum coram nobis lecto & publicato & scripto sub die X. mensis novembris M. CCC XCIV. indictione secunda contra & adversus dictos procuratores & sindicos communis sancti Laurentii, seu ipsum commune, infrascriptam petitionem seu libellum, cujus tenor per omnia talis est.

Coram vobis egregio & nobili viro domino Thomasino Justiniano pro serenissimo & etiam ducali dominio Venetiarum honorando potestate castri sancti Laurentii comparet frater Lazarus de Venetiis monachus sancti Michaelis de Muriano Castellane diocesis ordinis Camaldulensis tamquam sindicus & procurator, & sindicario & procuratorio nomine capituli & conventus prefati monasterii sancti Michaelis de Muriano dicens & proponens, quod per communitatem & homines castri & terre sancti Laurentii predicti occupantur & detinentur quedam possessiones, territoria & bona in infrascriptis confinibus posita, que possessiones &c. spectant pleno jure monasterio sancti Michaelis de Lemo. Quod quidem monasterium sancti Michaelis conjunctum & copulatum est prefato monasterio sancti Michaelis de Muriano. Quare petit per vos dominum potestatem dictos communitatem & homines castri, & terre sancti Laurentii predictos condemnari, & condemnando compelli ad relaxandum & evacuandum dictas possessiones &c. tamquam non veros & male fidei possessores, & dictum fratrem Lazarum procuratorem &c. poni in tenutam & corporalem possessionem dictarum possessionum &c. tamquam verum dominum ipsarum ad eum dicto nomine pleno jure spectantium. Item petit expensas factas, & de fiendis protestatur. Hi sunt confines possessionum, territoriorum & bonorum supradictorum. Incipiunt enim a monte, qui dicitur Paxinus &c. ut in dotatione inferius annotata confinia ipsa seriosius extenduntur, que ideo hic omittimus causa brevitatis. Et insuper dictus frater Lazarus &c. in sui favorem ad verificandum & probandum petitionem suam sive libellum, & in illo contentam produxit & allegavit dotationem, de qua supra in Ducalibus literis fit mentio, sive instrumentum dotationis facte dicto monasterio sancti Michaelis de Lemo de dictis territoriis, possessionibus & bonis contentis in dicta petitione, tenorem, qui sequitur, continentem.

In nomine sanctissime & individue Trinitatis anno Dominice incarnationis M. XL. regni domini Henrici felicissimi regis anno VI. mense maji die XII. indictione X. Ecclesiarum Dei status non tam edificiis, quam edificatorum beneficiis

ficiis confirmatur *&c. Integram hujus dotationis chartam edidimus in Appendice T. II. horum Annalium col.* 80. *&c.*

Ac etiam produxit, & allegavit sindicario & procuratorio nomine predicto sententiam latam per quondam dominum Marcum Cornario capitaneum Paysinatici sancti Laurentii in M. CCC. XLIV. indictione VIII. die veneris XXV. mensis februarii scriptam per Andream filium magistri Castellani de Bassano notarium publicum & prefati domini Capitanei cancellarium coram nobis lectam & vulgarizatam per nostrum notarium & cancellarium infrascriptum, de qua supra fit mentio in ducalibus literis infrascriptis, que quidem sententia in aliqua sui parte continebat, quod vertente tunc causa & questione coram ipso domino Capitaneo inter commune & homines Ursarie ex una parte, & commune & homines sancti Laurentii ex altera, de & pro confinibus territoriorum dictarum communitatum Ursarie & sancti Laurentii per commune & homines sancti Laurentii seu eorum legitimos procuratores & sindicos: Videlicet *&c.* dicta dotatio seu instrumentum dotationis predicte productum & allegatum fuit in ipsorum & dicte communitatis sue favorem, & in effectu etiam concludebat, quod commune & homines sancti Laurentii haberent & tenerent, & possiderent terras positas infra confines dicte dotationis de versus castrum sancti Laurentii & terras Calixedi cum conditione sua, prout possederant usque tunc *&c.* prout ipsa omnia coram nobis per infrascriptum notarium & cancellarium nostrum lecta vidimus seriosius contineri. Et dicti sier Andreas & Valcogna sindici & procuratores dicti communis sancti Laurentii procuratorio & sindicario nomine, quo supra, supradicte petitioni sive libello respondentes, negaverunt possessiones, territoria & bona contenta in dicta petitione esse dicti monasterii sancti Michaelis de Lemo subjungentes, quod sunt jam anni octuaginta & ultra, quibus dicta communitas sancti Laurentii tenuit & possedit dicta territoria, possessiones & bona absque contradictione alicujus persone tam ecclesiastice quam secularis, & quod pro dictis territoriis, possessionibus & bonis communitas ipsa temporibus preteritis & tempore presenti solvit affictum sier Jacobo de Giroldis habitatori Justinopolis nomine terreni de Calixedis. Et insuper produxerunt & allegaverunt quamdam terminationem factam tempore regiminis egregii domini Fantini Mauroceno asserentis illam dividere, & decernere confines territorii sancti Michaelis de Lemo a territorio predicto de Calixedis, cujus quidem continentia & tenor est, quia de alio territorio loquitur, quam de eo, quod supra petitur, hic non inserimus pro presenti. Visa itaque & diligenter examinata responsione predictorum sier Andree & Valcogne sindicario & procuratorio nomine sepedicto facta cum omnibus aliis per ipsos sindicos productis & allegatis, ac viso ad oculum territorio predicto, quod petitur; & partibus ipsis datis & assignatis pluribus & pluribus terminis & dilationibus ad omnia sua jura producendum & probandum; visisque & diligenter examinatis actis cause, & consideratis omnibus agitatis in causa & toto processu; necnon auditis partium allegationibus allegare volentium, & quidquid dicere & allegare voluerunt, & super suis omnibus habita matura & diligenti deliberatione & consilio, presentibus dictis partibus audientibus & intelligentibus vigore supradictarum literarum Ducalium, ac nostri arbitrii nobis in hac parte concessi, & omni modo, jure & forma, quibus melius possumus, Christi nomine invocato, ejusque gloriose matris virginis Marie, de cujus omnia recta procedunt judicia, sedentes pro tribunali ad solitum nostrum bancum juris, dicimus, pronunciamus, definitive sententialiter declaramus & condemnamus predictos sier Andream & Valcognam sindicario & procuratorio nomine, quo supra, ipsam communitatem & homines sancti Laurentii tenentes & possidentes de hujusmodi territorii possessionibus & bonis contentis in dicta dotatione, ad dandum, relaxandum, evacuandum & restituendum suprascripto fratri Lazaro sindicario & procuratorio nomine, ut supra, recipienti, seu capitulo & conventui monasterii prefati sancti Michaelis de Muriano omnia & singula bona, possessiones, territoria contenta in dicta dotatione, integre infra confinia sua superius expressa, tamquam territoria, possessiones & bona spectantes & spectantia monasterio predicto sancti Michaelis de Lemo conjuncto & copulato dicto monasterio sancti Michaelis de Muriano, vigore predictorum jurium productorum per dictum fratrem Lazarum sindicario nomine supradicto, & de eis territoriis, possessionibus & bonis pacificam & quietam possessionem ac tenutam corporalem dandum & relaxandum, ac illum accipere & assumere permittendum pacifi-

pacifice & quiete, sic quodamodo dictum monasterium sancti Michaelis, seu capitulum conventus ejus habeat & teneat & possideat territoria & possessiones & bona prenominatas & contentas & contenta infra confines contentos & nominatos in dotatione predicta; cum conditione, qua hactenus & ab antiquo dicta territoria, possessiones & bona tente & tenta, ac possesse & possessa fuerunt, ipsam conditionem declarando in hunc modum, videlicet: Quod commune & homines sancti Laurentii liberam habeant facultatem, & impune possint cum bestiaminibus suis ire ad pasculandum super & in pasculo dictorum territoriorum, possessionum & bonorum pro sue libito voluntatis, & absque contradictione capituli & conventus dicti monasterii, seu ab ipsis jus & causam habentium; & versa vice dictum capitulum & conventus predictus seu ipsorum laboratores pro ipsis & eorum nomine laborantes, quique sint, sive pro tempore erunt, libere & impune possint venire cum bestiaminibus ipsius monasterii ad pasculandum super & in pasculis territoriorum communis & hominum sancti Laurentii absque aliqua predictorum communis & hominum sancti Laurentii contradictione. Itidem facere possint conductores dicti monasterii, qui de dictis territoriis, possessionibus & bonis haberent & tenerent, seu habebunt & tenebunt aliquod ad affictum, aut aliam pensionem, vel ad herbaticum, dummodo tales conductores intelligantur tam subditi & districtuales serenissime Dominationis nostre prefate, quam etiam aliunde quomodolibet ab ipso monasterio conducti. Quos dicto casu etiam volumus, jubemus & declaramus liberam habere facultatem veniendi ad pasculandum super territorio communis & hominum sancti Laurentii, absque ulla predictorum communis & hominum sancti Laurentii contradictione, ita quod inter monasterium predictum, seu homines jus & causam ab eo, ut superius declaratur, & dictum commune & homines sancti Laurentii pascula sint communia, quemadmodum hactenus, & ab antiquo fuerunt, & sunt de antiqua consuetudine & usantia, mandantes presentem nostram sententiam debere a partibus inviolabiliter observari sub pena librarum centum denariorum parvorum solvenda & applicanda per partem non observantem & non attendentem parti observanti & attendenti, toties quoties contrafactum extiterit, qua pena soluta vel non, nihilominus hec nostra sententia in sua permaneat roboris firmitate. Lata, data, & promulgata fuit dicta sententia per supradictum dominum potestatem pro tribunali sedentem, ut supra, & lecta publicata & vulgarizata per me Ludovicum notarium infrascriptum, presentibus supradictis ser Andrea & Valcogna sindicis & procuratoribus supradictis, & dicte sententie in nullo contradicentibus, ac etiam fratre Lazaro procuratore & sindico predicto. In sancto Laurentio sub lobio communis sancti Laurentii M. CCC. XCIV. indictione secunda die jovis X. mensis decembris, presentibus *&c.* vicinis & habitantibus sancti Laurentii testibus vocatis & rogatis, & aliis.

Et ibidem & in presenti scilicet post latam sententiam suprascriptus frater Lazarus sindicario & procuratorio nomine, quo supra, sententie supradicte in ea parte dumtaxat, que pro eo dicto nomine faciebat, ut faceret, viva voce consensit, & ab aliis contentis in dicta sententia, que contra ipsum nomine predicto faciebant & facerent, & predicti monasterii essent, se ad auditores sententiarum communis Venetiarum, seu ad alium quemvis judicem sibi competentem & competiturum viva voce etiam appellavit, afferens se consequi velle suis debitis loco & tempore appellationem predictam.

Ego Ludovicus natus quondam Marci de Coneglano imperiali auctoritate notarius & judex ordinarius, ac prefati domini potestatis cancellarius premissis omnibus & singulis, dum, sicut premittitur, agerentur & fierent, presens fui una cum prenotatis testibus, & rogatus sub consuetis meis signo & nomine roboravi.

LI.

Johannes abbas Classensis instituit rectorem in plebem S. Viti de Ravignana.

Anno 1395. XXIV. januarii.

Ex tabulario Classensis monasterii.

PAteat omnibus evidenter hanc presentem paginam inspecturis, quod vacante plebe sancti Viti diocesis Ravignane per mortem dompni Salveti de Saxo-ferrato dudum rectoris & gubernatoris dicte plebis sancti Viti idcirco rev. in Christo pater & domnus Johannes Dei & Apostolice sedis gratia abbas mona-

monasterii sancti Apollenaris in Classe ordinis Camaldulensis Ravennatis diocesis, necnon in castris Ravignane diocesis major, ad quem & ejus antecessores in dicto monasterio collatio, provisio, reformatio & confirmatio ipsius plebis cum vacat, tam de jure, quam de antiqua & approbata consuetudine spectare & pertinere dignoscitur, & pleno jure; cupiens idem dominus abbas, prout tenetur ex debito, indempnitati dicte ecclesie providere, ne propter diutinam & longevam vacationem dicta ecclesia patiatur in spiritualibus & temporalibus lesionem, habito nunc quidem super collatione fienda sollempni tractatu & deliberatione matura una cum probis hominibus & viris de dicto castro sancti Viti, ad quos electio, postulatio, nominatio, seu presentatio spectat, cum vacat, videlicet de persona providi & honesti viri domini Dominici olim Alberti de Monte-floruno communitatis Arimini, utique scientia, sufficientia, moribus in spiritualibus providi, & in temporalibus circumspecti, ac de legitimo matrimonio, necnon in sacerdotali ordine constituti, versus quem direxerunt aciem sue mentis, idem dominus abbas ipsum nominatum & electionem factam per parochianos dicte plebis de persona prefati Dominici, quem sic nominatum illico dicto domino presentaverunt, ut de eadem nominatione asseruit idem dominus Dominicus publico constare instrumento *&c.* Christi, gloriose Virginis matris ejus, beati Apollinaris martyris ejus, necnon sancti Viti, sub cujus vocabulo dicta ecclesia dignoscitur presignita, omniumque Sanctorum & Sanctarum Dei, eorumque nominibus & suffragiis invocatis, necnon ad honorem & reverentiam SS. in Christo patris & domini nostri Bonifacii divina providentia pape IX. summi pontificis, ac totius sacri collegii dominorum cardinalium, ipsam ecclesiam sive parochiam eidem domino Dominico sic electo, ut premittitur, coram ipso domino abbate genuflexo dedit atque contulit, & de ipsa per annulum suum, quem habebat in manibus suis, ponendo ipsum in digitum dicti domini Dominici, investivit atque providit curam, regimen, atque ministrationem ipsius ecclesie & jurium ipsius in spiritualibus & temporalibus eidem plebano plenarie committendo. Qui dominus Dominicus rector antedictus coram dicto domino abbate existens obedientiam, reverentiam atque filialem subjectionem tamquam suo patri, domino atque superiori promisit, & quod ipsum dominum abbatem, successores, ipsiusque familiam honorifice in domum suam recipiet, & bene pertractabit. Visitationem ipsius & correptionem ab ipso domino abbate tamquam a domino & superiore suo assumet, toties, quoties voluerit ipsum visitare, collectas vero annuales ipsi domino abbati suisque successoribus tam preteritas, presentes quam futuras integraliter persolvet. Monasterium vero Classense singulis annis tempore Indulgentiarum de mense maji & abbatiam ipsius, si aliud canonicum non obstiterit, tamquam superiorem suum visitabit, ceterasque alias consuetudines antiquas & rationabiles questiones & futuras in dicto monasterio observabit. Ipsamque plebem ullo tempore non dimittet, nec alicui dabit, nisi primo renuntiet ipsam in manibus domini abbatis tamquam in manibus sui superioris. Mandans insuper idem dominus abbas omnibus & singulis affictuariis, colonis, pensionariis, & affictuariis de cetero per presentes dicto domino Dominico integraliter respondeant de fructibus & redditibus dicte plebis tamquam vero & legitimo administratori & gubernatori. In quorum testimonio &c. Datum in castro sancti Viti in ecclesia predicta sub anno Domini M. CCC. XCV. indictione III. tempore sanctissimi in Christo patris & domini nostri domini Bonifacii pape IX. presentibus ser Philippo Vannis notario, Oddone Francisci & Vito Faschini & Blasio Bertolli omnibus de dicto castro sancti Viti testibus ad predicta habitis & vocatis die XXIV. mensis januarii. Post predicta idem dominus abbas commisit & imposuit dompno Benedicto monacho dicti monasterii presenti, audienti & intelligenti, quatenus vadat personaliter ad dictam plebem una cum dicto domino sic confirmato, & dictum dominum Dominicum ponat & inducat in tenutam & corporalem possessionem jurium spiritualium & temporalium dicte plebis, postmodum fidem faciat de predictis, amoto exinde quolibet alio illicito detemptore per censuram ecclesiasticam & aliis remediis *&c.* Die XXV. mensis januarii predictus dompnus sindicus commissarius & executor predictus retulit dicto domino abbati & mihi Guidoni notario infrascripto se personaliter ivisse ad dictam plebem una cum dicto domino Dominico rectore antedicto, ipsumque dictum dominum Dominicum duxisse & posuisse in tenutam & corporalem possessionem jurium spiritualium & temporalium dicte plebis vel quasi, videlicet

delicet in tangendo pannos altaris, aperiendo, & claudendo ostia dicte plebis, & pulsando campanam ejusdem in signum vere tenute & possessionis, & omnia alia fecisse, prout habuit in mandatis.

Ego idem Guido quondam magnifici Johannis notarius de Cesena.

LII.

Donatio facta monasterio S. Catharinæ de Fabriano a nobili viro Gualterio de Clavellis & a Mittarella ejus uxore.

Anno 1396. III. junii.

Ex archivo S. Blasii de Fabriano.

IN nomine Domini, amen. Anno Domini M. CCC. LXXXXVI. indictione quarta tempore domini Bonifacii pape noni die tertia mensis junii in civitate Esii, & in domo heredum Marinutii Nicole sita in parochia sancte Crucis juxta plateam communis, viam publicam, res dicti Angeli, & alia latera, presentibus magnifico viro Bovio Lucini Burghi de Simonetis, domino Andrea Gregorii de Sublaco vicario Esii & domino Nofrio Andree de Rovellone testibus ad hec habitis, vocatis & rogatis. Magnificus vir Gualterius domini Albergeti de Clavellis de Fabriano, & domina Mittarella Mercenarii de Monte-viridi uxor dicti Gualterii, cum presentia & voluntate dicti Gualterii sui mariti, titulo pure & irrevocabilis donationis pure, libere, simpliciter & irrevocabiliter inter vivos jure proprio & in proprium dedit, donavit, tradidit, cessit & concessit venerabili viro fratri Johanni Bartholomei de Fabriano priori ecclesie sancte Katarine de Fabriano pro ipsa ecclesia, ejusque capitulo & conventu stipulanti & recipienti quoddam molendinum cum duabus macinis macinantibus, & una non macinante, & cum quadam gualcheria clusa vallato desuper, & de subtus, & aliis edificiis in ipsis existentibus situm in territorio Fabriani juxta & extra muros Fabriani, quod vocatur el molino dal fosso juxta flumen, Tomassutium domini Crescentii, foveam communis, & Gualterium supradictum. Item unam petiam terre vineate positam in districtu dicte terre Fabriani juxta & extra portam Burgi in contrata Cicchiani juxta viam, Florenutii Martinucii, res ecclesie sancti Nicolai, & heredes Angeli de Pergula, & alia latera ad habendum, tenendum &c. sub pena ducentorum Florenorum auri &c.

Ego Angelus Andree de Callio publicus auctoritate imperiali notarius &c.

LIII.

Bonifacius IX. concedit facultatem prioribus S. Mariæ Angelorum de Florentia absolvendi ab excommunicatione, suspensione &c. suscipientes ab eisdem prioribus habitum monasticum.

Anno 1396. v. kl. julii.

Ex eodem S. Blasii tabulario.

BOnifacius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Michaeli priori conventus monasterii sancte Marie de Angelis de Florentia per priorem soliti gubernari ordinis Camaldulensis & successoribus suis salutem & apostolicam benedictionem. Religionis, sub quo devotum &c. Exhibita nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, quod quandoque contigit personas zelo devotionis accensas relinquendo seculum vestrum monasterium ingredi, & habitum vestri ordinis assumere, proponentes inibi una vobiscum perpetuo Domino in humilitate spiritus famulari. Que persone interdum diversis excommunicationis, suspensionis & interdicti sententias, quandoque vero irregularitatis & inhabilitatis maculam seu notam ex aliquibus causis, cum adhuc in seculo essent, & quandoque postea incurrerunt; quare propterea ad ordines promoveri, seu in susceptis ordinibus ministrare minime possunt, quodque cum monachis ejusdem monasterii, qui solitariam & heremiticam vitam ducunt, non liceat tam ex debito, quam ex institutis ipsius monasterii absque scandalo & magna populi admiratione & murmure monasterium ipsum exire, & sic prefatis personis hujusmodi sententiis ligatis commode non licet pro absolutionibus & dispensationibus, & aliis opportunis remediis super premissis obtinendis monasterium antedictum exire, propter quod ipsorum devotio & laudabile propositum retardatur. Quare pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut vobis & dictis personis super his de opportuno remedio providere, & alias cum eisdem personis misericorditer agere de benignitate apostolica digna-

dignaremur. Nos igitur supplicationibus hujusmodi inclinati, ut tu fili prior, & successores tui priores dicti monasterii, qui pro tempore fuerint, quoscumque tam monachos quam alios fratres conversos seu commissos ejusdem monasterii, qui sunt & erunt pro tempore, qui hoc humiliter petierint, & subprior ipsius monasterii & ejus successores ipsius monasterii priorem & successores tuos priores dicti monasterii hujusmodi, cum fuerit expediens, a quibuscumque excommunicationis, suspensionis & interdicti sententiis, quas ex quacumque causa sive delicto quovis tempore, loco vel statuto incurrerint, vel tu fili prior & successores tui predicti incurrentes in forma ecclesie consueta absolvere, & cum ipsis & tecum super irregularitatem per eos vel per se etiam quacumque occasione contractam a suorum vel tuorum ordinum executione ad tempus, de quo tibi prior & subprior aut successores hujusmodi videbitur, suspensionibus dispensare, & omnem inhabilitatis & infamie maculam sive notam ex quacumque causa contractam penitus abolere, ac in honorem & statum pristinum restituere, eis tamen, quibus satisfactio erit facienda & injuriam passis, si qui fuerint prius satisfacto, dummodo monachi & conversi ipsi vel tu personaliter homicidium non commiserint vel commiseris, aut aliquem in membro principali non mutilaverint vel mutilaveris, seu in contemptu clavium prefatis sententiis ligati non celebraverint vel celebraveris, vel illis se non miscuerint vel miscueris, & aliis personis ipsis vel tibi ad hoc merita non suffragentur, aliudque canonicum impedimentum non obsistat. Quibuscumque constitutionibus apostolicis, ac statutis & consuetudinibus monasterii & ordinis predictorum auctoritate apostolica de speciali dono gratie tenore presentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum &c. Si quis &c.

Datum Rome apud sanctum Petrum v. kal. julii pontificatus nostri anno septimo.

Rep... gratis pro Deo de mandato domini nostri pape. Ja. de Feratino.

LIV.

Bonifacius IX. copiam facit absolvendi Benedictum de Bensonibus de Crema monachum, qui adhæserat Clementi VII. anti-papæ.

Anno 1397. III. idus julii.

Ex tabulario S. Michaelis de Muriano.

Bonifacius episcopus servus servorum Dei venerabili fratri .. episcopo Castellano salutem & apostolicam benedictionem. Sedes apostolica pia mater recurrentibus ad eam cum humilitate filiis post excessum libenter se propitiam exhibet & benignam. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte Benedicti de Bensonibus de Crema clerici Placentine diocesis petitio continebat, quod olim ipse etiam post & contra processus per felicis recordationis Urbanum papam VI. predecessorem nostrum contra damnate memorie Robertum olim basilice duodecim apostolorum presbyterum cardinalem, tunc anti-papam, qui se Clementem VII. ausu sacrilego nominare presumebat, factos & sollemniter publicatos, per quos dictus predecessor eumdem Robertum velut hereticum & schismaticum sententialiter condemnavit puniendum, & certo alteri domino temporali tunc expresso, & per ipsum predecessorem similiter condemnato adhesit & favit, & in crimine participavit, necnon pro stipendiis in factis armorum servivit, in quibus homicidia laicalia, incendia, spolia, rapine & alia mala etiam in locis sacris sunt secuta, eodem Benedicto ad id prestanto auxilium, consilium & favorem, & etiam certas personas ecclesiasticas, etiam in presbyteratus ordine constitutas vulneravit, nescit tamen, an aliquam de personis talibus interfecerit. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, prefatus Benedictus, qui monasterium sancti Michaelis de Muriano Camaldulensis ordinis Torcellane diocesis est ingressus, nondum tamen tacite vel expresse professus, de premissis excessibus dolens, ab intimis cupiat ad ecclesie gremium redire, & in dicto monasterio sub regulari habitu virtutum Domino famulari, pro parte ipsius Benedicti nobis fuit humiliter supplicatum, ut sibi suoque statui super hoc providere, de opportuno remedio dignaremur. Nos igitur attendentes, quod sedis predicte clementia penitentibus non consuevit veniam denegare, hujusmodi supplicationibus in-

clinati, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus eumdem Benedictum, si hoc humiliter petierit, ab omnibus excommunicationis & aliis sententiis & penis, quas propter premissa incurrit, recepto prius ab eo juramento de stando nostris & Romane ecclesie mandatis, & abjurato in tuis manibus schismate juxta formam inferius annotatam, auctoritate nostra hac vice dumtaxat absolvas in forma ecclesie consueta, injunctis inde sibi, quod illis, quibus propterea tenetur, si non satisfecit, pro viribus satisfaciat competenter, ac pro modo culpe salutari penitentia, & aliis, que de jure fuerint injungenda, & cum eodem Benedicto, ut premissis & constitutionibus apostolicis, & statutis & consuetudinibus monasterii & ordinis predictorum, & aliis contrariis nequaquam obstantibus, ad minores dumtaxat ordines promoveri, & in illis ministrare libere & licite valeat, eadem auctoritate dispenses, & alias aboleas omnem inhabilitatis & infamie maculam sive notam per eum premissorum occasione contractam.

Forma autem juramenti, quod ipse Benedictus prestabit, talis est.

Ego Benedictus de Bensonibus de Crema clericus Placentine diocesis, comperto divisionis & schismatis laqueo, quo tenebar, credendo, favendo, & adherendo damnate memorie Roberto olim basilice XII. apostolorum presbytero cardinali tunc anti-pape, qui ausu sacrilego se Clementem VII. nominare presumebat, sibique & aliis credentibus, faventibus, receptoribus, adherentibus, defensoribus, complicibus, & sequacibus ejus prestando auxilium & favorem, & propterea nunc divina mecum deliberatione pertractans, propria & spontanea voluntate ad unitatem sedis apostolice divina gratia reversus fateor publice me errasse, & de presenti tenere catholicam fidem, & credere & tenere, quicquid credit & tenet ac docet sancta mater ecclesia, cui preest dominus noster dominus Bonifacius divina providentia papa VIIII. & quod idem dominus Bonifacius fuit & est verus & Romanus pontifex, & verus vicarius Jesu Christi, Petrique successor, canonice electus, inthronizatus & coronatus in Romanum pontificem per cardinales, ad quos vacante sede per obitum sancte memorie domini Urbani pape VI. electio, inthronizatio & coronatio pertinebat, quodque prefatus damnate memorie Robertus olim cardinalis Gebennensis non est papa, sed anti-papa apostaticus & schismaticus manifestus, & quod ipse tamquam anti-christus, & invasor & destructor totius Christianitatis, & a liminibus sancte Dei ecclesie separatus, & a Christi-fidelibus persequendus est, donec ad cor reversus suos recognoscat errores, & ad gremium revertatur ecclesie antedicte, & quod tam ipse Robertus, quam omnes eidem in hac parte adherentes, credentes, receptatores, defensores, complices & sequaces ejusdem fuerunt & sunt veri schismatici, apostatici, excommunicati, anathematizati, ac divisi & separati a communione fidelium, & ab unitate sancte Dei ecclesie, & tamquam heretici puniendi, & in tales fuisse & esse juste & sancte de schismate, credentia, fautoria, adhesione, sequela & erroribus predictis condemnatos, & incidisse in penas & sententias tam a jure, quam ab homine in talia perpetrantes promulgatas, & in dictis processibus contentas & declaratas, & ne simulate reversus existimer, sub honoris mei casu & anathematis obligatione, & sub pena, que relapsis a jure vel ab homine imponi debet, anathematizo & abjuro omnem heresim & schisma, & nominatim damnatum schisma, credentiam, & adhesionem prefati Roberti, & me ad idem schisma, de quo Redemptoris gratia ereptus sum, nunquam reversurum, sed semper me in unitate sancte ecclesie catholice, cui preest prefatus dominus noster dominus Bonifacius papa VIIII. mansurum, & sponte promitto, non ficte, sed voluntarie & sincere juro ad sancta Dei evangelia corporaliter per me tacta, quod stabo & parebo mandatis ecclesie & dicti domini Bonifacii pape super rebellionibus, fautoriis & ceteris penis & sententiis, quas ob premissa & ea tangentia incurri, & quod dicto domino nostro pape & ejus successoribus canonice intrantibus obediens & fidelis de cetero ero, & eis reverentiam debitam exhibebo. Non ero in consilio *&c. ut in consimilibus juramentis*. Papatum Romanum & regalia sancti Petri, ac jura & jurisdictiones prefate Romane ecclesie, & dicti domini nostri pape majestatem, honorem & status illesos manutenebo totis viribus & defendam, & adjutor eis ero ad recuperandum & recuperatos manutenendum contra omnes homines & specialiter contra prefatum Robertum anti-papam & quoscumque credentes, adherentes, fautores, receptatores & defensores, complices & sequaces ejusdem cujuscumque preeminentie, ordinis, religionis,

gionis, conditionis vel status existant, etiamsi pontificali, regali, vel reginali, vel quavis alia prefulgeant dignitate ecclesiastica vel mundana, etiamsi fuerint S. R. E. cardinales contra quoscumque per dictam ecclesiam denotatos vel imposterum denotandos, quamdiu extra gratiam & communionem dicte ecclesie fuerint, nec cum prefatis schismaticis, apostatis & rebellibus, vel eorum complicibus, fautoribus & sequacibus, quamdiu stabunt in rebellione ecclesie, seu aliis hereticis & schismaticis & rebellibus, ac illorum fautoribus & sequacibus a predicta ecclesia denotatis deinceps ero, nec eis sive quibuscumque aliis contra dictam ecclesiam & dominum nostrum papam dabo auxilium, consilium vel favorem per me vel alium, seu alios, directe vel indirecte, publice vel occulte, nec ab aliis, quantum in me fuerit, si impedire potero, prestari seu dari permittam, nec cum dictis schismaticis, apostatis, & rebellibus, aut quibusvis aliis in rebellione prefate ecclesie existentibus contra ipsam ecclesiam colligationem vel conspirationem faciam seu ligam, sed eos & eorum quemlibet juxta tenorem processuum predictorum pro posse meo persequar & invadam, donec convertantur & revertantur ad gremium ecclesie memorate. Sic me Deus adjuvet, & hec sancta Dei evangelia.

Datum Rome apud sanctum Petrum III. idus julii pontificatus nostri anno octavo.

Rta gratis. P. Johannis N.

Pendet sigillum plumbeum cum literis, BONIFACIUS PP. VIIII.

LV.

Idem rursus & ampliori modo submittit eremo Camaldulensi monasterium Vallis-castri.

Anno 1397. kl. decembris.

Ex autographo S. Blasii de Fabriano.

BOnifacius episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Ex superne providentia majestatis Romanus pontifex in supreme dignitatis specula constitutus circa gregem Dominicum sue cure commissum ad ecclesiarum & monasteriorum profectum, prout ei ex debito pastoralis incumbit officii, diligenter prospicit & intendit, ut regulares ordines & loca religionis titulo insignita, prout conspicit indigere, in spiritualibus & temporalibus ad prosperitatis optate letitiam reducantur, & ecclesiarum & monasteriorum eorumdem statum mutat & ordinem, prout ecclesiarum & monasteriorum ac locorum ipsorum requirit necessitas, & cause suadent rationabiles, ac salus exigit animarum. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Andree prioris eremi Camaldulensis, & Angeli abbatis monasterii sancti Romualdi Vallis-castri ordinis sancti Benedicti Aretin. & Camerinen. diocesum, necnon eremi & monasterii predictorum conventuum petitio continebat, quod monasterium ipsum, in quo corpus dicti sancti Romualdi, qui etiam principium fuit ipsius Camaldulensis ordinis, requiescit, & per eum primo fundatum extitit, adeo in suis edificiis est collapsum, quod neque ipse abbas, neque aliquis monachus residet, sed porci & alia bruta reducuntur in eo; ipsique prior & conventus dicte eremi parati sunt dictum monasterium facere reparari, & inibi monachos dicti Camaldulensis ordinis ponere, dum tamen monasterium ipsum ipsi Camaldulensi ordini uniatur & incorporetur: quare pro parte ipsorum prioris, abbatis & conventuum nobis fuit humiliter supplicatum, ut dictum ordinem sancti Benedicti in dicto monasterio supprimere, & ipsum monasterium eidem eremo incorporare, annectere & unire, ita quod monasterium ipsum de Camaldulensi, & non sancti Benedicti, ordine de cetero existat & nuncupetur, de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui religiosarum personarum quietem & piorum locorum instauramentum & augmentum intensis desideriis affectamus, sperantes per hoc divinum cultum in dicto monasterio adaugeri, hujusmodi supplicationibus inclinati, quascumque literas super suppressione, incorporatione, annexione & unione hujusmodi per nos alias quovis modo concessas auctoritate apostolica cassantes, revocantes & annullantes, prefatum ordinem sancti Benedicti in dicto monasterio & ejus membris auctoritate apostolica supprimimus, ipsumque monasterium cum omnibus juribus, jurisdictionibus & pertinentiis suis eidem eremo incorporamus, annectimus & unimus, per presentes statuentes ac etiam ordinantes, quod de cetero perpetuis temporibus predictum monasterium & ejus membra Camaldulensis, & non sancti Benedicti ordinum predictorum existant, & perpetuo censeantur, ac

ac etiam nuncupentur. Et quod etiam monasterium & membra, ac monachi & conventus ipsius monasterii illis gaudeant, & gaudere debeant privilegiis, & exemptionibus & immunitatibus, quibus loca & persone dicti Camaldulensis ordinis quomodolibet potiuntur. Sic tamen, quod prefatus Angelus abbas eidem monasterio, ut abbas, prout ante unionem hujusmodi presidebat, quod vixerit, presideat. Et quod tam ipse, quam monachi dicti monasterii, qui nunc sunt, possint & debeant eumdem Camaldulensem ordinem profiteri, & habitum regularem ejusdem Camaldulensis ordinis assumere & gestare, & ibi perpetuo remanere juxta ritum & consuetudinem Camaldulensis ordinis antedicti. Quodque quamprimum ipse abbas & major pars conventus ejusdem monasterii, qui nunc sunt, ipsum Camaldulensem ordinem professi fuerint, suppressio, unio, statutum & ordinationes hujusmodi, & non alias vendicent sibi locum. Et quod post obitum ipsorum abbatis & monachorum, & non ante, liceat priori & conventui eremi predicte corporalem possessionem monasterii & membrorum, juriumque & pertinentiarum suorum predictorum propria auctoritate apprehendere, & in usus eorum perpetuo retinere. Proviso, quod ipsum monasterium reparetur, & per monachos ipsius Camaldulensis ordinis deserviatur inibi laudabiliter in divinis, ut prefertur, constitutionibus apostolicis, necnon statutis & consuetudinibus eremi, monasterii & ordinum predictorum, & aliis contrariis non obstantibus quibuscumque. Nos enim ex nunc irritum decernimus & inane, si secus super iis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre cassationis, revocationis, annullationis, suppressionis, incorporationis, annexionis, unionis, constitutionis, ordinationis & provisionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis *&c.*

Datum Rome kal. decembris pontificatus nostri anno VIIII.

D. de Baronibus. Ja. de Fulgineo.
P. de Bosco.

Loco sigilli † plumbei.

LVI.

Appellatio facta a Laurentio abbate Uranensi ad Bonifacium IX. coram Urso ep. Brittonoriensi circa ecclesiam S. Mariæ de Lacu.

Anno 1399. XXVII. octobris.

Ex authentico abbatiæ Uranensis.

IN nomine Domini, amen. Anno a nativitate ejusdem millesimo trecentesimo nonagesimo-nono indictione septima tempore sanctissimi in Christo patris & domini nostri domini Bonifacii divina favente clementia pape noni die XXVII. mensis octobris Bretenorii in loggia domorum episcopalium, presentibus fratre Leonardo priore ecclesie sancte Trinitatis de Bretenorio, Petro ser Nicolai de Bretenorio, & Nicolao de Bagnacavallo spa...rio & nunc habitatore Bretenorii testibus adhibitis. Coram vobis rev. in Christo patre & domino domino Urso Dei & apostolice sedis gratia episcopo Bretenoriensi, asserto commissario seu delegato sedis apostolice & domini nostri pape super asserto, & ut infra in literis, de quibus infra fit mentio, super prioratu sancte Marie de Lacu diocesis Bretenoriensis ordinis Camaldulensis, vigore literarum apostolicarum impetratarum, ut dicitur, per assertum fratrem Johannem quondam Francisci de Avantio de Venetiis, ut asseritur, monachum monasterii sancti Mathie de Murano dicti ordinis Camaldulensis Castellane diocesis assertum presbyterum super collatione sibi fienda per vos de dicto asserto prioratu, quem idem assertus frater seu domnus Johannes vacare & vacasse asseruit tanto tempore, quod ejus collatio est ad sedem apostolicam devoluta, prout & sicut de dicta asserta impetratione apparere dicitur in quibusdam literis, ut dicitur, apostolicis plenius continetur, comparet ven. frater domnus Laurentius abbas monasterii sancte Marie de Urano Bretenoriensis diocesis, ad quem dominum abbatem, ejusque monasterium, capitulum & conventum, & ipsius domini abbatis & ecclesie sancte Marie de Urano, ejusque capituli & conventus mensam, jus & proprietatem plenario & utroque jure in spiritualibus & temporalibus spectat & pertinet dicta ecclesia sancte Marie de Lacu, tamquam membrum manuale dicti sui monasterii eidem immediate subjecti & suppositi, & quod per ipsum dominum abba-

abbatem monasterii sancte Marie de Urano prelibati, ejusque monasterii capitulum & conventum solitum est regi & gubernari in temporalibus & spiritualibus tamquam membrum & pars jurium dicti sui monasterii, & qui in possessione & quasi possessione dicte ecclesie sancte Marie de Lacu & ejus regiminis & gubernationis & jurium ipsius fuit & est a tanto tempore citra & ultra, quod de initio contrarii memoria non existit, & dicit quod vos domine episcope vigore, ut asseritur, quarumdam literarum apostolicarum & domini nostri pape Bonifacii impetratarum, ut dicitur, per dictum assertum fratrem seu domnum Iohannem, eidem asserto domno seu fratri Johanni clandestine & de facto potius quam de jure contulistis ecclesiam sancte Marie de Lacu, & ipsum in possessionem seu quasi dicte ecclesie & jurium ipsius per bireti traditionem in possessione seu quasi dicte ecclesie & jurium ipsius induxistis in possessionem, & etiam mandastis dicto domino fratri Laurentio abbati monasterii sancte Marie de Urano prelibato & omnibus & singulis, ad quos spectaret communiter vel divisim collatio seu provisio dicti prioratus sancte Marie de Lacu, seu quomodolibet pertinet, & generaliter omnibus & singulis, ad quos dicte vestre asserte litere pervenirent, quod dictum assertum domnum seu fratrem Johannem infra sex dierum spatium post presentationem dictarum vestrarum assertarum literarum numerandorum, quorum dierum duos pro primo, duos pro secundo, & reliquos duos pro tertio & peremptorio termino & monitione, ut dicitur, canonica premissa assignastis, prefatum assertum fratrem seu domnum Johannem in possessionem corporalem & quasi possessionem dicti asserti prioratus ecclesie sancte Marie de Lacu, & bonorum & jurium suorum induceret & inductum defenderet, amoto exinde quolibet illicito detemptore, quem ex tunc amovebitis & amotum denumptiabitis, & locum in capitulo & stalum in choro assignaret, & eidem faceret de fructibus, redditibus & proventibus & juribus dicti asserti prioratus & ecclesie integraliter & cum effectu responderi, monentes in dictis vestris assertis literis prefatum dominum abbatem sancte Marie de Urano, & omnes & singulos supra & in dictis assertis vestris literis extresse nominatos, ut eidem asserto domno seu fratri Johanni in assecutione omnium supradictorum impedimentum quomodolibet prestiterint, quominus possit ipse pacifice possessionem seu quasi dicti asserti prioratus &c. pacifice gaudere, & impedimentum quomodolibet prestent, proferentes ex tunc in dictis vestris assertis literis & processu excommunicationis committentes &c. premissorum executionem vices vestras universis & singulis dominis abbatibus, prioribus, plebanis, decanis &c. & multa alia fecistis in damnum & prejudicium dicti domini abbatis, ejusque ecclesie, monasterii &c. scriptis manu Johannis Michelini de Bretenorio sub annis Domini M. CCC. IC. die XXI. mensis octobris. Et quia predicta omnia &c. processerunt contra ipsam formam juris &c. & mandati vobis, ut dicitur, facti, & ipso domino abbate sancte Marie de Urano vero domino & possessore dicte ecclesie sancte Marie de Lacu &c. non citato, monito vel requisito saltem legitime, & nulla per vos facta examinatione de persona dicti asserti domni seu fratris Johannis super etate ipsius, de ejus idoneitate &c. ac etiam nulla premissa examinatione &c. de vacatione dicti asserti prioratus &c. cum numquam solita fuerit ipsa ecclesia sancte Marie de Lacu in titulum seu beneficium singulare conferri perpetuo vel ad tempus, ac etiam dicta ecclesia sancte Marie de Lacu non est solita regi & gubernari per priorem, nec solita conferri in titulum aliquem alicui per viam certe electionis, collationis seu provisionis aliorum seu per vicarium perpetuum constitutum, sed dumtaxat per ipsum dominum abbatem & ejus monachos inde dicta ecclesia & monasterio sancte Marie de Urano, & sub ipsius domini abbatis de Urano obedientia perpetuo & continuo residentibus solita est regi & gubernari in spiritualibus & temporalibus, & non per priorem seu rectorem specialem seu vicarium perpetuum, qui in ipsa ecclesia sancte Marie de Lacu residet, seu quomodolibet eligeretur, vel deputaretur seu institueretur, & sic dicta ecclesia non est nec fuit prioratus, vel dignitas seu beneficium particulare, quod alicui solitum sit per tempora retroacta attribui seu conferri, vel in ea seu in eo tamquam particulari beneficio & ecclesie de per se aliquis eligi, institui seu deputari rector perpetuus prior seu vicarius quovis nomine nuncupetur ad ipsam ecclesiam sancte Marie de Lacu regimen temporale seu spirituale specialiter, prout fieret &c. si ipsa ecclesia sancte Marie de Lacu beneficium particulare, prioratus seu dignitas particularis, prout in ipsis literis asseritis, assertum fuisset, fructusque, redditus & proven-

tus ipsius tamquam ecclesie & membri ipsius abbatie de Urano & ad ipsius mensam spectantis soliti sunt & fuerunt colligi per ipsum dominum abbatem seu priorem de Urano, tamquam fructus & redditus & obventiones ad ipsam abbatiam spectantes & monasterium prelibatum, & cum fructibus & obventionibus aliis dicti monasterii & ipsius domini abbatis de Urano mensam incorporand. & recondend. Ac etiam non attento, quod ipse dompnus seu frater Johannes non est, nec fuit frater professus saltem legitime dicti ordinis Camaldulensis, nec etiam fuit, nec est de legitimo matrimonio natus, ac etiam fuit & est excommunicatus & irregularis *&c.* ac etiam non attento, quod ipse assertus domnus Johannes literas predictas impetraverit sine licentia Camaldulensis prioris & contra constitutiones ordinis Camaldulensis *&c.* & sentiens se dictus dominus abbas predictus & ejus capitulum, & conventus indebite gravatos, & imposterum timentes fortius gravari ex predictis in his scriptis, provocat & appellat ad sanctissimum in Christo patrem & dominum dominum Bonifacium divina favente clementia papam nonum delegantem, & ejus auctoritate & commissione vos, dominus episcopus, ut asseritis, processistis, ejusque judices, auditores & curiam & ad quemcumque alium judicem competentem, ad quem predicta nullitas, querela & appellatio de jure devolvitur & devolvi debet, Apostolos petens, iterum petens *&c.* protestatus dictus domnus Laurentius abbas monasterii sancte Marie de Urano diocesis Bretenoriensis omni modo, via, jure, forma, quibus magis & melius de jure facere potest. Millesimo, indictione, pontificatu, die, loco & testibus suprascriptis producta fuit dicta appellatio coram rev. patre domino Urso episcopo Bretenoriensi suprascripto sedente pro tribunali in loggia domorum episcopalium, scripta per ven. fratrem dompnum Laurentium abbatem monasterii sancte Marie de Urano . . . . . dicentem & appellantem, ut in ipsa continetur & lecta per me Johannem notarium infrascriptum. Cui appellationi dictus dominus episcopus non detulit, nisi in quantum de jure tenetur & debet, cum ipse assignaverit sibi terminum, ut patet manu mei notarii in actis curie ipsius domini episcopi ad audiendum revocationem omnis gravaminis per eum illati, si quid intulisset, quod non credit.

Et ego Johannes quondam Ghynutii de Maynardis de Bretenorio imperiali auctoritate notarius & judex ordinarius, & notarius suprascripti domini episcopi & ejus curie iis omnibus presens fui, rogatus scribere scripsi & publicavi.

LVII.

Canonici Patavini donant eremo Camaldulensi monasterium S. Mariæ de Orbisio.

Anno 1399. XIII. decembris.

Ex autographo archivi Fontis-boni.

IN Christi nomine, amen. Anno ejusdem nativitatis M. CCC. IC. indictione VII. die sabbati XIII. mensis decembris in majori ecclesia Padue & in sacristia majori ipsius ecclesie, presentibus providis & honestis viris domino presbytero Omnibono de Padua & presbytero Johanne de Plebe capellano dicte ecclesie *&c.* testibus ad hec vocatis *&c.* Ibique convocato & more solito congregato capitulo, in quo quidem capitulo interfuerunt utriusque juris doctor dominus Franciscus de Zabarellis archipresbyter & canonicus Paduanus, dominus Jacobus de Vigoncia *&c.* Coram suprascriptis venerabilibus viris dominis archipresbytero, canonicis & capitulo constitutus personaliter venerabilis vir domnus Nicolaus de Portugruario canonicus sancti Fidentii de Meliadino Paduane diocesis decretorum doctor & vicarius in spiritualibus generalis rev. ac generosi viri domini Stephani de Garraria ecclesie Paduane in spiritualibus & temporalibus vicerectoris & administratoris pro infrascripta unione tractanda & adimplenda exposuit & narravit, quod ex causis justis & rationabilibus, & maxime infrascriptis videbatur sibi monasterium sancte Marie de Orbisio Paduane diocesis & districtus cum omnibus suis juribus, possessionibus & pertinentiis uniendum fore ac donandum esse & transferendum ad ordinem Camaldulensem, ita quod deinceps dominus prior generalis ipsius ordinis Camaldulensis, qui nunc est & pro tempore fuerit, habeat liberam dispositionem & jurisdictionem dicti loci seu monasterii, sicut de quolibet alio dicti ordinis. Et hoc multis aliis rationibus & causis, precipue quia paratus invenitur monachus sancte vite nomine frater Johannes de Alemannia dicti ordinis Camaldulensis, qui se offerebat commorari in dicto loco, si translatus fuisset ad dictum ordinem

nem Camaldulensem, cum tamen valde fuisset & esset difficile invenire personam, que velit ibi commorari propter magnam solitudinem dicti loci, per quem fratrem Johannem speratur, quod augebitur devotio personarum ad dictum locum, qui est omnino disruptus, & Dei adjutorio reducetur ad regularem observantiam &c. & quia eis placent &c. petitionem ipsius dicte unionis unanimiter & concorditer admiserunt, & omni meliori modo, via &c. consensum pariter & assensum sollemniter prestiterunt.

Ego Petrus Bonus notarius quondam magistri Bertuccii Murani de Padua &c.

LVIII.

Bonifacius IX. confirmat privilegium Urbani V. concessum monasterio S. Mathiæ de Muriano.

Anno 1400. VII. id. martii.

Ex authentico archivi S. Mathiæ.

Bonifacius episcopus servus servorum Dei venerabili fratri .. episcopo Torcellano salutem & apostolicam benedictionem. Sacre religionis, sub qua seculi abdicatis illecebris devotum & sedulum dilecti filii prior & conventus sancti Mathie de Murano per priorem soliti gubernari Camaldulensis ordinis tue diocesis prestant virtutum Domino famulatum, promeretur honestas, ut petitionibus suis, illis presertim, per quas quieti & tranquillitati mentium suarum manifeste consulitur, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dictorum prioris & conventus petitio continebat, quod dudum felicis recordationis Urbanus papa quintus predecessor noster sancti Johannis-baptiste de Zudecha, & sancti Johannis-baptiste de Bagnacavallo Castellan. & Faventine diocesis, ac sancti Johannis-baptiste de Faventia & sancti Johannis-baptiste Clugien. sancte Marie de Angelis extra muros Bononie, sancte Marie Pensaurien. & sanctorum Mathie & Catharine Forlivien. prioratus ordinis eorum, quos olim nonnulli predecessores ipsorum tam de bonis ipsius monasterii, quam etiam eis alias pia fidelium largitione collatis canonice fundaverant & construxerant, & omnem superioritatem, quam in ipsis obtinebant, eis & per eos eidem suo monasterio ex certa scientia per suas literas confirmaverat & statuerat, ut nulli liceret aliquem de prioratibus ipsis a subjectione dicti eorum monasterii aliquatenus eximere seu etiam liberare, vel in eorum aliquo quemcumque deputare vel preficere in priorem, quodque nullus ex monachis ejusdem monasterii sui, qui tunc erant vel essent pro tempore, per priorem heremi Camaldulensis, qui etiam tunc erat vel pro tempore esset; & cui predictum monasterium eorum tam ex institutis dicti ordinis, quam etiam de antiqua & approbata & tunc pacifice observata consuetudine subesse nosceretur, prout subesse dinoscebatur, vel per quemcumque alium de dicto eorum monasterio ad quevis monasteria seu loca alia predicti vel alterius ordinis, nisi in eis esset major observantia regularis, vel nisi ad reformandum aliquod monasterium vel aliquem prioratum predicti Camaldulensis ordinis transferretur absque sedis apostolice licentia speciali, prout in dictis literis plenius continetur. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, dictum eorum monasterium, in quo regularis observantia presertim circa abstinentiam ab esu carnium & aliorum, que sunt ordini monastico interdicta, jamdiu viguisset & vigeret magis quam in nonnullis aliis monasteriis ordinis prelibati, visitari plerumque contingeret ab aliquibus ex superioribus eorum, qui non erant hujusmodi observantie, sed carnes comedebant, aliaque faciebant, ex quibus ipsis non modicum scandalum generabatur, nonnulli quoque ex monachis ejusdem sui monasterii, majoris observantiæ vitæque arctioris obtentu, ad alia monasteria, in quibus revera per monachos ipsorum monasteriorum vite arctioris erat facta professio, licet ipsam ducerent penitus laxiorem, transibant, inibique Rachelis relictis amplexibus Lye voluptuosis illecebris se miscebant, in diminutionem monastice honestatis; prior quoque heremi prelibate, qui pro tempore erat, quandoque ab aliquibus ex monachis ipsius monasterii eorum de aliquibus aliis prioratibus dicti ordinis providebat, & occasione provisionis hujusmodi monachi ipsi deferebant dictum eorum monasterium ad prioratum hujusmodi, de quibus eis, ut prefertur, fuerat provisum, se personaliter transferendo, propter que antefatum eorum monasterium paulatim monachorum patiebatur detrimentum. Quodque nisi in premissis predicte sedis providentia de opportuno remedio provideret, desolationem totalem ipsius monasterii in brevi verisimiliter formidabant. Quare pro parte dictorum prioris & conventus nobis

bis

bis fuit humiliter supplicatum, ut ipsis & statui dicti eorum monasterii cura premissa providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui sacre religionis augmentum, quietemque eorum intensis desideriis affectamus, ipsorum piis atque devotis voluntatibus concurrere cupientes, eorum in hac parte supplicationibus inclinati, omnia & singula in dictis literis dicti predecessoris contenta rata & grata habentes, illa ex certa scientia auctoritate apostolica per alias literas nostras confirmavimus, eadem auctoritate nihilominus statuentes, quod de cetero a nullo superiore ipsius ordinis, nisi ab illis dumtaxat, qui similes in regulari observantia eis fore noscebantur, valerent sive in capite, sive in membris quomodolibet visitari, quodque nullus ex monachis dicti eorum monasterii possit quacumque ratione vel causa de eodem ipsorum monasterio ad alia monasteria seu loca transire absque dicte sedis licentia speciali, decernentes irritum & inane quicquid in contrarium a quoquam, quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Constitutionibus & literis apostolicis, necnon institutis dicti eorum ordinis & aliis contrariis non obstantibus quibuscumque. Quo circa fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus literas nostras hujusmodi, & omnia & singula in eis contenta, facias auctoritate nostra inviolabiliter observari, contradictores per censuram ecclesiasticam & alia juris remedia appellatione postposita compescendo. Non obstantibus, si priori dicti heremi, vel quibusvis aliis communiter vel divisim a sede predicta indultum existat, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, per literas apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Datum Rome apud sanctum Petrum septimo idus martii pontificatus nostri anno undecimo. A. de Portugruario.

LIX.

Idem concedit indulgentiam ecclesiæ S. Marci de Fabriano.

Anno 1400. kl. septembris.

Ex tabulario S. Blasii de Fabriano.

Bonifacius episcopus servus servorum Dei universis Christi-fidelibus presentes literas inspecturis salutem & apostolicam benedictionem. Licet is, de cujus munere venit &c. Cupientes igitur, ut ecclesia sancti Marci extra muros Fabrianenses Camerinensis diocesis congruis honoribus frequentetur, & etiam reparetur, & ut fideles ipsi eo libentius causa devotionis confluant ad eamdem, & ad reparationem ipsius manus promptius porrigant adjutrices, quo ibidem ex hoc dono celestis gratie uberius conspexerint se refectos, de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus & confessis, qui in festo ejusdem Sancti ecclesiam predictam devote visitaverint annuatim, & ad reparationem ipsius manus porrexerint adjutrices, indulgentiam & remissionem suorum peccatorum auctoritate apostolica tenore presentium concedimus, quam visitantes ecclesiam sancte Marie de Portiuncula extra muros Assisinates primo & secundo diebus mensis augusti quomodolibet consequuntur. Et nihilominus ut fideles ipsi indulgentiam hujusmodi uberius consequi possint, rectori ejusdem ecclesie, qui est & erit pro tempore, & sex aliis presbyteris idoneis tam secularibus quam religiosis per eumdem rectorem annuatim eligendis, ut ipsi confessiones omnium & singulorum hujusmodi Christi-fidelium causa hujusmodi indulgentie assequende confluentium in dicta festivitate sancti Marci auctoritate apostolica audire, & ipsorum confessionibus auditis diligenter pro commissis eis debitam absolutionem impendere valeant, ac injungere pro modo culpe penitentiam salutarem, nisi forsan talia fuerint, propter que sedes apostolica sit merito consulenda, predicta auctoritate de uberioris dono gratie per presentes indulgemus perpetuis temporibus duraturas. Nulli ergo &c. Si quis &c. Datum Rome apud sanctum Petrum kalendis septembris pontificatus nostri anno XI.

Gratis de mandato domini pape. F. de Florentia.

A. de Portugruario.

LX.

Idem scribit abbati Vangaticiensi, ut examinet Petrum Bononii de Lignago presbyterum Veronensem pro Beneficio obtinendo.

Anno 1401. idibus januarii.

Ex autographo Vangaticiensi.

Bonifacius episcopus servus servorum Dei dilecto filio.. abbati monasterii

rii sancte Marie de Vangadicia Adriensis diocesis salutem & apostolicam benedictionem. Dignum arbitramur & congruum, ut illis se reddat sedes apostolica gratiosam, quibus ad id propria virtutum merita laudabiliter suffragantur. Volentes itaque ad dilectum filium Petrum quondam Bononii de Lignago presbyterum Veronensis diocesis apud nos de vita ac morum honestate, aliisque probitatis & virtutum meritis multipliciter commendatum, eorumque intuitu favore prosequi gratioso, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus si per diligentem examinationem eumdem Petrum bene legere, bene conscribere, & bene cantare & congrue loqui latinis verbis, & alias ad curatum beneficium obtinendum idoneum esse repereris, vel etiam si dictus Petrus non bene cantaret, dummodo in tuis manibus juret ad sancta Dei evangelia, quod infra annum a tempore examinationis hujusmodi computandum bene cantare addiscet, cum cura vel sine cura, & si forsan ita esse non inveneris, ipseque Petrus non bene cantet, & non juraverit, ut prefertur, dummodo ipsum alias post eamdem examinationem ad obtinendum beneficium sine cura idoneum esse repereris, super quibus tuam conscientiam oneramus, sine cura dumtaxat beneficium ecclesiasticum, etiamsi mansionaria perpetua fuerit, cujus fructus, redditus & proventus quinquaginta Florenorum auri secundum taxationem decime valorem annuum non excedant, ad cujuscumque seu communiter vel divisim quorumcumque in civitate & diocesi Ferrariensi collationem, provisionem, presentationem seu quamvis aliam dispositionem communiter vel divisim pertinens, si quod vacat ad presens, vel cum vacaverit, quod dictus Petrus per se vel procuratorem suum ad hoc legitime constitutum infra unius mensis spatium postquam sibi vel eidem procuratori vacatio illius innotuerit, duxerit acceptandum, conferendum eidem Petro post acceptationem hujusmodi cum omnibus juribus & pertinentiis suis donationi sue auctoritate nostra reserves, districtius inhibendo venerabili fratri nostro episcopo Ferrariensi, ac illi, vel illis, ad quem vel ad quos hujusmodi beneficii collatio, provisio, presentatio, seu quevis alia dispositio communiter vel divisim pertinet, ne de hujusmodi beneficio interim, etiam ante acceptationem eamdem, nisi postquam eis constiterit, quod Petrus vel procurator predicti illud noluerit acceptare, disponere quomodo presumant, ac nihilominus beneficium hujusmodi, quod reservabis, si ut premittitur, vacat, vel cum vacaverit, cum omnibus juribus & pertinentiis suis eidem Petro post acceptationem auctoritate predicta conferas & assignes, inducens per te vel alium seu alios eumdem Petrum vel procuratorem suum ejus nomine in corporalem possessionem beneficii, juriumque & pertinentiarum predictorum, & defendens inductum, ac faciens sibi de ipsius beneficii fructibus, redditibus, proventibus, juribus & obventionibus universis integre responderi, contradictores auctoritate nostra appellatione postposita compescendo. Non obstantibus &c. Datum Rome apud sanctum Petrum idibus januarii pontificatus nostri anno duodecimo.

LXI.

Michael Steno dux Venetiarum scribit Francisco domino de Carraria pro monasterio S. Johannis-baptistæ de Judaica.

Anno 1401. XXI. februarii.

Ex archivo S. Johannis-baptistæ de Judaica.

Michael Steno Dei gratia dux Venetiarum &c. magnifico & potenti viro domino Francisco de Carraria Padue &c. amico dilecto salutem & sincere dilectionis affectum. Exposuerunt coram nobis prior & fratres heremite monasterii sancti Johannis-baptiste de Judayca, quod per officiales magnificentie vestre laboratores & habitatores possessionum & territorii dicti monasterii positi in villa de Ronchomorello, gravantur & molestantur in factionibus & angariis non solitis, neque debitis, & quod positi sunt in extimis contra omnem consuetudinem & formam pactorum, in ipsorum fratrum & monasterii damnum maximum & prejudicium, quod credimus absque scitu, & conscientia vestre magnitudinis procedere. Idcirco magnitudinem vestram attente precamur, quatenus placeat ordinare & mandare officialibus vestris, quod laboratores & habitatores dictorum fratrum & monasterii in factionibus, angariis & extimis non graventur, nec molestentur contra consuetudinem & formam pactorum, sed ipsos tractent, & conservent, ut continet dicta forma pactorum, sicut de magnitudine vestra plene speramus.

Data in nostro ducali palatio die XXI. februarii indictione nona.

LXII.

Senatus-consultum Venetorum contra procurantes Beneficia in eorum dominio.

Anno 1401. XXVI. septembris.

Ex veteri exemplo archivi S. Michaelis de Muriano. Capſ. 73. 36.

QUia multe male inconvenientie, errores & ſcandala poſſent occurrere propter modos, qui tenentur in procurando privationem noſtrorum prelatorum & beneficiatorum in Ducatu noſtro, & in aliis locis noſtris & terris exiſtentium, & neceſſarium ſit providere, ſuper inde vadit pars, quod ſi aliquis noſter civis, vel fidelis aut forenſis, clericus vel laicus cujuſcumque conditionis exiſtat, non audeat, preſumat, nec debeat per ſe vel per alium aliquo modo vel ingenio procurare vel impetrare aliquod beneficium vel prelaturam conſtitutam in Ducatu noſtro, nec in aliis terris & locis noſtris, que non vacet, & in qua ſit prelatus ſuus, nec procurare privationem, vel amotionem ſeu translationem alicujus dictorum prelatorum & beneficiatorum directe vel indirecte ſub pena perpetui banni de Venetiis, & omnibus terris & locis communis Venetiarum, de quibus penis non poſſit fieri gratia, donum, remiſſio vel recompenſatio ſub pena ducatorum mille pro quolibet proponente vel conſentiente partem in contrarium. Et ſi aliquis committeret vel faceret contra hanc noſtram intentionem, & obtineret aliquod ex predictis beneficiis & prelaturis, non gaudeat aliquo modo de beneficio & prelatura, quam acquireret, nec redditibus, proventibus vel utilitatibus ejus, ſed convertantur omnia in reparatione & utilitate dicti beneficii vel prelature per eum modum, qui dominio videbitur. Et predicta habeant locum etiam contra illos, qui a duobus menſibus procuraſſent vel obtinuiſſent aliquid contra predicta, videlicet quod propterea non ſint banniti, ſed non gaudeant beneficiis, que acquirerent vel acquiſiſſent, ſed fiat, ut ſupra dictum eſt.

XLIII.

Bonifacius IX. confirmat exemptionem abbatiæ & Burgi S. Sepulcri ab epiſcopo Civitatis-caſtelli.

Anno 1401. kal. aprilis.

Ex codice Mediceo-laurentiano. C. LXV. n. 33.

BOnifacius epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis . . abbati & conventui monaſterii ſancti Johannis-evangeliſte de Burgo-ſancti-Sepulcri Camaldulenſis ordinis Civitatis-caſtelli dioceſis ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Sincere devotionis affectus, quem ad nos & Romanam eccleſiam gerere comprobamini, merito nos inducunt votis veſtris, illis preſertim, per que quieti & tranquillitati veſtre conſulitur, & veſtrum monaſterium in ſuis conſervetur juribus, favorabiliter annuamus. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat, quod licet idem veſtrum monaſterium & Burgus-ſancti-Sepulcri Civitatis-caſtelli dioceſis, in qua ipſum monaſterium ſitum eſt, necnon univerſitas & diſtrictus ejuſdem Burgi cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis fuiſſent & eſſent ab omni dominio, juriſdictione & poteſtate epiſcopi Civitatis-caſtelli pro tempore exiſtentis, & alterius cujuſque dioceſani loci ſpectantibus ex ſpecialibus privilegiis ſedis apoſtolice penitus exempti, liberi & immunes, & abbates ejuſdem monaſterii, qui tunc & antea fuerint & extitiſſent, temporis cujus in contrarium tunc memoria non exiſtebat, in pacifica poſſeſſione vel quaſi juris audiendi omnes & ſingulas uſurarum, & matrimonialium, quam alias quaſcumque cauſas ad forum eccleſiaſticum pertinentes, & etiam exercendi omnem juriſdictionem eccleſiaſticam in Burgo & diſtrictu predictis; tamen poſtmodum epiſcopus Civitatis-caſtelli, qui tunc fuit, forte ſentiens hujuſmodi privilegia caſualiter alienata & amiſſa, abbatem, qui tunc erat, & conventum veſtri monaſterii ſuper hujuſmodi juribus & juriſdictione litibus involvit, & ſucceſſive ipſis litibus hinc inde vertentibus dilecti filii commune dicte civitatis ſibi monaſterium & Burgum predictum de facto uſurparunt, adeoque fortiter manutenuerunt, quod etiam ipſe abbas tunc exiſtens volens forſan hujuſmodi litium expenſas & labores ſuf-

sufferre, quosdam, ut dicitur, de facto alicujus superioris licentia sive consensu ad hoc minime habitis, cum eodem episcopo tunc existente tractatus transegisse, considerantes inter cetera, quod tam abbas dicti monasterii, quam episcopus Civitatis-castelli pro tempore existentes de hujusmodi etiam matrimonialium causis indifferenter coram ipsis moveretur, cognoscerent, reliquis omnibus ad forum ecclesiasticum spectantibus ipsi episcopo reservatis, ipseque episcopus, qui tunc erat & successores sui, qui ex tunc fuerunt, diversa occasione hujusmodi jurisdictione monasterio & Burgo, ac personis utriusque sexus tam ecclesiasticis, quam secularibus injurias, jacturas, ac damna & gravamina multiplicia intulerunt, & adhuc episcopus Civitatis-castelli, qui nunc est, inferre non obmittit, in vestram & vestri monasterii, necnon Burgi, & universitatis & districtus predictorum, ac jurium & libertatum vestrarum lesionem, prejudicium & etiam detrimentum. Quare pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere vobis super hoc de opportuno remedio de benignitate apostolica dignaremur, & tenore presentium plene & integre restitueremus, reponeremus, ac etiam reintegraremus, insistebatis, auctoritate apostolica tenore presentium plene & integre restituimus, reponimus, ac etiam reintegramus; & nihilominus decernimus & declaramus supradictos tractatus cum eodem episcopo, ut prefertur, irritos fuisse, & esse nullos & invalidos, & eos, quatenus de facto processerunt, revocamus, ac omnimodam jurisdictionem ecclesiasticam in prefatis Burgo & ejus districtu ad vestri monasterii abbatem pro tempore existentem continuo spectasse & pertinuisse in omnibus & per omnia, ac si hujusmodi tractatus facti & habiti, ac si prefata vestra privilegia alienata & amissa minime extitissent. Et insuper ad uberiorem cautelam, ne forsan propter amissionem privilegiorum predictorum hujusmodi vestris exemptionibus, libertatibus & immunitatibus jurisdictionibusque deficere contingat, vos & monasterium vestrum, necnon universitatem & districtum & omnes & singulas utriusque sexus personas ecclesiasticas & mundanas, necnon quecumque bona mobilia & immobilia ad vos & monasterium vestrum, ac Burgum, universitatem & districtum hujusmodi communiter vel divisim in presenti vel in futurum quomodolibet pertinentia ab omni jurisdictione, visitatione, dominio & potestate episcopi Civitatis-castelli, qui est, & qui erunt pro tempore, & alterius cujuscumque diocesis & loci de novo in perpetuum prorsus eximimus ac etiam liberamus, ac in jus & proprietatem, & sub protectione beati Petri suscipimus & nostra: ita videlicet quod tu fili abbas & successores tui abbates dicti monasterii, qui erunt pro tempore, possitis & debeatis in monasterio, Burgo, universitate & districtu predictis omnia & singula tam jurisdictiones, quam alia quecumque ad forum ecclesiasticum spectantia, veluti verus ordinarius, exercere libere & licite in omnibus, & per omnia, sicut verus episcopus vel ordinarius & diocesanus in suis locis potest de jure quomodolibet exercere, premissis tractatibus, amissionibus & alienationibus privilegiorum hujusmodi, ac constitutionibus apostolicis, & aliis contrariis non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum *&c.* Si quis *&c.* Datum Rome apud sanctum Petrum kalendis aprilis pontificatus nostri anno XII.

Gratis de mandato domini nostri pape.
Marcus...

LXIV.

Idem Bonifacius dat in commendam prioratum S. Mariæ de Serra diœcesis Æsinæ Clementi episcopo Thelesino.

Anno 1401. XV. kal. januarii.

Ex veteri exemplo in volumine UMBRIÆ *archivi S. Michaelis de Muriano.*

BOnifacius episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus .. Concordiensi, & Florentino & Esino episcopis salutem & apostolicam benedictionem. Personam ven. fratris nostri Clementis episcopi Thelesini nobis & apostolice sedi devotam ejus exigentibus meritis paterna benevolentia prosequentes, ea sibi gratiose concedimus opportuna. Cum itaque, sicut accepimus, prioratus sancte Marie de Serra Camaldulensis ordinis Esine diocesis, quem quondam Angelus de Noceria ultimus ipsius prioratus prior, dum viveret, obtinebat, per ipsius Angeli obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacaverit, & vacet ad presens, nos attendentes, quod idem Clemens episcopus, qui confessor noster existit, de fructibus, redditibus, & proventibus ecclesie Thelesine juxta status sui decentiam congrue susten-

tari non potest, de alicujus subventionis auxilio pro supportandis expensarum oneribus, que incumbunt eidem, providere volentes, fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo, vel unus vestrum per vos, vel alium, seu alios, eumdem prioratum, cujus fructus, redditus, & proventus centum-quinquaginta Florenorum auri secundum communem extimationem valorem annuum, ut ipse Clemens asserit, non excedunt, sive premisso, sive aliquovis modo *&c.* aut per constitutionem felicis recordationis Johannis pape XXII. predecessoris, que incipit: *Execrabilis*, aut per privationem alicujus illam tunc obtinentis quacumque auctoritate factam vacet, etiamsi tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranensis statuta concilii ad eamdem sedem legitime devoluta, dictusque prioratus ab aliquo monasterio vel loco regulari dicti ordinis dependeat, & per monachos monasterii vel loci hujusmodi gubernari, & illum pro tempore obtinens pro solo nutu superioris amoveri & ad claustrum revocari consueverit, & ex eo generaliter, quod aliquis illum obtinens eum in quemvis eventum ex voluntate vel decreto dicte sedis dimittere tenebatur, vel alias... dispositioni apostolice reservatus, & curatus, ac dignitas conventualis existat, & ad eum consuevit. . per electum assumi, & super eo item aliqua lis, cujus status presentibus haberi volumus pro expresso, in palatio apostolico vel alibi pendeat seu remanserit indecisa. Dictusque Angelus vel persona hujusmodi sedis apostolice predicte capellanus, notarius, nuntius vel alius officialis usumfructuum & proventuum camere apostolice debitorum collector vel subcollector, aut ejusdem sedis vel alterius ex venerabilibus fratribus nunc sancte Romane ecclesie cardinalium familiaris fuerit, vel damnate memorie Ruberto olim basilice XII. apostolorum presbytero cardinali tunc antipape, qui se Clementem VII. ausu sacrilego nominabat, vel aliis per processus apostolicos condemnatis adheserit, vel apud sedem ipsam decesserit, dummodo tempore date presentium non sit in eodem prioratu alicui specialiter jus quesitum, cum omnibus juribus & pertinentiis suis usque ad nostrum beneplacitum eidem Clementi episcopo per eum tenendum, regendum & etiam gubernandum in commenda auctoritate nostra concedatis. Ita quod idem episcopus durante hujusmodi commenda fructus, redditus & proventus ejusdem prioratus in suam & ejusdem prioratus utilitatem communiter libere & licite, sicut ceteri priores ejusdem prioratus, qui sunt pro tempore, de illis disponere poterunt, seu etiam debuerunt, alienatione tamen bonorum immobilium & pretiosorum mobilium ipsius prioratus eidem Clementi episcopo interdicta. Inducentes eum vel procuratorem suum ejus nomine in corporalem possessionem prioratus, juriumque & pertinentiarum predictorum, & defendentes inductum, amoto exinde quolibet illicito detentore, ac facientes ipsum Clementem episcopum vel dictum procuratorem pro eo ad hujusmodi prioratum, ut est moris, admitti, sibique de ipsis prioratus fructibus *&c.* universis integre responderi. Contradictores per censuram *&c.* Non obstantibus, quod idem Clemens episcopus ordinis fratrum eremitarum sancti Augustini professor existit, ac tam pie memorie Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, quam aliis quibuscumque constitutionibus apostolicis *&c.* quibus omnibus prefatum Clementem episcopum in assecutione dicti prioratus volumus anteferri. Sed nullum per hoc eis, que ad prioratuum aut dignitatum, personatuum vel officiorum aut beneficiorum aliorum prejudicium generari, seu si dilectis filiis conventui dicti prioratus vel quibusvis aliis communiter vel divisim a sede prefata sit indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicujus minime teneantur, & ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, per literas apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali cujuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus hujusmodi gratie impediri valeat quomodolibet vel differi, & de qua cujusque tenore habenda sit in nostris literis mentio specialis. Nos enim ex nunc irritum decernimus & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Datum Rome apud sanctum Petrum quinto-decimo kalendas januarii anno tertiodecimo.

LXV.

LXV.

Johanninus Fabrianensis professionem monasticam emittit in monasterio Vallis-castri.

Anno 1404. xv. septembris.

Ex tabulario Valle-castrensi.

IN Dei nomine amen. Hoc est exemplum sive copia cujusdam publici instrumenti cum die & consule scripti & publicati in carta membrana, & tenorem subsequentem continentis videlicet. In nomine Domini, amen. Anno Domini millesimo quatringentesimo-quarto indictione XII. tempore domini Bonifacii divina providentia pape IX. die xv. mensis septembris. Actum in ecclesia sancti Romualdi Vallis-castri Camerinensis diocesis & districtus Fabriani, presentibus fratre Gentile de Fulgineo monacho monasterii Saxi-vivi comitatus & diocesis Fulginei, Mattheo Angeli Paulutii de Fabriano, Vannutio Johannicti de Piro, Sancte Rigutii de castro Porcharelle districtus Fabriani, & Johanne Stephani de Fabriano testibus ad infrascripta habitis, vocatis & rogatis. Sit publice notum, quod Johanninus ser Romani Bencncase Puccioli de Fabriano de quarterio sancti Blasii existens genuflexus ante majus altare ecclesie & monasterii sancti Romualdi Vallis-castri districtus Fabriani & Camberinensis diocesis & ordinis Camaldulensis, & volens & intendens pro Christi amore & pro salute ejus & antecessorum suorum, & pro remissione peccatorum suorum sub jugo religionis & obedientie in dicto monasterio se arctare & residuum vite sue regulari subjicere discipline, tenensque manus suas clausas infra manus reverendi viri domini fratris Angeli abbatis & sindici & procuratoris dicti monasterii sancti Romualdi Vallis-castri Camberinensis diocesis & districtus Fabriani, dedit & obtulit, & dedicavit personam ipsius Johannini, & omnia & singula bona, & jura & actiones ejusdem Johannini, & omnia Deo & beato Romualdo, & predicto domno Angelo tamquam abbati, & sindico & procuratori dicti monasterii recipienti & stipulanti vice & nomine dicti monasterii, & sui capituli & conventus, dans & ponens se ipsum Johanninum in monachum monasterii antedicti, necnon promittens & profitens eidem domino abbati & sindico & procuratori, ut supra, recipienti & stipulanti vice & nomine dicti monasterii, capituli & conventus, & in ejus manibus stabilitatem, castitatem, proprii carentiam, & obedientiam, & reverentiam debitam, & conversionem morum suorum, & observantiam regule beati Benedicti, & morum dicti monasterii, hoc modo. Ipse enim Johanninus, ut predicitur, existens genuflexus & tenens manus suas, ut prefertur, dixit & protulit in vulgari sermone verba hujusmodi, videlicet; Ego Johanninus promitto stabilitatem, conversionem, castitatem, proprii carentiam, & obedientiam, & reverentiam debitam morum meorum, & observantiam debitam beati Benedicti, & morum monasterii sancti Romualdi Vallis-castri districtus Fabriani & Camerinensis diocesis in ipso monasterio & domibus, & membris suis coram Deo & Sanctis suis, & in presentia domni Angeli abbatis & sindici & procuratoris dicti monasterii, & ad mandatum ejus & successorum suorum. Et renuntio solemniter & expresse mundo & pompis ejus, & tempori & anno probationis & professionis regule predicte, & morum monasterii antedicti, & omni alii legum & juris auxilio, & beneficio & favori. Quibus omnibus sic peractis predictus domnus Angelus abbas sindicus & procurator nomine & vice dicti monasterii & sui capituli & conventus predictum Johanninum ibidem presentem & humiliter petentem recepit & acceptavit in monachum & professum expressum dicti monasterii ad panem & aquam secundum regulam antedictam, & ad & secundum mores monasterii predicti. Et subsequenter induit eundem Johanninum habitum & vestes monacalem, & capillos ejusdem totondit secundum consuetudinem dicti monasterii, & monachorum suorum, hymnos & officium in talibus decantando. Renuntians idem domnus Angelus abbas & sindicus procurator jamdictus vice & nomine dicti monasterii, & sui capituli & conventus tempori & anno probationis dicti Johannini, & morum suorum, & omni alii legum & juris auxilio, & beneficio & favori, & tandem dictus dominus abbas &c. & dictus Johanninus rogaverunt me notarium infrascriptum, quod de predictis omnibus & singulis plubicum & validum conficerem instrumentum.

Et ego Lucas Antonii Marini de Piro imperiali auctoritate notarius & judex ordinarius hiis omnibus interfui, & rogatus scribere, scripsi, & publicavi, & ad fidem & testimonium omnium predi-

cto-

ctorum mea propria manu subscripsi, & signumque meum consuetum apposui.

Et ego Augustinus Matthei Bene de Fabriano imperiali auctoritate notarius predictum exemplum, prout in originali inveni, ita hic fideliter & per ordinem transcripsi *&c.* de mandato egregii legum doctoris domini Matthei de Pergula honorandi vicarii, & judicis & assessoris communis Fabriani *&c.* sub anno M. CCCC. V. indictione XIII. tempore domini Innocentii pape VII. die lune de sero hora solita causarum VII. mensis septembris Fabriani in palatio communis Fabriani solite residentie predicti domini vicarii *&c.*

Et ego Laurentius Raynaldi Venibene de Fabriano notarius *&c. ut supra.*

Et ego Franciscus Nicolutii Raynaldutii de Fabriano notarius *&c.*

Et ego Franciscus Zandri Juntini de Fabriano notarius *&c.*

LXVI.

Monachi abbatiæ Burgi S. Sepulcri supplicant Innocentium VII. ut eorum abbatiæ restituantur jura & privilegia vetera apostolica.

Anno 1404.

Ex veteri exemplo in volumine THUSCIÆ *archivi S. Michaelis de Muriano.*

BEATISSIME PATER. Exponitur sanctitati vestre pro parte devotorum oratorum vestrorum abbatis & conventus monasterii sancti Johannis Evangeliste de Burgo-sancti-Sepulcri Camaldulensis ordinis Civitatis-castelli diocesis, quod dudum fe. rec. Bonifacio pape IX. predecessori suo pro parte ipsorum abbatis & conventus exposito, quod dum olim monasterium & Burgus predicta, necnon universitas & districtus ejusdem Burgi cum omnibus juribus & pertinentiis suis fuissent & essent ab omni dominio, jurisdictione & potestate episcopi Civitatis-castelli vel alterius cujuscumque diocesani loci ex specialibus sedis apostolice privilegiis exempti, liberi & immunes, ac abbates dicti monasterii extitissent a tempore cujus contrarii in memoria hominum non existebat, in pacifica possessione vel quasi jurium audiendi omnes & singulas tam usurarum & matrimonialium, quam alias quascumque causas ad forum ecclesiasticum pertinentes, & etiam exercendi omnem jurisdictionem ecclesiasticam in Burgo & districtu predictis: tamen postmodum episcopus Civitatis-castelli forte sentiens hujusmodi privilegia casualiter alienata & amissa, abbatem, qui tunc erat, & conventum dicti monasterii gravibus super jure diocesano hujusmodi litibus involvit, & successive ipsis litibus hinc inde vertentibus, commune dicte Civitatis sibi monasterium & Burgum predicta de facto usurpavit, ac adeo fortiter manutenuit, quod etiam ipse abbas tunc existens non valens forsan hujusmodi litium expensas & labores sufferre, quosdam, ut dicitur de facto, alicujus super hoc superioris licentia seu consensu minime adhibitis, cum eodem episcopo tunc existente tractatus iniisse, concludentes inter cetera, quod tam abbas, quam episcopus predicti de usurarum & matrimonialium causis hujusmodi indifferenter secundum quod coram eis moverentur, cognoscerent, reliquis omnibus ad forum ecclesiasticum spectantibus ipsi episcopo reservatis, ipseque episcopus & successores sui diversa occasione hujusmodi jurisdictiones monasterio & Burgo, ac personis utriusque sexus tam ecclesiasticis, quam secularibus injurias, jacturas ac damna multiplicia intulerunt, prout inferebant in monasterii, Burgi, universitatis, districtus jurium & libertatum predictorum lesionem, prejudicium & detrimentum, idem predecessor dictos abbatem & conventum ac monasterium ad omnia & singula libertates, exemptiones, immunitates, jurisdictiones, privilegia & alia jura, que antequam prefatus episcopus ipsis, ut prefertur, dictas lites movebat, habebant, seu in quorum possessionem seu quasi quomodolibet existebant, auctoritate apostolica plene & integre restituit, reposuit & etiam reintegravit, ac decrevit & declaravit dictos tractatus cum eodem episcopo irritos fuisse & esse nullos & invalidos, & eos quatenus de facto processerunt, revocavit, ac omnimodam jurisdictionem ecclesiasticam in Burgo & districtu prefatis ad dictum abbatem continue spectasse & pertinuisse in omnibus & per omnia, ac si hujusmodi tractatus facti & habiti, & prefata privilegia alienata & amissa minime extitissent, & insuper ad uberiorem cautelam exemit, ac etiam liberavit, ac alia fecit, prout hec & alia in literis apostolicis desuper confectis, que hic habere dignemini pro sufficienter, expressis, plenius continentur. Cum autem, Pater Beatissime, idem predictus postmodum, videlicet XI. kalendas januarii pontificatus sui anno XIV. omnes

omnes exemptiones per ipsum factas quibuscumque monasteriis &c. revocaverit & annullaverit, quare supplicant vestram sanctitatem dicti abbas & conventus, quatenus dictas literas apostolicas per dictum Bonifacium ipsis concessas, gratiose confirmare dignemini, supplendo omnes defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, vel decernere & declarare dignemini dictas literas apostolicas sub dicta generali revocatione exemptionum comprehendi non debere, dictis generalibus & aliis particularibus revocationibus, si que apparerent, quas pro sufficienter expressis habere hic dignemini, ac constitutionibus apostolicis, ac aliis in contrarium editis non obstantibus quibuscumque, cum ceteris non obstantibus & clausulis opportunis, ut in forma &c.

Sine alia lectione.

LXVII.

Instantia monachorum Vallis-castri ad Innocentium VII. ut bullæ unionis eorum abbatiæ eremo Camaldulensi renoventur.

Anno 1404.

Ex veteri exemplo in volumine UMBRIÆ *ejusdem archivi S. Michaelis.*

BEATISSIME PATER. Dignetur Sanctitas Vestra literas unionis & submissionis factarum eremo & ordini Camaldulensi de monasterio sancti Romualdi de Valle-castri ordinis nunc Camaldulensis, Camerinensis diocesis supradictas unionem & submissionem confectas per cancellarium Sanctitatis vestre cum registro quinti & noni anni felicis recordationis domini Bonifacii, in quibus quidem libris & registris litere dictam incorporationem concernentes registrate sperabantur, que per diligentem inquisitionem tam in registro supplicationum, quam bullarum sunt quesite, & super hujusmodi inquisitionem facta est fides, cancellarius & duo testes sunt examinati, sed propter mutationem curie perdita dicuntur, ac si dicte litere & eorum sumpta in registro reperirentur, & de eorum sumptis plena fieri possent documenta expedire, proinde mandare dignemini de gratia speciali.

Sine alia lectione.

LXVIII.

Innocentius VII. committit abbati de Triputio, ut bona male alienata monasterii Valle-castrensis recuperentur.

Anno 1406. IV. non. februarii.

Ex autographo monasterii Vallis-castri.

INnocentius episcopus servus servorum Dei dilecto filio . . abbati monasterii sancte Crucis de Triputio Camerinensis diocesis salutem & apostolicam benedictionem. Ad audientiam nostram pervenit, quod tam dilecti filii Angelus abbas & conventus monasterii sancti Romualdi de Valle-castri Camaldulensis ordinis Camerinensis diocesis, quam predecessores eorum, decimas, terras, domos, hortos, &c. ad firmam vel sub censu annuo concesserunt, quorum aliqui dicuntur super his confirmationis literas in communi forma a sede apostolica impetrasse. Quia vero nostra interest super hoc de oppor- portuno remedio providere, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus ea, que de bonis ipsius monasterii per concessiones hujusmodi alienata inveneris illicite vel distracta, non obstantibus literis, instrumentis &c. supradictis, ad jus & proprietatem ejusdem monasterii legitime revocare procures &c. Datum Viterbii IV. nonas februarii pontificatus nostri anno secundo.

A. Petra.

LXIX.

Idem scribit Andreæ priori Camaldulensi circa electionem prioris S. Mathiæ de Muriano.

Anno 1406. XX. julii.

Ex archivo S. Mathiæ de Muriano.

INnocentius episcopus servus servorum Dei dilecto filio Andree priori eremi Camaldulensis Aretine diocesis salutem & apostolicam benedictionem. Humilibus supplicum votis libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis. Dudum siquidem pro parte dilecti filii Antonii tunc prioris monasterii sancti Johannis-baptiste de Judaica de Venetiis per priorem soliti gubernari Camaldulensis ordinis Castellane diocesis nobis exposito, quod prioratu monasterii sancti Ma-

Mathie de Muriano etiam per priorem soliti gubernari Camaldulensis ordinis Torcellane diocesis tunc per obitum quondam Jacobi ejusdem monasterii sancti Mathie prioris extra Romanam curiam defuncti vacante, dilecti filii conventus ipsius monasterii sancti Mathie vocatis omnibus, qui debuerant, voluerant & potuerant electioni hujusmodi interesse, die ad eligendum prefixa, ut moris est, convenientes in unum, prefatum Antonium in eorum & dicti monasterii sancti Mathie priorem concorditer elegerunt, idemque Antonius electioni hujusmodi illius sibi presentato decreto consenserat in his omnibus statutis a jure temporibus observatis; quodque idem Antonius dubitabat electionem hujusmodi ex certis causis juribus non subsistere, & per nos accepto, quod prioratus ipse tunc, ut prefertur, vacare noscebatur, nos dilecto filio.. plebano plebis sancti Angeli de Venetiis dicte Castellane diocesis per nostras literas dedimus in mandatis, ut si sub certis modo & forma tunc expressis eumdem Antonium ad hoc idoneum esse inveniret, prioratum predictum, cujus fructus, redditus, & proventus trecentorum ducatorum auri secundum communem extimationem valorem annuum, ut idem Antoni s asserebat, non excederet, si, ut premittitur, vacaret, etiam si tanto tempore vacavisset, quod ejus collatio juxta Lateranensis statuta concilii ad sedem apostolicam devoluta, & prioratus ipse dispositioni apostolice generaliter vel specialiter reservatus existeret, dummodo tunc non esset in eo alicui specialiter jus quesitum, eidem Antonio auctoritate nostra conferret & assignaret. Postmodum vero pro parte dilectorum filiorum Balneo-caballi Faventine diocesis, & sancte Marie de Angelis Bononiensis, & sancti Johannis-baptiste Faventine, necnon sancti Nicolai Pensaurienis predicti ordinis prioratuum priorum & conventuum nobis significato, quod licet in statutis ordinis ejusdem per eamdem sedem approbatis caveretur expresse, quod vacante aliquo monasterio ipsius ordinis, ad quod consuevit quis per electionem assumi, conventus hujusmodi vacantis monasterii per proprium nuncium & eorum literas generalem priorem ipsius ordinis existentem pro tempore ad electionem futuri prioris dicti vacantis monasterii, que tunc immineret, facienda vocare, ipseque prior generalis vel ejus vicarius etiam exsistens pro tempore sumptibus ipsius vacantis monasterii illuc accedere, necnon electioni hujusmodi personaliter interesse pariter & preesse, ipsamque, cum facta foret, auctoritate ordinaria confirmare deberet, & quicumque omissa hujusmodi vacatione vel canonico spatio temporis in hiis non expectato ad actum electionis, supplicationis vel nominationis procederent, ipso facto omni actu legitimo essent privati, ita quod in capitulo nullam vocem activam vel passivam penitus de cetero haberent, essentque inhabiles ad quecumque beneficia ecclesiastica obtinenda, usquequo auctoritate generalis capituli ipsius ordinis forte mererentur dispensationis beneficium obtinere, & nihilominus hujusmodi electio vel supplicatio, aut nominatio taliter attentata auctoritate statuti hujusmodi esset irrita & inanis; quodque licet monasterii sancti Johannis-baptiste de Judaica & de Balneo-cavallo, ac sancte Marie Bononiensis, necnon sancti Johannis Faventie, ac sancti Nicolai Pensaurienis prioratuum predictorum priores, qui etiam fuerunt pro tempore, & que quidem monasterium sancti Johannis, & prioratus ab eodem monasterio sancti Mathie dependebant, prout dependent, & a quibus illa pro tempore obtinentes pro solo nutu prioris dicti monasterii sancti Mathie existentis pro tempore amoveri consueverant, etiam de antiqua & approbata, & hactenus pacifice observata consuetudine ad electionem prioris ejusdem monasterii sancti Mathie quotiens immineret facienda vocari, & illi interesse deberent, & ita etiam observatum fuisset a tempore, quo dicta statuta edita fuerant, & ejus contrarii memoria non extabat, tamen dicto monasterio sancti Mathie tunc per hujusmodi obitum predicti Jacobi, ut premittitur, vacare prefatus Antonius omissis vocationibus eorumdem Balneo-cavalli & sancte Marie Bononiensis & sancti Johannis Faventie, necnon sancti Nicolai prioratuum predictorum priorum, & proprie salutis immemor, neque ad Deum aut bonum regimen dicti monasterii sancte Mathie habendo respectum, promiserat quibusdam ex monachis dicti monasterii sancti Mathie, quod faceret ipsos eorumdum monasterii sancti Johannis de Judaica & prioratuum priores, si eum in priorem ipsius monasterii sancti Mathie tunc, ut premittitur, vacantis eligerent, & per hujusmodi turpes & illicitas promissiones se per minorem partem monachorum dicti monasterii sancti Mathie, scilicet tres vel quatuor per easdem promissiones per eum corruptos procuraverat eligi in priorem dicti monasterii sancti Mathie in valde enormem lesionem ac pre-

prejudicium non modicum ipsius monasterii sancti Mathie, & scandalum quoque plurimorum, quodque notorium extiterat ad dictum monasterium sancti Mathie conventuale, & plenius erat & in eo alias triginta monachi ejusdem ordinis professores sancte conversationis & honeste vite conventualiter consueverant famulari, & per eosdem corruptos monachos quasi ad nihilum esset deductum, ipsique corrupti monachi juris termino non expectato, & eisdem prioribus dictorum prioratuum ad eamdem electionem, que tunc imminebat, faciendam non vocatis dictum Antonium de facto elegerant, ut prefertur, & propter hujusmodi electionem ac literas nostras per eumdem Antonium, ut prefertur, extortas, manifeste in illis partibus scandala erant suborta, & pro parte Balneocavalli & sancte Marie Bononiensis, & sancti Johannis-baptiste, necnon sancti Nicolai prioratuum priorum & conventuum predictorum asserentium etiam, quod hujusmodi fructus, redditus & proventus firmam sexcentorum florenorum auri secundum existimationem predictam non excedebant annuatim, nobis humiliter supplicato, ut statui dicti monasterii sancti Mathie & alias in hac parte in premissis salubriter providere de speciali gratia dignaremur; nos tibi per alias nostras literas dedimus in mandatis, ut ad dictum monasterium sancti Mathie personaliter accederes, & habens pre oculis solum Deum impenderes inibi visitatoris officium, tua, ac etiam ea vice auctoritate nostra juxta predicta statuta & instituta regularia ipsius ordinis, corrigendo in capite & membris, tam in spiritualibus, quam temporalibus, que ibidem correctoris & visitatoris officium videres indigere, ac nihilominus super premissis omnibus & singulis auctoritate nostra inquireres diligentius veritatem, & si per eamdem inquisitionem ita esse invenires, electionem & priores literas nostras predictas, necnon omnia inde secuta decerneres nullius existere roboris vel momenti, ac eumdem Antonium a regimine & administratione dicti monastrii sancti Mathie amoveres, ipsumque & alios monachos prefatos, qui per easdem promissiones inducti eum, ut premittitur, elegerunt, punires juxta canonicas sanctiones, necnon statuta & instituta supradicta, & nihilominus si amotionem hujusmodi per te contingeret fieri, ut prefertur, monasterio sancti Mathie & etiam prioratui sancti Johannis de Judaica prefatis singulas personas, que dictum ordinem expresse professe, necnon ad hoc utiles & sufficientes & idonee forent, & de quibus tibi videretur, dummodo in eodem prioratu monasterii sancti Johannis de Judaica tempore date dictarum ultimarum literarum non esset alicui specialiter jus quesitum, eadem auctoritate nostra preficeres in priores, curam & administrationem monasterii sancti Mathie ac prioratus sancti Johannis in Judaica prefatorum in eisdem personis, quas taliter preficeres, faceres a suis subditis obedientiam & reverentiam debitas exhiberi, prout in dictis literis plenius continetur. Verum sicut exhibita nobis postmodum pro parte dilecti filii Stephani Guilielmi monachi & procuratoris generalis dicti ordinis in Romana curia petitio continebat, priores predicti forsan ignari, quod hujusmodi electio de dicto Antonio, ut premittitur, facta & inde secuta hujusmodi vitio non carebat, & propterea eidem Antonio tamquam vero superiori suo obedientiam & reverentiam debitas exhibuerunt, & quia forte difficulter probari posset prefatos monachos in electione predicta fuisse corruptos, cum hujusmodi vitiosi contractus sub silentio seu sub nube, ut frequenter, fieri consueverint, & etiam quia dicitur & creditur, quod prefatus Antonius tempore electionis antedicte vel postea juxta premissa, vel alias ad dictum prioratum dicti monasterii sancti Mathie obtinendum inhabilis fuerit, aut ad presens existat, pro parte prefati Stephani nomine dicti ordinis nobis fuit humiliter supplicatum, ut super iis providere salubriter de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati discretioni tue per apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus si per inquisitionem hujusmodi tibi legitime constiterit prefatum Antonium tempore dicte electionis fuisse vel ad presens esse inhabilem ad predictum prioratum monasterii sancti Mathie obtinendum, perinde ad executionem dictarum literarum tibi, ut premittitur, directarum, pretermissis omnibus aliis articulis sive punctis in hujusmodi inquisitionis negotio contra predictum Antonium formatis aut formandis auctoritate nostra procedas, ac si hujusmodi tibi due litere non ad priorem, sed ad solius supradicti Stephani procuratoris predictorum instantiam essent impetrate. Non obstantibus *&c.* Datum.... XIII. kal. augusti anno secundo.

LXX.

Andreas prior Camaldulensis mandat, ne monachi divagentur per urbes.

Anno 1406. IV. nonas decembris.

Ex monasterio S. Blasii de Fabriano.

IN Dei nomine, amen. Nos frater Andreas sacre Camaldulensis eremi prior & totius ejusdem ordinis generalis. In nostris considerationibus revolventes quanta devotio, quantusque honor ordini nostro proveniat ex fama laudabili virtuose vite & observantie regularis, que vigere noscuntur in monasterio sancti Mathie de Murano prope Venetias, sancti Michaelis de Murano Torcellane diocesis, sancte Marie de Angelis in civitate Florentie, & sancte Marie de la Rosa juxta civitatem Senarum honorabilibus nostri ordinis membris, obligari videmur ex debito commissi nobis officii, modos exquirere, per quos congrue obviare possimus, ne fama laudabilis antedicta, & honor universalis inde proveniens minuantur, quinimo potius roborentur, & gratia favente divina recipiant incrementum. Cum itaque contingat interdum, quod monachi & conversi a predictis monasteriis ad alia loca ordinis transferantur, qui postea redire frequenter ad civitates predictas, & per eas discurrere publice non verentur, ex quo accessu & mora in publico devotioni & honori dictorum locorum non modicum derogetur, & prebeatur extraneis materia obloquendi, volentes contra hec remedium congruum adhibere, hoc unico monitionis edicto pro tribus & peremptorio monemus omnes & singulos monachos & conversos, qui removebuntur deinceps a monasteriis memoratis, eis nihilominus sub infrascriptis penis districte precipiendo mandantes, quatenus ad eadem monasteria & ad civitates predictas aliqua ratione vel causa cum licentia vel sine licentia alicujus eorum superioris redire non debeant publice vel occulte. Si quis autem predictorum contra monitiones & mandata nostra predicta temere venire presumpserit, ex nunc pro tunc trina monitione premissa pro tribunali sedentes in his scriptis contra eum excommunicationis sententiam promulgamus. Et insuper volumus, ac per veram obedientiam precipiendo mandamus tam prelatis, quam conventibus monasteriorum predictorum, quatenus quoties noverint aliquem predictorum ad suum monasterium seu civitatem personaliter advenisse, ipsum monachum vel conversum taliter venientem capere seu capi facere debeant, & districto carceri compedibus ferreis vinculatum infallibiliter mancipare, nullatenus a carcere relaxandum sine nostra licentia speciali, ut qui stultus fuit in culpa, sapiens fiat in pena; concedentes tenore presentium, ac etiam committentes prelatis & conventibus antedictis, quatenus ad hoc invocare possint, si opus fuerit, auxilium brachii secularis. In cujus rei testimonium hanc nostram patentem paginam, quam registrari fecimus ad cautelam, & sigillo nostri officii roborari, ad dicta monasteria duximus transmittendam.

Datum & latum in nostro monasterio Fontis-boni anno Domini M. CCCC. VI. die IV. mensis decembris indictione XIV.

LXXI.

Gregorius XII. concedit monachis S. Michaelis de Muriano, ut eligere sibi possint ipsorum abbatem.

Anno 1407. V. idus maji.

Ex autographo ejusdem monasterii. Caps. XII. 5.

GRegorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis.. abbati & conventui monasterii sancti Michaelis de Murano Camaldulensis ordinis Torcellane diocesis salutem & apostolicam benedictionem. Sacre religionis, sub qua mundanis abdicatis illecebris devotum & sedulum redditis Altissimo famulatum, promeretur honestas, ut votis vestris, in his presertim, per que vestris & monasterii vestri profectibus consulitur, ipsaque religio propagatur, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Cum itaque, sicut exhibita nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, monasterium vestrum, quod ab eremo Camaldulensi Aretine diocesis dependet, & a cujus regimine & administratione illa gerens pro tempore pro solo nutu prioris dicte eremi pro tempore existentis amoveri consuevit, & in quo ab olim abbas ipsius monasterii pro tempore cum uno vel duobus seu paucis monachis domino famulabatur, postmodum benedicente Domino in suis facultatibus, ac monachorum & ministrorum numerositate adeo augmentatum existat, quod in eo regularis ob-

ser-

ſervantia juxta veſtri ordinis diſciplinam & inſtituta regularia viget eleganter, divinaque officia ibidem devote & ſollemniter peraguntur, pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut pro ampliori ſubſiſtentia proſperi ſtatus veſtri & monaſterii prefati vobis filiis conventui, quod te filio abbate cedente vel decedente, aut regimen ejuſdem monaſterii quomodolibet dimittente, & deinceps perpetuis futuris temporibus quotieſcumque monaſterium ipſum abbatis regimine deſtitui contigerit, alium ejuſdem monaſterii vel ordinis predicti profeſſorem, alias tamen ad hoc idoneum & ſufficientem in veſtrum & ipſius monaſterii abbatem eligere libere & licite valeatis, & quod hujuſmodi electionem prefatus prior confirmare teneatur, concedere de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui dictum ordinem & ejus profeſſores in viſceribus amplectimur caritatis, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ut vos conventus, te abbate cedente vel decedente. aut regimen hujuſmodi quomodolibet dimittente, & deinceps perpetuis futuris temporibus hujuſmodi quotieſcumque monaſterium predictum abbatis regimine deſtitui contigerit, ut prefertur, alium predicti monaſterii vel ejuſdem ordinis profeſſorem alias tamen ad hoc idoneum & ſufficientem in veſtrum & ejuſdem monaſterii abbatem eligere libere & licite poſſitis, ſedis apoſtolice vel cujuſcumque alterius licentia ſuper hoc minime requiſita, vobis filiis conventui auctoritate apoſtolica tenore preſentium indulgemus. Quam quidem electionem, dum tamen canonice & de perſona idonea celebrata fuerit, prior ipſe confirmare teneatur. Conſtitutionibus &c. non obſtantibus quibuſcumque. Nulli ergo &c. noſtre conceſſionis & conſtitutionis &c.

Datum Rome apud ſanctum Petrum V. idus maji pontificatus noſtri anno primo.

Regiſtrata gratis de mandato domini noſtri pape pro bulla & regiſtro.

B. de Vercellis.

LXXII.

Idem prior & definitores capituli generalis concedunt aliquot privilegia monaſterio nuper erecto S. Benedicti prope Florentiam.

Anno 1407. 1. junii.

Ex tabulario ſancti Blaſii de Fabriano.

IN nomine Domini, amen. Anno M. CCCC. VII. indictione XV. tempore pontificatus beatiſſimi pape Gregorii XII. die prima junii. Omnibus innoteſcat per hujus publici ſeriem inſtrumenti, quod reverendus pater & dominus domnus frater Andreas ſacre Camaldulenſis eremi prior & totius ejuſdem ordinis generalis, & religioſi viri domnus Martinus de Aſſiſio & domnus Franciſcus ſer Johannis de Puppio monachi eremite dicte eremi, atque venerabiles patres domini domnus Antonius abbas monaſterii ſancte Marie de Vangadicia dioceſis Adrienſis, domnus Honuphrius abbas Camalduli-Florentini, domnus Antonius de Aretio abbas monaſterii ſancti Michaelis de Piſis & domnus Jacobus abbas monaſterii ſancti Benedicti de Savignano omnes dicti ordinis definitores generalis capituli in ipſo generali capitulo nuperrime celebrato in monaſterio Fontis-boni prope ſacram Camaldulenſem eremum, audita, ut dixerunt, petitione eis facta pro parte prioris & conventus ac capituli monaſterii eremitarum ſancti Benedicti extra portam Pinti civitatis Florentie dicti ordinis Camaldulenſis cum quibuſdam capitulis cum ipſa petitione factis, quorum quidem petitionis ac capitulorum talis eſt tenor.

Quoniam circa religionem augendam & impoſterum conſervandam ſancti patres & Romani pontifices multipliciter laborarunt, & quantum in eis fuit, privilegiis & favoribus monaſteria & loca religioſa favorabiliter decorarunt, nova edificari perſuadendo, quia divinos cultus eorum temporibus non minui, ſed augeri intenſis deſideriis affectarunt, & ſic quod ſancta Romana mater eccleſia aliarum magiſtra, & cujus actio aliarum dignoſcitur eſſe inſtructio, retroactis temporibus ordinavit, fecit & facere quotidie comprobatur, congruum eſt, ut ipſius membra ſequantur; inter que non minimum ſacer Camaldulenſis ordo eſſe dignoſcitur, ſemperque in ipſo talis obſervantia

loca nova erigendi, & monasteria multiplicandi fuisse reperitur, & si qua talia loca erecta de voluntate domini prioris generalis tunc pro tempore presidentis facta fuissent, demum in primo generali capitulo dicti ordinis constat fuisse unanimiter approbata, novisque privilegiis & favoribus a dicto tali capitulo premunita & dotata. Eapropter cum Altissimo cooperante nuper sanctissimi pontificis auctoritate, ac domini prioris generalis ad presens presidentis consensu & voluntate devotus locus & monasterium ordinis antedicti, qui locus monasterium eremitarum sancti Benedicti predicti ordinis extra portam Pinti civitatis Florentie nuncupatur, erectus & edificatus fuit de bonis maxime olim Francisci Jacobi del Riccio civis Florentie, ac dicti ordinis devoti ex dispositione & ultima voluntate collata & reposita in discretione & conscientia fratris Alexandri professi ordinis prefati, ac fratris carnalis Francisci predicti, qui prout sibi in secreto dictus Franciscus edixerat, adimplevit, ex quibus superna gratia suffragante, ac etiam devotione civium Florentinorum, qui ad ipsum novum locum non minimum afficiuntur, crescitque devotio de die in diem, locus ipse augmentatur & pullulat. Expedit ex debito devotionis & honestatis, ut coram tanto generali capitulo, & sic coram toto ordine sic quamprimo post predictam erectionem congregato predicta exponere & intimare pro parte devotorum humilium servitorum ordinis antedicti prioris & fratrum dicti monasterii & loci eremitarum sancti Benedicti, ut benignitas & devotio domini prioris generalis dicto capitulo generali presidentis ac dicti capituli & omnium aliorum dicto capitulo presidentium gesta & facta de dicto monasterio & loco prefato collaudentur & approbentur, ac suffragiis & privilegiis opportunis dicti ordinis & capituli generalis muniantur & decorentur; certificantes reverendum patrem dominum priorem generalem, cui omnia prefata nota sunt, ac omnes & singulos presidentes dicto capitulo, quomodo super constructione, erectione & edificatione dicti loci sancti Benedicti processum fuit auctoritate sancte memorie domini Bonifacii pape IX. ut per suas literas apostolicas sub Dat. Rome apud sanctum Petrum v. kal. januarii pontificatus ejus anno XII. ob quod locus ipse fuit & est edificatus, ut in ipsis etiam literis fieri mandatur sub regula & observantia adinstar monasterii sancte Marie de Angelis Florentie ordinis antedicti & propterea omnibus & singulis privilegiis & indulgentiis, gratiis eidem monasterio sancte Marie a sede apostolica, necnon a domino priore & capitulo generali dicti ordinis concessis voluit & concessit sancte memorie Innocentius papa VII. dictum locum & monasterium sancti Benedicti, priorem & fratres ipsius perpetuo gaudere & esse, prout & sicut si eidem monasterio sancti Benedicti priori & fratribus a sede apostolica expresse fuissent concessa privilegia antedicta, & insuper certificantes, quod nonnulla pacta & conventiones inita dicuntur inter priorem dicti loci sancti Benedicti capitulum & conventum tunc existentem, & dominum priorem generalem, que quodam modo se referebant ad cetera antiqua pacta & conventiones inita & initas olim inter fundatores sancte Marie Angelorum & dominum priorem generalem ordinis antedicti tunc existentem. Et quia dictus locus sancti Benedicti propter erectionem & novam edificationem omnibus bonis dicte hereditatis olim dicti Francisci se spoliavit alienando, ut pecuniam converterent in edificationem predictam, que tamen non sufficiebat, nisi devotorum civium Florentinorum manus adjutrices suffragia porrexissent, & adhuc innumerabiles restent expense, cum multa pro conservatione observantie fratrum eremitarum predictorum deficiant. Placeat vobis domino priori generali & toti capitulo antedicto dictum locum, prout est, vestris brachiis protectione & devotione recipere, ac vestris & totius ordinis favoribus & immunitatibus auxiliari & confovere, ac ipsum ab oneribus dicti ordinis juxta posse relevare, ut sic fratres & conversi, & relique familie ibique degentes, & qui pro tempore erunt, possint liberius in dicta regulari observantia Altissimo ministrare, & propterea velle & ordinare infrascripta capitula, videlicet.

In primis velitis ordinare, quod locus predictus sancti Benedicti sit eremiticus & eremiticam faciant vitam fratres ibi manentes & moraturi sub regula & observantia adinstar monasterii sancte Marie de Angelis de Florentia predicti Camaldulensis ordinis.

Item quod dicti fratres monachi habitent infra domos dicti loci, nec de loco valeant exire aliquo modo, nisi magna immineret necessitas, & tunc de voluntate & consensu prelati & majoris partis capituli dicti loci. Si vero prior ipsius loci contra hoc fecerit, vel fieri per-

permiserit, sit suspensus per mensem de officio prioratus, & quolibet die veneris per dictum mensem jejunet in pane & aqua, & si perseveraverit in tali malo, post tertiam vicem sit privatus ab officio prioris, si autem monachus exierit extra septa monasterii sine licentia, ut dictum est, ponatur in carcere vel graviori culpa, prout videbitur predicto priori, qui pro tempore fuerit.

Item, quod nullus frater dicti loci officium aliquod extra dictum locum & monasterium unquam recipere possit aliquo modo, nec vicariam vel custodiam alicujus alterius loci, nec dominus prior Camaldulensis possit aliquem ad hoc compellere, immo eum deneget omnino dare.

Item, quod locus sit subjectus eremo & generali priori ordinis Camaldulensis in confirmatione prelati & visitatione, & annuo censu dando sacristie dicte eremi unam libram cere in annum vel ejus estimationem, si ceram dare noluerit, & si non daretur quolibet anno, teneatur dictum monasterium dare duas libras cere nomine pene.

Item quod nec reverendus dominus prior Camaldulensis, nec aliquis pro eo, neque eremite Camaldulensis eremi possint aliquem monachum, vel conversum, vel commissum vel familiarem ponere in dicto loco, nec extrahere sine voluntate prioris & majoris partis capituli dicti loci.

Item, quod dicti prior & capitulum possint recipere aliquem pro monacho & converso vel commisso, sicut alia monasteria ordinis Camaldulensis.

Item quod dicti fratres, cum vacaverit prioratus dicti loci, possint eligere quemcumque voluerint, dummodo sit de ordine Camaldulensi, sive de dicto capitulo, sive non, & dominus prior generalis habeat hujusmodi electum a capitulo vel a majori parte capituli concedere, si aliquod canonicum non obsistat, omni difficultate ac dilatione omissa, si tamen electus suum consensum prestare voluerit.

Item quod prior dicti loci non possit recipere monachum, vel conversum, vel commissum vel aliquem alium familiarem sine requisitione ac majoris partis dicti capituli consensu & voluntate.

Item quod dominus prior Camaldulensis quando visitabit, percipiat nomine visitationis libras duas denariorum in pecunia, quando vero alii visitatores ordinis prefati visitabunt, percipiant solidos decem denariorum, & hoc semel in anno tantum.

Item quod neque dominus generalis prior, nec aliquis pro eo, neque eremite Camaldulensis eremi possint a personis dicti loci sancti Benedicti aliquam collectam, provisionem, prestantiam seu donum petere vel recipere in genere vel in specie aliquo modo, etiamsi esset oblatum, ultra quantitatem quinque solidorum denariorum, & omnia dona in toto anno non ascendant ultra quantitatem viginti solidorum denariorum.

Item quod prior dicti monasterii sancti Benedicti non teneatur vel debeat de cetero personaliter ad aliquod generale capitulum accedere ordinis antedicti, ita tamen quod pro quolibet capitulo celebrando committat legitime & sollemniter vocem & vices suas alicui prelato vocem in capitulo habenti, non obstantibus quibuscumque constitutionibus dicti ordinis & penis in eo contentis in contrarium editis.

Item quod dicti prior & fratres sancti Benedicti possint licite recipere fratrem Gregorium de Florentia ordinis sancti Ambrosii de Florentia, qui est alterius professionis, pro converso dicti loci, & ultra hoc possint recipere quatuor vel quinque religiosos alterius professionis pro monacho, vel converso, vel commisso, non obstantibus quibuscumque constitutionibus dicti ordinis, capitulis & penis in eis contentis in contrarium editis, dummodo ipsi religiosi suorum habeant licentiam prelatorum.

Item, quod nulla mulier, cujuscumque sit etatis, possit intrare vel intret in prefatum locum sancti Benedicti vel intra septa &c.

LXXIII.

Balthassar Cossa card. legatus confirmat Bartholomæum Foro-liviensem in prioratu Camaldulini de Foro-livio.

Anno 1407. VIII. augusti.

Ex archivo S. Hippolyti de Faventia.

BAlthassar Cossa miseratione divina sancti Eustachii diaconus cardinalis apostolice sedis legatus, ac Bononie & pro S. R. E. in spiritualibus & temporalibus vicarius generalis dilecto nobis in Christo ven. viro domino Ludovico rectori ecclesie sancti Christophori in villa Casefichare Foro-liviensis diocesis salutem in Domino. Dignum arbitramur &c. Exhibita siquidem nobis nuper pro

parte

parte dilecti nobis in Christo religiosi viri domni Bartholomei de Forlivio ordinis Camaldulensis petitio continebat, quod dudum a ven. patre domno .. generali sacre eremi Camaldulensis ipse obtinuit prioratum sancte Marie Camaldulini prope Foro-livium, cui cura imminet animarum, cujus rectoris seu prioris confirmatio vel electio de jure & antiqua consuetudine predicto domino generali spectare videntur. Quodque postmodum quidam dominus Julianus de Nomais clericus & civis Foro-liviensis exponendo tunc dictum prioratum certo modo vacare a nobis collationem dicti prioratus obtinuit, prout in nostris inde confectis literis apparebat. Qui quidem dominus Julianus nuper sponte & ex certa scientia non vi vel metu, sed animo deliberato libere & expedite renuntiavit & resignavit in manibus domni Ugolini de Faventia abbatis monasterii sancti Hippolyti de Faventia ejusdem ordinis Camaldulensis, nomine antedicti domini Bartholomei & predicti generalis, omne jus, quod videbatur habere & habuisse, vel in futurum decerneretur habere in eodem prioratu: quodque etiam nuper sententia est lata contra dictum domnum Julianum &c. & licet dictus domnus Bartholomeus possessionem dicti prioratus obtineat de presenti, tamen propter premissa dubitat in possessione predicta posse imposterum molestari; quare nobis humiliter supplicavit, ut de confirmatione & de nova collatione opportunis eidem provideri benigniter dignaremur. Nos igitur suis in hac parte supplicationibus inclinati volentes eumdem, qui apud nos de vite honestate &c. commendatur &c. collationem & provisionem seu quamvis aliam dispositionem per dictum generalem de dicto prioratu dudum, ut asseritur, sibi factam, & omnia inde secuta &c. confirmamus & approbamus &c. Quocirca discretioni tue auctoritate prefata tenore presentium committimus & mandamus, quatenus per te vel alium seu alios eumdem domnum Bartholomeum vel procuratorem suum ejus nomine in corporalem possessionem prioratus jurium & pertinentiarum suarum ejus nomine in corporalem possessionem prioratus &c. inducas eadem auctoritate & defendas inductum &c. contradictores &c.

Datum Bononie sub anno Domini M. CCCC. VII. indictione XV. & die VIII. augusti pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri domini Gregorii pape XII. anno primo.

LXXIV.

Gregorius XII. unit monasterio S. Michaelis de Muriano prioratum S. Mariæ de Mandria prope Patavium.

Anno 1407. XV. KL. septembris.

Ex archivo ejusdem monasterii S. Michaelis. Capl. 36. n. 6.

IN Christi nomine, amen. Anno ejusdem nativitatis M. CCCC. VII. indictione XV. die sabbati XXIV. mensis septembris Padue in episcopali palatio in camera superiori infrascripti reverendi domini episcopi, presentibus insigne decretorum doctore domino Petro Mauroceno quondam nobilis viri domini Marini de Venetiis canonico Tervisino actualiter degente in studio Paduano, venerabilibusque viris domino presbytero Beltrame preposito ecclesie sancte Marie de la Rena de Padua, & domino presbytero Marco de Clesio ecclesie sancti Michaelis de Padua, ac ser Andrea filio circumspecti viri ser Pauli de Campanis de Tarvisio Padue habitante in contrata Columbinorum cancellario episcopatus Paduani una mecum rogato de his publicum conficere instrumentum, testibus ad hec specialiter convocatis, habitis & rogatis, & aliis. Coram reverendo in Christo patre & domino domino Albano Michaele Dei & apostolice sedis gratia episcopo Paduano comparuit ven. pater & rev. dominus domnus Paulus Venerio eadem gratia abbas monasterii sancti Michaelis de Murano de Venetiis tamquam major & principalis ipsius monasterii & conventus monachorum sancti Michaelis predicti ordinis Camaldulensis, & sindicus & sindicario nomine ipsius monasterio &c. eidem domino episcopo &c. presentavit literas apostolicas, videlicet sanctissimi in Christo patris & domini nostri domini Gregorii divina providentia pape duodecimi &c. earum executionem humiliter petens, quarum tenor per omnia sequitur & talis est, videlicet: Gregorius &c.

GREGORIUS episcopus servus servorum Dei venerabili fratri . . episcopo Paduano salutem & apostolicam benedictionem. Dum salubria laborum studia, quibus dilecti filii abbas & conventus monasterii sancti Michaelis de Murano Camaldulensis ordinis Castellane diocesis sub regulari habitu vacant studio pie vite, dili-

gen-

genter attendimus, dignum reputamus & congruum, ut eos specialibus favoribus & gratiis prosequamur. Cum itaque, sicut accepimus, prioratus sancte Marie de la Mandria ordinis sancti Augustini Paduane diocesis per liberam resignationem dilecti filii Antonii de Montagnana canonici olim prioris dicti prioratus per eum de illo, quem tunc obtinebat, coram quibusdam notario publico & testibus extra Romanam curiam sponte factam vacaverit & vacet ad presens, nos eamdem resignationem ratam habentes & gratam, ac eisdem abbatis & conventui, ut onera eis pro tempore incumbentia valeant commodius supportare, volentes de alicujus subventionis auxilio providere, motu proprio, non ad ipsorum abbatis & conventus vel alterius pro ipsis nobis super hoc oblate petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, eumdem prioratum, qui a monasterio sancte Marie de Carceribus ordinis & diocesis predictorum dependet, ab eodem monasterio sancte Marie auctoritate apostolica separes, ipsumque prioratum sive, ut prefertur, sive alias quovis modo, aut ex alterius cujuscumque persona vacet, etiamsi tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranensis statuta concilii ad sedem apostolicam legitime devoluta, aut prioratus ipse dispositioni apostolice specialiter reservatus & conventualis existat, & ad eum consueverit quis per electionem assumi, cujus centum cum omnibus juribus & pertinentiis suis, eidem monasterio sancti Michaelis, cujus trecentorum auri fructus, redditus & proventus secundum communem extimationem valorem annuum, ut asseritur, non excedunt, eadem auctoritate imperpetuum incorpores, unias & annectas; ita quod liceat eisdem abbati & conventui prioratus, juriumque & pertinentiarum predictorum corporalem possessionem libere apprehendere, & licite perpetuo retinere, diocesani loci & cujuslibet alterius licentia seu consensu super hoc minime requisitis. Ita tamen quod predicti abbas & conventus episcopalia jura solvere, & alia consueta onera ipsius prioratus teneantur integre supportare, quodque in prioratu ipso faciant in divinis officiis laudabiliter deserviri, non obstantibus constitutionibus apostolicis, nec non prioratus & sancti Michaelis ac sancte Marie monasteriorum, necnon Camaldulensis ac sancti Augustini ordinum prefatorum statutis & consuetudinibus contrariis, juramento, confirmatione apostolica, vel quacumque firmitate alia roboratis. Aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de hujusmodi prioratibus ac dignitatibus personatibus vel officiis speciales, vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dicte sedis vel legatorum ejus literas impetrarint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem & decretum vel alias quomodolibet sit processum, quas quidem literas & processus habitos per easdem, & quemcumque inde secuta ad predictum prioratum volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem prioratuum & dignitatum, personatuum vel officiorum aut beneficiorum aliorum prejudicium generari, & quibuscumque privilegiis, indulgentiis & literis apostolicis generalibus vel specialibus quorumcumque tenorum existant, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel diferri, & de quibus quorumcumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in eisdem nostris litteris mentio specialis. Nos enim ex nunc irritum decernimus & inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Datum Viterbii XV. kal. septembris pontificatus nostri anno primo.

Jo. de Pempelvonde.

Qui quidem dominus episcopus ipsas literas apostolicas ea, qua decuit, reverentia suscepit, & ipsis visis ad predictam petitionem dicti ven. patris domini abbatis &c. respondit, & dixit se velle super & de contentis in ipsis literis & opportunis ad executionem ipsarum velle deliberare & informari usque ad diem crastinam ad horam vesperarum &c.

Suprascriptis millesimo & indictione die dominico XXV. mensis septembris hora vesperarum Padue in dicto episcopali palatio in camera superiori predicta, presentibus egregiis & sapientibus viris domino Fantino Dandulo de Venetiis utriusque juris doctore &c. coram suprascripto &c. episcopo Paduano executore &c. comparuit dictus ven. & rev. pater & dominus domnus Paulus Venerio abbas &c. petiit executionem dictarum literarum apostolicarum &c. Qui quidem episcopus &c. auditis, visis, &c. plene cognito de renuntiatione prioratus predicti sancte Marie de la Mandria facta per dominum fratrem Antonium de Montagnana &c. in millesimo CCC. XCVII. indictio-

ctione v. die mercurii nono mensis maii, & super predictis ac omnibus & singulis contentis in dictis apostolicis literis plena & diligenti deliberatione prehabita, & de omnibus opportunis plenarie informatum se dicens, exequens *&c.* dictas literas apostolicas *&c.* omni modo, via *&c.* dictum prioratum sancte Marie de la Mandria a dicto monasterio sancte Marie de Carceribus separavit, ipsumque prioratum *&c.* dicto monasterio sancti Michaelis de Muriano in perpetuum incorporavit, univit *&c.* juxta dictarum literarum apostolicarum tenorem & formam, ipsumque ven. dominum abbatem *&c.* coram se debite constitutum pro majoris roboris firmitate per anulum aureum, quem tenebat in manibus, de dicto prioratu sancte Marie de la Mandria cum omnibus *&c.* liberaliter investivit, mandans sibi dicto nomine *&c.* de omnibus & singulis fructibus *&c.* integraliter responderi *&c.*

Iisdem millesimo & indictione die mercurii XXVIII. mensis septembris Padue in dicto episcopali palatio *&c.* coram dicto domino episcopo & apostolico executore predicto comparuit dictus dominus ven. abbas monasterii sancti Michaelis de Murano *&c.* presente ven. viro domino fratre Clemente Raynerio de Venetiis priore monasterii sancte Crucis de Padua, qui actualiter reperiebatur in possessione dicti prioratus sancte Marie de la Mandria, taliter qualiter possidebat seu occupabat, ut si contra predicta & infrascripta aliquid opponere aut allegare vellet *&c.* cum instantia petiit a dicto reverendo domino episcopo & executore per ipsum mandari dicto domino priori tamquam occupatori dicti prioratus sancte Marie de la Mandria, quod sibi dimittat *&c.* possessionem ipsius prioratus, *&c.* quibus auditis *&c.* dominus episcopus *&c.* mandavit *&c.* domino priori sancte Crucis, quod libere & expedite dimittat dicto domino abbati *&c.* possessionem dicti prioratus *&c.* committens cuilibet sacerdoti, quem ad id elegerit dictus dominus abbas, quatenus ipsum dominum abbatem nomine dicti sui monasterii *&c.* ponat *&c.* in possessionem dicti prioratus *&c.* & hoc non obstante contradictione dicti ven. viri domni fratris Clementis prioris sancte Crucis de Padua, qui suam contradictionem & oppositionem sibi fecit per ser Bartholomeum Nicolini ibidem presentem, & per eum rogatum scribi.

Antedictis millesimo & indictione die jovis penultimo mensis septembris in ecclesia prioratus sancte Marie de la Mandria, presentibus provido viro domino presbytero Symone quondam Johannis de Peraga capellano dicte ecclesie, Antonio quondam Petri Billati *&c.* testibus *&c.* Ibique ven. vir dominus presbyter Beltramus prepositus ecclesie sancte Marie de la Rena de Padua ad hoc electus per dictum & infrascriptum dominum abbatem *&c.* duxit nomine dicti sui monasterii per cornua altaris & pannos ipsius, sibi etiam dando in manibus januas & funes campane dicte ecclesie & ipsum claudere & aperire dictas januas seu portas, & sonare seu pulsare dictam campanam faciendo, & ipsum ducendo & ponendo in chorum ipsius ecclesie, & omnia alia faciendo, que in premissis & circa ea fuerunt necessaria & opportuna, & in talibus sunt consueta fieri.

Ego Prosdocimus quondam ser Dominici de Padua *&c.* notarius & officialis ad cancellariam episcopatus Paduani *&c.* scripsi *&c.*

LXXV.

Idem transfert ex ordine S. Augustini monasterium S. Mariæ de Carceribus ad Camaldulenses.

Anno 1407. XII. kal. Martii.

Ex eodem chartulario S. Michaelis.

GRegorius episcopus servus servorum Dei ad futuram rei memoriam. Quamvis de cunctis orbis ecclesiis & monasteriis, prout ex debito injuncti nobis pastoralis officii tenemur, sollicite cogitemus pro eorum statu salubriter dirigendo, inter ceteros tamen ordines ad ordinem Camaldulensem nostre consideracionis intuitum dirigentes optamus, quod sicut ordo ipse per incrementa temporum suos palmites dilatavit, sic ubique virtutum radiis jugiter augeatur. Cum itaque hodie dilectus filius Angelus tituli sancte Potentiane presbyter cardinalis prioratum monasterii sancte Marie ad Carceres per priorem soliti gubernari ordinis sancti Augustini Paduane diocesis, quem tunc ex concessione & dispensatione sedis apostolice obtinebat, in manibus nostris sponte & libere resignaverit, nosque resignationem hujusmodi duximus auctoritate apostolica admittendam; nos ex certis rationabilibus causis ad id nostrum moventibus animum, necnon consideratione dicti cardi-

dinalis nobis super hoc humiliter supplicantis ipsum prioratum, qui curatus & conventualis existit, & ab aliquo monasterio vel regulari loco non dependet, & ad quem consuevit quis per electionem assumi, etiamsi dictum monasterium sedi predicte immediate subjectum existat, per hujusmodi resignationem vacantem cum omnibus membris, juribus, dependentiis & pertinentiis suis de dicto ordine sancti Augustini ad eumdem ordinem Camaldulensem auctoritate predicta tenore presentium transferimus, necnon ab omnibus jurisdictione, dominio & potestate quorumcumque superiorum dicti ordinis sancti Augustini eximimus & perpetuo liberamus, volentes & eadem auctoritate decernentes, quod etiam dictum monasterium de cetero per priorem ejusdem ordinis Camaldulensis regatur, sicut hactenus per priorem dicti ordinis sancti Augustini consuevit gubernari. Quodque dilectis filiis canonicis ejusdem monasterii dictum ordinem sancti Augustini professis, qui regulariter inibi vivere voluerint juxta ejusdem ordinis sancti Augustini instituta regularia, & observantiam de vite necessariis de fructibus & proventibus dicti prioratus congrue provideatur; & si ipsi vel aliqui eorum ipsum ordinem Camaldulensem in eodem monasterio forsan profiteri voluerint, prior dicti monasterii existens pro tempore professionem regularem hujusmodi ab ipsis, alio tamen eis non obstante canonico impedimento, recipere, ipsisque regularem habitum dicti ordinis Camaldulensis auctoritate predicta hac vice dumtaxat valeat exhibere. Ita etiam quod quotiescumque ipsum prioratum usque ad triginta annos a data presentium computandos, prioris regimine destitui contigerit, monachi dicti ordinis Camaldulensis, qui in eodem monasterio residebunt pro tempore, juxta consuetudines & regularia instituta ejusdem Camaldulensis ordinis, aliquem de seipsis, vel extra ipsum monasterium alium monachum dicti ordinis Camaldulensis ipsum ordinem Camaldulensem expresse professum, & in sacerdotio constitutum ad hoc utilem & idoneum in eorum & dicti monasterii priorem eligere possint & debeant; quam quidem electionem quotiescumque ipsam infra triginta annos hujusmodi, ut premittitur, fieri contigerit, vim confirmationis habere volumus, sic quod idem electus ex tunc dictum prioratum in spiritualibus & temporalibus regere libere & licite valeat, ac si hujusmodi electio de ipso taliter facta per superiorem dicti ordinis Camaldulensis, seu alios, ad quos de jure vel consuetudine electio priorum prioratuum ejusdem Camaldulensis ordinis pertinet, legitime confirmata fuisset. Quodque elapsis hujusmodi triginta annis, ex tunc confirmatio illorum, quos in priores dicti monasterii pro tempore eligi contigerit, juxta eadem regularia instituta ipsius Camaldulensis ordinis debeat observari. Non obstantibus constitutionibus &c. Nos enim ex nunc irritum decernimus & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Datum Luce XII. kalendas martii pontificatus nostri anno secundo.

Gratis de mandato domini nostri pape.
E. de Simen.
Jo. de Monte-politiano.

Pendet sigillum plumbeum cum literis: GREGORIUS. PAPA. XII.

LXXVI.

Idem Gregorius eligit Thomam Rizo in priorem S. Mariæ de Carceribus.

Anno 1408. XII. kl. martii.

Ex eodem S. Michaelis tabulario.

GRegorius episcopus servus servorum Dei dilecto filio Jacobo Thome Rizo de Venetiis priori monasterii sancte Marie ad Carceres per priorem soliti gubernari Camaldulensis ordinis Paduane diocesis salutem & apostolicam benedictionem. Religionis zelus &c. Hodie siquidem dilectus filius noster Angelus tituli sancte Potentiane presbyter cardinalis prioratum monasterii sancte Marie ad Carceres per priorem soliti gubernari Camaldulensis ordinis Paduane diocesis, qui tunc ordinis sancti Augustini & curatus, ac conventualis erat, & ab aliquo monasterio vel alio regulari loco non dependebat, & ad quem consuevit quis per electionem assumi, & quem idem cardinalis tunc ex concessione & dispensatione sedis apostolice obtinebat, in manibus nostris sponte & libere resignavit, nosque resignationem hujusmodi auctoritate apostolica duximus admittendam, & per alias nostras literas eumdem prioratum per hujusmodi resignationem vacantem cum omnibus membris, juribus, dependentiis & pertinentiis suis de dicto ordine sancti Augusti-

ni ad prefatum ordinem Camaldulensem transtulimus, & ab omni subjectione, dominio & potestate quorumcumque superiorum ejusdem ordinis sancti Augustini exemimus, ac perpetuo liberavimus, ac volumus, quod dictum monasterium de cetero per priorem dicti Camaldulensis ordinis gubernari deberet, prout in ipsis literis plenius continetur. Cum itaque propterea dictum monasterium sit prioris regimine destitutum, nos, ne propterea prefatum monasterium in spiritualibus & temporalibus detrimenta subeat, salubriter providere volentes, tibi, qui presbyter, &, ut asseritur, eumdem ordinem Camaldulensem expresse professus existis, premissorum meritorum tuorum intuitu, necnon consideratione dicti cardinalis pro te nobis super hoc humiliter supplicantis gratiam facere specialem, prioratum predictum, cujus fructus, redditus & proventus mille Florenorum auri secundum communem estimationem valorem annuum non excedunt, sic vacantem, cum omnibus juribus & pertinentiis suis predicta tibi auctoritate conferimus, & de illo etiam providemus. Decernentes, prout est, irritum & inane *&c.* Non obstantibus *&c.* Datum Luce XII. kal. martii pontificatus nostri anno secundo. Gratis de mandato domini nostri pape. Jo. de Ratingen.
Jo. de Monte-politiano.

Legitur in sigillo plumbeo pendente GREGORIUS. PAPA. XII.

LXXVII.

Idem mandat, ut predictus Thomas instituatur in priorem monasterii de Carceribus.

Anno 1408. XII. kl. martii.

Ex archivo præfato S. Michaelis.

GRegorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Gabrieli electo Senensi, & .. priori monasterii sancti Georgii in Alega per priorem soliti gubernari Castellane diocesis, ac Petro Mauroceno canonico Tervisino salutem & apostolicam benedictionem. Religionis zelus, vite ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis & virtutum merita, super quibus apud nos dilectus filius Jacobus Thome Rizo de Venetiis prior monasterii sancte Marie ad Carceres per priorem soliti gubernari Camaldulensis ordinis Paduane diocesis fide digno commendatur testimonio, nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Hodie siquidem dilectus filius noster Angelus tituli sancte Potentiane presbyter cardinalis prioratum monasterii predicti, qui tunc ordinis sancti Augustini curatus & conventualis erat, & ab aliquo monasterio vel alio regulari loco non dependebat, & ad quem consueverat quis per electionem assumi, & quem idem cardinalis tunc ex concessione & dispensatione sedis apostolice obtinebat, in manibus nostris sponte & libere resignavit, nosque resignationem hujusmodi auctoritate apostolica duximus admittendam, & per alias nostras literas eumdem prioratum per hujusmodi resignationem vacantem cum omnibus membris, juribus, dependentiis & pertinentiis suis de dicto ordine sancti Augustini ad prefatum ordinem Camaldulensem transtulimus, & ab omni subjectione, dominio & potestate quorumcumque superiorum ejusdem ordinis sancti Augustini exemimus ac perpetuo liberavimus, ac voluimus, quod dictum monasterium de cetero per priorem dicti Camaldulensis ordinis gubernari deberet, prout in ipsis literis plenius continetur. Cum itaque propterea dictum monasterium prioratus esset prioris regimine destitutum, nos, ne propterea prefatum monasterium in spiritualibus & temporalibus detrimentum subiret, salubriter providere, dictoque Jacobo, qui presbyter, &, ut asserebatur, eumdem ordinem Camaldulensem expresse professus extiterat, premissorum meritorum suorum intuitu, necnon consideratione dicti cardinalis pro ipso Jacobo nobis super hoc humiliter supplicantis gratiam facere specialem volentes, prioratum predictum, cujus fructus, redditus & ventus mille florenorum auri secundum communem extimationem valorem annuum, ut asseritur, non excedunt, sic vacantem cum omnibus juribus & pertinentiis suis predicta eidem Jacobo auctoritate contulimus, & de illo etiam providimus, decernentes, prout erat, irritum & inane *&c.* Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos, vel duo, vel unus vestrum per vos, vel alium vel alios eumdem Jacobum vel procuratorem suum ejus nomine in corporalem possessionem prioratus, juriumque & pertinentiarum predictorum inducatis auctoritate nostra & defendatis inductum, amoto exinde quolibet detentore, ac facientes ipsum Jacobum vel dictum procuratorem pro eo ad

ad eumdem prioratum admitti, sibique de ipsius prioratus fructibus, redditibus, proventibus, juribus, & obventionibus universis integre responderi. Non obstantibus omnibus supradictis, seu si aliquibus communiter vel divisim a prefata sede indultum existat, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Datum Luce XII. kal. martii pontificatus nostri anno II.

Gratis de mandato domini nostri pape.
Jo. de Ratingen.
Jo. de Monte-politiano.

Pendet sigillum plumbeum cum literis.
GREGORIUS . PAPA . XII.

LXXVIII.

Idem unit eremo Camaldulensi prioratum S. Johannis-baptistæ inter Paras, alias Cellæ S. Alberici.

Anno 1408. kl. martii.

Ex chartulario Fontis-boni.

GRegorius Papa XII. Pastoralis officii debitum &c. ut ubi divinus cultus conspicitur esse neglectus, per nostre sollicitudinis curam debite restituatur, & personis in indigentia constitutis, que in humilitatis spiritu Domino jugiter famulantur, de subventionis condecentis auxilio succurratur. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum . . prioris & conventus eremi Camaldulensis, ac Benvenuti abbatis monasterii sancti Petri ad Vincula Camaldulensis ordinis Aretine & Ravennatensis diocesum petitio continebat, quod prioratus sancti Johannis-baptiste inter Paras Cellarum sedi apostolice immediate subjectum ordinis sancti Benedicti Saxenatensis diocesis, licet olim dicti ordinis Camaldulensis extiterit, per annos XX. vel circiter fuit prioris regimine destitutus, & in eo a quampluribus annis nullus monachus resedit, prout nec hodie residet, unde divinus cultus est in eo prorsus extinctus &c. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati eumdem prioratum &c. cum omnibus juribus & pertinentiis suis eremo prefate &c. auctoritate apostolica perpetuo incorporamus, annectimus & unimus, ita quod ex nunc liceat eisdem priori & conventui corporalem possessionem prioratus, juriumque & pertinentiarum predictorum per se vel alium auctoritate propria libere apprehendere, & perpetuo retinere &c. Datum Luce kalendis martii pontificatus nostri anno secundo.

LXXIX.

Angelus card. Laudensis recipit pensionem a monasterio S. Mariæ de Carceribus.

Anno 1408. III. aprilis.

Ex tabulario sancti Michaelis de Muriano.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi anno Domini M. CCCC. VIII. indictione I. die III. mensis aprilis pontificatus SS. in Christo patris & domini nostri domini Gregorii divina providentia pape XII. anno II. in mei notarii publici testiumque infrascriptorum ad hec specialiter vocatorum & rogatorum presentia, reverendissimus in Christo pater & dominus domnus Angelus miseratione divina tituli sancte Potentiane S. R. & universalis ecclesie presbyter cardinalis Laudensis &c. confessus est habuisse & recepisse a venerabili viro domno Nicolao de Mutina monacho professo monasterii sancti Michaelis de Murano ordinis Camaldulensis Torcellane diocesis ibi presente, stipulante & recipiente suo nomine, & nomine & vice venerabilium & religiosorum virorum domnorum fratris Jacobi Thome Rizo de Venetiis prioris monasterii sancte Marie ad Carceres Paduane diocesis, & domni Pauli Venerio abbatis monasterii sancti Michaelis de Murano suprascripte Torcellane diocesis, ac totius capituli & conventus dicti monasterii sancti Michaelis, Florenos quingentos auri bonos, & boni auri & justi ponderis pro completa & justa solutione & satisfactione anni presentis incepti in festo Nativitatis domini Jesu Christi proxime preteriti & finituri in festo Nativitatis proximi venturi anni cursuri M. CCCC. IX. ficti seu pensionis suprascripti monasterii sancte Marie ad Carceres annis singulis in festo predicto Nativitatis prefato reverendissimo domino domino cardinali solvendi per suprascriptos priorem & abbatem ac, conventum predicti monasterii sancti Michaelis, de quibus

bus quidem Florenis &c. Insuper prefatus reverendissimus dominus dominus cardinalis in presentia mei notarii, & testium infrascriptorum dixit & protestatus fuit se habere cautionem & securitatem de Florenis trecentis auri pro parte solutionis fiᴐti, seu pensionis predicte suprascripti monasterii sancte Marie ad Carceres anni proxime futuri cursuri M. CCCC. IX. ad banchum, quod appellatur banchum illorum de Medicis &c. Actum Luce in domo habitationis prefati domini domini cardinalis, videlicet in ejus camera cubiculari, presentibus honorabilibus & discretis viris domno fratre Johanne de Alieris de Venetiis ordinis Camaldulensium, Abondiolo de Bograriis canonico Cumano literarum apostolicarum scriptore &c.

Et ego Bastianus de Pochalodis filius domni Francisci clericus Laudensis publicus apostolica imperialique auctoritatibus notarius &c.

LXXX.

Gregorius XII. confirmat privilegium a Bonifacio VIII. concessum monialibus S. Benedicti de Arretio.

Anno 1408. IV. id. aprilis.

Ex archivo S. Mariæ Angelorum de Florentia.

GRegorius episcopus servus servorum Dei ad futuram rei memoriam. Sacre religionis, sub qua dilecte in Christo filie abbatissa & conventus sancti Benedicti Aretin. Camaldulensis ordinis devotum & sedulum exhibent Domino famulatum, promeretur honestas, ut ad ea, que consonent votis eorum, apostolice potestatis gratiam extendamus. Dudum siquidem fel. record. Bonifacius papa IX. predecessor noster ad supplicationem dictarum abbatisse & conventus eis suas literas dedit, quarum tenor talis est.

Bonifacius episcopus servus servorum Dei ven. fratri.. archiepiscopo de Nazareth Aretii commoranti salutem & apostolicam benedictionem. Sacre religionis &c. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dictarum priorisse & conventus petitio continebat, quod dilecte in Christo filie abbatissa & conventus monasterii sancti Johannis evangeliste de Prato-veteri dicti ordinis Fesulane diocesis asserentes eis & ipsarum monasterio priorissam ejusdem monasterii sancti Benedicti pro tempore existentem, ipsumque monasterium & ejus moniales de antiqua & approbata consuetudine immediate fore subjecta, ipsasque priorissam & moniales posse de prefato monasterio sancti Benedicti ad se vocare dicta consuetudine utentes, sepe sepius pro earum libito voluntatis easdem priorissam & moniales ad se vocant, & de ipso monasterio sancti Benedicti ad prefatum monasterium sancti Johannis etiam permutare consueverint, cum dicta monasteria per dietam ad invicem distent, priorissa & moniales predicte laborare, & per aliena hospitia vagari compelluntur in maximum earumdem priorisse & monialium detrimentum. Quare pro parte priorisse & conventus predictarum nobis fuit humiliter supplicatum, ut eis super hoc de opportune exemptionis gratia providere, ac statuere & ordinare, quod de cetero dictum monasterium sancti Benedicti per abbatissam gubernetur, de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati fraternitati tue, de qua in his & aliis specialem in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus, & mandamus, quatenus priorissatus dignitatem in eodem monasterio sancti Benedicti auctoritate nostra supprimas, & in eo hujusmodi abbatissatus dignitatem constituas, & statuas, quod predictum monasterium sancti Benedicti per abbatissam de cetero gubernetur, eisque concedas, quod ex tunc privilegia dicto monasterio concessa in sua permaneant roboris firmitate. Et nihilominus postquam per te suppressionem, constitutionem & statutum hujusmodi fieri contigerit, ut prefertur, de illius, que tunc temporis ipsi monasterio sancti Benedicti prefuerit, vel si forsan illud tunc vacaverit, de alterius persona dicti ordinis, que ad id sufficiens & idonea fuerit, eidem monasterio sancti Benedicti prefata auctoritate provideas, preficiendo eam illi in abbatissam, curam, regimen & administrationem ejusdem monasterii sancti Benedicti in spiritualibus & temporalibus plenarie committendo, & faciendo ei a suis subditis reverentiam & obedientiam debitas exhiberi, contradictores &c. non obstantibus &c. Aut si prefatis abbatisse & monialibus dicti monasterii sancti Johannis, vel quibusvis aliis communiter aut divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici aut &c. & nihilominus hujusmodi persone munus benedictionis impendas, seu per alium catholicum antistitem gratiam & communionem apostolicam habentem facias impendi, recepto per te vel antistitem hujusmodi, qui dictum

ctum munus impendat, vel impendet, ab eadem persona debite fidelitatis juramento, juxta formam quam sub bulla nostra mittimus introclusam. Formam autem juramenti, quod dicta persona prestabit nobis, de verbo ad verbum per ejus patentes literas suo sigillo sigillatas destinare procures seu procuret. Et insuper ex premissis & certis aliis causis nostris ad id animum moventibus predictum monasterium sancti Benedicti cum personis, membris, bonis, juribus & pertinentiis suis, que ipsa priorissa & conventus impresentiarum legitime possident, & imposterum dante Domino justis titulis poterunt adipisci, ab omni jurisdictione, superioritate, dominio, visitatione & subjectione ac potestate dictarum abbatisse & monialium ac monasterii sancti Johannis & aliorum quorumcumque auctoritate apostolica de speciali gratia eximimus, & etiam liberamus, ac sub protectione prioris generalis eremi dicti ordinis pro tempore existentis suscipimus, ac exemptum, immune ac liberum esse volumus, necnon priori predicto, ejusque correctioni & omnimode jurisdictioni immediate subesse *&c.* Datum Rome apud sanctum Petrum x. kal. junii pontificatus nostri anno XI. Cum autem sicut exhibita nobis nuper pro parte dictarum abbatisse & conventus monasterii sancti Benedicti petitio continebat, licet ven. frater noster Paulus archiepiscopus Nazarenus, qui tunc in civitate Aretina morabatur, ad executionem dictarum literarum procedens omnia & singula fecerit & ordinaverit, que idem predecessor in prefatis literis voluit & mandavit, quia tamen in iisdem literis per errorem seu per occupationem nomen proprium dicti archiepiscopi, quod juxta stilum cancellarie apostolice exprimi debebat, non fuit expressum, & etiam ubi poni debuit Nazaren. hec verba *de Nazareth* posita in ipsis existunt, ac pro eo quod protocollum notarii publici pro parte dictarum abbatisse & conventus monasterii sancti Benedicti requisiti ad conscribendum & in formam publicam redigendum, hujusmodi facta & ordinata per eumdem archiepiscopum, ut prefertur, antequam per eumdem notarium illa in forma hujusmodi redigerentur, irrecuperabiliter extitit amissum, dicte abbatisse & conventus monasterii sancti Benedicti timent propterea se posse imposterum molestari, pro parte abbatisse & conventus predictarum nobis fuit humiliter supplicatum, ut suo & dicti monasterii statui in premissis opportune providere de speciali gratia dignaremur. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati omnia & singula per eumdem archiepiscopum, ut premittitur, facta habentes rata & grata, ea auctoritate apostolica confirmamus *&c.* Datum Luce IV. idus aprilis pontificatus nostri anno secundo.

Pro F. de Politiano Johannes de Monte-politiano.

LXXXI.

Idem mandat, ut recuperentur bona male alienata monasterii de Carceribus.

Anno 1408. VIII. id. aprilis.

Ex chartario Sancti Michaelis de Muriano.

GRegorius episcopus servus servorum Dei dilecto filio Nicolao Dandulo canonico Motonensi salutem & apostolicam benedictionem. Ad audientiam nostram pervenit, quod tam dilecti filii Jacobus Thome Rizo prior & conventus monasterii sancte Marie ad Carceres Camaldulensis ordinis ab eremo Camaldulensi dependentis, & per monachos ipsius eremi gubernari consueti Paduane diocesis, quam predecessores eorum, qui in dicto monasterio fuerunt pro tempore, decimas, census, redditus, terras, villas, domos, vineas, casalia, prata, pascua, silvas, grangias, molendina, piscinas, jura, jurisdictiones & quedam alia bona ipsius monasterii datis super hoc literis, confectis exinde publicis instrumentis, interpositis juramentis, factis renunciationibus & penis adjectis in gravamen dictorum prioris & conventus & monasterii lesionem, nonnullis clericis & laicis, aliquibus eorum ad vitam, quibusdam vero ad non modicum tempus & aliis perpetuo ad firmam, vel sub censu annuo concesserunt, quorum aliqui dicuntur super hiis confirmationis literas in communi forma a sede apostolica impetrasse. Quia vero nostra interest super hoc de opportuno remedio providere; discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus ea, que de bonis ipsius monasterii per concessionem hujusmodi alienata inveneris illicite vel distracta, non obstantibus literis, instrumentis *&c.* supradictis ad jus & proprietatem ejusdem monasterii legitime revocare procures. Contradictores *&c.*

Da-

Datum Luce VIII. idus aprilis pontificatus nostri anno secundo.

℞. gratis.
Joa. Jacob.

Legitur in sigillo plumbeo.
Gregorius PP. XII.

LXXXII.

Idem unit mensæ canonicorum Lucensium monasteria de Quiesa & de Puteolis.

Anno 1408. v. nonas julii.

Ex tabulario eorumdem canonicorum. CC.36.

GRegorius episcopus servus servorum Dei ad futuram rei memoriam. Pastoralis officii debitum *&c.* Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Laurentii archipresbyteri ecclesie Lucane petitio continebat, quod propter guerras & turbines ac mortalitatum pestes, que partes illas acriter affixerunt, fructus, redditus & proventus capitularis mense Lucane adeo extenuati & exiles effecti sunt, quod de illis canonici & alie persone ecclesie prefate nequeunt commode sustentari, & ob hoc divinus cultus non mediocriter diminutus est & diminuitur in ecclesia antedicta. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, in districtu sive comitatu Lucano de Quiesa prope terras & possessiones dilectorum filiorum capituli dicte ecclesie situm, ac sancti Petri de Posseulis sancti Benedicti & Camaldulensis ordinis Pisane & Lucane diocesis monasteria fore noscantur, ac in ipso monasterio de Quiesa nullus conventus monachorum existat, nec divinus cultus debitus inibi observetur; monasterium vero sancti Petri predictum admodum destructum sit, & penitus derelictum, & utrumque monasterium solum habeat abbatem, iidemque abbates ipsorum monasteriorum fructus, redditus & proventus percipiant, illas suis propriis usibus applicando, ipseque abbas monasterii sancti Petri in anime sue periculum & dicti ordinis Camaldulensis opprobrium monasterium sancti Petri predictum derelinquendo extra claustrum ejusdem vagari non vereatur, pro parte dicti archipresbyteri nobis fuit humiliter supplicatum, ut pro hujusmodi divini cultus in dicta ecclesia incremento, & quotidianarum distributionum ipsis canonicis & personis in eadem ecclesia faciendarum conservatione monasteria predicta eidem mense perpetuo unire, annectere & incorporare de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui eamdem ecclesiam paterne dilectionis brachiis constringimus, & in ea hujusmodi divinum cultum decenter vigere intentis desideriis affectamus, hujusmodi supplicationibus inclinati monasteria prefata, quorum quadringentorum, cum omnibus juribus & pertinentiis suis mense predicte, cujus ducentorum florenorum auri fructus, redditus & proventus secundum communem extimationem valorem annuum, ut ipse archipresbyter asserit, non excedunt, pro uberiori sustentatione canonicorum & personarum predictarum, nec non augmento & conservatione quotidianarum distributionum hujusmodi auctoritate apostolica in perpetuum unimus, annectimus & incorporamus. Ita quod cedentibus vel decedentibus abbatibus predictis, qui nunc sunt, vel ipsorum monasteriorum regimina & administrationes quomodolibet dimittentibus, seu eisdem monasteriis qualitercumque vacantibus abbatiales dignitates, & dictorum ordinum regularis observantia, iidemque regulares ordines in dictis monasteriis eo ipso sint suppressi & extincti, liceatque prefatis capitulo per se vel alium seu alios corporalem possessionem monasteriorum, juriumque & pertinentiarum predictorum auctoritate propria libere apprehendere, eorumque fructus, redditus & proventus hujusmodi in usum quotidianarum distributionum hujusmodi convertere ac etiam deputare, diocesani loci vel cujuscumque alterius licentia vel consensu super hoc minime requisitis. Non obstantibus quibuscumque constitutionibus *&c.* Nulli ergo *&c.* Si quis *&c.* Datum Luce v. nonas julii pontificatus nostri anno secundo.

LXXXIII.

Abbas Valle-castrensis confirmat donationem factam monasterio S. Catharinæ de Fabriano.

Anno 1408. XXXI. julii.

Ex archivo S. Blasii de Fabriano.

IN Dei nomine amen. Anno Domini a nativitate ejusdem millesimo quatrigentesimo octavo indictione prima tempore domini Gregorii pape duodecimi die mercurii undecima mensis julii actum in

terra

terra Fabriani Camerinensis diocesis sub trasanna claustri monasterii & ecclesie sancte Catarine de Fabriano ordinis fratrum Montis-oliveti, presentibus domno Christofano Nicolutii Maxii de Fabriano, & domno Bartholomeo Paulini de castro Casa-castalde comitatus Perusii, & magistro Alovisio magistri Pacis magistri Andree de Fabriano testibus rogatis. Reverendus vir domnus Angelus abbas monasterii Vallis-castri districtus Fabriani & Camerinensis diocesis, ac etiam sindicus & procurator ejusdem monasterii Vallis-castri, & capituli & conventus ejusdem monasterii, prout de ejus mandato constat plene & publice manu ser Francisci Nicolutii notarii de Fabriano, ut asseruit, nomine & vice dicti monasterii, & sindicario & procuratorio nomine ejusdem monasterii, & sui capituli & conventus, & per se & suos in posterum successores intuitu pietatis & elemosine, & pro salute anime sue & animarum predecessorum suorum, & propter devotionem & reverentiam ejus erga sanctam Catarinam & dictum ejus monasterium, & propter carere & non vexari litibus & litigiis, & eorum inanibus sumptibus, & expensis & dampnis, sponte & ex certa scientia, & non per errorem ratificavit, confirmavit, approbavit & emologavit expresse quoddam publicum instrumentum donationis inter vivos facte olim per Gualterium domini Alberghetti de Clavellis de Fabriano & per dominam Mitarellam Mercenarii de Monte-viridi uxorem dicti Gualterii venerabili viro fratri Johanni Bartholomei de Fabriano priori ecclesie sancte Caterine predicte de Fabriano pro ipsa ecclesia, ejusque capitulo & conventu stipulanti & recipienti de quodam molendino cum duabus macinis macinantibus, & una non macinante, & cum quadam gualcheria clusa vallato desuper & de subtus, & aliis hedifitiis in ipsis existentibus, sito in territorio Fabriani juxta & extra muros Fabriani, quod vocatur el molino del fosso juxta flumen, Tomaxutium domini Crescentii, foveam communis & Gualterium supradictum. Item de una petia terre vineate posita in districtu dicte terre Fabriani juxta & extra portam burgi in contrata Cicchiani juxta viam, Florentutium Marinutii, res ecclesie sancti Nicolai, & heredes Angeli de Pergula, & alia latera, & omnia & singula contenta & inserta in dicto publico instrumento donationis inter vivos predicte, & predictarum rerum donatarum scripto & publicato in carta membrana manu ser Angeli Andree de Callio publici notarii, & confecto sub anno Domini millesimo tricentesimo nonagesimo-sexto, & sub die tertia mensis junii, & ibidem coram supradictis testibus, viso & lecto per me notarium infrascriptum, presente & intelligente predicto domino Angelo abbate & sindico & procuratore dicti monasterii Vallis-castri, ad instantiam & in presentia infrascriptorum prioris, & sindici &, procuratoris dicti monasterii & ecclesie sancte Catarine predicte. Item dictus domnus Angelus abbas & sindicus &c. ratificavit, approbavit & emologavit expresse quoddam aliud publicum instrumentum dationis, cexionis & concexionis titulo donationis inter vivos olim facte per supradictum Gualterium domini Alberghetti de Clavellis de Fabriano suprascripto fratri Johanni Bartholomei tamquam sindico monasterii predicti sancte Catarine de Fabriano recipienti & stipulanti nomine dicti monasterii sancte Catarine de ordine fratrum Montis-oliveti de tribus molendinis destructis positis in quodam casaleno molendinorum cum vallatis, aquiminibus, rastellis, recessoriis, & terrenis pertinentibus & spectantibus ad dicta molendina, vallatos, rastellos, & recessores positos in territorio dicte terre Fabriani in fundo seu vocabulo de la Cannella juxta foveam communis dicte terre Fabriani, flumen, fontem Cannellarum, res sancti Marci & heredes Andree Lichi & molendinum sancti Victoris, & alia latera, atque consensum prestitum in dicto publico instrumento ad contenta in eo per dominam Mitarellam uxorem dicti Gualterii, & omnia & singula contenta, & descripta & facta in dicto publico instrumento dationis, cexionis & concexionis predicte & consensus predicti scripto & publicato in carta membrana manu ser Nofrji Pacis notarii de civitate Esii, & confecto sub anno Domini millesimo tricentesimo nonagesimo-septimo, & sub die decima mensis julii, & ibidem in presentia dictorum testium viso & lecto per me notarium infrascriptum, presente & intelligente predicto domno Angelo abbate & sindico &c. ad requisitionem & in presentia infrascriptorum, videlicet ven. viri fratris Johannis Cole de Perusio prioris dicti monasterii & ecclesie sancte Catarine de Fabriano ordinis fratrum Montis-oliveti, atque fratris Pauli Venantii de Fabriano monaci, & sindici & procuratoris dicti monasterii & ecclesie sancte Catarine, de cujus sindicatu & procura-

curatione constat publice manu mei notarii infrascripti. Et consensit expresse omnibus & singulis contentis in dictis duobus publicis instrumentis ratificatis, ratificans etiam & confirmans idem dominus abbas, & sindicus & procurator dicti monasterii Vallis-castri possexionem corporalem predictarum rerum donatarum, & datarum, & supra lateratarum, quam habuit dictum monasterium sancte Catarine a tempore confectionis dictorum instrumentorum ratificatorum citra, & nunc habet & tenet pacifice & quiete, ut asserit. Et insuper predictus abbas & sindicus *&c.* renuntiavit & repudiavit expresse omnia & singula jura & actiones, & omnibus & singulis juribus & actionibus, que & quas dictum monasterium Vallis-castri habet, & habere seu pretendere posset in & super predictis rebus & bonis donatis & datis, ut predicitur, & supra lateratis, vel in aliquibus seu aliqua ipsarum rerum, ex persona fratris Johannini & Romani Benencase Puccioli de Fabriano monaci dicti monasterii Vallis-castri. Et vigore & pretextu monachationis & profexionis dicti fratris Johannini facte per eum in dicto monasterio Vallis-castri, & contentorum & factorum in ipsa monachatione & profexione scripta & publicata manu ser Luce Antonii Marini notarii de castro Piri, & confecta sub anno Domini millesimo quatrigentesimo-quarto & sub die quinta-decima mensis septembris. Et vigore, & pretextu, & nomine & occasione dotium seu partis dotium domine Nicolose sororis carnalis dicti fratris Johannini, & filie olim predicti ser Romani Benencase, & nurus olim supradicti Gualterii domini Alberghetti; & pretextu & vigore cujuscumque locationis dotalis dicte Nicolose facte per dictum Gualterium & contentorum in ipsa locatione dotali qualitercumque apparente; atque vigore & pretextu quorumcumque testamentorum & ultimarum voluntatum, & quorumcumque instrumentorum publicorum parentum dicti fratris Johannini & contentorum in eis; atque vigore & pretextu quarumcumque scripturarum publicarum vel privatarum, & tam ex testamento, quam ab intestato, & quocumque jure & nomine & quacumque ex causa & occasione in preteritum & usque in presentem diem, ipsaque jura & actiones remisit & concessit per pactum predicto fratri Johanni Cole de Perusio priori & dicto fratri Paulo sindico & procuratori dicti monasterii & ecclesie sancte Catarine, ibidem presentibus, & petentibus, & recipientibus & stipulantibus vice & nomine ejusdem monasterii & ecclesie sancte Catarine, & pro tuitione & munimine dictarum rerum donatarum & datarum & constitutarum penes ipsum monasterium & ecclesiam sancte Catarine, ut asserit, reservatis eisdem juribus & actionibus eidem domino abbati & sindico & procuratori dicti monasterii Vallis-castri, & eidem monasterio Vallis-castri in & super aliis bonis & rebus olim Gualterii suprascripti, promittens dictus dominus abbas & sindicus *&c.* per se & suos imposterum successores predicto fratri Johanni Cole priori, & dicto fratri Paulo sindico & procuratori dicti monasterii & ecclesie sancte Catarine stipulantibus nomine ipsius monasterii & ecclesie sancte Catarine de predictis rebus donatis & datis, ut predicitur, & supra lateratis, vel de earum parte, litem vel questionem aliquam in proprietate vel in possessione earum eidem monasterio & ecclesie sancte Catarine, seu alteri ejus nomine, tempore vel modo aliquo non inserre, nec inferenti consentire. Renuntiansque predictus dominus abbas & sindicus *&c.* exceptioni rei nove, *&c.* Et predicta omnia & singula supra jamdicto domno Angelo abbate & sindico *&c.* facta ipse dominus abbas & sindicus *&c.* promisit predicto fratri Johanni Cole priori & predicto fratri Paulo sindico & procuratori dicti monasterii & ecclesie sancte Catarine stipulantibus & recipientibus vice & nomine ejusdem monasterii & ecclesie sancte Catarine & sui capituli & conventus semper adtendere & observare, & rata & firma habere *&c.*

Et ego Augustinus Matthei Bene de Fabriano imperiali auctoritate notarius predictis omnibus interfui & ea rogatus scribere scripsi, & publicavi.

LXXXIV.

Ludovicus Barbo abbas S. Justinæ de Patavio mandat priori de Carceribus, ut quamdam pensionem solvat monasterio S. Michaelis de Muriano.

Anno 1409. xv. julii.

Ex archivo S. Michaelis de Muriano.

IN Christi nomine, amen. Anno ejusdem nativitatis M. CCCC. IX. indictione II. die lune XV. mensis julii in capi-

capitulo monasterii sancte Marie de Carceribus Paduane diocesis & districtus ordinis Camaldulensis, presentibus venerabili viro donno presbytero Beltrame preposito ecclesie sancte Marie de la Rena de Padua & Jacobo quondam Donati de Vico-novo, Petro qnondam Leopoldi de Alemannia & Jacobo filio Johannis de Valvasono omnibus tribus ultimis habitantibus in monasterio predicto de Carceribus testibus ad hoc specialiter convocatis, habitis & rogatis, & aliis. Ibique reverendus in Christo pater & dominus dominus don Paulus Venerio de Venetiis Dei & apostolice sedis gratia abbas monasterii sancti Michaelis de Muriano &c. nomine suo & tamquam procurator &c. dicti monasterii ad infrascripta &c. presentavit venerabili & religioso viro fratri Jacobo de Venetiis priori prioratus monasterii sancte Marie de Carceribus ordinis Camaldulensis predicti &c. unum processum venerandi patris domni Ludovici Barbo de Venetiis Dei & apostolice sedis gratia dignissimi abbatis monasterii sancte Justine Paduane executoris quarumdam literarum apostolicarum &c. munitum suo sigillo, quo utebatur tempore, quo preerat monasterio sancti Georgii in Alega de Venetiis &c. lectum & publicatum, continentemque in effectu, qualiter prefatus dominus executor vigore dictarum literarum apostolicarum mandat dicto domino priori de Carceribus, ac successoribus vicariis & officialibus, seu locum-tenentibus ipsius monasterii, quod in virtute sancte obedientie & sub excommunicationis pena debeat dicto domino abbati & conventui monasterii sancti Michaelis de Murano, aut ejus procuratori singulis annis usque ad tres annos a datione predictarum literarum apostolicarum computandos quamdam pensionem annuam quadringentorum ducatorum, & ex tunc usque ad triginta annos quingentorum ducatorum auri de fructibus, redditibus & proventibus dicti monasterii de Carceribus respondere & solvere &c. Qui quidem venerabilis dominus prior monasterii sancte Marie de Carceribus ipsum processum ea, qua decuit, reverentia suscepit, & ejus tenore comprehenso immediate respondit, & dixit, quod erat paratus parere & obedire mandatis dicti domini executoris apostolici secundum tenorem & formam processus sibi presentati, & sic se paratum obtulit, nihilominusque ad abundantem cautelam, ac sui & successorum suorum informationem copiam dicti processus sibi petiit dari & fieri.

Ego Prosdocimus quondam ser Dominici de Padua &c. notarius & officialis ad cancellariam episcopatus Paduani &c. scripsi &c.

LXXXV.

Expensæ factæ ab abbate S. Michaelis pro eodem monasterio de Carceribus adquirendo & reformando.

Eisdem anno & die.

Ex præfato chartulario.

IN Christi nomine, amen. Anno ejusdem nativitatis millesimo CCCC. IX. &c. *ut supra*, in capitulo &c. presentibus &c. Cum reverendus in Christo pater & dominus dominus don Paulus Venerio &c. pro certis justis causis & rationabilibus negotiis factis pro monasterio infrascripto, scilicet pro impetrando monasterium sancte Marie de Carceribus &c. pro ven. viro domino fratre Jacobo de Venetiis monacho ejusdem ordinis, nunc priore ipsius monasterii de Carceribus, transferendo predictum monasterium de ordine sancti Augustini ad ordinem Camaldulensem, & ipsum ornando calicibus, libris, & apparamentis, necnon reformando & reparando idem & edificia ipsius, ac possessiones vigras & incultas ad culturam reducendo, & reduci faciendo, ipsumque etiam monasterium familiaribus, & animalibus multarum & diversarum .... ac certis aliis ipsi monasterio opportunis & necessariis fulciendo, quibus omnibus idem monasterium de Carceribus totaliter propter gravia guerrarum discrimina indigebat, expendiderit certam & non modicam ducatorum quantitatem, ultra pensionem quamdam, quam de fructibus, redditibus, & proventibus monasterii predicti sancte Marie de Carceribus sibi domnus Angelus olim cardinalis Laudensis reservabat, qui dictum monasterium in commendam obtinebat. Que omnia hic inferius per ordinem describuntur & denotantur. Et primo pro impetratione literarum apostolicarum dicti monasterii & translatione ipsius, & aliis certis expensis extraordinariis ac prode ducatorum ipsarum literarum acceptorum ad imprestita, ducatos ducentos auri. Item pro solutione unius pensionis fructuum & redituum di-

cti monasterii facte dicto domno Angelo olim cardinali eidem annualiter numerate ducatos quingentos auri. Item pro distributione trecentorum ducatorum auri facta in duabus vicibus per dictum dominum abbatem sancti Michaelis de Muriano, scilicet in vino & salario familiarium & multis aliis victuariis, pro victu & vestitu monachorum dicti monasterii & conversorum in utilitatem dicti monasterii de Carceribus ducatos trecentos auri. Item pro communi servitio domini nostri pape de fructibus primi anni monasterii predicti ducatos ducentos auri. Item pro uno pulcro missali & uno alio psalterio magno & novo pro dicto monasterio de Carceribus ducatos octuaginta auri. Item pro certis aliis ornamentis pro dicto monasterio, videlicet uno calice de argento, una planeta nova de serico rubeo frixata & broccata de auro, fulcita suis apparamentis, una alia planeta nova de Valisio cum una cruce de sindone rubeo cum suis apparamentis; una alia planeta de veluto schachato ornata suis apparamentis. Item pro camisis fulcitis. Item pro corporalibus, faciolis, & manutergiis ab altari. Item pro uno thuribulo de autuno. Item pro una cassa deputata pro apparamentis. Item pro duobus orologiis, quorum unum est de ferro, & aliud a sablone ducatos septuaginta-quinque auri. Item pro vaccis, manzis, jumentis & porcis, & pro duobus equis emptis in partibus Ystrie ducatos quingentos auri. Que omnia suprascripta ascendunt ad summam ducatorum mille nongentorum & quinque auri. Salvo semper & reservato omni & quolibet jure, si quod dictus dominus abbas sancti Michaelis & conventus dicti sui monasterii haberet contra dictum monasterium de Carceribus &c. de quibus quidem ducatis &c. prefatus dominus don Paulus Venerio abbas predictus &c. a predicto domno fratre Jacobo priore &c. velit confessionem facere; ideo convocato & congregato &c. conventu monasterii antedicti sancte Marie ad Carceres, in quo quidem capitulo interfuerunt venerabilis vir dominus frater Jacobus prior, domnus don Bartholomeus de Padua, dominus don Andreas de Venetiis, domnus don Gaspar de Alemannia, frater Bartholus de Sicilia monachi, & frater Angelus de Tuderto conversus monasterii antedicti sancte Marie de Carceribus, qui fuerunt plures duabus partibus &c. dixerunt & confessi sunt per predictum dominum abbatem sancti Michaelis, nomine, quo supra, fuisse modis suprascriptis pro monasterio sancte Marie de Carceribus dictos ducatos mille nongentos & quinque auri expenditos & dispensatos, quos dare, tenere & restituere &c.

Ego Prosdocimus &c. *ut supra*.

LXXXVI.

Alexander V. *confirmat amplissimum privilegium ab Alexandro* IV. *toti congregationi Camaldulensi concessum*.

Anno 1409. x. kl. septembris.

Ex libro edito Privilegiorum pag. 21.

ALexander episcopus servus servorum Dei ad futuram rei memoriam. Ex sedis apostolice provisione, ac personarum presertim sub regulari observantia Domino famulantium studio pie vite devotione provenire dignoscitur, ut Romanus pontifex quandoque predecessorum suorum Romanorum pontificum gesta innovet, innovationem restauret, & auctoritate apostolica fulciat innovata. Sane dudum felicis recordationis Alexander papa IV. predecessor noster per suas literas dilectos filios Camaldulensem eremum, ac monasteria, prioratus, ecclesias, hospitalia, capellas, hospitalia, capellas & alia loca Camaldulensis ordinis & ipsi eremo subjecta specialiter in jus & proprietatem beati Petri apostoli suscepit, atque sua & ejus scripti privilegio communivit, statuens monasteria, prioratus, ecclesias, hospitalia, capellas & loca predicta cum pertinentiis & membris eorum tamquam corpus unum sub uno capite, sub priore dumtaxat eremi supradicte perpetuis temporibus permanere, ac illius discipline observatione persistere; sub illo, inquam, priore, qui ab ipsius eremi eremitis & congregationis abbatibus & prioribus ipsius ordinis regulariter foret electus. Eremum quoque, monasteria, prioratus, ecclesias, hospitalia, capellas & loca predicta, & personas ipsius ordinis ab omni jugo & jurisdictione, lege diocesana archiepiscoporum, episcoporum, archidiaconorum, & quorumlibet ordinariorum judicio penitus exemit, retento sibi & Romane ecclesie annuo censu unius uncie auri in signum perpetue libertatis, ut abbates, priores, abbatisse, necnon fratres & sorores eremi, monasteriorum, prio-

prioratuum & locorum predictorum in speciales filios sedis predicte assumpti nullius alterius judicium subirent; statuens etiam, ut hujusmodi eremus, monasteria, prioratus, ecclesie, hospitalia, capelle, loca & persone tantum Romano pontifici essent subjecta, districtius inhibens, ne quis archiepiscopus, episcopus, archidiaconus, seu alter judex ordinarius in eremum, prioratus, ecclesias, hospitalia, capellas, loca & personas predicta excommunicationis, suspensionis & interdicti sententias promulgare, aut in ea correctionis vel visitationis officium, sive jurisdictionem aliquam exercere, seu personas ipsas ad synodum evocare, aut ab eis collectas sive exactiones aliquas exigere vel extorquere presumerent. Non obstante si aliqui archiepiscopi & episcopi contra personas vel loca hujusmodi super subjectione eremi, monasteriorum prioratuum, ecclesiarum, hospitalium, capellarum & locorum predictorum moverent questionem, decernendo hujusmodi sententias, si quas in personas, monasteria, prioratus, ecclesias, hospitalia, capellas & loca predicta per eosdem archiepiscopos, episcopos, archidiaconos, & alios ordinarios contra inhibitionem hujusmodi promulgari contingeret, irritos & inanes, & predictas personas ad observationem earumdem sententiarum aliquatenus non teneri. Porro laborum suorum de possessionibus habitis ante concilium generale, ac etiam novalium, que propriis manibus aut sumptibus colerent, de quibus quidem novalibus aliquis usque tunc non perceperat, sive de hortis, virgultis & piscationibus, vel de nutrimentis animalium ipsorum nullus ab eis decimas exigere vel extorquere presumeret. Voluit insuper dictus predecessor & indulsit, quod ipse prior tamquam pater dicti ordinis abbates, priores, monachos, conversos, abbatissas, moniales, conversas, hospitalarios, monasteria & loca ipsius ordinis sine contradictione aliqua visitare per se vel alium seu alios, quos ad hoc duceret deputandos, ac reformare prelatos in monasteriis & locis dicti ordinis instituere & destituere, necnon electiones eorum confirmare, prout per Deum & instituta predicti ordinis videretur expedire, ac omnem jurisdictionem in eos libere valeret exercere, prout in eisdem literis plenius continetur. Cum autem sicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Honofrii prioris & conventus eremi predicte petitio continebat, jam diu aliqui priores eremi predicte predecessores ejusdem Honofrii prioris, qui fuerunt pro tempore, ac etiam ipse Honofrius prior officium suum juxta predictas literas plene exercere non valuerit propter apostolicas reservationes speciales vel generales quorumdam aliorum summorum pontificum, & provisiones in Romana curia plerumque de prelatis & rectoribus eorumdem monasteriorum & locorum hactenus factas; quodque preterea ordo in suis facultatibus & juribus valde diminutus, ac monasteria & loca hujusmodi non modicum depauperata sint, & de majori ipsorum desolatione timeatur, nisi super hoc per sedis predicte providentiam congrue consulatur, pro parte Honofrii prioris, & conventus predictorum fuit nobis humiliter supplicatum, ut in premissis, & alias ipsorum & eremi, necnon monasteriorum, prioratuum, ecclesiarum, hospitalium, capellarum, locorum, & personarum predictorum statui opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur eisdem Honofrio priori & conventui paterno compatientes affectu, ac hujusmodi supplicationibus inclinati predictas literas & omnia inde secuta, necnon quascumque libertates, & immunitates ab eisdem & aliis predecessoribus nostris Romanis pontificibus, necnon ab archiepiscopis & episcopis, eremo, monasteriis, prioratibus & locis predictis concessas, libertates & exemptiones secularium exactionum ab imperatoribus, regibus, vel principibus, aut aliis Christi-fidelibus rationabiliter priori pro tempore existenti eremi predicte, necnon conventui ac personis prefatis indultas, ac etiam eorum antiquas & rationabiles consuetudines adinstar predicti Alexandri predecessoris, ut etiam in eisdem suis literis conspicitur, auctoritate apostolica confirmamus, & presentis scripti patrocinio communimus; quibus adjicimus, quod etiam dictus Honofrius suique successores priores eremi prefate, qui erunt pro tempore, per se vel alium seu alios sine contradictione aliqua abbates, priores, monachos, conversos, abbatissas, moniales, conversas, monasteria & loca hujusmodi visitare ac reformare, necnon prelatos in monasteriis & locis hujusmodi instituere & destituere, ac electiones eorumdem confirmare, omnemque jurisdictionem ordinariam in eos libere valeant exercere, prout secundum Deum & instituta regularia dicti ordinis viderint expedire. Et insuper pro eorumdem Ho-

Honofrii & suorum successorum priorum conventus & personarum uberiori pace *&* tranquillitate ad omnia & singula etiam alia monasteria, loca, possessiones, jura & bona immobilia post datum predictarum literarum per priores, qui fuerint pro tempore, necnon abbates, priores, conversos, abbatissas, moniales, fratres & sorores eremi, monasteriorum, prioratuum & locorum predictorum, qui fuerint pro tempore, largitione fidelium, vel alias quomodolibet licite acquisita, & etiam ad illa, que annuente Domino ipsi legitime acquirere poterunt in futurum, predictas ejusdem Alexandri predecessoris, & has nostras literas auctoritate apostolica predicta duximus extendendas. Decernentes irritum & inane quidquid contra hoc forsan a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis, communitionis, adjectionis, extensionis & constitutionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis *&c.* Datum Pisis x. cal. septembris pontificatus nostri anno primo.

LXXXVII.

Gregorius XII. instituit Anselmum monachum congregationis S. Silvestri in abbatem S. Blasii de Fabriano.

Anno 1410. III. kl. octobris.

Ex authographo archivi S. Blasii.

GRegorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis conventui monasterii sancti Blasii de Fabriano ordinis sancti Benedicti Camerinensis diocesis salutem & apostolicam benedictionem. Inter sollicitudines varias *&c.* Dudum siquidem quondam Jacobo abbate vestri monasterii regimine ejusdem monasterii presidente, nos cupientes eidem monasterio cum vacaret per apostolice sedis providentiam utilem & idoneam presidere personam, provisionem ipsius monasterii ordinationi & dispositioni nostre duximus ea vice specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum *&c.* Postmodum vero prefato monasterio per obitum dicti Jacobi abbatis, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, abbatis regimine destituto, nos vacationem hujusmodi fidedignis relatibus intellecta ad provisionem ipsius monasterii celerem & felicem, de qua nullus preter nos ea vice se intromittere potuerat sive poterat, reservatione & decreto obsistentibus supradictis, ne monasterium ipsum longe vacationis exponeretur incommodis, paternis & sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem monasterio personam utilem & etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, . . . dilectum filium Anselmum abbatem predictum, & tunc monachum sancti Benedicti de Fabriano Camerinensis diocesis ordinis ejusdem Sancti congregationis Silvestrinorum Montisfani in eorumdem monasteriorum ordine expresse professum & in sacerdotio constitutum *&c.* direximus oculos mentis nostre, quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona dicti Anselmi nobis & eisdem fratribus ob dictorum suorum exigentiam meritorum accepta eidem vestro monasterio, non obstante, quod in ipso vestro monasterio alterius coloris & forme habitus, quam in dicto monasterio sancti Benedicti geritur & habetur, de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providimus, ipsumque illi prefecimus in abbatem, *&c.* Volumus autem, quod in dicto vestro monasterio solitus monachorum & ministrorum numerus nullatenus minuatur, quodque ex tunc illum dictus Anselmus abbas gestet habitum, qui in dicto monasterio vestro geritur & habetur, ac ipsius institutis regularibus se conformet. Quo circa discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus eumdem Anselmum abbatem pro nostra & ejusdem sedis reverentia benigne recipientes, & honorifice pertractantes exhibeatis eidem obedientiam & reverentiam debitam & devotam, ejus salubria monita & mandata suscipiendo, humiliter & efficaciter adimplendo, alioquin sententiam, quam idem (abbas rite tulerit in rebelles, ratam habebimus, & faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Datum Cajete III. kal. octobris pontificatus nostri anno quarto.

N. de Ferentino.

A. Briequeti.

LXXXVIII.

LXXXVIII.

Antonius abbas Vangaticiensis eligitur a capitulo generali in priorem & praesidem totius congregationis Camaldulensis.

Anno 1410. XXIII. novembris.

Ex codice membranaceo S. Mathiae de Muriano.

HEc sunt acta edita & celebrata in generali capitulo sacri & venerandi Camaldulensis ordinis, de mandato, & ad convocationem religiosorum fratrum fratris Angeli de Florentia Majoris eremi Camaldulensis, & omnium eremitarum dicte eremi, ven. domni Francisci ser Johannis de Puppio, & domni Gregorii Christiani de Alamannia, prout de predictis &c. constat, &c. circa electionem & pro electione novi infrascripti prioris dicte Camaldulensis eremi & totius ejusdem ordinis generalis celebranda sub anno Domini a nativitate ejusdem M.CCCC.X. indictione III. tempore pontificatus sanctissimi & beatissimi in Christo patris & domini domini Johannis divina Dei providentia pape XXIII. & die XXIII. mensis novembris, prout successive inferius adnotatur.

In primis quidem vacante dicto prioratu eremi & ordinis generalatu per mortem reverendi patris in Domino fratris Honofrii quondam ipsius sacre eremi & totius ordinis prioris generalis, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, & ejus corpore ecclesiastice tradito sepulture, cum religiosi fratres domnus Angelus, *& ceteri ut supra*, asserentes se esse omnes ejusdem eremi eremitas, & in ipsa eremo nullos alios ad presens esse eremitas, hanc presentem diem XXIII. mensis novembris prefixerint ad celebrandam electionem futuri prioris ejusdem eremi & totius ejusdem ordinis generalis, & propterea decreverint generale capitulum in eadem eremo in ecclesia sancti Salvatoris celebrari, fecerintque sollemniter & secundum sui ordinis instituta ad hujusmodi terminum & locum evocari omnes & singulos prelatos dicti ordinis &c. Ipsa igitur die XXIII. mensis novembris convenientibus ad hujusmodi capitulum in jam dicto loco &c. & mane ipsius diei ad honorem Sancti-spiritus ante omnia solemniis Missarum devotissime celebratis, & ejusdem Sancti-spiritus hymno decantato cum versiculis & orationibus ejusdem, & dicto Benedicamus a tribus juxta ejusdem ordinis instituta, & insuper juxta illa premisso exhortationis sermone, primo & ante omnia religiosus vir domnus Angelus de Florentia Major eremi &c. elegit in notarium &c. me Guidonem notarium infrascriptum &c. Post que immediate cum tractaretur in dicto capitulo & dicti capituli congregatione de eligendo novo priore &c. *ut supra*, in presentia religiosorum virorum domni Boni quondam Pauli de Castellione Arretino prioris monasterii sancte Marie de Vertighi &c. domni Gregorii olim Bandini de Moggiona prioris sancte Marie de Petra-ficta &c. & domni Benedicti de Foro-livio prioris sancti Paterniani de Ferratiano &c. electorum in testes per universos prelatos predictos, prelibatus frater Angelus Major eremi memorate vice sua, & omnium & singulorum &c. monuit omnes excommunicatos, suspensos, ac etiam interdictos atque schismaticos seu non recte credentes, necnon & quoscumque alios, si qui forsan forent inter eos, qui de jure vel de consuetudine interesse in ipso electionis negotio non deberent, qui ab ipso vel de ipso capitulo recedant, aliosque permittant libere eligere, protestans, quod non erat sua vel aliorum de dicto capitulo intentio tales admittere &c. Quibus sic peractis & habito inter ipsos electores diligenti tractatu, per quam viam foret procedendum ad dictam electionem, & tandem firmata deliberatione, quod per viam scrutinii procederetur, & sic placuit omnibus & singulis de universo capitulo memorato. Ipsi omnes & singuli de capitulo sollemniter &c. elegerunt & assumpserunt tres de ipso capitulo, videlicet domnum Angelum de Florentia Majorem &c. domnum Sebastianum abbatem monasterii sancti Salvatoris Camalduli-Florentini, & domnum Dominicum abbatem monasterii sancte Marie de Insula ordinis antedicti, quibus ab omnibus & singulis de dicto capitulo data fuit plenaria potestas vota omnium, primo tamen sua & postmodum aliorum secreto & sigillatim cum omni diligentia inquirendi, ipsisque redactis infrascriptis mox illa publicent in communi, ut is habita & facta collatione per alterum ex eis eligatur, quem major & sanior pars capituli consenserit; ex nunc pariter & unanimiter concedentes & dantes omnimodam potestatem cuilibet ex dictis scrutatoribus in solidum, ut post dictam habitam collationem nomine dicti capituli ad hujusmodi electionem procedat de ipso tali,

in

in quem repertum fuerit majorem & saniorem partem ipsius capituli consensisse. Quam quidem electionem &c. humiliter acceptantes & recipientes, volentesque procedere ad dictam scrutationem in nomine Salvatoris secesserunt, in partem se trahentes, & firmantes sive collocantes apud altare majus dicte ecclesie, vocaveruntque, ut dicte scrutationi testes essent & testimonium perhiberent, religiosos viros donnum Bonum, *& ceteros ut supra*, & me Guidonem notarium &c. & demum ad scrutinium presentibus dictis testibus ad infrascripta habitis & rogatis processerunt modo & forma, ac ordine infrascriptis, videlicet.

Quia primo & ante omnia ipsi dicti scrutatores volentes sua propria perscrutari vota juxta traditam sibi formam, ipsi domini abbates Sebastianus & Dominicus prefatum religiosum virum domnum Angelum Majorem dicte eremi per Patrem & Filium & Spiritum-sanctum, & in anime sue periculum adjurarunt, ut secundum Deum & secundum conscientiam suam justam ad illum dirigat votum suum, quem dicto prioratui sacre Camaldulensis eremi & toti ordini Camaldulensi magis utilem & idoneum pro priore generali reputaret; qui quidem frater Angelus taliter adjuratus consensit in domnum Antonium abbatem monasterii sancte Marie de Vangadicia diocesis Adriensis in hunc modum, videlicet: Ego frater Angelus Major eremi Camaldulensis consentio in domnum Antonium abbatem monasterii sancte Marie de Vangadicia diocesis Adriensis, ipsumque nomino & eligo in priorem sacre Camaldulensis eremi & totius ordinis generalem.

Et deinde domnus Sebastianus de Florentia abbas &c. modo & forma consimili &c. consensit in ven. patrem fratrem Antonium abbatem de Vangaticia &c. videlicet: Ego frater Sebastianus abbas &c. *ut supra*.

Deinde domnus Dominicus abbas &c. consensit in ven. patrem fratrem Antonium abbatem de Vangadicia &c. videlicet: Ego frater Dominicus &c. *ut supra*.

Post que immediate ipsi domnus Angelus Major, domni Sebastianus & Dominicus abbates predicti, ut supra, suismet perscrutatis votis vocaverunt secreto & sigillatim perscrutando aliorum vota ceteros prelatos & monachos in dicto capitulo congregatos, & primo ad vocationem predictam:

Domnus Franciscus de Puppio eremita dicte sacre Camald. eremi adjuratus per scrutatores prelatos consensit in &c. fratrem Antonium abbatem de Vangadicia &c. *ut supra*.

Domnus Guaspar Christiani de Alamannia eremita &c. consensit in fratrem Raphaelem priorem monasterii sancti Benedicti de prope Florentiam &c.

Domnus Antonius abbas monasterii sancte Marie de Vangadicia &c. consensit in ven. patrem fratrem Bernardum de Florentia abbatem monasterii sancti Justi de Vulterris &c.

Domnus Natalis prior monasterii de Camaldulino de prope Veronam procurator &c. domni Benedicti abbatis monasterii sancti Apollinaris in Classe ostendens mandatum &c. consensit in fratrem Antonium abbatem de Vangadicia &c.

Domnus Johannes abbas monasterii sancti Romualdi Vallis-castri &c. consensit in fratrem Antonium abbatem de Vangadicia &c.

Domnus Johannes abbas monasterii sancte Marie de Agnano diocesis Arretine &c. consensit in fratrem Antonium abbatem de Vangadicia &c.

Domnus Gherardus abbas monasterii sancti Salvatoris de Berardinga Senarum &c. consensit in fratrem Antonium abbatem de Vangadicia &c.

Domnus Natalis prior monasterii de Camaldulino de prope Veronam procurator donni Johannis abbatis monasterii sancte Marie de Urano &c. ostendens mandatum &c. consensit in fratrem Antonium abbatem de Vangadicia &c.

Domnus Dominicus abbas monasterii sancte Marie de Insula procurator domni Benvenuti de Vergareta abbatis monasterii sancti Petri in Vinculis diocesis Ravennatis ostendens mandatum &c. consensit in fratrem Antonium abbatem de Vangadicia &c.

Domnus Antonius abbas monasterii sancti Michaelis de Pisis &c. consensit in fratrem Antonium abbatem de Vangadicia &c.

Domnus Benedictus abbas monasterii sancti Petri de Rota diocesis Arretine &c. consensit in fratrem Antonium abbatem de Vangadicia &c.

Domnus Bernardus de Florentia abbas monasterii sancti Justi de Vulterris &c. consensit in fratrem Antonium abbatem de Vangadicia &c.

Domnus Benedictus abbas de Rota &c. procurator domni Augustini de Moriconibus de Luca abbatis monasterii sancti Petri de Posseulis &c. consensit in fratrem Antonium abbatem de Vangaticia &c.

Do-

Domnus Benedictus abbas prenominatus procurator domni Bartholomei de Luca abbatis monasterii sancti Salvatoris de Cantignano ostendens mandatum &c. consensit in fratrem Antonium abbatem de Vangadicia &c.

Domnus Natalis prior monasterii de Camaldulino de prope Veronam procurator domni Jacobi abbatis monasterii sancti Benedicti de Savignano, ostendens mandatum &c. consensit in fratrem Antonium abbatem de Vangadicia &c.

Domnus Andreas abbas monasterii sancti Bartholomei de Anglari &c. consensit in fratrem Antonium abbatem de Vangaticia &c.

Domnus Angelus de Florentia major &c. procurator domni Pauli Venerio abbatis sancti Michaelis de Murano ostendens mandatum &c. consensit in fratrem Antonium &c.

Domnus Benedictus abbas de Rota &c. procurator domni Mamiliani abbatis monasterii sancti Frigdiani de Pisis ostendens mandatum &c. consensit in fratrem Antonium &c.

Domnus Jacobus abbas monasterii sancti Stephani de Cintorio &c. consensit in fratrem Antonium &c.

Domnus Johannes abbas monasterii sancte Marie de Agnano procurator &c. Orlandi abbatis sancte Marie de Morrona ostendens mandatum &c. consensit in fratrem Antonium &c.

Domnus Laurentius abbas sancti Petri de Cerreto &c. consensit in fratrem Antonium &c.

Domnus Bartholus abbas sancte Jucunde &c. consensit in fratrem Antonium &c.

Domnus Antonius abbas sancti Andree de Candiculis &c. consensit in fratrem Antonium &c.

Domnus Gregorius abbas sancti Salvatoris de Silva-munda &c. consensit in fratrem Antonium &c.

Domnus Johannes abbas sancti Romualdi Vallis-castri procurator domni Matthei abbatis sancti Viriani diocesis Aretine &c. consensit in fratrem Antonium &c.

Domnus Angelus Major &c. domnus Franciscus de Puppio, & domnus Guaspar de Alamannia eremite &c. commissarii domni Francisci abbatis sancte Trinitatis Montis-herculis de Sancta-Agatha &c. consenserunt domnus Angelus & domnus Franciscus in fratrem Antonium abbatem Vangaticie, & domnus Guaspar in fratrem Raphaelem priorem sancti Benedicti de prope Florentiam &c.

Domnus Johannes abbas sancti Andree de Puteo &c. consensit in fratrem Antonium &c.

Domnus Antonius abbas sancti Andree de Candiculis procurator domni Gilii abbatis sancti Petri de Montemuro &c. consensit in fratrem Antonium &c.

Domnus Jacobus abbas sancti Ægidii de Campriano &c. consensit in fratrem Antonium &c.

Domnus Octavianus abbas sancte Marie de Diciano &c. consensit in fratrem Sebastianum abbatem sancti Salvatoris Camalduli-Florentini &c.

Domnus Sebastianus abbas sancti Salvatoris Camalduli-Florentini &c. procurator domni Matthei prioris sancte Marie de Angelis de Florentia &c. consensit in fratrem Antonium &c.

Domnus Lazarus prior plebis de Balneo &c. consensit in fratrem Antonium &c.

Domnus Petrus prior sancte Marie de Camaldulino de Bononia procurator domni Simonis de Vulterris prioris sancti Damiani de Bononia &c. consensit in fratrem Antonium &c.

Domnus Angelus prior sancte Margarite de Tosina &c. consensit in fratrem Antonium &c.

Domnus Angelus Major &c. procurator Raphaelis prioris sancti Benedicti de prope Florentiam consensit in fratrem Antonium &c.

Domnus Franciscus de Florentia prior de Poplena consensit in fratrem Antonium &c.

Domnus Angelus prior sancte Marie de la Rosa de Senis &c. consensit in fratrem Antonium &c.

Domnus Petrus prior de Camaldulino de Bononia &c. consensit in fratrem Antonium &c.

Domnus Hieronymus prior Eremi-nove &c. consensit in fratrem Antonium &c.

Domnus Johannes prior monasterii sancte Marie de Serra &c. consensit in fratrem Antonium &c.

Domnus Natalis prior de Camaldulino de prope Veronam procurator domni Johannis de Padua prioris sancte Marie Montis-crucum & de Porcilia &c. consensit in fratrem Antonium &c.

Domnus Benedictus de Florentia prior sancti Michaelis de Arretio &c. consensit in fratrem Antonium &c.

Domnus Natalis prior de Camaldulino de prope Veronam procurator domni Andree de Venetiis prioris sancti Viti de Vicetia &c. consensit in fratrem Antonium &c.

Domnus Angelus Major, domnus Franciscus de Puppio, & domnus Guaspar de

de Alamannia eremita &c. procuratores domni Jacobi de Venetiis prioris monasterii sancte Marie de Carceribus &c. consenserunt domnus Angelus & domnus Franciscus in fratrem Antonium &c. & domnus Guaspar in fratrem Raphaelem priorem sancti Benedicti de prope Florentiam &c.

Domnus Blasius prior sancti Petri de Planetulo &c. consensit in fratrem Antonium &c.

Domnus Natalis prior de Camaldulino de prope Veronam &c. consensit in fratrem Antonium &c.

Domnus Natalis, *ut supra*, procurator domni Antonii de Pisis prioris sanctorum Jacobi & Philippi de Cavacollis diocesis Brittonoriensis &c. consensit in fratrem Antonium &c.

Domnus Petrus prior sancti Savini de Chio &c. consensit in fratrem Antonium &c.

Domnus Martinus prior sancti Clementis de Arretio &c. consensit in fratrem Antonium &c.

Domnus Johannes prior sancti Laurentini de Arretio &c. consensit in fratrem Antonium &c.

Domnus Lucas hospitalarius hospitalis de prope sanctum Frigdianum de Pisis consensit in fratrem Antonium &c.

Domnus Angelus Major, domnus Franciscus & domnus Guaspar de Alamannia eremite &c. procuratores domni Georgii de Hungaria prioris sancti Benedicti de Fileto consenserunt domnus Angelus & domnus Franciscus in fratrem Antonium &c. & domnus Guaspar in fratrem Raphaelem priorem sancti Benedicti de prope Florentiam &c.

Domnus Andreas abbas sancti Bartholomei de Anglari procurator domni Francisci de Anglari prioris sancti Angeli de Curte-luponis &c. consensit in fratrem Antonium &c.

Domnus Natalis prior Camaldulini de prope Veronam procurator domni Antonii prioris sancte Marie de Prodano &c. consensit in fratrem Antonium &c.

Domnus Marcus prior sancti Johannis evangeliste de Foro-livio consensit in fratrem Antonium &c.

Domnus Hilarianus prior monasterii sancte Marie de Vallibus diocesis Perusine consensit in fratrem Antonium &c.

Domnus Angelus Major, domnus Franciscus de Puppio, & domnus Guaspar de Alamannia procuratores domni Leonardi de Udine prioris monasterii sancti Gothardi &c. consenserunt domnus Angelus & domnus Franciscus in fratrem Antonium &c. & domnus Guaspar in fratrem Raphaelem priorem sancti Benedicti de prope Florentiam &c.

Domnus Bartholomeus abbas sancte Jucunde de sancto Miniate procurator &c. domni Jacobi prioris sancti Andree de Buscione &c. consensit in fratrem Antonium &c.

Domnus Natalis prior Camaldulini de prope Veronam procurator domni Hieronymi de Venetiis prioris sancte Marie de Orbisio Paduane diocesis &c. consensit in fratrem Antonium &c.

Domnus Angelus Major &c. procurator fratris Blasii prioris monasterii sancti Antonii de Scandalone diocesis Florentine &c. consensit in fratrem Antonium &c.

Domnus Bartholomeus de Venetiis prior sancte Marie de Castro-caro &c. consensit in fratrem Antonium &c.

Domnus Petrus prior Camaldulini de Bononia procurator &c. domne Petre abbatisse sancte Christine de Bononia &c. consensit in fratrem Antonium &c.

Domnus Sebastianus abbas sancti Salvatoris Camalduli-Florentini procurator domne Agnesie abbatisse sancti Petri de Luco &c. consensit in fratrem Antonium &c.

Domnus Bartholomeus abbas sancte Jucunde de Sancto-miniate procurator domne Agathe abbatisse sancti Johannis evangeliste de Prato-veteri &c. concessit in fratrem Antonium &c.

Domnus Antonius abbas sancti Andree de Candiculis procurator domne Jacobe abbatisse sancti Johannis evangeliste de Boldrone &c. consensit in fratrem Antonium &c.

Domnus Laurentius abbas sancti Petri de Cerreto procurator domne Bartholomee abbatisse sancte Marie de Querceto &c. consensit in fratrem Antonium &c.

Domnus Bartholomeus de Venetiis prior sancte Marie de Castro-caro procurator domne Vangeliste abbatisse sancti Mamiliani de prope Senas &c. consensit in fratrem Antonium &c.

Domnus Laurentius abbas sancti Petri de Cerreto procurator domne Lise abbatisse sancti Georgii de Apibus de Senis &c. consensit in fratrem Antonium &c.

Quibus quidem &c. perscrutatis, incontinenti &c. & ipsis electoribus in suis permanentibus locis ipsi dicti domnus Angelus Major &c. domnus Dominicus &c. & domnus Sebastianus &c. scrutatores prefati, de loco, ubi scrutinium fecerant, recedentes ad alios supra-

no-

nominatos de dicto capitulo redierunt ; & mox in communi voto eadem sollemniter publicarunt. Quibus quidem publicatis incontinenti de mandato & expresso consensu & voluntate dictorum aliorum scrutatorum etiam dicti capituli, & omnium singulorum de dicto capitulo ibidem presentium &c. dictus domnus Angelus Major &c. collationem fecit numeri ad numerum &c. per quam collationem sic diligenter factam repertum est ven. patrem domnum Antonium olim domini Johannis dal Ferro de Parma abbatem monasterii sancte Marie de Vangadicia diocesis Adriensis fuisse & esse electum & nominatum a majori & saniori parte dicti capituli in priorem dicte Camaldulensis eremi, & totius ejusdem ordinis generalem, &c. Quibus auditis & intellectis omnes de capitulo antedicto de provida votorum directione, electione & nominatione dicti prioris generalis gratulanter Deo laudes devotis precibus concinerunt ; & omnia & singula predicta modo & forma predictis celebrata de persona predicti domni Antonii, ac electionem ipsius prioris generalis unanimiter & concorditer approbaverunt &c.

Post que immediate &c. prelibatus & religiosus vir domnus Angelus Major &c. nomine totius dicti capituli & de ejus mandato &c. ad honorem Dei & beate Marie virginis, beatorumque patrum dicti ordinis sanctorum Benedicti & Romualdi, atque Donati & omnium Sanctorum, & nominatim sancti Salvatoris, cujus vocabulo dicta ecclesia sancte Camaldulensis eremi noscitur insignita, gloriosissimique Clementis martyris & confessoris, cujus festum hodie celebratur, & ad reverentiam, augmentum & exaltationem sancte Matris ecclesie, & sanctissimi & beatissimi in Christo patris & domini domini Johannis divina Dei providentia pape XXIII. ejusdem generalis pastoris, necnon ad honorem utilitatem & devotionis augmentum sacre eremi Camaldulensis, & statum pacificum, & profectum, & ejusdem ordinis universi prefatum ven. patrem domnum Antonium abbatem monasterii sancte Marie de Vangadicia diocesis Adriensis predictum virum utique providum & discretum vite laudabilis & conversationis honeste, literarum scientia, moribus, & virtuosis actibus commendandum, in spiritualibus & temporalibus plurimum circumspectum, in sacerdotio & etate legitima constitutum, & dictum ordinem expresse professum, ac de legitimo matrimonio procreatum, & regularem vitam expertum, atque illius plenissime instructum sollemniter elegit in priorem sancte Camaldulensis eremi predicte & totius ejusdem ordinis generalem dicendo: In nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti, amen. Cum vacante prioratu sacre Camaldulensis eremi & ipsius ejusdem ordinis generalatu, vocatis, qui fuerant evocandi, & presentibus die prefixa omnibus, qui debuerunt, voluerunt & potuerunt commode interesse, placuitque omnibus per formam scrutinii illi sic vacanti providere, factoque scrutinio juxta formam concilii generalis, ac eo publicato & collatione facta diligenti, repertum sit majorem & saniorem partem totius capituli direxisse in reverendum patrem domnum Antonium olim domni Johannis dal Ferro de Parma abbatem &c. *ut supra*, vota sua, virum utique omni virtutum munere redimitum, ut prefertur, qualificatum. Iccirco ergo frater Angelus Major &c. nomine mei, & vice & nomine totius dicti capituli eligo ipsum rev. patrem domnum Antonium abbatem &c. in priorem dicte Camaldulensis eremi, & totius ejusdem ordinis generalem. Electione autem hujusmodi sic celebrata eam omnes & singuli de dicto capitulo nemine discrepante sponte & libere approbaverunt, & cantando alta voce: *Te Deum laudamus*, dictum electum ad locum consuetum deportarunt, eumdem inthronizantes juxta morem & ipsius ordinis instituta. Et exinde ipse domnus Angelus memoratus ipsam electionem omnibus & singulis tam religiosis, quam secularibus illuc audita dicta electione confluentibus sollemniter publicavit. Acta sunt hec in dicta ecclesia sancti Salvatoris in dicta Camaldulensi eremo anno, indictione, pontificatu, & die predictis, & presentibus dictis &c. testibus &c.

Item incontinenti post predicta, presentibus &c. ipsis omnibus de capitulo antedicto, &c. & testibus antedictis &c. religiosus vir domnus Angelus Major &c. nomine totius dicti capituli constitutus personaliter in presentia rev. patris domni Antonii predicti electi in priorem &c. presentavit sibi domno Antonio electo predicto presenti quoddam instrumentum manu mei Guidonis notarii infrascripti confectum, continens processum electionis predicte de eo celebrate, & supplicavit eidem, quatenus dicte electioni suum prestet assensum. Qui domnus Antonius electus antedictus respondit,

pondit, quod deliberare volebat, & deliberatione habita, responderet, rogansque me Guidonem notarium infrascriptum, ut de predictis publicum conficerem instrumentum.

Item postea eadem die & loco & presentibus dictis *&c.* & post plurium & plurium horarum intervallum constitutus idem domnus Angelus Major *&c.* coram dicto rev. patre domno Antonio iterum & de novo instanter & suppliciter petiit vice & nomine prefatis, ut dicte electioni de sancta tanta concordia celebrate ob Dei reverentiam & ipsius ordinis utilitatem consentire deberet; & ipse domnus Antonius diu reluctans tandem *&c.*.... quod non bene faciebat, & divine & totius dicti capituli resistere voluntati devictus instantia, nolens divine resistere voluntati, in nomine Domini & individue Trinitatis & Virginis gloriose, beatorumque Benedicti, Romualdi, Donati, Salvatoris ac Clementis & celestis totius curie triumphantis, & reverentiam sanctissimi domini nostri domini Johannis papa XXIII. electioni predicte devote & humiliter consensit; rogans me Guidonem notarium infrascriptum, ut de predictis publicum conficerem instrumentum.

Post que immediate *&c.* universi prelati, eremite & monachi, qui ad ipsum capitulum convenerunt *&c.* unusquisque de per se humiliter & devote & leto vultu genuflexerunt se coram dicto domno Antonio electo predicto *&c.* & deosculando eidem manum dexteram secundum consuetudinem hactenus observatam, cum electus in priorem dicte sancte Camaldulensis eremi, postquam electionem acceptavit juxta apostolici privilegii tenorem & ipsius ordinis Camaldulensis instituta, mox libere administret, fecerunt & promiserunt reverentiam & obedientiam secundum regulam sancti Benedicti & dicti ordinis instituta; rogantes me Guidonem notarium infrascriptum.

† Et ego Guido olim Jacobi Guidonis de Pratoveteri Florentinus civis & publicus imperiali auctoritate notarius atque ordinarius judex, & nunc predictorum eremitarum, prelatorum & capituli notarius atque scriba ad hec specialiter deputatus predictis omnibus *&c.* interfui *&c.* scripsi & publicavi *&c.*

LXXXIX.

Gregorius XII. *eligit in visitatorem & reformatorem totius congregationis Michaelem abbatem S. Zenonis Pisarum.*

Anno 1411. III. nonas martii.

Ex tabulario S. Hippolyti de Faventia.

IN Christi nomine, amen. Anno a nativitate ejusdem M. CCCC. XI. indictione IV. die martis ultimo mensis junii tempore pontificatus domini Gregorii pape XII. rev. in Christo pater & dominus frater Michael abbas monasterii sancti Zenonis ordinis Camaldulensis generalis vicarius dicti ordinis & per sedem apostolicam specialiter deputatus, necnon visitator, corrector & reformator dicti ordinis, & omnium & singularum personarum, provinciarum, conventuum, monasteriorum, atque locorum, tam virorum, quam feminarum ipsius ordinis ubique consistentium per sedem apostolicam specialiter deputatus, de cujus mandato constat plenarie per literas apostolicas tenore Romane curie communitas cum bulla plumbea ad cordulam canipe pendente; quarum literarum & mandati tenor talis est. Gregorius episcopus servus servorum Dei dilecto filio Michaeli abbati monasterii sancti Zenonis de Pisis ordinis Camaldulensis generali vicario dicti ordinis secundum morem ipsius per sedem apostolicam deputato salutem & apostolicam benedictionem. Pii patris more filiorum salutem totis sensibus exoptans cura sollicita & vigilanti studio excubamus, nostramque diligentiam apponimus circumspecte, ne malitia perversorum iidem filii a sinceritatis & veritatis tramite in erroris devia abducantur, & licet ipsa sollicitudo nobis universalis incumbat, de ordine tamen Camaldulensi in eo studiosius cogitamus, qui ipsum singulari quodam favore caritatis amplectimur. Cum itaque, sicut accepimus, ordo ipse ex aliquorum defectibus magna reformatione indigere noscatur, nos cupientes sinceris affectibus desuper providere, ut ordo prefatus salubriter & bene regatur, & in ea, qua convenit, sinceritatis & devotionis amenitate continuet & perseveret, & de tua fide & religionis ardore, literarum scientia, ac vite & morum honestate aliisque virtutum donis, quibus personam tuam longa rerum experientia ab Altissimo nosci-

noscimus insignitam, sumentes in domino fiduciam specialem, & sperantes, quod ea, quæ tibi duxerimus committenda, prudenter, fideliter & laudabiliter exequaris, omnesque tuos actus ad cultum Dei omnipotentis, & honorem ecclesie sue sancte, ac sedis apostolice, atque nostrum, & ipsius ordinis commoditatem & salutem, tota mente deducas, te vicarium generalem dicti ordinis Camaldulensis usque ad nostrum beneplacitum, auctoritate apostolica, tenore presentium facimus, constituimus & deputamus, tibi ordinem prefatum, ac omnes & singulas personas, provincias, conventus, monasteria, atque loca tam virorum, quam feminarum ipsius ordinis ubique consistentia dicto beneplacito durante, regendi & gubernandi, ac provincias, conventus & monasteria prefata tam in capite quam in membris visitandi, officiales instituendi ac amovendi & revocandi, ac ea, que pro correctione & reformatione hujusmodi provinciarum, conventuum, monasteriorum & locorum ac personarum expedire cognoveris, corrigendi & reformandi, necnon commissarios, vicarios ac alios officiales, prout tibi videbitur, creandi, capitulum quoque generale dicti ordinis convocandi atque celebrandi, electionemque generalis cum opportunum fuerit, faciendi, vocesque supplendi, ac omnia & singula, que prior generalis ordinis prelibati ex quacumque auctoritate facere potest, tam per te, quam per alium agendi & exercendi, que ad hujusmodi vicariatus officium & bonum dicti ordinis cognoveris pertinere; contradictores quoslibet & rebelles auctoritate nostra appellatione postposita compescendo, invocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis, plenam & liberam eadem auctoritate tenore presentium & ordinis facultatem, volentes & expresse tenore presentium statuentes, quod quidquid per te vel alium circa predicta seu alia tangentia hujusmodi vicariatus officium ordinaveris seu feceris, ab aliquo sede apostolica inferiore cujuscumque auctoritatis, dignitatis, status ac potestatis existat, impediri nequeat quomodolibet vel infringi. Mandantes insuper dilectis filiis abbatibus, prioribus, vicariis, & fratribus & abbatissis, monialibus, hospitalariis & aliis universis dicti ordinis, cujuscumque gradus vel preeminentie sint vel fuerint, ut tibi in omnibus ad predicta seu alia spectantia ad hujusmodi vicariatus officium plene pareant & intendant. Non obstantibus si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, & quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, que per eos ordinata fuerint seu facta a quocumque sede apostolica inferiore cujuscumque auctoritatis, dignitatis, status vel potestatis existat, impediri non valeant vel infringi, & aliis indultis apostolicis cujuscumque tenoris sint, que hujusmodi vicariatui tuo in nullo volumus derogare, aut aliis contrariis quibuscumque. Tu igitur officium tuum devota recipiens reverentia, sic illud diligenter fideliter & prudenter exequi studeas, ut speramus, quod exinde fructus proveniant exoptati. Tuque apud nos & sedem ipsam cum dicti tui ordinis gloria commenderis & eterne retributionis gloriam consequaris. Datum Cajete III. nonas martii pontificatus nostri anno V. M. de Strata. J. de Curia. Jo. de Mata. Visa namque dicta commissione & mandato apostolico & visa privatione per ipsum facta de domino fratre Ugolino de Roncho de Faventia olim abbate dicti monasterii, de qua privatione constat &c. ita quod dicta abbatia & monasterium vacat abbate & rectore &c. Christi nomine invocato &c. creavit &c. ven. virum dominum fratrem Masium quondam Peruccii de Magloriis de Faventia fratrem & monachum dicti monasterii presentem & humiliter acceptantem, vicarium, gubernatorem, &c. in spiritualibus & temporalibus generalem dicti monasterii & abbatie &c. cum omni plenitudine juris canonici.

Ego Ugolinus filius Johannis de Pedronibus de Lugo notarius Faventinus publicus imperiali auctoritate & judex ordinarius &c. scripsi & publicavi.

XC.

Testamentum B. Danielis ex nobili gente de Ungrispach oblati monasterii S. Mathiæ de Muriano.

Anno 1411. XVI. septembris.

Ex chartulario monasterii S. Mathiæ.

IN Christi nomine, amen. Anno Domini nostri Jesu Christi M. CCCC. XI. indictione IV. die XVI. mensis septembris in Portunaone actum in domo testatoris infrascripti, presentibus venerabili viro domino presbytero Antonio capellano ecclesie sancte Marie de Portunaone, magistris Dominico & Antonio fra-

fratribus & filiis quondam ser Johannis de Armentariis, Jacobo quondam Angulen. magistro Paulo Saturatore quondam Flumiani de Speglimbergo in Portunaone habitante, Zanono & Bartholo fratribus & filiis quondam Jacobi a Zocho de Portunaone omnibus habitantibus in Portunaone testibus & aliis pluribus fide dignis ad hec vocatis, & ab ore proprio testatoris infrascripti rogatis. Si legales sanctiones non providissent, & voluntates ultime testatorum ordine juridico disposite fortitudinem non obtinerent, bona emigrantium plerumq ue, ad quos nollent, contingeret pervenire. Unde nobilis & prudens vir dominus Daniel quondam nobilis viri domini Nicolusii de Ungrispach in Portunaone habitator, volens post ejus obitum bona sua ad eos, quos desiderat pervenire, sane considerans, quod mortis discrimen nemo evadere potest, nec sui finis diem extremum cognoscere, hinc est, quod ipse dominus Daniel de Ungrispach per gratiam domini nostri Jesu Christi sanus mente, sensu & intellectu, ac in bona & perfecta valetudine mentis existens, primo tamen & ante omnia cassando ex nunc, revocando, irritando & annullando omnia & singula alia sua testamenta, codicilla, dispositiones, ordinationes & ultimas voluntates usque ad diem presentem per ipsum qualitercumque & quocumque excepto in hoc ultimo & presenti testamento condita & conditas, ac facta & factas, & scripta ac scriptas cujusvis notarii *&c.* presens nuncupativum suum ultimum testamentum sive scriptum, dispositionem & ordinationem in hunc modum facere procuravit. In primis quidem Deo altissimo, ejusque gloriose genitrici beatissime Marie semper virgini animam suam devote & corde contrito recommittens, suique corporis sepulturam sibi elegit & esse voluit in monasterio sancti Mathie de Murano de Venetiis; cujus quidem ecclesie ordini legavit jure legati pro anima sua ducatos centum auri, & ceram pro sepultura sua, videlicet quinque dupleria & candelotos viginti a manu. Item legavit eidem ordini librum Bibbie, item librum legendarum, item librum Sermonum sancti Augustini, qui libri fuerunt dicti monasterii, & iste prior vel alteri ejus predecessores habuerunt & habent literam unam scriptam per manum dicti testatoris de ducatis centum auri pro istis libris, quam literam voluit dictus testator esse vanam, cassam *&c.* que omnia legata predicta voluit dictus testator statim & ad presens per heredem suum infrascriptum solvi, hac tamen conditione, videlicet, quod singulis annis fratres dicti ordinis dicti monasterii sancti Mathie, qui nunc sunt, vel pro tempore erunt, teneantur & facere debeant perpetualiter suum anniversarium secundum exigentiam legati. Item voluit, jussit & legavit honeste domine Lucie ejus filie & uxori ser Jacobi de Spellatis de Tarvisio libras centum solidorum parvorum jure institutionis atque jure legiptime & nature, volens de hiis fore tacitam & contentam, ac prohibens expresse dictus testator dictam dominam Luciam ejus filiam de dicta hereditate Falcidiam & Trebellianam non detrahere, prout asserebat dictus testator contineri in pactis dotalibus ipsius domine Lucie. In fine autem ipsius testamenti sic continetur. In omnibus autem aliis suis bonis mobilibus & immobilibus, juribus & actionibus quibuscumque presentibus & futuris sibi heredem universalem instituit nobilem & honestam dominam Ursinam ejus uxorem, & filiam quondam circumspecti viri ser Johannis Marini de Richeriis de Portunaone. Et hanc siquidem asseruit ipse testator, & esse voluit suam ultimam voluntatem & suum ultimum testamentum, quod & quam valere voluit, & prevalere ordinavit ceteris aliis suis ultimis testamentis, dispositionibus hactenus per ipsum conditis, factis, dispositis aut ordinatis, & valere voluit & ordinavit jure testamenti; & si jure testamenti non valeret, voluit valere jure codicillorum; & si jure codicillorum valere non posset, valeat jure donationis ex causa mortis, & quocumque alio jure ultime voluntatis & dispositionis, quo melius valere & tenere possit. Dans quoque dictus testator mihi notario infrascripto licentiam conficiendi dictum testamentum de consilio sapientium ad plenum non variando, nec mutando tenorem.

Et ego Johannes quondam ser Johannis de Arliotis de Portunaone publicus imperiali auctoritate notarius his omnibus interfui, & rogatus scribere scripsi.

XCI.

Johannes abbas Montis-christi instituit presbyterum Orsellum in rectorem ecclesiarum S. Pauli de Juncheto & S. Petri de Bisceno in insula Corsicæ.

Anno 1412. XXII. aprilis.

Ex veteri codice S. Michaelis in Burgo Pisarum.

IN Christi nomine, amen. Omnibus pateat hanc paginam inspecturis, quod nos Johannes olim item Johannis de Pisis ordinis Gamaldulensis Dei gratia abbas abbatie sancti Mamiliani de Monte-Christo habitator Plumbini in ecclesia sancti Anthini dilecto nobis in Christo fratri presbytero Orsello Johannucelli abbati de Ortuj insule Corsice salutem & sinceram in Domino caritatem. Vestra probitatis virtute, quibus vos nostris amicabiles redditis conspectibus, exhortamur, ut vobis reddamur ad gratiam liberales. Quapropter vacante nunc abbatia sancti Pauli de Juncheto insule Corsice, & ecclesia sancti Petri de Bisceno dicte insule nostre prefate abbatie supposite & censuarie per mortem ven. viri Joadatutti vestri germani ultimi abbatis dicte abbatie sancti Pauli, & ecclesie sancti Petri, quarum institutio &c. ad nos pertinet &c. volentes, quod dicta abbatia & ecclesia prelibata propter diuturnam vacationem in spiritualibus & temporalibus aliquam non recipiat lesionem, cupientesque de idoneo abbate dicte abbatie & rectore congruo dicte ecclesie celeriter providere, audita & intellecta commendabili fama vestra, & habita super his diligenti & matura consideratione una cum religioso viro domno Bartholomeo Ugolini unico suprascripte abbatie sancti Mamiliani monacho, & cum ipsius domni Bartholomei consensu &c. vos presbyterum Orsellum prelibatum absentem tamquam presentem abbatem supradicte abbatie sancti Pauli de Juncheto, & rectorem ac gubernatorem dicte ecclesie sancti Petri episcopatus Adjacensis omni via, jure &c. constituimus &c. cum omnibus juribus &c. oneribus &c. committentes vobis presbytero Orsello vices nostras & omnia & singula &c. spectantia &c. pro censu librarum sex cum dimidia monete Corsesche, qui census &c. annuatim per vos presbyterum Orsellum solvi debeat pro censu & reddditu dicte abbatie & dicte ecclesie nobis, & seu nostro sindico vel procuratori & seu successoribus nostris in calendis maji in terra, & seu villa Bigulie insule Corsice, & quem quidem censum & redditum nobis annuatim integraliter reservamus; quocirca ven. viro presbytero Galeazzo plebano ecclesie sancti Johannis de Taglia dicte insule Corsice precamur & committimus vos presbyterum Orsellum & seu vestrum procuratorem vestro nomine in corporalem possessionem dictarum abbatie & ecclesie &c. inducat &c. & ad majorem fidem & cautelam presentem concessionem scribere fecimus &c. a Soldano notario infrascripto &c. Actum Plumbini in ecclesia sancti Anthimi de Plumbino, presentibus Andrea olim Manuccii de Bonifacio, & Antonino Ferrari de dicto loco habitatoribus Plumbini, & Miliano olim Prectorii de Plumbino testibus ad hoc vocatis & rogatis Dominice incarnationis anno M. CCCC. XII. indictione V. secundum cursum & consuetudinem terre Plumbini die XXII. aprilis.

Et ego Soldanus filius Nicolai Peruccii de Plumbino &c. notarius &c. scripsi & publicavi.

XCII.

Abbatissa Prati-veteris visitat suum monasterium S. Benedicti de Arretio.

Anno 1412. XXX. julii.

Ex autographo Prati-veteris. n. 269.

IN Dei nomine, amen. Anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi M. CCCC. XII. indictione V. sanctissimo in Christo patre & domino donno Johanne divina providentia papa XXIII. residente die XXX. mensis julij. Sit omnibus & singulis manifestum, quod in presenti dicta die ven. & egregia domina donna Agatha olim Bastardi de Prato-veteri Fesulane diocesis abbatissa monasterii sancti Johannis de Prato-veteri predicti ordinis Camaldulensis quasi hora vespertina cum magno apparatu & comitiva prelatorum & monachorum dicti ordinis applicuit personaliter monasterio sancti Benedicti de Aretio sui dominii utilis & directi, ac proprietatis, ut ostendit cum publicis documentis, juribus & privilegiis, que documenta &c. dompnus Hieronymus Ægidii de Florentia decretorum doctor abbas monasterii sancte Marie de Dicciano & dicti ordinis generalis

lis vicarius vidit, legit & examinavit, afferens ipsa domina abbatissa, quod ad dictum monasterium sancti Benedicti venerat causa & occasione visitandi, corrigendi & puniendi moniales subditas suas existentes in dicto monasterio sancti Benedicti, ac etiam causa reformandi ipsum monasterium, prout ad eam pertinet & spectat, & pertinuit & spectavit a ducentis annis citra omnibus & singulis abbatissis preteritis & in dicto tempore existentibus ipsorum monasteriorum, vigore jurium, privilegiorum *&c.* probantium, qualiter abbatissa, capitulum & conventus monasterii sancti Johannis de Pratoveteri *&c.* jam sunt ducenti anni elapsi de suis propriis pecuniis, terris & bonis construxerunt & edificaverunt dictum monasterium sancti Benedicti, & ad vitam regularem ipsum ordinaverunt de familiis, monialibus & personis ipsius monasterii sancti Johannis, & sic tenuerunt *&c.* dicta jura, ac etiam institutionem & destitutionem priorisse claustralis, & transmissionem monacharum ad dictum monasterium sancti Benedicti de monasterio sancti Johannis predicto, & de ipso monasterio sancti Benedicti ad monasterium sancti Johannis: Et quod dicte moniales existentes in dicto monasterio sancti Benedicti ita eligunt & de jure elegerunt abbatissas vacante dicto monasterio sancti Johannis, quemadmodum ipse de Prato-veteri: Et quod dicta abbatissa, capitulum & conventus de Prato-veteri habet ita utile & directum dominium ipsius monasterii, quemadmodum & illius de Pratoveteri; & ita abbatissa Prati-veteris est domina monasterii sancti Benedicti predicti & bonorum spiritualium & temporalium ipsius, quemadmodum est illius de Prato-veteri, & ita regit & gubernat, & regere & gubernare de jure constituit inconcusse a dicto tempore citra monasterium sancti Benedicti, quemadmodum & illud de Prato-veteri: Et quod licet distantia sint ipsa duo monasteria, tamen pro uno eodemque fuerunt & sunt, cum ipsa abbatissa de Prato-veteri *&c.* a ducentis annis citra rexit & gubernavit dictum monasterium sancti Benedicti per priorissam claustralem, & quandoque per se ipsam, quando abbatissa de Prato-veteri potuit personaliter se transferre ad dictum monasterium sancti Benedicti: Et quod illud ipsa abbatissa equaliter potest in uno quidem, in reliquo & pariter id in utroque, de quibus juribus in tota dicta religione & ordine Camaldulensi apud sane mentis aliquem nulla fuit dubitatio, sed omnia & singula supradicta & alia multa jura ipsius monasterii de Prato-veteri que habuit & habet, tenuit & tenet, possedit & possidet in ipso monasterio sancti Benedicti notoria sunt apud omnes de dicto ordine, qui peritiam & notitiam habere potuerunt & habuerunt, & habuerunt regimen ipsorum duorum monasteriorum & monialium predictorum: & quod predicta jura & alia multa ab eis dependentibus, & ipsis connexis habuerunt, tenuerunt & inconcusse possederunt dicte abbatisse, capitulum & conventus de Prato-veteri, scientibus, patientibus, permittentibus & concedentibus omnibus & singulis generalibus, qui pro tempore fuerunt in ipso ordine Camaldulensi, & capitulis generalibus & visitatoribus dicti ordinis, & nuper aliquis predictorum, a ducentis annis citra, contra predicta jura ipsius monasterii de Prato-veteri ausus non est aliquid attentare, immo potius illa omnia & singula supradicta jura ratificaverunt, confirmaverunt & approbaverunt, & maxime tempore generalis Andree in capitulo generali dicti ordinis celebrato in monasterio Fontis-boni prope sanctam eremum Camaldulensem anno Domini a nativitate Domini nostri Jesu Christi M. CCCC. VII. indictione XV. die primo mensis junii residente in papatu donno Gregorio papa XII. ipse donnus generalis Andreas & definitores dicti capituli generalis definierunt, declaraverunt & sententiaverunt unanimiter & concorditer ipsum monasterium sancti Benedicti pertinere & spectare pleno jure in spiritualibus & temporalibus ad dictum monasterium de Prato-veteri, & ipsum monasterium de Prato-veteri & abbatissam pro tempore existentem, capitulum & conventum ipsius omnia & singula suprascripta jura habuisse & habere debere in dicto monasterio sancti Benedicti. Et annullaverunt & cassaverunt & revocaverunt omnes & singulas gratias impetratas per olim donnam Claram priorissam ipsius monasterii sancti Benedicti institutam & transmissam per abbatissam, capitulum & conventum dicti monasterii sancti Johannis, & per suas complices, que se rebellaverunt tempore sancte memorie donni Bonifacii pape IX. licet ipse idem summus pontifex revocaverit, cassaverit & annullaverit concessionem libertatis & exemptionis facte ipsis de sancto Benedicto, & quoddam laudum latum & promulgatum per quemdam dompnum Bonum Pauli olim priorem sancti Clementis de Arretio dicti ordinis, & voluerunt

runt

runt ipse donnus generalis & definitores, quod non obstantibus predictis ipsum monasterium sancti Benedicti esset juris & proprietatis illius de Prato-veteri, & quod per abbatissam & moniales de Prato-veteri dictum monasterium sancti Benedicti deberet regi & gubernari, reformari & disponi perpetuis temporibus, prout etiam sic ordinaverunt & statuerunt alii predecessores ipsius generalis Andree in ipso ordine; & etiam domni episcopi Aretini pro tempore existentes certa privilegia & jura concesserunt ipsi monasterio de Prato-veteri, & ipsi monasterio sancti Benedicti tamquam uni & eidem corpori, licet illud de Prato-veteri sit principale tamquam construens & edificans, & illud sancti Benedicti tamquam constructum & edificatum. Et proposuit dicta donna abbatissa coram ipso donno vicario ibidem sedente pro tribunali, quod tres tantum erant moniales in dicto monasterio sancti Benedicti rebelles, inobedientes & contumaces ipsi donne abbatisse, capitulo & conventui monasterii de Prato-veteri, & quod steterant in manifesta & notoria rebellione multo tempore, videlicet donna Magdalena Luchini, donna Benedicta Cecchi, & donna Johanna Bartholomei omnes de Arretio, & petiit a dicto donno vicario, quod faceret servari a dictis tribus rebellibus dictam definitionem, declarationem & sententiam ipsius capituli generalis & alia jura, que coram eo produxit manifeste in presentia mei notarii & testium infrascriptorum; qui donnus vicarius auditis predictis, visis &c. interrogavit dictas tres moniales, videlicet Magdalenam, Benedictam & Johannam ibidem existentes in choro in presentia monialium ipsius monasterii sancti Johannis, & sancti Benedicti, que erant ibi congregate & pervente cum dicta abbatissa & infrascriptorum prelatorum & monachorum de dicto ordine, si intellexerant dicta narrata & petita per ipsam donnam abbatissam de Prato-veteri in qualibet sui parte superius recitata, & si volebant recognoscere dictam donnam abbatissam in suam donnam & prelatam, & succedentes in ejus locum, & eidem parere, & obedire in omnibus pertinentibus ad observantiam jurium superius recitatorum, narratorum & productorum, & recipere correctionem & penitentiam de rebellionibus hactenus factis per eas, & exhortatus est eas ad bonum pacis, tranquillitatis, obedientie & reverentie ipsius donne abbatisse &c. de Prato-veteri per verba exhortatoria, ut decet superiorem suas subditas ad bonum exhortari. Que Magdalena, Benedicta & Johanna lacrymabiliter respondentes dixerunt, quod eas penitebat dictam rebellionem fecisse contra determinationem, & definitionem & sententiam dicti capituli generalis, & Generalis & definitorum ejusdem, & contra alia jura superius narrata, & eis ad plenam intelligentiam vulgariter recitata, addentes, quod parate erant eidem donne abbatisse parere & obedire, ut sue proprie & immediate prelate, & donne Elisabeth priorisse dicti monasterii sancti Benedicti, & renuntiare liti &c. privilegiis &c. ac promittere & servare eidem abbatisse, & etiam dicte donne Elisabeth priorisse prestare quodlibet genus juramenti in predictis & circa predicta opportunum, utile, stabile, firmum & necessarium; & presente dicto domino vicario autorizante, & consentiente ipsa domna Magdalena, domna Benedicta & Johanna ad sonum campanelle in dicta ecclesia ipsius monasterii sancti Benedicti congregate ad requisitionem ipsius domine abbatisse & ipsius domini vicarii, que faciebant presens totum capitulum dictarum rebellantium ipsius monasterii sancti Benedicti, sponte, deliberate, libere, voluntarie & ex certa scientia juraverunt ad sancta Dei evangelia, manu tactis sacris scripturis ad relationem dicte domine abbatisse & dicte priorisse super uno breviario in manibus ipsius domine abbatisse & consequenter in manibus ipsius donne Elisabeth priorisse, servare, tenere, & defendere, honorare & statutum ipsius domne abbatisse, capituli & conventus monasterii sancti Johannis evangeliste de Prato-veteri, & dicte domne Elisabeth priorisse, & quod eidem domne abbatisse & priorisse, & earum succedentibus in dignitate abbatissatus, & officio priorissatus predictis, parebunt, obedient & acquiescent in omnibus & singulis pertinentibus ad observantiam regularem ipsorum sancti Johannis & sancti Benedicti, & ipsius ordinis Camaldulensis, & quod nunquam facient verbo vel facto contra obedientiam, reverentiam & honorem predictarum abbatisse & priorisse & succedentium in ipsis monasteriis in regimine ipsorum, & quod omnem penitentiam, disciplinam & correctionem, quas sibi & cuilibet earum faciet dicta abbatissa & dicta priorissa, prompto & voluntario affectu suscipiet, & suscipient & exequentur absque ulla contradictione, exceptione vel reclamatione; & quod dictam definitio-

finitionem ipsorum Generalis Andree & definitorum dicti generalis capituli celebrati, ut supra, semper tenebunt, servabunt & eidem parebunt in omnibus & singulis expressis, declaratis in instrumento ipsius definitionis scripto & publicato manu ser Guidonis Jacobi notarii publici, & in nullo contravenient *&c.* & quod semper tenebunt *&c.* abbatissam sancti Johannis de Prato-veteri esse abbatissam monasterii sancti Benedicti predicti; & quod dicta duo monasteria, videlicet sancti Johannis & sancti Benedicti, quantum ad gubernationem & dispositionem & regimen ipsius abbatisse sint unum & idem, prout semper fuerunt, & quod moniales existentes in ipso monasterio sancti Benedicti ita eligere debeant abbatissam, tempore vacationis ipsorum monasteriorum, quemadmodum & ille de Prato-veteri, prout semper elegerunt simul. Et immediate post dictum juramentum ipsa domina Magdalena sponte *&c.* renuntiavit subreptitio & fraudulento abbatissatui, quem se habere contenderat in judicio, asserens, quod malo, reprobo & detestabili consilio illum abbatissatum assumpserat, & renuntiavit etiam tam ipsa quam dicte sue complices & fautrices omnibus & singulis privilegiis, bullis *&c.* & maxime laudo dicti domni Boni arbitri supradicti & omnibus aliis *&c.* & questioni, que vertebatur coram dicto domino vicario inter procuratores ipsarum, videlicet ser Caroccium Jacobi de Puppio, & Angelum Lucchini de Aretio; & juraverunt iterum ad sancta Dei evangelia manu tactis Scripturis in manibus predictarum omnia & singula supradicta perpetuis temporibus firma & rata habere & tenere sub pena juramenti & perjurii. Que omnia & singula dictus dominus vicarius nomine totius dicti ordinis recepit & admisit, & mandavit eisdem Magdalene, Benedicte & Johanne & cuilibet earum ibidem presentibus *&c.* & consentientibus, quod omnia & singula supradicta perpetuis temporibus earum vite inviolabiliter servent sub pena carceris unius anni, & sub pena perjurii, quas eo ipso incurrent, si contrafecerint verbo vel facto per se, vel alium, seu alios; seu si aliqua earum contravenerit, illa prevaricatrix dictam penam incurrat, & rogaverunt me Guidinum notarium infrascriptum, ut de predictis *&c.* conficerem instrumentum.

Actum, dictum, factum, & grata fuerunt omnia & singula supradicta in civitate Aretii in ecclesia sancti Benedicti in choro dicte ecclesie, presentibus ven. & religiosis viris dompno Gregorio Bandini priore de Petra-ficta, dompno Francisco Johannis priore de Poppiena, dompno Guidone abbate sancti Michaelis de Aretio, dompno Paulo Nicolai, dompno Andrea Dei omnibus de ordine Camaldulensi, Angelo Barne de Civitate-castelli, & fratre Johanne Angeli de Bucena testibus ad predicta vocatis, habitis & rogatis.

Ego Guidinus filius olim ser Bartholomei quondam ser Damiani notarius de Aretio Imperiali auctoritate notarius & judex ordinarius omnibus & singulis, dum agerentur, interfui, & ea rogatus scripsi & publicavi *&c.*

XCIII.

Decretum Senatus Veneti, ne pignorentur res ecclesiarum & monasteriorum.

Anno 1412. XXVII. octobris.

Ex veteribus exemplis archivi S. Michaelis.

M. CCCC. XII. die XXVII. octobris pars capta in consilio Rogatorum.

Cum super omnia vera conscientia hominum esse debeat ad curam divini cultus & bonum ecclesiarum, & sic manifeste videtur per multos episcopos, abbates, plebanos, & alios ecclesiasticos, sepe pignorantur, venduntur aut dantur per alium modum res ecclesiarum, videlicet calices, cruces, libri & alie argenterie vel paramenta ecclesiarum cum magno damno & detrimento ecclesiarum, & verecundia terre nostre, & finaliter consumptione ecclesiarum predictarum, ad que secundum Deum & honestatem omnino providendum est; vadit pars, quod quicumque prestaverit pecuniam & acceperit in pignus & nomine signi vel pignoris de cetero aliquas res ecclesiarum, cruces, calices vel alias argentarias, sive libros, vel aliqua paramenta ecclesiarum aut monasteriorum fratrum, monachorum, monacharum aut ecclesiasticorum, sive vendiderit aliquam dictarum rerum, cadat ipso facto de duobus pro centenario, ad quem concessit aut exbursaverit, quod ulterius perdat totam pecuniam, quam concessisset super talibus pignoribus, aut quam solvisset pro dictis rebus monasteriorum vel aliarum ecclesiarum, & prelatis, episcopis, abbatibus, prioribus, abbatissis, plebanis vel aliis ecclesiasticis

non debeat dari aliquis favor neque auxilium, immo procedere aut providere contra ipsos, qui pignorassent secundum quod videbitur providendum. Et si per aliquam personam nomine predictorum foret pignoratum aliquid de predictis rebus ecclesiarum sive monasteriorum, cadant in illam eamdem penam, ad quam caderat ille, qui pignoraverat. Preterea quia pignorantur, sive dantur ad affictum multe possessiones & territoria monasteriorum per ministratores vel ecclesiarum ad magnum tempus, & cum damno & jactura ecclesiarum, aut venduntur vel obligantur diversis modis, ordinetur, quod imposterum possessiones & terrena monasteriorum vel ecclesiarum non possint ullo modo vel ingenio seu forma dari ad affictum ultra quam per tres annos, & nisi cum consensu procuratorum ecclesiarum seu monasteriorum sub tali pena, quod pactum non valeat, sed cadat ille, qui accepisset ad affictum per se vel aliam mediam personam possessionem, aut terrenum de libris quingentis in suis propriis bonis, salvo si affictaretur personis villarum, qui acciperent pro laborando ipsas possessiones aut terrena, & hoc possit fieri solum per tempus, videlicet ab annis quinque infra. Et insuper non possint possessiones tales vel terrena vendi, transactari, alienari aut donari, nisi cum consensu & declaratione hujus consilii Rogatorum, & intelligantur hec in Venetiis & extra in quibuscumque terris & locis communis Venetiarum, que omnia committantur inquirenda & examinanda advocatoribus communis super monasteriis & provisoribus communis, quibus primo facta fuerit accusa, qui habeant libertatem super hoc habentes partem, ut de aliis suis officiis, non revocando pro ea aliquam majorem stricturam, que reperiretur super hoc, & pro majori observatione nostre intentionis ex nunc captum sit, quod omnes illi, qui concesserunt super argenteriis, libris & aliis paramentis monasteriorum & ecclesiarum, se scribi ad cancellariam nostram infra unum mensem a die captionis presentis partis sub pena perdendi totam pecuniam, quam concessisset monasteriis aut ecclesiis *&c.* Et debeat cridari presens pars in locis, ut sit omnibus manifesta.

XCIV.

Johannes XXIII. unit monasterio S. Christinæ de Bononia alterum de Ponte-majori, ipsum separans a monasterio S. Gervasii de Bononia.

Anno 1413. VIII. mensis maji.

Ex authentico S. Christinæ de Bononia. F. I.

JOhannes episcopus servus servorum Dei dilecto filio .. priori sancti Gregorii prope Bononiam salutem & apostolicam benedictionem. Sacre religionis, sub qua dilecte in Christo filie abbatissa & conventus monasterii sancte Christine de Fundatia Bononie Camaldulensis ordinis sedulum & devotum exhibent Domino famulatum, promeretur honestas, ut petitionibus earum, presertim, que ipsius monasterii commoda respiciunt, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Sane pro parte dictarum abbatisse & conventus nobis nuper exhibita petitio continebat, quod cum olim monasterium beate Marie & sancti Andree de Ponte-majori prope Bononiam sancti Benedicti, tunc sancti Augustini ordinum infaustis guerrarum exitiis aliisque plurimis eatenus occursis discriminibus concussum ad irreparabilis desolationis obprobrium in spiritualibus & temporalibus laberetur, pro parte dilectarum in Christo filiarum abbatisse & conventus monasterii sanctorum Gervasii & Protasii Bononie sancti Benedicti, bone memorie Philippo tituli sancti Martini in montibus presbytero cardinali tunc administratori perpetuo in spiritualibus & temporalibus ecclesie Bononiensis, &, ut dicebatur, in partibus illis apostolice sedis legato per quondam Urbanum sextum in sua obedientia nominatum deputato exposito, quod ad restaurationem & relevationem status dicti monasterii sic desolati singularis gererent devotionis affectum, ac monasterium, si suo prefato monasterio in perpetuum incorporaretur, proponerent diligenter ab ingruentibus dispendiis relevare; idem Philippus monasterium ipsum desolatum, ut inde debite restaurationis consolationem reciperet, ad instantem ipsarum abbatisse & conventus supplicationem monasterio sanctorum Gervasii & Protasii predicto auctoritate sue legationis in perpetuum sub certis modis & formis tunc expressis univit & incorporavit, illumque, necnon re-

ligiosas & personas ejusdem de ordine sancti Augustini predicto ad ordinem sancti Benedicti, ac monasterium sanctorum Gervasii & Protasii predictos eadem auctoritate transtulit, ac nonnulla alia fecit, prout in eis super inde confectis literis dicitur plenius contineri. Et sicut etiam ex ejusdem tenore petitionis accepimus, scilicet unio ipsa postmodum fuerit effectum sortita, ipseque abbatissa & conventus monasterii sanctorum Gervasii & Protasii corporalem possessionem ipsius monasterii de Ponte-majori fuerint pacificam assecute, illamque diu tenuerint, prout tenent, non curaverunt tamen, prout neque curant ipsius monasterii statui decenter succurrere, nec speratur verisimiliter id posse sub earum manu fieri, cum etiam in suo proprio varia scandala sint exorta: fuit nobis humiliter supplicatum, ut unionem & incorporationem predictas dissolvere, necnon monasterium ipsum de Ponte-majori cum duabus ex monialibus translatis predictis, que dumtaxat impresentiarum supersunt, quarum etiam ad id accedit assensus, de ordine sancti Benedicti ad ordinem Camaldulensem & monasterium sancte Christine predictos transferre, necnon demum monasterium ipsum de Ponte-majori, cujus transitum cum omnibus juribus & pertinentiis suis monasterio sancte Christine prefato, cujus trecentorum florenorum auri secundum communem extimationem fructus, redditus & proventus, ut eadem abbatissa & conventus asserunt, valorem annuum non excedunt, imperpetuum incorporare, annectere & unire de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque de premissis certam notitiam non habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati discretioni tue, de qua in hiis & aliis specialem in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta mandamus, quatenus de premissis auctoritate nostra te diligenter informes, & si per informationem hujusmodi premissa repereris fore vera, super que tuam conscientiam oneramus, unionem & incorporationem predictas per prefatum cardinalem, ut premittitur, factas, auctoritate nostra dissolvas, revoces & annulles, easque decernas nullius imposterum existere roboris vel momenti. Et insuper monasterium de Ponte-majori, ac superstites ejus moniales predictas, ad prefatum ordinem Camaldulensem eadem auctoritate transferas, easque a dicto ordine sancti Benedicti ac ejus observantiis regularibus prorsus eximas, ac statuas & decernas monasterium & moniales hujusmodi in antea fore eidem ordini Camaldulensi perpetuo subjecta. Nec non & monasterium ipsum de Ponte-majori cum omnibus juribus & pertinentiis suis eidem monasterio sancte Christine auctoritate predicta in perpetuum incorpores, unias & annectas, ita quod liceat ex tunc eidem abbatisse & conventui monasterii sancte Christine per se, vel alium seu alios eorum nomine corporalem possessionem monasterii uniti, jurium & pertinentiarum predictorum etiam auctoritate propria apprehendere & perpetuo retinere, ejusque fructus, redditus & proventus libere percipere & habere, ac in suos & dicti uniendi monasterii usus convertere, diocesani loci & cujuslibet alterius licentia minime requisita. Ceterum si unionem, annexionem & incorporationem hujusmodi per te sic fieri contingat, tu per te vel alium seu alios moniales ipsas ad prefatum monasterium sancte Christine, sive sit in eo certus monialium numerus, sive non, auctoritate prefata transferas, easque inibi recipi facias in moniales & sorores, ac eis regularem habitum juxta ipsius monasterii sancte Christine consuetudinem exhiberi, ac eas sincera ibidem in Domino caritate tractari. Necnon de communibus ipsius monasterii sancte Christine proventibus, sicut singulis aliis ejusdem monasterii monialibus, integre provideri facias, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo; proviso tamen, quod ecclesia dicti monasterii ad prophanos usus velut hereditas minime transferatur. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus apostolicis, necnon statutis & consuetudinibus monasteriorum & ordinum predictorum, ac voluntatibus & ordinationibus fundatorum ipsius monasterii de Ponte-majori, ceterisque contrariis quibuscumque. Nos enim ex nunc irritum decernimus & inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Datum Rome apud sanctum Petrum VIII. idus maii pontificatus nostri anno tertio.

A. de Reate pro Bonanno.

R. Cossel.

XCV.

Idem unit monasterio Angelorum de Florentia monasterium S. Mariæ de Agnano.

Anno 1414. VII. id. junii.

Ex archivo S. Romualdi de Urbe. I. 9.

JOhannes episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Dilectis filiis .. priori & conventui monasterii sancte Marie de Angelis Florentin. per priorem soliti gubernari Camaldulensis ordinis salutem & apostolicam benedictionem. Sacre religionis, sub qua devotum & solitum exhibetis Domino famulatum, promeretur honestas, ut ea vobis favorabiliter concedamus, per que a debitorum & aliis oneribus relevare possitis, necnon quieti vestre utiliter valeat provideri. Sane sicut accepimus in monasterio vestro sancte Marie de Angelis Florentin. per priorem soliti gubernari Camaldulensis ordinis inter monachos, eremitas, conversos, commissos & familiares quinquaginta-duo vel circiter numero estis, ad quorum sustentationem tam in victu & vestitu, quam aliis necessitatibus vestris, necnon vestri monasterii ac ejus domus & sacristie conservatione annis singulis ad minus mille & quingenti Floreni auri sunt vobis necessarii, nec habetis in redditibus dicti monasterii ultra sexcentos Florenos auri, & in reliquis consueti fueritis de Christi-fidelium piis eleemosynis sustentari, & hujusmodi eleemosyne per aliqua retroacta tempora adeo diminute fuerunt & diminuantur, seu annichilentur propter publica onera civium Florentinorum, quod pro residuo hujusmodi vestrorum victus & necessitatum reliquarum infra octo annos proxime preteritos cum certis creditoribus debita duorum millium Florenorum auri contraxistis, in quibus adhuc in majori parte tenemini sub usuris, & nisi super hoc vobis per sedem apostolicam celeriter consulatur, vos inedia seu gravi paupertate coactos dictum monasterium exire, & utcumque sustentari valeatis, extra illud oporteat evagare, & si hoc fieret, quod absit, cederet in monasterii & ordinis prefatorum non modicum dedecus & gravamen. Cum, sicut accepimus, in monasterio sancte Marie de Agnano predicti ordinis Aretine diocesis abbas cum sex monachis tantum resideat seu existat, & si illud cum suis membris, juribus & pertinentiis omnibus dicto monasterio vestro perpetuo uniretur, per hoc vos & dictum monasterium vestrum possetis in premissis debitorum, & aliis vobis incumbentibus oneribus magnopere sublevari. Nos igitur, qui dictum vestrum monasterium & vos merito speciali caritate prosequimur, volentes vos favoribus prosequi gratiosis, ac in hujusmodi necessitatibus vestris paterna pietate de opportuno subventionis auxilio favorabiliter providere, motu proprio, non ad vestram vel alterius pro vobis nobis super hoc oblate petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate predictum monasterium sancte Marie de Agnano, cujus fructus, redditus, proventus octingentorum Florenorum auri secundum communem estimationem valorem annuum, ut asseritur, non excedunt, & cujus quidem monasterii sancte Marie de Agnano ecclesia parochialis existit, cum omnibus membris ac juribus & pertinentiis hujusmodi prefato monasterio vestro auctoritate apostolica tenore presentium in perpetuum incorporamus, annectimus & unimus, ita quoad cedentibus vel decedentibus eisdem abbate & monachis dictum monasterium sancte Marie de Agnano, vel exinde ad alium locum religiosum, vel ad alia loca religiosa canonice translatis, liceat vobis corporalem possessionem monasterii sancte Marie de Agnano jurisdictione spirituali & temporali per vos, vel alium vel alios libere apprehendere, necnon in usus vestros & dicti monasterii vestri in relevamen debitorum & aliorum onerum vobis incumbentium convertere, ac etiam dictam ecclesiam gubernari, & curam animarum parochianorum ipsius ecclesie exerceri facere per quatuor idoneos monachos predicti monasterii vestri ad solum nutum inibi ponendos & removendos pro tempore, seu prout hactenus per eosdem abbatem & monachos dicti monasterii sancte Marie de Agnano fieri consuevit, diocesani loci & cujuscumque alterius super hoc licentia minime requisita, & ex nunc ut incorporatio, annexio & unio predicte celerius suum sortiantur effectum, dignitatem abbatialem dicti monasterii sancte Marie de Agnano, sine tamen prejudicio ipsius abbatis, quoad vixerit, ut prefertur, aut quamdiu eum predicto monasterio sancte Marie de Agnano presidere contigerit, supprimimus, & suppressum esse censemus, ac volumus, quod de cetero nemo in monachum seu novitium per eosdem abbatem & mona-

chos monasterii sancte Marie de Agnano recipi debeat sive possit, quodque in eodem monasterio sancte Marie de Agnano & ipsius ecclesia deserviatur pro tempore laudabiliter in divinis, quodque vos ipsius monasterii beate Marie de Agnano onera consueta teneamini integre supportare, quodque eisdem abbati & monachis predicti monasterii sancte Marie de Agnano fructibus, redditibus, & proventibus antedictis pro eorum sustentatione per vos debeat congrue provideri; quodque si ex quacumque causa uniones monasteriorum & beneficiorum ecclesiasticorum quorumlibet cum cura & sine cura, apostolica vel alia quavis auctoritate factas vel faciendas eadem apostolica auctoritate imposterum in genere contingeret revocari, in eadem revocatione decernimus non includi, nec subintelligi incorporationem, annexionem & unionem vestras hujusmodi, nisi de illis in nomine prioris monasterii vestri predicti in revocatione predicta de verbo ad verbum fieret mentio specialis. Non obstantibus constitutionibus *&c.* Nulli ergo *&c.* Si quis *&c.* Datum apud sanctum Antonium extra muros Florentinos VII. idus junii pontificatus nostri anno quarto.

XCVI.

Moniales S. Petri de Luco eligunt rectorem ecclesiæ S. Georgii de Luco.

Anno 1416. xxix. maji.

Ex chartulario earumdem monialium. E. 28.

IN Dei nomine, amen. Anno ab incarnatione ejus M. CCCC. XVI. indictione nona die vigesima-nona mensis maji. Actum in ecclesia sancti Petri de Luco comitatus Florentie, presentibus testibus Angelo Guidi, Augustino olim Corsini, & Crano Guidi populi sancti Petri ad hec vocatis, habitis & rogatis. Universis & singulis presentes publicas paginas inspecturis sit publice manifestum, quod vacante nuper ecclesia sancti Georgii communis Luci, & plebatus plebis sancti Johannis-majoris de Mucello comitatus Florentie per renuntiationem domni Nicolai Petri monachi & eremite Camaldulensis de castro sancti Johannis Vallis-arni superioris, ultimi & immediati curati dicte ecclesie, quapropter convocatis & solemniter congregatis more solito & solemniter ad capitulum in loco solito infrascriptis monialibus *&c.* de mandato *&c.* domne Agnetis Francisci Lippi de Arretio abbatisse benemerite dicti monasterii *&c.* quarum quidem monialium nomina & prenomina sunt hec videlicet; domna Agnes Francisca de Lippi de Arretio abbatissa, soror Jacoba Ruggerii de Solis, soror Petra ser Johannis Pichi de Burgo-sancti-Sepulcri, soror Gabrielia Gerardi de Solis, soror Nicolosa Dominici de Ardinghellis, soror Blasia Michaelis de Michaelibus, soror Helena Raphaelis de Solis, soror Gherarda Martini de Casa, soror Angela Caruli de Guidalottis, soror Lucia Talducci de la Casa, omnes moniales conventuales ad presens existentes in dicto monasterio sancti Petri de Luco. Que quidem moniales sic convocate & coadunate in loco predicto asserentes & dicentes se esse & representare duas partes & ultra omnium monialium dicti monasterii *&c.* advertentes *&c.* quod ecclesia sancti Georgii de Luco ad presens vacat & caret gubernatore & rectore; & quia diutina vacatio semper fuit & est nociva *&c.* & considerantes, quod ad dictum monasterium sancti Petri supradicti, seu ad dictas moniales de antiqua & approbata consuetudine, & a tanto tempore citra, cujus memoria hominum non habetur, pertinuit & spectavit, & hodie pertinet & spectat electio & institutio rectoris in dicta ecclesia sancti Georgii, que nunc vacat; volentes ipsam ecclesiam de bono & idoneo rectore reformare, animadvertentes ad bonitatem & industriam religiosi & honesti viri domni Jacobi Petri de Burgo ad sanctum Sepulcrum dicti ordinis Camaldulensis sacris ordinibus decorati, & quia propter suam industriam & bonos mores dicta ecclesia sancti Georgii in spiritualibus & temporalibus bene & diligenter gubernabitur, & augmentabitur, pro se ipsis & qualibet earum in solidum *&c.* elegerunt & nominaverunt in rectorem & presbyterum dicte ecclesie sancti Georgii de Luco nunc vacantis dictum domnum Jacobum ibidem presentem *&c.* Et dederunt & concesserunt eidem domno Jacobo plenam licentiam *&c.* se presentandi coram discreto & honesto viro domino Johanne Azolini plebano sancti Johannis-majoris de Mucello predicto diocesis Florentine, ad quem dictum plebanum de antiqua & approbata consuetudine, & a tanto tempore citra, cujus memoria non existit, pertinet & spe-

spectat nomine dicte sue plebis, & pertinuit & spectavit institutio, confirmatio dicte ecclesie sancti Georgii de Luco dicti sui plebanatus, quando vacat & caret rectore, & ad petendum & humiliter supplicandum eidem domino plebano, quatenus dictum domnum Jacobum & dictam electionem de eo factam recipiat & admittat, & singula & alia faciat & exequatur ad predicta attinentia, & ut ipsi domino plebano magis videbitur expedire.

Item dictis anno, indictione & die xxx. maji actum in ecclesia sancte Agathe de Mucciano de Mucello predicto &c. suprascriptus domnus Jacobus Petri &c. petiit eidem domino plebano, ut dictam electionem de eo factam recipiat & admittat &c.

Qui dominus plebanus existens personaliter in eadem ecclesia sancte Agathe &c. elegit & nominavit in nuntium & pro nuntio Gerardum olim Simeonis de Rocca ibidem presentem &c. ut citet & requirat, & generalem visitationem & monitionem faciat, & ad fores janue dicte ecclesie dimittat cedulam eidem datam per dictum dominum plebanum & omnia faciat, que habebit in mandatum.

Qui Gherardus &c. ivit ad ecclesiam sancti Georgii &c. & fecit sicut habuit in mandatis.

Item &c. die IV. junii actum in ecclesia sancti Georgii de Luco &c. presentibus domno Michaele Giano monacho rectore sancte Marie de Puliciano de Mucello, presb. Johanne Sandri rectore ecclesie sancti Stephani de Grezano de Mucello predicto, & presb. Mariotto Andree capellano ecclesie sanctorum Jacobi & Philippi de Scarperia &c. dominus plebanus &c. ipsum domnum Jacobum instituit & confirmavit in rectorem dicte ecclesie sancti Georgii &c.

Ego Michael olim Barnabe de Michaelis de Scarparia civis Florentinus &c. judex ordinarius ac notarius &c. scripsi & publicavi.

XCVII.

Antiani Bononienses commendant priori S. Mathiæ de Muriano Jacobum de Poetis eorum civem pro prioratu S. Mariæ de Angelis prope Bononiam.

Anno 1418. IX. januarii.

Ex autographo archivi S. Mathiæ.

VEnerabilis amice noster carissime. Significamus vobis, quod contingente nunc vacatione monasterii sancte Marie de Angelis de prope Bononiam ordinis vestri Camaldulensis per obitum quondam domni Bartholomei de Prindipartibus de Bononia ultimi & immediati prioris monasterii prelibati, religiosus vir domnus Simon Justi de Vulterris dicti ordinis prior ecclesie sancti Damiani de ponte ferri Bononie dictique ordinis vicarius in his partibus, ad requisitionem & preces omnium monachorum ipsius monasterii, ac de consensu & bona deliberatione aliorum fratrum ipsius ordinis Bononie consistentium, pro iconomo & gubernatore dicti monasterii usque ad aliam provisionem vestram ordinavit ac deputavit honestum virum nostrum domnum Jacobum de Poetis dilectum civem nostrum Bononiensem, presbyterum dicti ordinis & ejusdem monasterii professum, tamquam personam gratissimam nobis, & toti huic populo, & pre ceteris aliis ejusdem ordinis monachis carum, benivolum & acceptum, ac consequenter aptissimum, sufficientem, idoneum, sinceriterque dispositum ad monasterium ipsum in spiritualibus & temporalibus gubernandum. Quare virtutes ipsius & sufficientiam sperimentaliter cognoscentes, & intuentes, quantum de ejus persona predicta dicti omnes monachi singulariter contentantur, quod etiam cedit ad specialissimam complacentiam nostre communitatis, que dictum prioratum & alia omnia ecclesiastica beneficia istius civitatis desiderosa est per cives Bononienses dumtaxat gubernari & regi, venerabilem amicitiam vestram affectuosius deprecamur, quatenus dictum prioratum gratiose conferre placeat domno Jacobo suprascripto, & quia ad presentiam vestram personaliter se conferre non potest, tamquam occupatus in sibi commisso iconomatu prefato, per opportunas vestras literas assignandas latori presentium commissionem plenariam facere, ac dicto domno Simoni, aut domno Petro de Sancto-Johanne priori sancte Marie de Camaldulino de prope Bononiam dicti ordinis, de conferendo eidem domno Jacobo auctoritate vestra prioratum hujusmodi cum omnibus juribus & pertinentiis suis cum facultate ipsum ponendi in tenutam & corporalem possessionem ecclesie & monasterii prefatorum, ac rerum, pertinentiarum & jurium omnium spiritualium & temporalium pertinentium ad monasterium antedictum, & alia faciendi desuper opportuna, sicut plene confidimus in prelibata amicitia vestra, quod cedet ad

nostram

nostram & totius civitatis complacentiam singularem. Offerentes nos semper ad omnia vota vestra. Datum Bononie die IX. januarii M. CCCC. XVIII.

Antiani, Consules &) Populi & Commu-
Vexillifer) nis Bononie.

Foris. Venerabili in christo patri domno Petro priori sancti Mathie de Murano ordinis Camaldulensis amico nostro carissimo.

XCVIII.

Lucidus card. de Comitibus instituit procuratores ad recipiendum prioratum SS. Trinitatis prope Perusium.

Anno 1418. XXI. februarii.

Ex autographo S. Blasii de Fabriano.

IN nomine Domini, amen. Universis & singulis presens instrumentum publicum inspecturis pateat evidenter, qualiter anno a nativitate Domini M. CCCC. XVIII. indictione XI. die lune XXI. mensis februarii pontificatus vero sanctissimi in Christo patris & domini nostri domini Martini divina providentia pape V. anno I. Reverendissimus in Christo pater & dominus dominus Lucidus miseratione divina sancte Marie in Cosmedin sancte Romane ecclesie diaconus cardinalis de Comite vulgariter nuncupatus, tamquam prior prioratus sancte Trinitatis ordinis Camaldulensis Perusine diocesis dicti prioratus nomine in mei notarii publici, testiumque infrascriptorum presentia personaliter constitutus &c. constituit &c. suos dicto nomine procuratores &c. dominos Nicolaum de Mercatellis licentiatum in decretis archipresbyterum ecclesie sancte Marie de Confinio Perusine diocesis ac literarum apostolicarum scriptorem ibidem presentem &c. & fer Johannem Marci priorem prioratus sancti Antonii de Perusio licet absentem &c. ad publicandum literas apostolicas &c. de & super prioratu sancte Trinitatis predicto nuper per mortem recolende memorie domini Francisci cardinalis Florentini vulgariter nuncupati apud sedem apostolicam defuncti vacante &c. & ad apprehendendam &c. dicti prioratus possessionem &c. pro prefato domino cardinale &c. Actum Constantie provincie Maguntine in domo residentie prefati domini cardinalis de Comite; presentibus domino Johanne de Tricareco literarum sacre penitentiarie scriptore, & domino Perutio de Pilleo canonico ecclesie Lateranensis, & Pasquali de Camplo secretario literarum ambasciatorum regine Sicilie testibus ad premissa vocatis specialiter & rogatis.

Et ego Cynus de Lambardis Morrone de Pisis imperiali autoritate judex ordinarius atque notarius, necnon curie camere apostolice scriba publicus &c. in publicam formam redegi.

XCIX.

Martinus V. unit prioratui S. Salvatoris de Verona alterum Camalduli Veronensis.

Anno 1418. XVII. kl. maji.

Ex regesto magno Vangaticiensi n. 120.

MArtinus episcopus servus servorum Dei dilecto filio.. abbati monasterii sancti Firmi majoris Veronensis salutem & apostolicam benedictionem. Regimini universalis presidentes ecclesie pro fidelium & presertim religiosorum quorumlibet statu salubriter dirigendo, prout ex debito nobis injuncti tenemur officii, sollicite considerationis intuitu libenter extendimus, & his, que pro illorum commodo provide facta comperimus, ut illibata persistant, libenter cum a nobis petitur, apostolici muniminis adjicimus firmitatem. Sane pro parte dilecti filii Gregorii Donati de Vangadicia prioris prioratus sancti Salvatoris Veronensis ordinis Camaldulensis nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim dilectus filius Antonius prior eremi Camaldulensis Arretine diocesis, etiam tunc commendatarius sive administrator monasterii sancte Marie de Vangadicia dicti ordinis Adriensis diocesis in spiritualibus & temporalibus per sedem apostolicam deputatus, provide attendens, quod predictus, quem ipse Gregorius tunc obtinebat, prout obtinet, & qui curatus est, & a monasterio predicto dependens, cujusque sexaginta, necnon sancte Marie Camaldulini extra muros Verone dicti ordinis, qui ab eremo prefata dependent, & cujus sexaginta Florenorum auri fructus, redditus & proventus secundum communem estimationem valorem annuum non excedunt, prioratus, propter mortalitatum pestes, status quoque & regiminis mutationem in civitate Veronensi subsecutam, necnon imposi-

impositiones & onera etiam locis inibi religiosis adjecta adeo deformationis subjacent incommodis, quod illorum singulorum hujusmodi fructus, redditus & proventus ad suorum sustentationem priorum nullatenus sufficerent condecentem; quodque si prioratus sancti Salvatoris predictus rerum temporalium impellente carentia relinqueretur pro deserto, divinus quoque cultus tepesceret, in eodem scandala subsequi verisimiliter possent exinde pariter & detrimenta, eumdem prioratum sancte Marie, cui cura imminet animarum, tunc certo modo vacantem cum omnibus juribus & pertinentiis suis ipsi prioratui sancti Salvatoris pro vigore deputationis hujusmodi perpetuo univit, annexuit & incorporavit, ita quod deinceps perpetuis futuris temporibus unum corpus censeri, & ab uno priore regi atque gubernari deberent, statuens nihilominus & ordinans, quod illorum provisio per priorem generalem eremi, necnon abbatem monasterii de Vangadicia predictorum pro tempore existentes alternatis vicibus spectaret tempore procedente. Quorum quidem unionis, necnon annexionis & incorporationis vigore dictus Gregorius ejusdem prioratus beate Marie possessionem apprehendens, etiam illum ex tunc in suos tenuit usus, prout tenet pacifice de presenti. Quare pro parte dicti Gregorii nobis fuit humiliter supplicatum, ut unioni, annexioni & incorporationi, necnon statuto & ordinationi predictis pro eorum subsistentia firmius robur apostolice confirmationis adjicere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui de premissis certam notitiam non habemus, hujusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, unionem, annexionem, incorporationem, statutum & ordinationem hujusmodi, & quecumque inde secuta auctoritate nostra approbes pariter & confirmes, supplendo omnes defectus, si qui forsitan intervenerint, in eisdem.

Datum Constantie XVII. kal. maji pontificatus nostri anno primo.

C.

Idem confirmat monasterio S. Blasii de Fabriano limites ejus parochiæ, jam statutos a Philippo ep. Camerinensi.

Anno 1418. v. nonas julii.

Ex autographo archivi S. Blasii.

MArtinus episcopus servus servorum Dei dilectis filiis .. abbati & conventui monasterii sancti Blasii de Burgo Fabriani ordinis sancti Benedicti Camerinensis diocesis salutem & apostolicam benedictionem. Justis petentium desideriis &c. Cum igitur, sicut porrecta nobis pro parte vestra petitio continebat, bone memorie Philippus episcopus Camerinensis parochiam vestri monasterii predicti de deliberatione provida certis limitibus auctoritate ordinaria limitavit atque distinxit, signa perpetua in confinibus apponendo, prout in ipsius episcopi literis super inde confectis dicitur plenius contineri: Nos vero justis precibus inclinati; quod ab eodem episcopo super hoc provide ac canonice factum est, & in alterius prejudicium non redundat, auctoritate apostolica confirmamus, & presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. nostre confirmationis &c. Si quis &c. Datum Gebennis v. nonas julii pontificatus nostri anno primo.

℞ta gratis. C. de Callio.

Pendet sigillum cum literis: MARTINUS Pp. V.

CI.

Jacobus abbas renuntiat monachis Montis-oliveti S. Catharinæ de Fabriano suum monasterium S. Victoris de Clusis.

Anno 1418. xxx. octobris.

Ex autographo chartarii S. Catharinæ.

IN Dei nomine, amen. Anno M. CCCC. XVIII. indictione XI. tempore sanctissimi patris & domini domini Martini divina providentia pape V. die dominico penultimo mensis octobris actum in terra Fabriani, & in plano communis dicte terre solite residentie domini potestatis ejusdem in quadam salecta, que est

est prope cameram dicti domini potestatis *&c.* & salam magnam superiorem dicti palatii positi in dicta terra Fabriani, & in quatuor quarteriis ipsius terre juxta plateam & alias res dicti communis Fabriani, presentibus Andrea Nicolai alias Marraconi de Fabriano, & Florino Vagnutii Deutesalvi, & Mattheo Cagni de baylia Muscani districtus Fabriani testibus ad hec vocatis. Constitutus personaliter honestus & religiosus vir frater Benedictus de Cremona ordinis sancti Benedicti Montis-oliveti prior & rector ecclesie sancte Catharine ejusdem ordinis de Fabriano coram & in presentia egregii legum doctoris domini Spinabelli de Fontanensibus de Serra sancti Quirici honorabilis potestatis & vicarii dicte terre Fabriani dicens & exponens, quod cum supradicta die ipse prior invenisset domnum Petrum Galasini monachum sancti Blasii de Fabriano cum nonnullis aliis euntem, & euntibus ad castrum Perosarii districtus dicte terre Fabriani, occasione, ut ipse presensit, seducendi homines dicti castri Perosarii, & removendi eos ab eo, quod alias super facto monasterii sancti Victoris interrogati sub eorum verbo veritatis dixerunt, & attestati fuerunt, sicut latius & plenius constare dixit per publicum documentum manu ser Bartholi Clementis de Gengha habitatoris dicte terre Fabriani notarii publici & authentici. Et timens, ne dicti homines propter eorum simplicitatem, atque propter adstutiam & calliditatem dicti domni Petri & aliorum sibi faventium possint cum adulationibus vel pollicitationibus quibuscumque, vel alio quovis modo adduci vel trahi ad dicendum vel afferendum aliquid contra substantiam veritatis, & quod possit predicte ecclesie sancte Catharine & dicto ordini Montis-oliveti prejudicium aliquod generari; idcirco prefatus prior volens obviare excogitatis malitiis supradictis, & tueri in quantum potest ipsam meram veritatem rei, prout se habet, petiit a supradicto domino potestate & vicario diligenter interrogari & examinari infrascriptos homines & massarios dicti castri Perosarii, qui tunc cause invenerant in dicta terra Fabriani, & erant presentes ibidem in loco supradicto, & coram supradicto domino potestate & vicario, & eorum dicta scribi & redigi in publicam formam, antequam predicti homines ab inde recedant, & possit ab aliquibus modo aliquo machinari super facto monasterii sancti Victoris predicti tam de contentatione ipsorum, quam etiam de conditione ipsius monasterii, & de regimine ipsorum priorum & fratrum dicte ecclesie sancte Catharine, & de apprehensione possessionis dicti monasterii facta per priorem & fratres dicte ecclesie sancte Catharine, qui pro tempore erant, apostolica auctoritate, & de expresso consensu & voluntate & immissione domni Jacobi abbatis tunc dicti monasterii sancti Victoris & de aliis, secundum quod prudentie ipsius potestatis pro veritate rerum habenda videretur melius convenire. Qui dominus potestas & vicarius facta diligenti interrogatione de infrascriptis hominibus dicti castri Perosarii ibidem presentibus, videlicet Marco Philippi, Antoniuccio Francisci, Petro Francisci, Andrea Bonnani, Angelo Deutalevi, Nicolao Venantii, Christophoro Gentiluccii, Antonio Venantii, Dominico Bene, Andrea Antonii Fiorani, & Cola Bonnani; qui & quilibet ipsorum sub eorum & cujuslibet ipsorum verbo veritatis & pure fidei sponte dixerunt, quod accessus factus per dictum domnum Petrum ad sanctissimum dominum nostrum summum pontificem cum non veridica assertione, dum dicebant ipsum domnum Petrum accessisse & supplicasse cum voluntate & consensu hominum & universitatis dicti castri, quod nunquam de eorum voluntate & consensu dictus domnus Petrus fecit talem accessum aut supplicationem aliquam, & quod ipsi homines penitus ignoraverint predicta, videlicet dictum accessum, & dictam, ut dicitur, supplicationem factam per dictum domnum Petrum prefato sanctissimo summo pontifici de & super facto dicti monasterii sancti Victoris, & quod ipsi contentantur dictum monasterium subesse dicte ecclesie sancte Catharine, & regimini & gubernationi prioris & fratrum dicte ecclesie sancte Catharine, & dicti ordinis Montis-oliveti, attento bono regimine & gubernatione adhibitis, & que adhibentur quotidie cum omni sollicitudine & arte per priorem & fratres dicte ecclesie sancte Catharine, ac etiam attenta melioratione & reparatione *&c. diffluit in laudem prioris & monasterii*. Ac etiam dictus *&c.* attestatus fuit se fuisse presentem, & vidisse, & audisse ibidem in porta dicti monasterii sancti Victoris legi quoddam privilegium cum bulla in eo pendente per ser Franciscum Nicolutiii notarium publicum de Fabriano, presentibus & accedentibus domno Jacobo tunc abbate dicti monasterii, & priore & quibusdam aliis fratribus dicte ecclesie sancte Catharine, qui pro tempore erant,

& vidisse, quod lecto dicto privilegio dictus domnus Jacobus abbas predictus de sua plena & expontanea voluntate cepit per manum dictum priorem, & ipsum cum aliis fratribus introduxit, & induxit in corporalem possessionem dicti monasterii & ad altare dicti monasterii, & quod ibidem in dicto altari dictus abbas posuit dictum privilegium, & quod super eo posuit manum dicendo: *Io renunzo la omne mio beneficio & ragione, ch' io avesse in questo monastero, & prometto avere rato & fermo ciò che quì è facto*. Et etiam predictus Antonius Venantii dixit & artestatus fuit se fuisse ibi prope presentem, & vidisse & audivisse in porta dicti monasterii legi per dictum ser Franciscum unam scripturam sive cartam magnam, presentibus dicto abbate & priore & fratribus quibusdam dicte ecclesie sancte Catharine & multis aliis. Quibus sic operatis mandavit idem dominus potestas & vicarius mihi notario infrascripto, quod de predictis publicum conficerem instrumentum, ac etiam dictus prior me de predictis rogavit, ut similiter de predictis conficerem instrumentum.

CII.

Martinus V. confirmat monasterio de Carceribus unionem hospitalis S. Danielis de Patavio.

Anno 1419. VI. kl. februarii.

Ex exemplo monasterii S. Michaelis de Muriano.

MArtinus episcopus servus servorum Dei dilecto filio .. abbati monasterii sancte Justine Paduane salutem & apostolicam benedictionem. Inter curas multiplices, que nobis in apostolice dignitatis specula positis incumbere noscuntur, illam libenter amplectimur, per quam hospitalibus aliisque piis locis salubriter providetur, & que propterea processisse comperimus, ut illibata persistant, libenter, cum a nobis petitur, apostolico munimine solidamus. Sane pro parte dilecti filii .. prioris prioratus sancte Marie de Carceribus Camaldulensis ordinis Paduane diocesis nobis nuper exhibita continebat petitio, quod olim bone memorie Raymundus episcopus Paduanus provide attendens, quod hospitale pauperum sancti Danielis Paduan. illorum, qui eis prefuerant, causante negligentia caritatis inibi, quoad receptandos fovendosque pauperes, ac miserabiles personas tepescentibus operibus deformationi subjacebat, & nisi provideretur salubriter, omnimode destitutionis verisimiliter casui dato tempore procedente exponi, cupiensque juxta sibi desuper datam prudentiam reformationis ei occurrere beneficio condecentis, ad id dilectorum filiorum archipresbyteri & capituli ecclesie Paduane patronorum tunc hospitalis ejusdem accedente consensu, hospitale ipsum cum omnibus juribus & pertinentiis suis prioratui prefato auctoritate ordinaria incorporavit, annexuit & univit, ita quod prior dicti prioratus pro tempore existens illud regeret & gubernaret, ejusque fructus, redditus & proventus in reformationem hospitalis, necnon sustentationem pauperum & personarum predictorum fideliter ministraret, prout in instrumento publico desuper confecto ejusdem episcopi sigillo munito dicitur plenius contineri. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, postea hospitale ipsum in vim incorporationis, unionis, & annexionis prefatarum per priores dicti prioratus, qui interim fuerunt, rectum fuerit continuo pariter & gubernatum, evidenti, que dietim servatur ibidem, hospitalitatis incremento, pro parte dicti prioris nobis fuit humiliter supplicatum, ut incorporationi, unioni & annexioni prefatis de ipso hospitali, cujus centum & viginti, prefato prioratui, cujus mille quadringentorum ducatorum auri fructus, redditus & proventus secundum communem estimationem valorem annuum non excedunt, ut premittitur, factis pro earum sufistentia firmiori robur apostolice confirmationis adjicere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui de premissis certam notitiam non habemus, hujusmodi supplicationibus inclinati discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus si vocatis, qui fuerint evocandi, ita esse inveneris, incorporationem, annexionem & unionem predictas, & omnia inde secuta auctoritate nostra approbes & confirmes.

Datum Mantue VI. kal. februarii pontificatus nostri anno secundo.

Pro B. Scoler. Jo. Worchem.

Legitur in plumbo pendente
MARTINUS. Pp. V.

CIII.

Antonius prior Camaldulensis confirmat conventiones initas inter abbatem Vallis-castri & monachos Montis-oliveti de Fabriano.

Anno 1419. x. februarii.

Ex archivo S. Blasii de Fabriano.

IN Christi nomine amen. Anno ejusdem nativitatis M.CCCC.XIX. indictione XII. die x. mensis februarii Ferrarie in palatio illustris & inclyti principis domini Nicolai marchionis Estensis in camino, quo itur ad cameram adamantum, presentibus testibus vocatis & rogatis domino Marco de Gagio scriptore apostolico, nobile viro Hieronymo Donato quondam Maphei cive Venetiarum & aliis. Reverendissimus in Christo pater & dominus dominus frater Antonius de Ferro de Parma Dei & apostolice sedis gratia sancte Camaldulensis eremi prior & totius dicti ordinis generalis, ad instantiam & petitionem ven. viri fratris Matthei de Viterbio ordinis sancti Benedicti Montis-oliveti nuncupati procuratoris & procuratorio nomine totius dicti ordinis Montis-oliveti, & mei Augustini de Villa notarii infrascripti tamquam publice persone instantium & stipulantium nomine & vice dicti ordinis, sponte &c. confirmavit &c. quasdam renuntiationes, & repudiationes, ac remissiones & concessiones factas per reverendum in Christo patrem domnum Angelum abbatem monasterii Vallis-castri districtus Fabriani & Camerinensis diocesis ac etiam sindicum & procuratorem dicti monasterii &c. ex persona fratris Johannini ser Romani Benencase Puccioli de Fabriano monachi in dicto monasterio professi ven. viro fratri Johanni Colle de Perusio priori & ecclesie sancte Catharine de Fabriano ordinis fratrum Montis-oliveti, atque fratri Paulo Venantii de Fabriano monacho & sindico & procuratori dicti monasterii, & seu ecclesie sancte Catharine de omnibus & singulis juribus & actionibus, que & quas dictum monasterium Vallis-castri quocumque jure & nomine, ac quacumque ex causa & occasione habebat & habere potuisset in & super rebus & bonis infrascriptis datis & donatis olim per Gualterium de Clavellis de Fabriano & per dominam Mitarelliam ejus uxorem ven. viro fratri Johanni Bartholomei de Fabriano priori & tamquam sindico & procuratori dicti monasterii & seu ecclesie sancte Catharine, videlicet in & super quatuor molendinis; item in & super unam petiam terre vineate contentis & confinatis in instrumentis donationum inter vivos, scriptis manu ser Angeli Andree de Callio publici notarii, & manu ser Nofrii Pacis notarii de civitate Æsii; de quibus renunciatione & repudiatione &c. apparet per publicum instrumentum scriptum manu Augustini Matthei Bene de Fabriano notarii, & stipulatum anno a nativitate Domini M. CCCC. VIII. indictione I. &c. XI. julii, visum & bene intellectum per prefatum reverendissimum patrem, supplensque prefatus rev. pater omnes defectus, si qui &c. intervenissent &c. promisit dicto fratri Mattheo de Viterbio procuratori &c. & mihi notario &c. rata perpetuo habere &c.

Ego Augustinus de Villa filius ser Lanzalloti de Villa notarii imperiali auctoritate notarius publicus Ferrariensis predictis omnibus & singulis presens fui, & ea rogatus scribere scripsi & subscripsi.

CIV.

Martinus V. suscipit sub apostolica protectione monasterium SS. Gerardi & Hieronymi de Florentia.

Anno 1419. x. kl. aprilis.

Ex autographo S. Agathæ de Florentia, n. 92.

MArtinus episcopus servus servorum Dei dilectis in Christo filiabus.. abbatisse & conventui monasterii sanctorum Gherardi & Jeronimi Florentin. ordinis sancti Benedicti Romane ecclesie immediate subjecti salutem & apostolicam benedictionem. Solet annuere sedes apostolica piis & honestis petentium precibus favorem benivolum impertiri. Ea propter dilecte in domino filie vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras & monasterium sanctorum Gherardi & Jeronimi prefatum, in quo divino estis obsequio mancipate, cum omnibus bonis vestris, que impresentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis prestante Domino poteritis adipisci, sub beati Petri protectione suscipimus atque nostra; specialiter autem decimas, terras, domos, vineas, hortos & alia bona vestra, omnesque libertates & immunitates a pre-

decesso-

decessoribus nostris Romanis pontificibus, sive per privilegia vel alias indulgentias vobis & monasterio vestro concessas, necnon libertates & exemptiones secularium exactionum a regibus & principibus, ac aliis Christi-fidelibus rationabiliter vobis & monasterio vestro predicto indultas, sicuti ea juste & pacifice possidetis, vobis & per vos eidem monasterio vestro auctoritate apostolica confirmamus, & presentis scripti patrocinio communimus, salva in predictis decimis moderatione concilii generalis. Nulli ergo &c. Si quis autem &c. Datum Florentie x. kl. aprilis pontificatus nostri anno secundo.

B. de Vincio.

Sigillo plumbeo consueto pendente.

CV.

Martinus V. confirmat unionem olim factam a Gregorio XII. capitulo Lucensi monasteriorum de Quosa & de Puteolis.

Anno 1419. xv. kl. maji.

Ex archetypo ejusdem capituli. CC. 37.

MArtinus episcopus servus servorum Dei ven. fratri .. episcopo Lucano salutem & apostolicam benedictionem. Dispositione divina gregi dominico licet immeritis presidentes votis gerimus, ut tenemur, quod per solertie nostre circumspectionis auspicia divinus cultus decoretur ubique, necnon persone ecclesiastice, quibus divinis insistentibus officiis congrue facultates non respondent, prout expedire conspicimus super ingruentibus eis relevandis incommodis provisionis accommode suscipiant incrementum. Sane pro parte dilectorum filiorum .. archipresbyteri, necnon capituli & canonicorum ecclesie Lucane nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim bone memorie Angelo, in ejus obedientia, de qua partes ille erant, tunc Gregorio XII. nominato, pro parte dilecti filii Laurentii archipresbyteri dicte ecclesie inter alia exposito, quod propter guerrarum turbines, & mortalitatum pestes, que tunc partes illius diutius afflixerant, fructus, redditus & proventus capitularis mense dicte ecclesie adeo extenuati & exiles effecti erant, quod de illis canonici predicti & alie persone dicte ecclesie nequirent commode sustentari, & ob hoc hujusmodi cultus non mediocriter diminutus existeret, & diminueretur in ecclesia antedicta: quodque sancti Michaelis de Quieza, ac sancti Petri de Posseulis sancti Benedicti & Camaldulensis ordinum Pisane & tue diocesis monasteria solos haberent abbates, qui ipsorum monasteriorum fructus &c. perciperent, illos propriis usibus applicando, prefatus Angelus, tunc Gregorius XII. per quasdam literas monasteria prefata cum omnibus juribus & pertinentiis suis pro uberiori canonicorum & personarum predictorum sustentatione & conservatione &c. eidem mense univit &c. ita quod cedentibus vel decedentibus &c. *ut in literis Gregorii XII. ad annum* 1408. & successive Baldassar in sua obedientia, de qua postmodum partes ille erant, Johannes XXIII. nominatus, postquam archipresbyter & capitulum, ac canonici prefati vigore unionis, necnon annexionis & incorporationis predictorum monasterii sancti Petri tunc certo modo vacantis, ac illius jurium & pertinentiarum hujusmodi corporalem possessionem assecuti illud ex tunc tenuerant & possederant, prout tenebant & possidebant pacifice & quiete, per alias suas literas unionem, annexionem & incorporationem de dicto monasterio sancti Petri, ut premittitur, factas, necnon extinctionem, suppressionem & assecutionem predictas, ac quecumque inde secuta rata habens & grata ea confirmavit, necnon sui scripti patrocinio communivit, prout in ipsis literis dicitur plenius contineri. Tandem vero postquam nos omnes uniones quacumque auctoritate factas, que nondum fuerant sortite effectum, inter alia revocaveramus, monasterio sancti Michaelis prefato, cujus provisionem ea vice ordinationi & dispositioni nostre cum decreti dispositione reservavimus, abbatis regimine destituto, sicut eadem petitio subjungebat, ipsi archipresbyter, necnon capitulum & canonici, revocationis & reservationis earumdem forsitan ignari, pretextu literarum Angeli tunc Gregorii XII. necnon de dicto monasterio sancti Michaelis, ut prefertur, factarum unionis, annexionis & incorporationis hujusmodi ejusdem monasterii sancti Michaelis, quod in rure raro frequentato consistit, & in quo nullus residet monachus, licet de facto possessionem apprehendentes, illud ex tunc etiam tenuerint, prout tenent, in usum antedictum pro parte ipsorum archipresbyteri, capituli ac canonicorum asserentium etiam modernis temporibus hujus-

hujusmodi fructus, redditus & proventus mense predicte, alias ad eorum sustentationem minime sufficere, nobis fuit humiliter supplicatum, ut premissis suadentibus monasterium sancti Michaelis predictum cum eisdem suis juribus & pertinentiis ipsi mense de novo perpetuo unire, necnon annectere & incorporare, & alias eis super premissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui de hujusmodi nobis expositis certam notitiam non habemus, eisdem supplicationibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus si vocatis, qui fuerint evocandi, eadem nobis exposita vera fore inveneris, super quo tuam conscientiam oneramus, dictum monasterium sancti Michaelis, cujus centum & quinquaginta, etiam inibi abbatiali dignitate & ordine sancti Benedicti cum illius observantia hujusmodi pro suppressis & extinctis habitis, cum omnibus suis juribus & pertinentiis supradictis eidem mense, cujus quadringentorum Florenorum auri fructus, redditus & proventus secundum communem estimationem valorem annuum, ut etiam ipsi archipresbyter, capitulum & canonici asserunt, non excedunt, auctoritate nostra in perpetuum incorpores, unias & annectas, ita quod liceat denuo eisdem archipresbytero, capitulo & canonicis per se vel alium, seu alios monasterii sancti Michaelis, ac suorum jurium ac pertinentiarum predictorum corporalem possessionem auctoritate propria apprehendere libere, necnon hujusmodi illius fructus, redditus & proventus in eumdem usum convertere & etiam deputare, diocesani loci & alterius cujuscumque licentia super hoc minime requisita. Non obstantibus constitutionibus *&c.* Proviso, quod in ecclesia monasterii sancti Michaelis predicti Misse & alia divina officia plerumque celebrentur, illaque ad profanos usus velut hereditas nullatenus redigatur.

Datum Florentie XV. KAL. maji pontificatus nostri anno secundo.

CVI.

Idem mandat abbati S. Michaelis in Burgo Pisarum, ut investiat Petrum presbyterum de quadam capella in ecclesia S. Stephani monialium ordinis S. Benedicti.

ANNO 1419. II. nonas augusti.

Ex apographo olim penes canonicum Abrahamium.

MArtinus episcopus servus servorum Dei dilecto filio.. abbati monasterii sancti Michaelis de Burgo Pisarum salutem & apostolicam benedictionem. Dignum arbitramur *&c.* Cum itaque, sicut accepimus, capella sancti Stephani sita in ecclesia monasterii dicti Sancti ordinis sancti Benedicti extra muros Pisarum, quam quondam Giunta ultimus ipsius capelle rector, dum viveret, obtinebat, per ipsius Giunte obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacet ad presens, & tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranensis statuta concilii est ad dictam sedem legitime devoluta, nos volentes dilectum filium Petrum Petri rectorem parochialis ecclesie sancti Felicis Pisarum apud nos de vite, ac morum honestate, aliisque probitatis & virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu favore prosequi gratioso, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus si post diligentem examinationem eumdem Petrum ad hoc idoneum esse repereris, super quo tuam conscientiam oneramus, capellam predictam, que per clericos seculares gubernari consuevit, & cui cura imminet animarum, cujusque fructus, redditus & proventus viginti Florenorum auri secundum communem estimationem valorem annuum, ut idem Petrus asserit, non excedunt, sive premisso sive alio quovis modo, aut ex alterius cujuscumque persona vacet, etiamsi dispositioni apostolice reservata existat, & super ea inter aliquos lis pendeat indecisa, dummodo tempore date presentium non sit in eadem capella alicui specialiter jus quesitum, cum omnibus juribus & pertinentiis suis eidem Petro auctoritate nostra conferas & assignes, inducens per te, vel alium, seu alios eumdem Petrum vel procuratorem suum ejus nomine in corporalem possessionem capelle *&c.* amoto quolibet illicito detentore *&c.* Non obstantibus *&c.* seu si

ven.

ven. fratri nostro archiepiscopo Pisarum & dilectis in Christo filiabus abbatisse & conventui dicti monasterii vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicujus minime teneantur, & ad id compelli aut quomodolibet interdici, suspendi vel excommunicari non possint *&c.* Nos enim cum eodem Petro, ut capellam predictam, si sibi vigore presentium conferatur, recipere, & una cum eadem parochiali ecclesia usque ad triennium retinere libere & licite valeat, generalis concilii & quibuscumque aliis constitutionibus apostolicis ceterisque contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica tenore presentium de specialis dono gratie dispensamus, ita tamen quod Petrus alteram ex parochiali ecclesia & capella predictis pro alio beneficio ecclesiastico cum earum reliqua compatibili interim possit permutare; alioquin dictam parochialem ecclesiam, quam ex tunc vacare decernimus, omnino dimittere teneatur, proviso quod ecclesia parochialis & capella predicte debitis interea non fraudentur obsequiis, & animarum cura in eis nullatenus negligatur. Et insuper si dictus Petrus ad hoc repertus fuerit idoneus, ut prefertur, ex nunc perinde irritum decernimus & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, ac si die date presentium eidem Petro ad hoc reperto idoneo de dicta capella cum interpositione decreti provideri mandavissemus. Datum Florentie II. nonas augusti pontificatus nostri anno secundo.

CVII.

Idem committit abbati S. Floræ de Arretio, ut recuperet bona male distracta parthenonis S. Petri de Luco.

Anno 1420. id. januarii.

Ex archivo ejusdem parthenonis.

MArtinus episcopus servus servorum Dei dilecto filio .. abbati monasterii sancte Flore Arretine civitatis salutem & apostolicam benedictionem. Ad notitiam nostram pervenit, quod tam dilecta in Christo filia .. abbatissa & conventus monasterii sancti Petri de Luco Camaldulensis ordinis Florentine diocesis, quam ille, que in monasterio ipso precesserunt, decimas, terras, domos, vineas, prata, pascua, hortos, silvas, nemora, molendina, possessiones, redditus, jura, jurisdictiones, & quedam alia bona ipsius monasterii datis super hoc literis, interpositisque juramentis, & confectis publicis instrumentis, renunciationibus & penis adjectis, in gravamen & lesionem ejusdem monasterii, nonnullis clericis & laicis, aliquibus eorum ad vitam, quibusdam vero ad non modicum tempus, & aliis perpetuo ad firmam, vel sub censu annuo concesserunt, quorum aliqui super his confirmationis literas in forma communi a sede apostolica impetrasse dicuntur. Quia vero nostra interest lesis monasteriis subvenire, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus ea, que de bonis ejusdem monasterii per concessionem hujusmodi alienata inveneris, vel distracta illicite, non obstantibus literis, instrumentis, penis, juramentis, renunciationibus, & confirmationibus, ad jus & proprietatem dicti monasterii legitime revocare procures. Contradictores *&c.* Testes *&c.*

Datum apud Urbem-veterem idus januarii pontificatus nostri anno tertio.

CVIII.

Martinus V. unit monasterio S. Mariæ Angelorum de Florentia monasterium S. Petri de Cerreto.

Anno 1420. XVIII. kl. februarii.

Ex tabulario S. Mariæ Angelorum.

MArtinus episcopus servus servorum Dei dilectis filiis .. priori & conventui monasterii sancte Marie de Angelis Florentin. per priorem soliti gubernari Camaldulensis ordinis salutem & apostolicam benedictionem. Vestre devotionis sinceritas, quam ad nos & Romanam geritis ecclesiam, promeretur, ut votis vestris, illis presertim, quæ commodum & utilitatem vestri monasterii concernunt, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuamus. Dudum siquidem pro parte vestra bone memorie Baldassari episcopo Tusculano, tunc Johanni XXIII. in sua obedientia, exposito, quod numerus quinquaginta-duarum personarum inter monachos, eremitas, conversos & familiares in vestro monasterio continuo existebant, ad quorum sustentationem in victu & vestitu, & aliis prefati monasterii & earumdem personarum ac sacristie dicti monasteriie ssicen-

cessitatibus quolibet anno sumptus mille & quingentorum Florenorum auri vel circa erant opportuni, licet fructus, redditus & proventus dicti monasterii ultra sexcentos Florenos *&c. ut in altera Johannis XXIII. ad annum* 1414. quodque monasterium sancti Petri de Cerreto Camaldulensis ordinis Volaterrane diocesis, cui cura imminet animarum, per solum abbatem ut plurimum sine aliis monachis hactenus gubernari consueverat; & si ipsum monasterium sancti Petri prefato vestro monasterio uniretur, hoc in non modicum vestrum & monasterii vestri cederet relevamen, ac pro parte vestra eidem episcopo, tunc Johanni XXIII. supplicato, ut dictum monasterium sancti Petri eidem monasterio vestro imperpetuum incorporare, annectere & unire dignaretur, idem episcopus, tunc Johannes XXIII. monasterium sancti Petri prefatum, cujus fructus, redditus & proventus ultra centum & quinquaginta Florenos auri secundum estimationem predictam, ut asserebatis, non valebant, annuatim cum omnibus juribus & pertinentiis suis eidem monasterio vestro per suas literas incorporaverat, annexerat & univerat; quodque nos dudum in nostri apostolatus primordiis uniones *&c.* monasteriorum & aliorum beneficiorum ecclesiasticorum quorumcumque quavis auctoritate factas, que nondum sortite fuerant effectum, auctoritate apostolica duxeramus revocandas, ac pro parte vestra nobis exposito, quod unio, annexio & incorporatio prefate per eumdem episcopum, tunc Johannem XXIII. facte nondum sortite fuerant effectum, fructusque dicti monasterii sancte Marie ad sustentationem vestram minime sufficiebant, prefataque summa mille & quingentorum Florenorum auri creditoribus ipsis nondum esset persoluta, sed adhuc remanet sub usuris, nobisque humiliter supplicato, ut prefatum monasterium sancti Petri eidem monasterio de novo unire *&c.* dignaremur; & nos dilecto filio abbati monasterii de Pino Aretine diocesis, ejus proprio nomine non expresso, nostris dedimus literis in mandatis, ut monasterium sancti Petri prefatum cum omnibus juribus & pertinentiis suis eidem monasterio vestro auctoritate predicta imperpetuum unire, annectere & incorporare curaret, prout in prefatis nostris literis plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, prefatum monasterium sancti Petri ab eremo Camaldulensi dicte Aretine diocesis dependeat, abbasque dicti monasterii sancti Petri dilectis filiis, priori & conventui ejusdem eremi certum censum annis singulis solvere teneatur, de quo in prefatis literis nostris nulla prorsus mentio facta fuit, vosque dubitetis literas nostras prefatas propterea posse subreptitias reputari, pro parte vestra fuit nobis humiliter supplicatum, ut providere vobis super hoc de opportuno remedio de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati volumus, & apostolica vobis auctoritate concedimus, quod prefate nostre litere, ad quarum executionem nondum est processum, perinde a data presentium valeant, plenamque obtineant roboris firmitatem, dictusque abbas ad earum executionem procedere possit & valeat, ac si in eis de premissis omnibus & singulis facta fuisset mentio specialis; non obstantibus omnibus, que in prefatis nostris literis volumus non obstare. Volumus autem, quod quamprimum vigore unionis & incorporationis predictarum possessionum dicti monasterii sancti Petri fueritis assecuti, censum hujusmodi priori & conventui ejusdem eremi annis singulis integre & absque contradictione aliqua solvere, & omnia alia facere teneamini, que modernus & alii dicti monasterii sancti Petri abbates hactenus fecerunt, seu facere debuerunt. Nulli ergo *&c.* nostre voluntatis & concessionis *&c.* Si quis *&c.*

Datum Florentie XVIII. kal. februarias pontificatus nostri anno tertio.

CIX.

Johannes episcopus Camerinensis confirmat commendam ecclesiæ sancti Laurentii de Muscano Petro rectori S. Petri de Muscano.

Anno 1420. VII. februarii.

Ex chartario S. Blasii de Fabriano.

IN Dei nomine, amen. Anno Domini M. CCCC. XX. indictione XIII. tempore sanctissimi in Christo patris & domini domini Martini divina providentia pape V. die mercurii VII. mensis februarii. Actum in civitate Camerini die mercurii VII. mensis februarii in logia ante & juxta capellam palatii episcopalis in contrada Medii, juxta vias publicas & alios fines, presentibus egregio juris canonici perito viro domino Antonio Cicchi

Cicchi de Cassia commensale infrascripti domini episcopi, & ser Perfrancisco domini Venantii de Serra-filiorum Petroni, & Francisco Johannis de Camerino, de contrata Medii testibus ad hec habitis & vocatis. Sit notum omnibus inspecturis seriem presentis documenti publici, quod constituti personaliter coram rev. in Christo patre & domino domino Johanne Dei & apostolice sedis gratia Camerinensi episcopo ven. & religiosi viri domnus Franciscus Corradi de Fabriano prior monasterii sancte Marie Vallis-mergi sindicus & procurator ven. virorum abbatis, monachorum, capituli & conventus cum mandato, sicut ibidem asseruit ad suprascripta plenissime, manu ser Deutesalvi Bonaventure publici notarii de Fabriano; & domnus Petrus Galassini de Fabriano monachus dicti monasterii & rector ecclesie sancti Petri de Muscano membri dicti monasterii & prefate diocesis, necnon commendatarius ecclesie sancti Laurentii de Muscano etiam membri dicti monasterii & ejusdem diocesis exposuerunt cum reverentia coram ipso, quod propter penuriam sacerdotum & macros ecclesiarum redditus predicti abbas, monachi, capitulum & conventus commendaverunt sibi dictam ecclesiam sancti Laurentii de Muscano, licet ipsarum quelibet sit curata. Attento quod parochie predictarum ecclesiarum sunt contigue, & quod propter ipsam macredinem non possunt haberi duo presbyteri ad regimen earumdem, & eo quod oporteret quemlibet mendicare, quodque etiam iste ecclesie possent sufficienter regi per unum presbyterum, qui sustentari potest ex ipsarum redditibus cum modesta competentia vite. Et quia res hujusmodi posset apud prefatum dominum episcopum non preter habentem ejusdem rei cum justa causa facte notitiam per aliquos impugnari, tacendo veritatem & justitiam, que commendam hujusmodi monasterii causarit, prefati sindicus, nomine quo supra, & commendatarius petierunt ipsam commendam & commendatariam per prefatum dominum episcopum confirmari auctoritate sua ordinaria, & committi sibi curam & regimen ipsius ecclesie commendate, non obstantibus in contrarium existentibus quibuscumque. Qui dominus episcopus consideratis plene predictis expositis & petitis, que a justitia & equitate causam recipiunt, & quod esset absurdum & iniquum, si clerici mendicarentur in obbrobrium clericalis ordinis, vel ecclesie destitute regimine permanerent, predictis petitis benigniter annuens prefatum domnum Petrum coram ipso flexis genibus acceptantem in commendatarium ipsius ecclesie predicta auctoritate ordinaria confirmavit, & in signum ipsius confirmationis eumdem confirmatum per suum berretum ibidem presentialiter & publice investivit omni modo, via, jure & forma, quibus melius potuit. Et ut hec confirmatio suum haberet effectum, dictus dominus episcopus confidens de prefato domno Francisco sindico & procuratore eidem presenti & acceptanti plene commisit, quatenus cum a prefato confirmato fuerit requisitus, humiliter ad predictam ecclesiam sancti Laurentii se personaliter conferat, & eumdem in tenutam & corporalem possessionem ipsius ecclesie vel quasi jurium & pertinentiarum ipsius inducat, ponat & immittat, & defendat inductum, amoto exinde quolibet detentore non licito, contradictores compescendo per ecclesiasticam censuram, faciens sibi responderi ad integrum de fructibus & redditibus ejus, committens sibi vices suas plene circa premissa, & rogavit me Paulum notarium infrascriptum, quod de predictis conficerem instrumentum publicum in testimonium premissorum.

† Et ego Paulus Petrutii de .... nc civis Camerini imperiali auctoritate notarius, & nunc notarius curie episcopalis Cameriden. predictis presens fui, & rogatus scribere scripsi, & publicavi, signumque meum apposui consuetum.

CX.

Abbas & monachi S. Blasii de Fabriano constituunt procuratorem, ut petat ab eodem episcopo uniones plurium ecclesiarum.

Anno 1420. XVI. februarii.

Ex autographo ejusdem archivi S. Blasii.

IN Dei nomine amen. Anno Domini millesimo quatricentesimo vigesimo indictione tertia-decima tempore domini Martini divina providentia pape quinti die veneris sexta-decima mensis februarii Fabriani in choro ecclesie sancti Blasii de Fabriano, presentibus dompno Nicolao Johannis, dompno Jacobo Johannis, & Gesue Tobie Francisci de Fabriano testibus rogatis. Congregatis & quoadunatis

natis ad sonum campane, ut moris est, & in loco solito congregatis venerabili patre domino fratre Anselmo abbate monasterii sancti Blasii de Fabriano, & habente vocem a domno Bartolo Buti monaco dicti monasterii, ut patet manu mei notarii infrascripti, dompno Johannino Bartholomei, domno Piero Galassini, & dompno Johanne Matthei de Fabriano monachis dicti monasterii totum capitulum & conventum monasterii antedicti facientibus & representantibus, ut asseruerunt, non revocando aliquem sindicum & procuratorem dicti monasterii, asserentes super infrascriptis semel & pluries colloquium & tractatum habuisse & firmasse, quod infrascripta unio ...... utilitate ipsius monasterii & infrascriptarum ecclesiarum ipse dominus abbas cum presentia, consensu & voluntate dictorum monachorum & capituli, & ipsi monachi & capitulum cum presentia, consensu & auctoritate supradicti domini abbatis inter se vicissim auctorantes communiter & concorditer fecerunt, & constituerunt & ordinaverunt omni modo, jure & forma melius valituris eorum, & dicti monasterii sancti Blasii verum & legitimum sindicum & procuratorem, actorem, factorem, & nunptium specialem honestum religiosum dompnum Pierum Galassini de Fabriano monachum dicti monasterii ibidem presentem, & mandatum in se sponte recipientem ad comparendum, & se presentandum coram rev. in Christo patre & domino domino Johanne Dei & apostolice sedis gratia Camerinensi episcopo, & eidem dicendum, narrandum & exponendum nomine capituli & conventus dicti monasterii, quod cum propter guerras, que viguerunt in patria temporibus retroactis, ac etiam unionem factam de monasterio sancti Victoris ad ecclesiam sancte Catharine de Fabriano, monasterium & ecclesia sancti Blasii de Fabriano fuerit, & sit depauperata in tantum, quod vivunt in paupertate & egestate. Et quod si infrascripta unio fieret, aliqua subventio erit eis pro ipsorum vita & substentatione, aliter inviti cogerentur dictum monasterium derelinquere, & accedere vagabundi per mundum. Necnon ad dicendum, narrandum & exponendum supradicto domino Camerinensi episcopo, quod cum ipsum monasterium habeat ecclesiam sancti Petri de Colcello, ecclesiam sancti Angeli de Rosenga, & ecclesiam sancti Laurentii de Muscano Camerinensis diocesis, que ecclesie sunt de membris dicti monasterii, non sufficientes ad gubernationem rectorum ipsarum propter malas & pessimas conditiones, que in preteritum viguerunt. Et specialiter ad supplicandum dicto domino Camerini episcopo, & petendum, quod dignetur & velit unire, annectere, & incorporare ecclesiam sancte Marie infra Saxa, dimidium ecclesie sancte Marie in Campo, & ecclesiam sancti Petri de Vembricellis membra dicti monasterii & Camerinensis diocesis ad dictum monasterium sancti Blasii & mensam ipsius. Et dictam ecclesiam sancti Petri de Colcello unire, annectere & incorporare ad ecclesiam sancti Stephani de Gengha membrum dicti monasterii & Camerinensis diocesis: & ecclesiam sancti Angeli de Rosenga membrum dicti monasterii unire, annectere & incorporare ad ecclesiam sancti Stephani de Valle-montagnana. Et ecclesiam sancti Laurentii unire, annectere & incorporare ad ecclesiam sancti Petri de Muscano, cum dicte ecclesie sint contigue & propinque, & per rectores ipsarum dicte ecclesie erunt in spiritualibus & temporalibus salubriter gubernate. Et generaliter ad omnia & singula facienda, gerenda & exercenda, que in predictis & quolibet predictorum necessaria fuerint utilia & opportuna, & que ipsimet constituentes facere possent, si personaliter interessent. Promittentes dicti constituentes mihi notario infrascripto tamquam persone publice stipulanti vice & nomine quorumcumque intererit, ratum, gratum & firmum perpetuo habituros, & quicquid per dictum eorum, & dicti monasterii, & capituli & conventus ejusdem sindicum & procuratorem factum, gestum & operatum fuerit in predictis, & quolibet predictorum, & non revocare sub obligatione bonorum dicti monasterii, & capituli & conventus ejusdem.

Et ego Thomas Dominici de Sernano publicus imperiali auctoritate notarius predictis omnibus interfui, & ea rogatus scribere scripsi & publicavi.

CXI.

CXI.

Eustachius abbas Vallis-castri instituit Johannem monachum in rectorem ecclesiæ S. Johannis de Camorano diœcesis Anconitanæ.

Anno 1420. XXII. maji.

Ex originali præfati archivi S. Blasii.

IN nomine Domini amen. Anno ejusdem M. CCCC. XX. indictione XIII. tempore sanctissimi patris & domini Martini divina providentia pape V. die mercurii XXII. mensis maji. Actum in terra Fabriani in quadam camera communis dicte terre, in qua ego notarius sto ad scribendum, posita juxta pontem palatii dominorum priorum ipsius terre, presentibus honestis viris donno Johannino Mactei, & donno Bartholomeo Mactei & donno Johanne Antonii de terra predicta sacerdotibus testibus ad infrascripta vocatis specialiter & rogatis. Universis & singulis presens instrumentum publicum inspecturis pateat manifeste, quod ven. vir domnus frater Eustachius condam Francisci de dicta terra Dei gratia abbas monasterii sancti Romualdi Vallis-castri districtus ejusdem terre & Camerinensis diocesis asserens nuper ad ejus notitiam pervenisse, quod ecclesia sancti Johannis de Camorano comitatus civitatis Ancone, que ecclesia est, ut asseruit, membrum manuale monasterii predicti, rectore vacat ad presens propter obitum quondam donni Falconi de dicta civitate ultimi rectoris dicte ecclesie, sciens ad ipsum nomine dicti monasterii pertinere & spectare plenum jus ponendi & instituendi rectorem in ipsa ecclesia, quando vacat: volens igitur personam honesti viri fratris Johannis ser Cicchi de castro Fossati monachi dicti monasterii suis exigentibus meritis & virtuosis operibus favore prosequi gratioso, ne dicta ecclesia in spiritualibus defectum & in temporalibus lesionem modo aliquo pateretur, ex certa scientia & deliberatione prehabita diligenti, ipsum fratrem Johannem monachum coram eo genuflexum humiliter acceptantem vice & nomine dicti monasterii instituit in rectorem dicte ecclesie sic vacantis &c. & quod teneatur dare singulis annis in festo sancti Romualdi ipsi donno abbati & ejus successoribus pro affictu dicte ecclesie unam libram candelarum cere. Et ut predicta suum debitum consequantur effectum, confidens de providentia & virtutibus honesti viri donni Friderici de Monte filiorum Optrani monachi prefati monasterii prioris ecclesie sancte Lucie de dicta civitate, ipsi priori, licet absenti tamquam presenti plene commisit, quatenus cum a dicto fratre Johanne rectore fuerit humiliter requisitus, ad dictam ecclesiam sancti Johannis se personaliter conferat, & ipsum fratrem Johannem rectorem auctoritate ipsius domini abbatis inducat in corporalem possessionem vel quasi dicte ecclesie &c.

Et ego Deutesalve Bonaventure de Fabriano imperiali auctoritate notarius predictis omnibus interfui, & ea rogatus scribere scripsi & publicavi &c.

CXII.

Martinus V. confirmat pensionem monasterii de Carceribus pro monasterio S. Michaelis de Muriano.

Anno 1421. VIII. id. augusti.

Ex autographo monasterii S. Michaelis.

MArtinus episcopus servus servorum Dei ven. fratri.. patriarche Gradensi salutem & apostolicam benedictionem. Super gregem Dominicum nostre vigilantie divinitus traditum, quantum nobis conceditur ex alto, intenti personis quibuslibet presertim sub religionis habitu studio vacantibus pie vite favoribus gratiosis assistimus, ut virtutum cultui intendere studeant, & divinis laudibus frequentius invalescant. Dudum siquidem pro parte venerabilis fratris nostri Angeli episcopi Prenestini, & dilectorum filiorum Jacobi prioris & conventus monasterii sancte Marie ad Carceres per priorem soliti gubernari Camaldulensis ordinis Paduane diocesis nobis exposito, quod bone memorie Angelus in universali ecclesia episcopus in sua obedientia, de qua partes ille erant, tunc Gregorius XII. nuncupatus, predictum monasterium, tunc certo modo vacans, eidem priori contulerat, necnon eidem episcopo Prenestino, tunc tit. sancte Potentiane presbytero Cardinali, per quasdam primo quingentorum usque ad quatuor annos, & ex tunc sexcentorum ducatorum auri, quoad idem episcopus tunc cardinalis viveret, pensionem singulis annis per eumdem priorem suosque successores priores dicti monasterii, qui forent pro tempore, & successive pro eo,

quia idem episcopus tunc cardinalis ab obedientia ipsius Angeli Gregorii XII. recesserat, idem Angelus Gregorius XII. priores & monasterium hujusmodi ad solvendam pensionem predictam eidem episcopo tunc cardinali nullatenus obligari, nec ad id a quoquam compelli posse declarans per quasdam *alias* dilectis filiis abbati & conventui monasterii sancti Michaelis de *Muriano* dicti ordinis Torcellane diocesis quadringentorum usque ad tres, & ex tunc quingentorum ducatorum auri pensionem singulis annis de fructibus, redditibus & proventibus dicti prioratus seu monasterii sancte Marie per eosdem priores usque ad triginta annos proxime secuturos reservaverat persolvendam, quodque deinde bone memorie Baldasar episcopus Tusculanus etiam in sua obedientia, de qua partes ille erant, tunc Johannes XXIII. nominatus per eum accepto, quod prefatum monasterium sancte Marie de reservationibus pensionum hujusmodi nimium gravaretur, omnes literas predictas super reservationibus hujusmodi, ut prefertur, concessas & quecumque inde secuta per suas literas revocans & irritans, priores, conventum & monasterium sancte Marie predictos ad solutionem pensionum hujusmodi decreverat non teneri. Et subjuncto, quod etiam idem Angelus Gregorius XII. dilectis in Christo filiabus monialibus Corporis-Christi de Venetiis Castellane diocesis sub cura & secundum instituta ordinis fratrum Predicatorum viventibus centum Florenorum auri pensionem similem, de qua in dictis litteris Baldassaris Johannis XXIII. per inadvertentiam seu alias ex facti ignorantia, nulla mentio facta fuerat, per priorem & successores suos prefatos annis singulis usque ad quindecim annos reservaverat persolvendam, nos pensionem ipsam dictis monialibus, ut premittitur, reservatam usque ad sedis apostolice beneplacitum tollentes pariter & amoventes, priori & conventui prefatis, ut beneplacito predicto durante hujusmodi pensionem prefatis monialibus solvere, aut illis de ipsa in aliquo respondere minime tenerentur, nec ad id inviti ab aliquo compelli valerent, per literas nostras concessimus, prout in illis plenius continetur. Cum autem sicut exhibita nobis nuper pro parte episcopi Prenestini, ac prioris & conventus predictorum petitio continebat, iidem prior & conventus ultra hujusmodi pensionem dictis monialibus, ut premittitur, reservatam, prefato episcopo Prenestino in ducentis triginta-uno, quoad vixerit, ac abbati & conventui prefatis in centum florenis auri usque ad sex annos per eos annis singulis persolvendis obligati existant, nonnullasque quotidianas & inevitabiles expensas pro ipso monasterio cogantur annis singulis supportare, necnon eorumdem ecclesie, quam monasterii edificia reparatione indigeant non modicum sumptuosa, ad quas supportandas nedum quod ipsius prioratus proprie suppetant facultates, sed quod ex fructibus hujusmodi superest, pro ipsorum prioris & conventus ac conversorum ac familiarium necessariis non est satis. Quare pro parte episcopi Prenestini, qui, ut asserit, duas partes pensionis sibi debite ipsis priori & conventui ex causis prefatis remisit, ac prioris & conventus prefatorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut hujusmodi pensionem dictis monialibus pro tempore preterito debitam remittere, & alias ipsis priori & conventui & eorum statui super premissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque attendentes, quod cum jactura alicujus Deo dicati loci alterius indemnitates suppleri non debent, ac de premissis certam notitiam non habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus si vocatis, qui fuerint evocandi, per informationem summariam per te super his auctoritate nostra habendam inveneris ita esse, & alias dictum monasterium fuisse tunc & nunc esse impotens ad solvendam pensionem hujusmodi dictis monialibus pro tempore preterito per eosdem priorem & conventum usque ad tempus date dictarum nostrarum literarum debitam auctoritate nostra relaxes pariter & remittas, necnon priori & successoribus suis pro tempore existentibus & conventui prefatis, ut ad illius solutionem prefatis monialibus pro hujusmodi preterito tempore, ut prefertur, debitam, aut eis de illa aliqualiter respondere minime teneantur, nec ad id inviti a quoquam coarctari valeant, reservatione hujusmodi & quibuscumque aliis in ejusdem reservationis literis contentis, necnon constitutionibus apostolicis, ceterisque contrariis nequaquam obstantibus, eadem auctoritate concedas.

Datum Rome apud sanctum Petrum VIII. idus junii pontificatus nostri anno quarto.

A. de Campo-regali

Sigillo plumbeo pendente.

CXIII.

CXIII.

Raphael prior Camaldulensis unit monasterio S. Mathiæ da Murano monasterium S. Martini de Prata.

Anno 1421. XI. junii.

Ex autographo ejusdem monasterii S. Mathiæ.

IN Dei nomine, amen. Anno ab ejus incarnatione M. CCCC. XXI. indictione XIIII. die XI. mensis junii secundum consuetudinem & cursum Florentinum tempore sanctissimi in Christo patris domini domini Martini divina providentia pape V. Actum in monasterio sancti Benedicti ordinis Camaldulensis de prope Florentiam, presentibus testibus egregio utriusque juris doctore domino Guasparre magistri Ludovici cive & advocato Florentino, Guillielmo Johannis populi sancti Stephani abbatie Florentine, Johanne Fatii populi sancte Trinitatis de Florentia, fratre Simone Salvi de Florentia monacho dicti monasterii sancti Benedicti ad hec vocatis &c. Sit omnibus manifestum, quod coram rev. in Christo patre & domino domno Raphaelo de Boncianis de Florentia Dei gratia sancte Camaldulensis eremi priore & totius ordinis Camaldulensis generali personaliter constitutus ven. & religiosus vir domnus Anselmus Cole de Benevento dicti ordinis Camald. procurator, & presertim nomine ven. & religiosi viri domni Petri de Fano prioris monasterii sancti Martini deserti & quemadmodum conquassati & ad ruinam deducti de Prata Concordiensis diocesis ordinis Camaldulensis ad infrascripta specialiter deputatus &c. omni via, modo &c. maxime quod dictum monasterium sancti Martini propter guerras, que in illis partibus fuerunt, fuerit destructum & in ruinam deductum, quare domus habitationis dicti monasterii fuerunt & sunt dirute, bona fuerunt & sunt inculta, & de futura cultura per multa verisimilia occurrentia non speratur, & penitus & omnino ille locus fuit & est derelictus & inhabitatus, & ipse constituens non valet, nec potest ipsum monasterium reparare, in manibus dicti domini prioris generalis predicti dicto monasterio sancti Martini, ejusque regimini & possessioni cuicumque sive civili, sive naturali, & omni juri, quod in eo haberet seu habere posset, renunciavit & ressignavit expresse, petens per dictum dominum generalem cum omni debita reverentia dictam renunciationem & resignationem recipi & admitti: & rev. in Christo pater dominus domnus Raphaelus prior & generalis dictam renunciationem & resignationem recepit & admisit, si & in perpetuum de jure tenetur & debet; mandans per me Benedictum notarium infrascriptum de predictis publicum confici instrumentum &c.

Item postea dictis anno, die &c. rev. in Christo pater dominus domnus Raphaelus de Boncianis &c. prior &c. generalis considerans, quod monasterium sancti Martini destructi de Prata Concordiensis diocesis propter guerras in partibus jam diu urgentes fuit & est collapsum, destructum & dirutum, & quasi ad nihilum deductum, in tantum quod bona ipsius fuerunt & sunt inculta, & locus ille totaliter inhabitatus & derelictus; & de his omnibus per ipsum dominum priorem & generalem predictum pluries habito colloquio, ratiocinio & tractatu cum fratribus, monachis & capitulo dicte sacre eremi Camaldulensis, & maxime circa reparationem dicti monasterii sancti Martini sic, ut premittitur, destructi & collapsi, & demum de ipsorum fratrum eremitarum, monachorum & capituli consensu, ut patere asseruit per literas dicti capituli sibi directas, cupiens & intendens de remedio salubri circa reparationem dicti monasterii providere, & non videns meliorem modum adhibendum circa ejusdem monasterii erectionem, reparationem & directionem, vigore dicti sui prioratus & generalatus officii, & omni modo, via &c. dictum monasterium sancti Martini cum omnibus juribus & pertinentiis suis monasterio sancti Mathie de Muriano ordinis Camaldulensis Torcellane diocesis de prope Venetias, & ipsius priori licet absenti, & religioso viro domno Anselmo Cole de Benevento dicti ordinis Camaldulensis sindico & procuratori prioris, fratrum & capituli & conventus dicti monasterii sancti Mathie de Muriano &c. presenti & dictis nominibus acceptanti, dedit & in perpetuum incorporavit, sibi diligentem administrationem in spiritualibus & temporalibus committendo; & quia viget fama laudabilis bone vite religiosorum residentium in prefato monasterio sancti Mathie, gratum esset prefato domino generali & capitulo, si posset aliquem ex monachis prefati monasterii in priorem dicti sancti Martini conlocare; hoc tamen in dispositione & voluntate prioris & capituli sancti Mathie com-

committendo, eorumdem conſcientias onerando. Et quia prefati dominus frater Raphaelus prior &c. generalis, & capitulum eremi, ſicut bene informati de oneribus expenſarum, quas ſuſtinet prefatum monaſterium ſancti Mathie, ut ipſe dominus generalis aſſerit, ut poſſint ſibi de opportuno remedio providere, contentatur, quod ſi Deo dante, bona ipſius monaſterii ſancti Martini poſſint cultivari, quod fructus ipſorum bonorum ſint prefatorum prioris & conventus ſancti Mathie, qui ſunt, & qui pro tempore erunt, hecque omnia, ſive de ponendo priore, ſive de non ponendo priore, & fructus eidem monaſterio ſancti Mathie applicando, intelligantur eſſe & ſint collata in conſcientia prefatorum prioris & conventus ſancti Mathie ad eorum de predictis libitum diſponendo, mandans per me Benedictum notarium infraſcriptum de predictis publicum confici inſtrumentum.

Ego Benedictus olim Marci Petri de Botteghariis de Licignano Vallis-Peſe comitatus Florentie civis Florentinus imperiali auctoritate notarius &c. de mandato dicti domini generalis ſcripſi & publicavi.

Pendet magnum ſigillum cereum prioris generalis.

CXIV.

Idem mandat prioribus monaſteriorum ſubjectorum alteri S. Mathiæ de Muriano, ut viſitatores & viſitationem recipiant.

Anno 1421. XXIV. julii.

Ex archivo præfati monaſterii S. Mathiæ.

FRater Raphael ſacre Camaldulenſis eremi prior ac totius ejuſdem ordinis generalis venerabilibus fratribus ſeu prioribus monaſteriorum ſanctorum Johannis de Judaycha Caſtellane dioceſis, ſancti Johannis-baptiſte de Clugia, & ſancte Marie de Angelis de Bononia, ſancti Johannis-baptiſte de Faventia ac ſancte Marie de Penſauro, ac etiam ſancti Johannis-baptiſte de Bagna-cavallo, Ravennatis dioceſis dependentium & manualium pii loci monaſterii ſancti Mathie de Muriano ordinis noſtri Camaldulenſis Torcellane dioceſis ſalutem in eo, qui eſt omnium vera ſalus. Prout ex noſtro officio ſollicitudo requirit & incumbit circa quorumcumque monaſteriorum & eccleſiarum noſtri ordinis ſtatum ac augmentum, & ſepiſſime periculum animarum, quantum cum Deo poſſimus . . oculos mentis noſtre, prout noſtri ordinis inſtituta in toto noſtro dicto ordine volunt & requirunt, & maxime viſitationis gratia, qua preſertim providere adſtringimur, non tam per nos viſitare, ſed etiam per prelatos noſtri ordinis ſubditos ac manualia habentes, prout etiam conſueverunt viſitare, ut crimina & defectus, ubi ſunt, purgentur, & ubi virtutes, exaltentur poſſidentes, & ſuperioribus ſuis obedientiam & reverentiam exhibentes, prout ex debito rationis & ex profeſſione tenentur, & apud Dominum eternam retributionem recipiant, & ad noſtram gratiam efficiantur uberiores per obedientiam mandatorum. Hinc eſt, quod cum aliquando, ut percepimus, prefata monaſteria & loca ſupranominata, neque eiſdem monaſteriis preſidentes viſitata non fuiſſent per priorem ſancti Mathie predicti de Murano, cujus monaſterii prefata monaſteria & loca manualia exiſtunt, ac ab eodem dependent, non in modicam jacturam predictorum monaſteriorum & locorum, & in eiſdem degentium periculum animarum; & quia ex noſtro officio & conſcientia cogimur, quod predicta monaſteria & loca tamquam manualia antedicti monaſterii ſancti Mathie per ejuſdem monaſterii priorem viſitentur, conſervando etiam jura ſupradicti monaſterii ſancti Mathie circa eadem manualia, ut tenemur, & ex predictis & aliis rationabilibus cauſis noſtrum animum moventibus, vos omnes & ſingulos ſupradictos monemus & hortamur in Domino, ac etiam in virtute ſancte obedientie & excommunicationis pena vobis & cuilibet veſtrum per preſentes precipiendo mandamus, quatenus ven. fratrem noſtrum domnum priorem ſancti Mathie predicti de Murano, aut ejus viſitatorem ſeu viſitatores ad predicta monaſteria & loca accedentem, ſeu accedentes vel venientes benigne & caritative recipiatis, & quilibet veſtrum recipiat ac tractet abſque aliqua contradictione juxta regulam beati patris noſtri Benedicti & noſtri ordinis inſtituta, & aliorum preteritorum priorum prelibati ſancti Mathie in talibus antiquas & laudabiles conſuetudines, ac etiam noſtri ordinis. Quod ſi ſecus feceritis, ſeu aliquis veſtrum fecerit, quod abſit, contra tales contrafacientes tamquam in rebelles

belles & inobedientes procedemus justitia mediante. Confirmantes ac etiam approbantes omnem sententiam seu sententias, quas contra vos aut aliquem vestrum in rebelles & inobedientes prefatus prior sancti Mathie, aut ejus visitator vel visitatores promulgaverit vel promulgaverint, volentes tamen presentes nostras literas penes sepedictum priorem sancti Mathie seu ejus visitatorem vel visitatores permanere. Et ad fidem & testimonium predictorum has nostras presentes literas jussimus cum appensione nostri sigilli muniri. Datum in nostro monasterio sancti Benedicti de prope Florentiam sub millesimo quadrigentesimo vigesimo-primo indictione quarta-decima die vero vigesimo-quarto mensis julii.

Ego Pacinus olim Feracini de Galeata notarius ex parte & de mandato predicti domini generalis subscripsi.

CXV.

Martinus V. confirmat conventiones initas inter priorem S. Catharinæ Montis-oliveti, & abbatem S. Blasii de Fabriano.

Anno 1421. XVI. kl. novembris.

Ex tabulario S. Blasii de Fabriano.

MArtinus episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Ea, que judicio vel concordia presertim pro pace & tranquillitate religiosarum personarum jugiter divinis laudibus deditarum salubriter terminantur, decet illibata persistere, illaque, ne in recidive contentionis scopulum relabantur, libenter apostolice confirmationis corroboramus munimine, & alias personis ipsis earumque locis illa favorabiliter concedimus, per que eis pacis & quietis commoda Deo propitio uberius procurantur. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum .. prioris sancte Catharine per priorem soliti gubernari Montis-oliveti nuncupati, & .. abbatis sancti Blasii de Fabriano monasteriorum ordinis sancti Benedicti Camerinensis diocesis, ac conventuum eorumdem petitio continebat, quod cum dudum inter ipsos super prioratu olim monasterio sancti Victoris de Clusis ordinis & diocesis predictorum, in quo prior & conventus monasterii sancte Catharine olim auctoritate quarumdam literarum quondam Innocentii VII. in sua obedientia, de qua partes ille erant, tunc nuncupati, nomine monasterii & dignitate abbatiali suppressis, ipsumque in prioratum dicti ordinis Montis-oliveti erectum, ac ei & illius generali subjectum, illumque cum omnibus juribus, jurisdictionibus, possessionibus & pertinentiis suis in baylia castri Perosarie dicte Camerinensis diocesis consistentibus eidem monasterio sancte Catharine incorporatum, annexum & unitum, seque illum literarum, necnon incorporationis, annexionis & unionis predictarum vigore assecutos fuisse canonice, illumque aliquamdiu tenuisse & possedisse, ac tunc etiam tenere & possidere pacifice & quiete, dictosque abbatem & conventum monasterii sancti Blasii se suppressioni, subjectioni, incorporationi, annexioni, unioni & literis predictis contra justitiam opposuisse, ac fecisse, quo minus iidem prior & conventus monasterii sancte Catharine dictum prioratum olim monasterium sancti Victoris potuissent pacifice possidere, abbas vero & conventus monasterii sancti Blasii predicti prefatum prioratum tunc monasterium sancti Victoris eidem monasterio sancti Blasii subjectum esse, illumque ad se de jure spectare asserebant, orta fuisset materia questionis, & causa hujusmodi ad Romanam curiam legitime introducta, & in palatio apostolico ex commissione apostolica aliquandiu ventilata, tandem super hiis omnibus per dilectos filios Alexium quondam Peregrini de Roma sancte Catharine, & Pierum quondam Galassini Pauli de Fabriano sancti Blasii monasteriorum ipsorum monachos, ac sindicos seu procuratores ad hec specialiter constitutos inter partes ipsas amicabilis intervenit compositio, per quam inter cetera prefati abbas & conventus monasterii sancti Blasii liti & cause hujusmodi sponte & libere renuntiarunt, ac quantum in eis fuit, incorporationem, annexionem & unionem predictas expresse ratificarunt & approbarunt, necnon prior & conventus monasterii sancte Catharine habentes etiam ad hoc a dilecto filio Johanne Montis-oliveti, ac omnium & singulorum monasteriorum & locorum dicti ordinis sancti Benedicti Montis-oliveti nuncupati generali per illius patentes literas suo sigillo munitas licentiam specialem, quamdam domum voltatam cum solo & edificio, ac quodam tenimento juxta ipsam, omnesque terras, & possessiones laborativas, sodivas, prativas, silvatas, conatas & arboratas, quas dicti prior & conventus sancte Catharine ad prefatum eorum monasterium justo

justo titulo spectantes tunc tenuerunt & possederunt in vocabulo Rogne, & in Rocche-medii & Muscani dicte diocesis bayliis, prefatis abbati & conventui monasterii sancti Blasii per eos perpetuo habenda, tenenda & possidenda, & in eorum usus libere convertenda tradiderunt, donarunt & concesserunt, factis renuntiationibus, & adjectis penis, prout in instrumentis publicis desuper confectis, & hujusmodi *ipsius* generalis literis, quorum tenores presentibus de verbo ad verbum inseri fecimus, plenius continetur. Quare pro parte abbatis, prioris, & conventuum predictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut compositioni hujusmodi, ac aliis in dictis instrumentis contentis pro eorum subsistentia firmiori robur apostolice confirmationis adjicere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui inter cunctos Christi-fideles, presertim inter partes predictas, ut eo devotius, quo quietius Altissimo famulari valeant, libenter pacis commoda procuramus, hujusmodi supplicationibus inclinati, compositionem hujusmodi, ac omnia & singula in dictis instrumentis contenta rata habentes & grata, auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus, & presentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem. Et nihilominus, ut prioratus ipse & persone in eo pro tempore degentes omnibus & singulis privilegiis, gratiis, exemptionibus & libertatibus monasteriis, prioratibus, locis & personis aliis dicti ordinis Montis-oliveti nuncupati ab apostolica sede generaliter concessis ex tunc perpetuo uti valeant, & gaudere, ipsis auctoritate predicta tenore presentium de speciali gratia indulgemus. Tenores vero instrumentorum predictorum tales sunt.

In nomine Domini, amen. Anno ejusdem M. CCCC. XXI. indictione XIV. tempore sanctissimi patris & domini domni Martini divina providentia pape V. die veneris IV. mensis julii actum in terra Fabriani in choro ecclesie monasterii sancti Blasii Camerinensis diocesis prope funes campanarum campanilis dicte ecclesie, presentibus honestis viris donno Nicolao quondam Johannis Marcutii, & donno Jacobo quondam Johannis parvo, & Alexandro Anselmi Morici de dicta terra testibus ad infrascripta vocatis specialiter & rogatis. Congregato & convocato capitulo & conventu monachorum dicti monasterii in dicto loco, in quo consuevit ipsum capitulum congregari, de mandato ven. viri fratris Anselmi Vannis de dicta terra abbatis dicti monasterii, ad sonum campanelle, ut moris est, in quo capitulo interfuerunt donnus Johanninus quondam Bartholomei Nutii, & donnus Pierus Galassini Pauli, & donnus Johannes quondam Matthei Cicchi de dicta terra, & donnus Bartholus quondam Benedicti Massi de castro Genghe districtus dicte terre monachi dicti monasterii, qui representant omnes monachos & totum capitulum & conventum dicti monasterii, prefatus abbas coram dictis monachis & capitulo proposuit & narravit, quod cum inter ipsos *&c.* & priorem, monachos *&c.* sancte Catharine de dicta terra *&c.* pendeat lis & questio in Romana curia coram ven. & egregio viro domino Petro Nardi de Roma Auditore sacri palatii, cui ipse dominus noster papa anno I. sui pontificatus commisit dictam litem *&c.* terminandam ad supplicationem dictorum abbatis & monachorum exponentium, quod unio, annexio, & incorporatio facta de dicto monasterio sancti Victoris de Clusis dicte Camerinensis diocesis cum omnibus juribus, jurisdictionibus, possessionibus & pertinentiis suis in baylia castri Plerosarie dicte diocesis consistentibus *&c.* per felicis recordationis Innocentium papam VII. pontificatus sui anno secundo XV. Kal. martii, de qua apparet littera in charta membrana sua vera bulla plumbea munita more Romane curie, dicto monasterio sancte Catharine fuerit facta subreptitie, & suffragante potentia seculari, insciis & ignorantibus abbate & monachis dicti monasterii sancti Victoris, quatenus dignaretur dictam unionem revocare & reducere ipsum monasterium in statum pristinum, & reintegrare ad primeva, & eamdem unionem annullare, & ipsum monasterium sancti Victoris ab omni unione & subjectione & submissione facta dicto monasterio sancte Catharine de prefato monasterio sancti Victoris liberare & eximere, prout in ipsa supplicatione apparet *&c.* & ob dictam litem & causam dicti abbas & monachi tam in dicta curia, quam extra, multa damna & dispendia, & labores personales, & vexationes sustinuerunt, & in futurum similia oporteat sustinere, nisi dicte cause & liti finis pacificus imponatur, cujus cause dubius est eventus, si videtur & placet dictis monachis & capitulo monasterii sancti Blasii pro evitandis damnis *&c.* per viam transactionis *&c.* finis dicte liti & cause imponatur,

tur, de qua concordia secundum relata eis per certos ipsarum partium benivolos & devotos contentantur prior & monachi supradicti, quod dicti abbas & monachi & capitulum, vel eorum & dicti monasterii sancti Blasii sindicus &c. cedant dicte liti & cause, & ratificent &c. dictam unionem &c. monasterii sancti Victoris & possessionum ejus, quod & quas prior & monachi supradicti monasterii sancte Catharine tenuerunt & fructaverunt a tempore dicte unionis citra, & tenent & fructant etiam de presenti, & promittant contra dictam unionem &c. exceptionem opponere, nec eam impugnare &c. molestare, inquietare ipsos priorem &c. dummodo dicti prior, fratres &c. cum licentia rev. viri domini generalis abbatis dicti ordinis Montis-oliveti &c. concedant dictis abbati & monachis dicti monasterii sancti Blasii &c. quamdam domum voltatam cum solo & edificio ejus cum uno tenimento juxta ipsam domum, & omnes terras &c. quas dictum monasterium sancte Catharine habet, possidet in vocabulo Rogne & in baylia Rocche-medii & in baylia Moscani &c. cum promissione legitime defensionis &c. & quod fiant instrumenta &c. dicte transactionis & concordie &c. & confirmationis dicte unionis &c. Qua proposita facta prefati monachi &c. cum auctoritate dicti abbatis, & ipse abbas &c. concorditer deliberaverunt & firmaverunt, quod pro causis & rationibus supradictis &c. concordia fiat modo supra declarato, & prout ipse partes vel earum syndici & procuratores voluerint, & quod in presenti capitulo constituatur sindicus & procurator dicti monasterii unus dictorum monachorum ad faciendam dictam transactionem &c. Quibus actis dicti abbas & monachi &c. legitime ordinaverunt eorum &c. sindicum &c. domnum Pierum supradictum monachum dicti monasterii &c. ad faciendam transactionem &c. cum priore & monachis &c. sancte Catharine modo & forma superius declaratis &c.

In nomine Domini, amen. Anno ejusdem M. CCCC. XXI. indictione XIV. tempore SS. in Christo patris & domini domini Martini providentia pape V. die veneris IV. mensis julii. Actum in terra Fabriani Camerinensis diocesis in domibus monasterii sancte Catharine ordinis fratrum Montis-oliveti in loco, qui dicitur capitulum, posito in quarterio Castri-veteris juxta trasannam claustri, & juxta refectorium, & juxta hortum, & juxta transannam, in qua sunt torcularia murata dicti monasterii sancte Catharine &c. Convocato & congregato capitulo &c. de mandato ven. viri fratris Philippi Antonii de Sancto-Geminiano prioris dicti monasterii sancte Catharine &c. in quo capitulo interfuerunt ipse prior & frater Alexius Peregrini de Roma monachus conventualis & vicarius ejusdem monasterii, & frater Benedictus Vagnini, & frater Lucas Antonii, & frater Nicolaus Silvestri, & frater Marcus Antonii de dicta terra Fabriani, & frater Johannes Matthei de Monte-claro, & frater Mattheus Petri de Septem-castris Teutonicus, & frater Benedictus Antonii de Nursia, & frater Franciscus ser Bartholi de Urbino monachi conventuales predicti monasterii, qui ut asserebant, representant totum capitulum & conventum dicti monasterii, prefatus prior in ipso capitulo coram dictis monachis & conventu proposuit & narravit, quod licet felicis recordationis Innocentius olim papa VII. per suas apostolicas literas vera bulla plumbea munitas more Romane curie XV. kal. martii pontificatus sui anno II. univerit, annexuerit & incorporaverit monasterium sancti Victoris de Clusis ordinis sancti Benedicti Camerinensis diocesis cum omnibus juribus &c. prefato monasterio sancte Catharine, cujus unionis vigore tunc intraverunt, & habuerunt corporalem possessionem dicti monasterii sancti Victoris &c. prior & fratres dicti monasterii sancte Catharine, & dictum monasterium sancti Victoris a dicto tempore citra tenuerunt, & ex possessionibus predictis fructus perceperunt, & tenent & percipiunt de presenti, tamen abbas & monachi monasterii sancti Blasii de dicta terra Fabriani dicte diocesis supradicto domino nostro pape Martino supplicaverunt anno primo pontificatus sui, quatenus dignaretur, quod cum subreptitie & suffragante potentia seculari, insciis & ignorantibus abbate & monachis dicti monasterii sancti Victoris dicta unio facta fuerit per ipsum Innocentium, dicta unio revocaretur, & reduceretur ipsum monasterium in statum pristinum &c. & prefatus dominus noster papa commisit predicta audienda & terminanda ven. & egregio viro domino Petro Nardi de Roma auditori sacri palatii, coram quo fuit processum in camera ad libelli oblationem per utramque partem, & super ipsis fuit lis contestata. Et demum productis articulis hinc inde fuit decreta remissio examinationis testium

ad

ad partes, prout in actis coram dicto domino auditore & commissario factis sic vel aliter dicitur latius apparere; & de predictis pendeat lis & questio inter dictos abbatem & monachos monasterii sancti Blasii ex parte una agentes, & dictos priorem & fratres monasterii sancte Catharine ex parte altera defendentes coram dicto domino auditore *&c.* & ob dictam litem & questionem dicti prior, monachi & capitulum labores plurimos, expensas *&c.* sustinuerunt, & in futurum oporteat sustinere, nisi ad concordiam & amicabilem compositionem perveniatur cum dictis abbate, monachis & capitulo dicti monasterii sancti Blasii, qui secundum relata eis per certos benivolos & devotos ipsarum partium contentantur & cupiunt per viam transactionis & concordie cedere dicte liti & questioni, cujus dubius est eventus, & ratificare & approbare dictam unionem & incorporationem, & contra eam per se vel eorum successores vel alios aliquo tempore nullam juris exceptionem opponere *&c.* dummodo dicti prior, fratres *&c.* dent, tradant & concedant dictis abbati & monachis monasterii sancti Blasii vel eorum sindico quamdam domum voltatam cum solo & edificio ejus cum uno tenimento juxta ipsam domum & omnes terras & possessiones laborativas, & sodivas, & silvatas, & conatas, & prativas & arboratas, quas dictum monasterium sancte Catharine habet & possidet in vocabulo Rogne, & in baylia Rocche-medii & in baylia Muscani districtus terre Fabriani diocesis Camerinensis juxta quecumque sua latera, cum promissione legitime defensionis *&c.* & quod fiat quietatio & remissio hinc inde expensarum *&c.* Qua proposita facta dicti prior & monachi conventuales asserentes a pluribus mensibus citra de & super predictis multotiens habuisse colloquium & tractatum, pro pace & quiete ipsorum, & evitandis litigiorum laboribus & dispendiis *&c.* concorditer deliberaverunt, quod dicta concordia & transactio fiat & finis dicte liti & cause imponatur *&c.* Et subsequenter dictus prior *&c.* & dicti monachi *&c.* ordinaverunt eorum *&c.* procuratorem *&c.* fratrem Alexium Peregrini de Roma *&c.* specialiter ad faciendam dictam concordiam & transactionem cum dictis abbate & monachis monasterii sancti Blasii modo & forma supra declaratis; & quomodocumque & qualitercumque ipsi sindico & procuratori videbitur & placebit *&c.* promittentes *&c.* ratum & firmum *&c.*

In nomine Domini, amen. Anno ejusdem M. CCCC. XXI. imdictione XIV. *&c.* die sabbati V. mensis julii. Actum in terra Fabriani in claustro monasterii sancti Blasii Camerinensis diocesis prope cisternam, posito juxta domos & juxta hortum dicti monasterii, & juxta filios magistri Pacis magistri Andree, presentibus ven. viro domino Johanne plebano ecclesie sancte Marie plebis de Frixia licentiato in decretis vicario rev. in Christo patris domini Johannis Dei & apostolice sedis gratia Camerinensis episcopi, & donno Francisco Guidocci & donno Gregorio Nicolutii, & donno Johannino Matthei de dicta terra sacerdotibus canonicis collegiate ecclesie sancti Venantii de ipsa terra, & donno Amico Andrutii Nutii, & donno Nicolao Johannis Marcutii sacerdotibus, & Nicolao Ramaldutii, & Johanne Dialte de dicta terra, & Baptista Patregnani de Domo habitatore dicte terre testibus ad infrascripta vocatis specialiter & rogatis. Cum hoc sit assertione infrascriptarum partium, quod coram ven. & egregio viro domino Petro Nardi de Roma auditore sacri palatii & commissario supradicti domini nostri pape pendeat lis & questio inter abbatem & monachos *&c.* sancti Blasii ordinis sancti Benedicti de dicta terra & diocesi & eorum sindicum & procuratorem ex parte una agentes, & priorem, monachos *&c.* sancte Catharine *&c.* & eorum sindicum & procuratorem ex parte altera defendentes super eo, quod pro parte dictorum abbatis & capituli fuit supplicatum dicto domino nostro pape anno primo pontificatus sui, quod cum felicis recordationis Innocentius papa VII. anno II. pontificatus sui XV. kal. martii univerit *&c.* monasterium sancti Victoris de Clusis dicti ordinis *&c.* prefato monasterio sancte Catharine surreptitie *&c.* quatenus dignaretur dictam unionem revocare *&c.* Et pro parte dictorum prioris & monachorum *&c.* sancte Catharine dicebatur dictam unionem *&c.* fuisse rite & juste factam per dictum olim Innocentium papam omni surreptione & potentia secu-lari remotis *&c.* & statim post ipsam unionem prior & fratres dicti monasterii sancte Catharine ingressi fuerunt corporalem possessionem dicti monasterii sancti Victoris *&c.* possederunt & fructaverunt pacifice & quiete scientibus & videntibus dictis abbate & monachis monasterii sancti Blasii, & non reclamantibus, nec contradicentibus usque ad tempus dicte mote litis & questionis, & de pre-

presenti tenent, possident & fructant vigore unionis predicte &c. & tam ipsa pars agens, quam predicta pars defendens in eorum capitulis per sollemnem tractatum deliberaverint, quod infrascripta concordia & transactio fiat per infrascriptos sindicos & procuratores, idcirco honestus vir domnus Pierus quondam Gallassini Pauli de dicta terra monachus sindicus &c. sancti Blasii &c. & ven. vir frater Alexius quondam Peregrini de Roma monachus conventualis & sindicus &c. sancte Catharine &c. concorditer ad infrascriptam transactionem &c. pervenerunt, videlicet, quod dictus domnus Pierus sindicus &c. acceptante supradicto fratre Alexio sindico &c. cessit, & per pactum & sollemnem stipulationem renuntiavit dicte liti, & cause, & omnibus actis pro parte dicti monasterii sancti Blasii factis &c. contra dictos priorem, fratres & capitulum monasterii sancte Catharine prefate, & ratificavit, approbavit, & confirmavit dictam unionem &c. factam per dictum olim Innocentium papam, & possessionem habitam per priorem & fratres &c. sancte Catharine de dicto monasterio sancti Victoris &c. & promisit per pactum & sollemnem stipulationem dicto fratri Alexio sindico &c. contra predictam unionem &c. nullam juris vel facti exceptionem opponere &c. vel molestare dictum monasterium sancte Catharine vel ejus priorem & fratres &c. in pacifica possessione dicti monasterii sancti Victoris &c. & predicta fecit dictus domnus Pierus sindicus & procurator cum voluntate dictorum abbatis & monachorum &c. pro eo quia dictus frater Alexius sindicus &c. cum consensu dicti fratris Philippi prioris &c. habita licentia rev. patris fratris Johannis de Urbe-veteri abbatis generalis ordinis Montis-oliveti &c. dedit, tradidit & concessit dicto domno Piero sindico &c. sancti Blasii &c. quandam domum voltatam cum solo & edificio ipsius, cum uno tenimento juxta ipsam, & omnes terras & possessiones laborativas, & sodivas, & prativas, & silvatas, & conatas & arboratas, quas dictum monasterium sancte Catharine habet &c. in vocabulo Rogne & in baylia Rocche-medii & in baylia Moscani &c. ad habendum, tenendum &c. perpetuo faciendum cum omnibus & singulis &c. ipsi domno Piero sindico &c. contulit & dedit, promittens dictus frater Alexius sindicus &c. dicto domno Piero sindico &c. de rebus supradictis &c. litem &c. non inferre &c. renunciantes dicti sindici exceptioni &c. Tenor autem subscriptionis cujuslibet dictorum instrumentorum talis est. Et ego Deutesalve Bonaventure de Fabriano imperiali auctoritate notarius predictis omnibus interfui & ea rogatus scribere scripsi & publicavi &c. Tenor quidem litere generalis hujusmodi talis est. Pateat omnibus evidenter presentes literas inspecturis, quod nos frater Johannes de Urbe-veteri humilis abbas generalis ordinis Montis-oliveti habentes certam notitiam, qualiter contra priorem, fratres, monachos, &c. sancte Catharine de Fabriano &c. lis &c. mota sit & fuerit per abbatem, monachos &c. sancti Blasii de Fabriano &c. occasione cujusdam unionis &c. per sedem apostolicam facte eidem monasterio sancte Catharine de monasterio sancti Victoris de Clusis districtus Fabriani & ejusdem diocesis, & quod ob causam dicte litis &c. imminent & imminere possent plura incommoda & dispendia eisdem priori, monachis &c. sancte Catharine &c. volentes pro evitandis dictis incommodis &c. sepedictis priori, capitulo &c. providere &c. licentiam concedimus priori, capitulo &c. sancte Catharine prefatis, quod cum supradictis abbate, capitulo &c. sancti Blasii prefati valeant atque debeant devenire ad amicabilem transactionem &c. & concedimus eis plenam licentiam & potestatem auctoritate nostra dandi & concedendi dictis abbati & monachis dicti monasterii sancti Blasii de bonis stabilibus & mobilibus prefati monasterii sancte Catharine &c. prout eis visum fuerit expedire, & omni modo & jure, forma &c. In quorum omnium testimonium &c. Datum in monasterio sancti Miniatis de prope Florentiam ordinis Montis-oliveti predicti nostre nunc residentie sub anno Domini M. CCCC. XX. die XXVII. mensis augusti XIII. indictione pontificatus sanctissimi domini nostri domini Martini divina providentia pape V. Nulli ergo omnino hominum &c. Si quis &c. Datum Rome apud sanctam Mariam-majorem XVI. kal. novembris pontificatus nostri anno quarto.

Jo. de Nursia.

CXVI.

Idem concedit priori S. Mariæ Angelorum de Florentia, ut transferat in ejus monasterii ecclesiam corpora SS. Proti, Hiacynthi & Nemesii Mm. ex abbatia Silvæ-mundæ.

Anno 1422. VIII. kl. februarii.

Ex chartulario ejusdem monasterii Angelorum.

MArtinus episcopus servus servorum Dei ad futuram rei memoriam. Sincere devotionis affectus, quem dilecti filii.. prior & conventus monasterii beate Marie de Angelis Florentin. Camaldulensis ordinis ad nos & Romanam gerunt ecclesiam, promeretur, ut eorum honestis petitionibus, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Pridem siquidem pro parte dictorum prioris & conventus nobis expositum extitit, quod in monasterio sancti Salvatoris de Silva-munda dicti ordinis Aretine diocesis beatorum Proti, & Hiacynthi ac Nemesii martyrum reliquie miraculose invente fuerunt. Verum quia monasterio ipso penitus desolato reliquie ipse a Christi-fidelium devotione penitus emote erant, ut debite custodirentur, & a fidelibus ipsis honorarentur, nos priori & conventui prefatis reliquias hujusmodi ad dictum monasterium beate Marie libere & licite transferendi, ipsasque inibi honorifice collocandi licentiam vive vocis oraculo duximus concedendam. Cum autem sicut eadem petitio subjungebat, ipsi prior & conventus, qui postea etiam de consensu dilecti filii moderni abbatis dicti monasterii sancti Salvatoris reliquias ipsas ad dictum monasterium beate Marie honorifice transtulerunt, ac illas inibi venerabiliter collocarunt, dubitent super translationem hujusmodi posse imposterum notari, sive modo aliquo molestari, pro parte eorumdem prioris & conventus nobis fuit humiliter supplicatum, ut ipsis super hoc opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati auctoritate apostolica tenore presentium declaramus reliquias ipsas de nostra licentia de prefato monasterio sancti Salvatoris ad dictum monasterium sancte Marie translatas fuisse, ac inibi sub eorumdem prioris & conventus custodia honorifice debere collocari atque teneri, decernentes propterea dictos priorem & conventum a nullo quovis modo posse imposterum molestari seu notari. Constitutionibus &c. Datum Rome apud sanctum Petrum IV. kal. februarias pontificatus nostri anno V.

M. de Pisis.

M. de Bossis.

CXVII.

Idem renovat bullam Gregorii XII. unionis monasterii de Carceribus congregationi Camaldulensi.

Anno 1422. VIII. kl. aprilis.

Ex apographo S. Michaelis de Muriano.

MArtinus episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Ex apostolice sedis provisione personarum Deo devotarum presertim sub regulari observantia Domino famulantium studio pie devotionis provenire dinoscitur, ut Romanus pontifex quandoque predecessorum suorum Romanorum pontificum gesta innovet, innovata restauret, & apostolica auctoritate fulciat innovata. Sane dilectorum filiorum moderni prioris & conventus monasterii sancte Marie ad Carceres per priorem soliti gubernari Camaldulensis ordinis Paduane diocesis petitio nobis nuper exhibita continebat, quod olim felicis recordationis Gregorius papa IX. predecessor noster priori, qui tunc erat, & conventui dicti monasterii sub regula sancti Augustini tunc degentibus pro eorum & dicti monasterii incremento quasdam literas concessit, & deinde, sicut eadem petitio subjungebat, bone memorie Angelus in ecclesia universali episcopus in ejus obedientia, de qua partes ille erant, tunc Gregorius XII. nominatus attendens, quod in ipso monasterio, quod utique sollemne & opulentum erat, duobus tantum canonicis & uno converso ibidem residentibus divinus cultus negligebatur, ac illius possessiones penitus erant inculte, & in ejus edificiis collapsum passim ruinam minabatur, volensque indemnitati ipsius monasterii consulere, illud, quod etiam ab aliquo alio monasterio non dependebat, cum omnibus membris, juribus & dependentiis suis de dicto ordine sancti Augustini ad prefatum Camaldulensem ordinem, ac ab omnibus subjectione, dominio & potestate quorumcumque superiorum ejusdem

dem ordinis sancti Augustini exemit & perpetuo liberavit, necnon pro uno priore & conventu ejusdem Camaldulensis ordinis, qui jam una cum familiaribus & conversis numero viginti-quinque existunt, deputavit, sub quorum observantia regulari divinus cultus hujusmodi ex tunc inibi refloruit, ac ipsius monasterii possessiones ad culturam reducte, necnon edificia hujusmodi decenter reparata existunt. Nos igitur moderni prioris & conventus prefatorum in hac parte supplicationibus inclinati literas ipsas, quas in cancellaria nostra diligenter inspici & examinari, ac presentibus inseri fecimus, cum nimia incipiant vetustate consummi, auctoritate apostolica tenore presentium innovamus, & presentis scripti patrocinio communimus, per hoc autem nullum jus alicui de novo acquiri volumus, sed antiquum, si quod habeat, tantummodo conservari. Tenor vero dictarum literarum sequitur, & est talis: Gregorius episcopus servus servorum Dei &c. (*Extat in Appendice T. VI. horum Annalium col.* 655.) Nulli ergo &c. nostre innovationis, communitionis, & voluntatis &c. Si quis &c. Datum Rome apud sanctum Petrum VIII. kal. aprilis pontificatus nostri anno quinto.

℞ta gratis. M. de Bossis.
P. de Montella. B. de Monte.

CXVIII.

Idem dispensat a defectu ætatis sex monachos de Carceribus, ut suscipere possint sacros ordines.

Anno 1422. VII. kl. aprilis.

Ex autographo monast. Carcerum.

MArtinus episcopus servus servorum Dei dilecto filio Jacobo priori monasterii sancte Marie ad Carceres per priorem soliti gubernari Camaldulensis ordinis Paduane diocesis salutem & apostolicam benedictionem. Sincere devotionis affectus, quem ad nos & Romanam geris ecclesiam, promeretur, ut petitionibus tuis illis, presertim, que divini cultus augmentum concernunt, quantum in Deo possumus, favorabiliter annuamus. Sane petitio tua nobis exhibita continebat, quod monasterium predictum, cui preesse dignosceris, pro eo quod in solitudine constitutum existit, monachis ad divinum cultum peragendum idoneis, & maxime pro Missarum celebratione in sacerdotio constitutis destitutum existit, & si quando monachi ex alienis monasteriis dicti ordinis professi ad illud, etiam de superiorum suorum consensu, accedant, tamen propter aeris intemperiem modicam vel admodum nullam moram inibi trahunt, ob quod divinus cultus in eodem monasterio, ac illius & ecclesiarum illi suppositarum animarum cura plurima negligitur in earumdem animarum detrimentum & scandalum plurimorum. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, in eodem monasterio nonnulli monachi ordinem ipsum expresse professi in decimo-octavo, & decimo-nono, ac etiam vicesimo eorum etatis annis constituti, ac inibi sub observantia regulari ab eorum infantia nutriti, necnon alias ad divinum cultum ibidem peragendum competenter instructi fore noscuntur, vestris supplicationibus inclinati tibi dispensandi cum sex ex monachis eisdem, de quibus tibi videbitur, ut quilibet ipsorum, postquam vicesimum-primum hujusmodi etatis annum attigerint, defectu etatis predicto, ac generalis concilii & aliis constitutionibus & ordinationibus apostolicis, necnon statutis & consuetudinibus monasterii & ordinis predictorum quibuscumque etiam juramento, confirmatione apostolica vel quacumque firmitate alia roboratis, ceterisque contrariis nequaquam obstantibus, ad omnes etiam sacros ordines promoveri, & in illis ministrare libere & licite valeant, plenam & liberam auctoritatem apostolica tenore presentium concedimus facultatem. Datum Rome apud sanctum Petrum VIII. kal. aprilis pontificatus nostri anno quinto.

℞ta gratis M. de Bossis.

CXIX.

Johannes ep. Camerinensis assentitur unioni factæ monasterio S. Blasii de Fabriano de ecclesiis S. Mariæ in Bucca-saxorum sive de Rosenga, S. Mariæ inter Saxa & S. Mariæ in Campis.

Anno 1422. III. octobris.

Ex autographo archivi S. Blasii.

IN Dei nomine, amen. Anno Domini millesimo quadrigentesimo vigesimo-secundo indictione quinta decima tempore sanctissimi in Christo patris & do-

mini domini Martini divina providentia pape quinti die sabbati tertia mense octobri. Actum in terra Matelice Camerinensis diocesis in ecclesia sancte Marie de Platea sita juxta ipsam plateam, & juxta vias publicas, presentibus egregiis viris dominis Porfirio Salimbeni de Camerino plebano plebis sancti Genesii decretorum, & Toma ... de Sarnano advocato sacri palatii apostolici causarum legum doctoribus, & ser Antonio ser Venantii de Serra-filiorum-Petroni testibus ad hec habitis, vocatis & rogatis. Universis & singulis inspecturis seriem presentis documenti publici pateat evidenter, quod constitutus personaliter coram reverendo in Christo patre & domino domino Johanne Dei & apostolice sedis gratia Camerinensi episcopo honestus & religiosus vir domnus Petrus Galassini de terra Fabriani Camerinensis diocesis monachus, & sindicus & procurator venerabilium & religiosorum virorum abbatis, monachorum & conventus sancti Blasii ordinis sancti Benedicti de terra predicta Fabriani, docens primo & ante omnia de sufficientia mandati ejus monstravit legendum ad informationem & claritatem de subscriptis habendam, quoddam privilegium sive indultum concessum per reverendissimum in Christo patrem & dominum dominum Gabrielem miseratione divina tit. sancti Clementis sancte Romane ecclesie presbyterum cardinalem Senensem in provinciis Marchie Anconitane, presidatus Farfensis, & Masse Trabarie apostolice sedis legatum & vicarium generalem, prefatis abbati, monachis, & conventui & monasterio, in quo quidem privilegio sive indulto scripto in pergameno sub Data Racaneti XVI. Kal. augusti anno Domini millesimo quadrigentesimo vigesimo-primo, ad postulationem ipsorum abbatis, monachorum & conventus exponentium suis causis ritu & ordine ibidem expressis ipsorum abbatis, monachorum, & conventus ac monasterii circa ejus menia indigentiam & ruinam, & insuper subsecuturam cessationem divini cultus in dicto monasterio, in casu, quo circa predicta non fieret provisio opportuna, idem reverendissimus dominus dominus legatus & vicarius apostolicus auctoritate sue legationis & vicariatus, & de speciali gratia univit, annexit & incorporavit ipsi monasterio providendo predictas ecclesias sancte Marie in Buccasaxorum, sive de Rosenga, & oratorium sancte Marie inter Saxa, & pro medietate ecclesiam sancte Marie in Campis tamquam membra vacantia tunc monasterii supradicti existentia sine cura, & tamquam loca, in quibus juxta expositionem ipsam consueverant & debebant ad nutum poni & deponi rectores per abbates ejusdem monasterii pro tempore existentes, statuens idem rev. dominus dominus vicarius apostolicus & legatus ipsas annexionem, unionem & incorporationem pro ipso monasterio fructuosum effectum habere post cedentem vel decedentem abbatissam dicte ecclesie sancte Marie de Rosenga, tunc antiquissimam, & sine moniali aliqua tunc ibidem existentem, & proviso, quod dicte ecclesie unite divinis non fraudentur obsequiis, prout in ipsis privilegio vel indulto diffusius & seriosius continetur. Et humiliter supplicavit eidem domino Camerinensi episcopo dictus sindicus, sindicario nomine quo supra, quatenus ex eo quod ecclesie predicte unite in ejus erant diocesi, ex ante dignaretur eisdem unioni, annexioni & incorporationi suum prebere assensum pariter & consensum, supplereque auctoritate ordinaria ejus illum & omnem, si quis esset, pro parte ipsorum abbatis, monachorum, conventus & monasterii in ipsius rei narratione defectum, ad obviandum impugnationi, que quovis modo forsitan fieri posset & fieret quovis tempore per dominos Camerinenses antistites in futurum, veluti de re ipsa non melius informatos attenta causa ad impetrationem prefati indulti necessitate supradictos abbatem, monachos & conventum. Qui quidem dominus Camerinensis episcopus viso, lecto & cognito dicto privilegio & indulto cum omni medulla & substantia ejus sigillato sigillo prefati domini vicarii & legati pendenti ad laqueum serici rubei impresso in cera rubea immissa in cera alba formata in modum & formam sigilli pontificalis, & pensata grandi animadvertentia & notoria circumspectione prefati rev. domini legati & vicarii apostolici, ut puta in suis actibus fallaciam non habente, & attento quod erat eidem rev. domino in his & aliis deferendum, predictis privilegio & indulto, & omni continentie, substantie, & effectui ejus juxta petitionem ipsius sindici suum assensum & consensum prebuit & prestitit, supplevitque omnem defectum, si quis esset in narratione predicta, omni modo, via, jure omni & forma, quibus melius potuit & potest. Et rogavit me Paulum notarium infrascriptum, quod de premissis conficerem publicum instrumentum.

Et

Et ego Paulus Petrucii de Dignano civis Camerinensis publicus imperiali auctoritate notarius, & nunc notarius curie episcopalis Camerinensis predictis presens fui, & ea rogatus scribere scripsi, & publicavi, signumque meum apposui consuetum.

CXX.

Martinus V. unit ecclesiam S. Nicolai alteri S. Georgii de Luco.

Anno 1423. xx. julii.

Ex tabulario S. Petri de Luco. I. 26.

MArtinus episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Johanni plebano sancti Johannis-majoris de Mucello, & Gaspari abbati sancte Trinitatis Florentie ordinis Vallis-umbrose salutem & apostolicam benedictionem. Ex injuncto nobis pastoralis officii debito personas religionis voto, & omnipotentis Dei obsequio perpetuo dedicatas, quantum cum Deo possumus, preservamus a noxiis, & earum necessitatibus libenter occurrimus opportunis. Sane pro parte dilectarum in Christo filiarum .. abbatisse & conventus, ac sororum monasterii sancti Petri de Luco Camaldulensis ordinis Florentine diocesis nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipse a tanto tempore, de cujus initio memoria hominum non existit, ecclesiam sancti Nicolai Luci parochialem eidem monasterio, cui propinqua existit, unitam & annexam possederunt, & illi in divinis deservire faciendo, & ejus onera perferendo, ac fructus, redditus & proventus percipiendo, & ad earum capitulum rectoris electio spectare multo tempore videatur. Et propter dissensionem ortam inter parochianos dicte ecclesie sancti Nicolai, & illos sancti Georgii causa superioritatis illorum pastorum, recursum ad nos fecerunt. Ideo ad tollendas tempore quocumque contentiones vobis Johanni plebano & Gaspari abbati per apostolica scripta mandamus, ut quamprimum ecclesiam predictam cum omnibus ejus bonis & pertinentiis suis perpetuo ecclesie sancti Georgii uniatis, annectatis, incorporetis, & providum & religiosum virum domnum Jacobum Petri a Burgo sancti Sepulcri rectorem dicte ecclesie sancti Georgii in rectorem etiam dicte ecclesie sancti Nicolai constituatis, non obstantibus constitutionibus & ordinationibus apostolicis contrariis quibuscumque. Datum Rome apud sanctam Mariam majorem anno incarnationis Dominice millesimo quadrigentesimo vigesimotertio die xx. mensis julii indictione nona pontificatus nostri anno VI.

In Dei nomine amen. Anno ejusdem ab incarnatione millesimo quadrigentesimo vigesimo-tertio quarta-decima die mensis octobris indictione quarta pontificatus in Christo patris & domini nostri Martini divina providentia pape V. Pateat omnibus, quod religiosus vir domnus Jacobus Petri de Burgo sancti Sepulcri monachus ordinis Camaldulensis rector parochialis & curate ecclesie sancti Georgii de Luco plebanatus sancti Johannis-majoris de Mucello comitatus & diocesis Florentine, cui ecclesie sancti Georgii fuit & est unita, connexa & incorporata ecclesia sancti Nicolai de Luco de Mucello comitatus & diocesis predicte, personaliter constitutus coram discreto viro Johanne Azzonis plebano plebis sancti Johannis-majoris de Mucello predicti comitatus & diocesis predicte electo & deputato ad infrascripta, presentavit eidem quasdam literas apostolicas sanctissimi in Christo patris domini nostri domini Martini pape quinti die xx. julii pontificatus ejus anno sexto, per quas dominus papa renovata unione, connexione, incorporatione facta de dicta ecclesia sancti Nicolai dicte ecclesie sancti Georgii, illam mandavit conferri per dominum supradictum plebanum & per religiosum virum domnum Gasparem abbatem sancte Trinitatis Florentie dicto domino Jacobo, prout latius in dictis literis continetur. Item presentavit eidem scripturam presentationis & exequutionis dictarum literarum, necnon subdelegationis seu commissionis super traditionem & inductionem possessionis ac tenute suarum possessionum dicto domino Jacobo dicte ecclesie sancti Nicolai, ejusque jurium & pertinentiarum, & rogavit dominus Bartholus ser Donati notarius Florentinus, & instantissime requisivit eumdem dominum Johannem, ut juxta formam dicte commissionis ipsum dominum Jacobum inducat, & ponat in tenutam & corporalem possessionem dicte ecclesie sancti Nicolai, juriumque, bonorum ac pertinentiarum ipsius, & alia omnia dicat & faciat, quod facere tenetur, & debet secundum formam dicti processus & commissionis prefate & literarum apostolicarum predictarum sub pena potestatis ordinis in dicto processu

cessu comminata per dictum domnum Gasparem executorem apostolicum. Qui dominus plebanus dicte plebis & commissarius apostolicus dictas literas apostolicas, processus & instrumenta, & ea, qua decuit, reverentia & devote, capite discooperto recepit, & deinde requisitus a dicto domino Jacobo, visis dicto processu, & commissione, & literis apostolicis, & delegatis consideratis, volens tamquam obedientie filius observare formam, ut in dicto processu factam per venerabilem patrem domnum Guasparem abbatem predictum & exequutorem apostolicum, obtulit se paratum manibus & juramento coram domino rectore exequi reverenter. Et demum ipse supradictum dominum Jacobum per manus sibi capiens induxit in dictam ecclesiam sancti Nicolai, ponens eum in tenutam & corporalem possessionem dicte ecclesie; & ponens in ejus manibus vectes & claves dicte ecclesie. Demum ad altare majus ejusdem ecclesie duxit, ponens in ejus manibus funem campanule, pannos altaris, & libros, statuens eundem dominum Jacobum in digniori loco dicte ecclesie ad sedendum, dicens eidem domino Jacobo: Esto verus & legitimus possessor, ac rector dicte ecclesie sancti Nicolai jurium, bonorum & pertinentiarum, jubens omnibus & singulis colonis & laboratoribus ipsius ecclesie, ut dicto domino Jacobo vel ejus legiptimis successoribus tamquam vero rectori ipsius ecclesie de fructibus & redditibus respondeant integre, quantum in ea fuit, & omnia alia fecit & dixit eidem dominus Johannes, que facere teneretur & deberet secundum formam dicti processus. Que omnia & singula predictus dominus Jacobus recepit & admisit animo & intentione acquirendi & retinendi corporalem possessionem & tenutam dicte ecclesie, asserens se dictam ecclesiam & ejus bona pertinentia & jura non tantum corpore, sed omni animo velle possidere pacifice & quiete, nullo contradictore apparente, & stetit pro libito voluntatis in dicta ecclesia. Quibus omnibus sic sollemniter peractis: Te Deum & alia divina officia ad laudem Dei, ipsiusque Marie virginis gloriose predictus dominus Jacobus siquidem & alii ibidem existentes sollemniter cantaverunt. Rogaverunt predicti dominus Johannes & dominus Jacobus me Zenobium notarium, ut de dictis omnibus publicum conficerem instrumentum.

Ego Zenobius Nicolai Ghinucci de Puliciano &c. notarius publicus Florentinus &c. scripsi & complevi.

CXXI.

Clemens rector ecclesiæ S. Michaelis de Lappurano quærit locare ipsam ecclesiam.

Anno 1424. VII. septembris.

Ex archivo S. Romualdi de Urbe. XV. 20.

IN nomine Domini, amen. Anno ejusdem a nativitate M. CCCC. XXIV. indictione II. &c. die jovis VII. mensis septembris. Actum in terra Fabriani &c. in ecclesia sancti Blaxii &c. presentibus domno Francisco Corradi filii Maxii de dicta terra priore monasterii sancte Marie Vallis-mergi, domno Nicolao Johannis plebano ecclesie sancti Gregorii de baylia Muscani, domno Alexandro Anselmi Morici rectore ecclesie sancti Severini de baylia Montis-fiavi districtus dicte terre &c. Sit publice notum &c. quod honestus vir domnus Clemens Vannis de castro Cerreti districtus Fabriani rector ecclesie sancti Michaelis de villa Lappurani districtus Rocche-contrade &c. ordinavit &c. suum procuratorem &c. Augustinum Matthei de dicta terra Rocche-contrate &c. ad comparendum &c. cum Nicolao ... olim rectore dicte ecclesie sancti Michaelis &c. Item ad locandum dictam ecclesiam sancti Michaelis cuicumque volenti officiare, & salarium & mercedem cuicumque officiatori promittendum &c.

Et Ego Bartolus Clementis Bartoli de Genga &c. notarius &c. scripsi &c.

CXXII.

Benedictus prior Camaldulensis curat recuperationem monasterii de Puteolis.

Anno 1424. XVII. septembris.

Ex chartulario S. Michaelis Pisarum.

CUm hoc sit, quod abbatia seu monasterium sancti Petri de Puteolis Lucane diocesis ordinis Camaldulensis occupatum fuerit per canonicos & capitulum Lucane civitatis; ideo reverendissimus in Christo pater & dominus domnus Benedictus prior sacre eremi Camaldulensis, & totius ordinis generalis cupiens & volens pro posse dictum monasterium de tali occupatione liberare, & dicto ordini conservare, non revocando aliquem sindi-

sindicum &c. ordinavit ejus & dicti ordinis sindicos &c. ven. & honestos viros dominum Chalanum quondam Johannis canonicum Pisanum licet absentem, dominum Dominicum quondam Jacobi de Gambaxio monachum dicti ordinis ibidem presentem & acceptantem, & dominum Johannem Elmech de Francia procuratorem in Romana curia absentem &c. ad recuperandum dictum monasterium & ejus jura quecumque a dicto capitulo Lucano &c. Actum Pisis in ballatorio claustri ecclesie sancti Michaelis de Burgo ordinis predicti apud capitulum dicte ecclesie, presentibus ven. viro domno Dominico Luce de Florentia abbate dicti monasterii sancti Michaelis, Jacobo quondam Johannis &c. anno M. CCCC. XXV. indictione II. die XVII. septembris.

CXXIII.

Martinus V. vetat monachis S. Mathiæ de Muriano, ne ad electionem novi eorum prioris veniant, eam sibi reservando.

Anno 1425. nonis junii.

Ex tabulario sancti Mathiæ.

MArtinus episcopus servus servorum Dei dilecto filio .. abbati monasterii sancti Michaelis de Murano Torcellane diocesis ordinis Camaldulensis salutem & apostolicam benedictionem. Ad ecclesiarum & monasteriorum omnium statum prospere conservandum paterna diligentia vigilamus, & ut illorum occurrente vacatione de personis idoneis & benemeritis valeat provideri libenter impendimus pastoralis sollicitudinis nostre curas. Intendentes igitur monasterio sancti Mathie de Muriano per priorem solito gubernari ordinis Camaldulensis Torcellane diocesis, cujus provisionem, ordinationem & dispositionem nobis hac vice specialiter reservamus, cum illud per obitum dilecti filii Petri moderni prioris ejusdem monasterii, aut alias quovis modo vacare contigerit, de persona secundum cor nostrum utili & idonea, per quam monasterium ipsum feliciter gubernari valeat, providere volentes, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus dilectis filiis conventui dicti monasterii, ad quos apostolicis cessantibus reservationibus ex speciali privilegio apostolice sedis vel alias electio, persone in priorem, & taliter electi confirmatio ad patrem abbatem dicti ordinis pertinere dicuntur, ne dicto monasterio vacante ad alicujus electionem procedere, aut aliquem in illius priorem eligere quovis modo presumant, auctoritate nostra inhibeas atque mandes, & contrafacientes ac tuis mandatis in hoc non obedientes excommunicationis sententiam eadem auctoritate denunties incurrisse, a qua, preter in mortis articulo constituti, nisi a Romano pontifice nequeant absolutionis beneficium obtinere. Non obstante &c. Ceterum volumus, ut quamprimum tibi de ipsius monasterii vacatione constiterit, nos provideas per tuas literas celeriter informare, ut illi talem personam in priorem auctore Domino preficere valeamus, per cujus salutare regimen, industriam & virtutem monasterium ipsum in spiritualibus & temporalibus feliciter gubernetur. Datum Rome apud sanctos Apostolos nonis junii pontificatus nostri anno octavo.

G. de Gallio.

Foris. Dilecto filio .. abbati monasterii sancti Michaelis de Muriano ordinis Camaldulensis.

CXXIV.

Petrus abbas Fontis-avellanæ permittit abbati de Acereta, ut cedat monialibus Cistercienсibus ecclesiam S. Luciæ de Faventia.

Anno 1425. II. novembris.

Ex authentico S. Laurentii de Florentia. n. 528.

IN Christi nomine. Anno a nativitate ejusdem millesimo CCCC. XXV. indictione III. tempore pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri domini Martini divina providentia pape quinti die veneris secundo mensis novembris. Cum ad ea, que utilitates &c. Igitur vener. in Christo pater & dominus domnus Petrus de la Serra Dei gratia abbas monasterii sancte Crucis Fontis-avellane Eugubine diocesis, & totius prefati ordinis sancte Crucis Fontis-avellane major generalis intellecta & diligenter audita suplicatione eidem pro parte ven. viri domni Francisci de Arcolanis de Faventia abbatis monasterii sancti Johannis-baptiste de Acereta Faven-

tine

tine diocesis ordinis prefate sancte Crucis exposita, per quam breviter exstitit enarratum, quod ecclesia sancte Lucie sita & constructa in civitate Faventie in capella sancti Hilarii in porta Montanaria curam non habens aliquam animarum, membrum & grancia monasterii sancti Johannis-baptiste de Acereta, est adeo cum ejus domibus desolata & destructa propter stipendiarios, qui quotiescumque contingit aliquos in prefata civitate Faventina stare & habitare, in ipsis ecclesia & domibus maxime temporibus hodiernis ponuntur, hospitantur & allogiantur, quod non possent commode ipse ecclesia & domus ruinam totaliter & de proximo minantes sine magnis laboribus, sumptibus & expensis per ipsum dominum abbatem reparari, quod quidem propter indigentiam prefati sui monasterii minime facere potest, cumque ut ipse dominus abbas sancti Johannis-baptiste predicti asseruit, & dixit, abbatissa & sorores & moniales loci seu monasterii sancti Bernardi de Faventia Cisterciensis ordinis plurimum cupiant, & affectuose intendant multis respectibus atque causis in ipsa ecclesia sancte Lucie & ipsius ecclesie domibus stare & perpetuo permanere, & in eisdem divina officia celebrare, ibidemque earum residentiam a modo facere, donec ipsa abbatissa & moniales vixerint & earum successores, & ipsam ecclesiam & ejus domus velint & intendant reparare; impetraverintque pluries ab ipso domino abbate dicta abbatissa & moniales, ut dictam ecclesiam sancte Lucie & ipsius domus dignaretur & vellet eisdem ex speciali dono gratie concedere pro ipsarum & suarum in dicta ecclesia futurarum sororum & monialium habitatione, mansione & domicilio, qui, ut asseruit, habita & obtenta prius a prefato generali suo debita licentia obtulit ipse dominus abbas vota & desideria dictarum abbatisse & sororum totis conatibus adimplere. Quocirca prefatus rever. pater domnus Petrus generalis antedictus habens etiam a conventu monachorum & capitulo generali dicti monasterii & abbatie sancte Crucis Fontis-avellane ad infrascripta & alia multa peragenda plenum & sufficiens mandatum rogatum & scriptum manu ser Mariozzi Blasii not. pub. Eugubien. cujus quidem mandati tenor post finem & publicationem presentis contractus ad infrascriptorum confirmationem de verbo ad verbum per me Johannem-baptistam notarium infrascriptum ponetur & describetur, precibus & instantia dicti domini abbatis sancti Johannis-baptiste, & ipsius justis supplicationibus inclinati pro bono & evidenti utilitate dicte ecclesie sancte Lucie suo nomine & vice, & nomine sui monasterii sancte Crucis & suorum successorum in presentia mei notarii infrascripti & testium infrascriptorum tenore presentium dedit atque concessit dicto domno Francisco abbati sancti Johannis-baptiste predicti presenti plenam & liberam licentiam & omnimodam potestatem, auctoritatem, atque bailiam dandi, conferendi & concedendi dictis abbatisse, sororibus & monialibus sancti Bernardi dictam ecclesiam sancte Lucie cum ipsius ecclesie domibus & solo circa & juxta dictam ecclesiam, & ejus domus & in dictam civitatem Faventie solummodo & dumtaxat existentibus, & ad eamdem ecclesiam spectantibus & pertinentibus pro ipsarum continue imposterum & suarum in ipsa ecclesia successorum habitatione, prout & sicut, & eo modo & pactis, conventionibus & forma ipsi domino abbati melius & utilius expediens & conveniens visum fuerit, hac tamen conditione in dicta concessione apposita & expressim adjecta, quod si aliquo tempore ipse moniales deficerent, & aliqua seu alique dicti ordinis Cisterciensis in dicta civitate Faventie non extarent, nec infra triennium in eadem civitate postea reperirentur alique, que vellent & possent ibidem profiteri & assumere habitum secundum regulam hujusmodi Cisterciensis ordinis, aut infra triennium eumdem occurrerent alique, ejusdem ordinis & habitus, que vellent & possent opportune se transferre ad hujusmodi monasterium, & in loco ipsarum presentium & futurarum monialium surrogari, & residere juxta juris formam & regulam supradicti ordinis Cisterciensis, tunc & eo casu dicta ecclesia sancte Lucie & ejus domus ad dictum monasterium sancti Johannis-baptiste omnino & libere revertatur. In quorum fidem *&c.* Actum in civitate Bononie in capella sancti Martini in domo habitationis & residentie ejusdem domini generalis, presentibus testibus egregiis viris domino Johanne domini Lalli de Aprutio, domino Johanne quondam Pancratie de Malziano studentibus in jure canonico *&c.*

Ego Johannes-baptista olim domini Ugolini de Pedronibus civis & not. Faventinus *&c.* scripsi & publicavi *&c.*

CXXV.

CXXV.

Martinus V. confirmat Camaldulensibus privilegium recipiendi ordines sacros a quocumque catholico episcopo, simulque episcopis ea occasione conferendi sacrum chrisma infantibus.

Anno 1426. IV. idus junii.

Ex autographo S. Mathiæ de Muriano.

MArtinus episcopus servus servorum Dei ven. fratri .. episcopo Concordiensi salutem & apostolicam benedictionem. Pia nos excitat & inducit affectio, ut eos, qui mundanis abjectis illecebris sub regulari habitu sedulo virtutum Domino reddunt sua vota, paterne caritatis studio prosequentes petitiones eorum, quantum cum Deo possumus, ad exauditionis gratiam admittamus. Sane pro parte dilectorum filiorum Benedicti generalis ministri, & abbatum & conventuum singularum personarum totius ordinis Camaldulensis nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet eis dudum, ut monachi ejusdem ordinis a quocumque maluerint catholico antistite ad omnes etiam sacros ordines promoveri, necnon ecclesias, altaria, cimiteria, & alia loca ecclesiastica dicti ordinis consecrari, ac vestimenta benedici facere libere & sine contradictione quacumque valeant, dudum fuerit ab apostolica sede concessum, ac idem antistes in plerisque locis promotionum, consecrationum & benedictionum hujusmodi, & non aliis temporibus, pro Christi-fidelium excitanda & adaugenda devotione infantibus chrismatis seu confirmationis sacramentum impartiri consueverit, nonnulli tamen eorumdem locorum ordinarii, seu ipsorum locumtenentium consuetudinem hujusmodi egre ferentes eidem antistiti, ne infantibus predictis temporibus hujusmodi sacramentum ministret, prohibere nituntur, sibique super hoc licentiam concedere recusant, unde eorumdem fidelium tepet quandoque devotio. Quare pro parte generalis, abbatum, & conventuum ac aliorum predictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut super hiis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur de premissis certam notitiam non habentes hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus de premissis omnibus auctoritate nostra te diligenter informes, & si per informationem hujusmodi ea vera esse repereris, super quo tuam conscientiam oneramus, generali, abbatibus & singularibus personis dicti ordinis, ut idem antistes, diebus, quibus promotiones, consecrationes & benedictiones hujusmodi ex concessione predicta fuerint in locis, in quibus prefata consuetudo inolevit, eorumdem locorum infantibus Chrismatis seu confirmationis sacramentum hujusmodi juxta consuetudinem eamdem alicujus super hoc minime requisita licentia impartiri libere & licite valeat, eadem auctoritate concedas. Non obstantibus constitutionibus &c. Datum Rome apud sanctos Apostolos IV. idus junii pontificatus nostri anno nono.

G. de Callio.

Pendet bulla plumbea cum literis:
MARTINUS PP. V.

CXXVI.

Martinus de Perusio abbas S. Silvestri Montis-subasii instituitur procurator prioratus S. Trinitatis de Perusio.

Anno 1426. XXIX. decembris.

Ex originali S. Blasii de Fabriano.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi amen. Noverint universi &c. quod anno a nativitate ejusdem M.CCCC.XXVI. indictione IV. die vero XXIX. mensis decembris &c. in mei notarii &c. presentia constitutus ven. ac circumspectus vir dominus Nicolaus de Mercatello decretorum doctor camere apostolice clericus, archipresbyter sancte Marie de Confinio Perusine diocesis procurator irrevocabilis rev. in Christo patris & domini domini Lucidi miseratione divina sancte Marie in Cosmedin S. R. E. diaconi cardinalis de Comite vulgariter nuncupati, tamquam prioris prioratus sancte Trinitatis ordinis Camaldulensis dicte Perusine diocesis, prout &c. loco sui posuit rev. patrem domnum Martinum de Perusio abbatem monasterii sancti Silvestri de Monte-subasio Spoletane diocesis, substituens &c. in eumdem &c. vices suas &c.

Acta fuerunt hec Rome in regione pontis in domo habitationis &c. presentibus ibidem domino Johanne de Vado literarum apostolicarum scriptore, & domno Angelo Juliani de Perusio rectore ecclesie sancti Pauli de Perusio testibus &c.

Et ego Angelus magistri Jacobi de Tuderto clericus Volaterranus &c. notarius &c.

CXXVII.

Martinus V. unit abbatiæ Vallis-castri monasterium S. Blasii de Fabriano.

Anno 1427. II. nonas januarii.

Ex autographo ejusdem S. Blasii archivi.

MArtinus episcopus servus servorum Dei dilecto filio .. priori monasterii sancti Cassiani per priorem soliti gubernari Nucerine diocesis salutem & apostolicam benedictionem. Inter curas multiplices, quibus occurrentium rerum, negotiorumque varietatibus obsidemur, illam attentius amplectimur, per quam regularia, presertim ordines & loca jugi sanctimonie dedita, prout congruere prospicimus, in spiritualibus & temporalibus prosperitatis optato dirigantur eventu, unde efficacis ad id solicitudinis studium instruere cupimus, & provisionis occurrere remedio salutaris, ne ordines & loca ipsa apostolice, quod absit, providentie destituta consilio periculose deformationis attingant obprobrium, sed labentis cursu temporis eis exquisito statu prospero continuum dante Domino in eisdem spiritualibus & temporalibus suscipiant incrementa. Sane pro parte dilectorum filiorum Anselmi sancti Blasii terre Fabriani & Eustachii Vallis-castri, sancti Benedicti & Camaldulensis ordinum Camerinensis diocesis monasteriorum abbatum & illorum conventuum nobis nuper exhibita petitio continebat, quod monasterium sancti Blasii predictum propter guerrarum turbines & calamitates alias, quibus partes ille miserabiliter afflicte fuere, adeo facultatibus & redditibus destitutum, ad egestatisque dispendium reductum est, quod ipse Anselmus abbas & quatuor illius monachi de hujusmodi facultatibus & redditibus decenter vivere & commode sustentari non possunt, imo plerumque necessitate ducti pro acquirendis vite necessariis unus vel duo ex eis extra monasterium sancti Blasii prefatum ad alia se loca transferre coguntur, domus quoque & habitationes dicti monasterii sancti Blasii pro majori parte destructionis subjacent obprobrio, & eis ad casalena redactis ipsum monasterium sancti Blasii, nisi quantocius succuratur eidem, passim tendet in collapsum. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, ipsum monasterium Vallis-castri per decem milliaria a dicta terra in nemore & loco silvestri consistat, in quo predicti ejus abbas & conventus propter similes, quibus partes ille oppresse fuerunt, & que comminantur dietim guerrarum turbines ac calamitates, ac etiam aliquorum predictas & finitimas partes, illarumque habitatores & incolas sicariorum adinstar frequentius obruentium discursus tute & absque personarum, rerumque periculis residere, & sua exolvere vota Domino libere non possunt, & propria, ad que predictis intumescentibus periculis se cum suis libris & aliis etiam pretiosis rebus & bonis retrahere possent domicilia in predicta, que fortis & munita est terra, non habentes segregatim ad diversas etiam laicorum habitationes cum predictis solvendis libris, rebus, ac bonis declinare, & relicto divino religionisque cultu protractam inibi facere moram constricti plerumque fuerunt temporibus retroactis, in ipsorum utique, ac dicti monasterii Vallis-castri dispendium non modicum, jacturam atque damnum, & si monasterium sancti Blasii predictum cum omnibus suis juribus & pertinentiis eidem monasterio Vallis-castri in perpetuum uniretur, & incorporaretur, ipsaque monasteria mutua sibi invicem presidia ministrarent, multipliciter exinde statui & indemnitatibus consuleretur eorumdem, pro parte dictorum abbatum & conventuum asserentium, quod sancti Blasii quadraginta, & Vallis-castri monasteriorum predictorum centum ac sexaginta Florenorum auri fructus, redditus & proventus secundum communem extimationem valorem annuum non excedunt, nobis fuit humiliter supplicatum, ut super hiis eis ac dictis monasteriis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque, qui de premissis certam notitiam non habemus, hujusmodi supplicationibus inclinati discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, super premissis omnibus & singulis auctoritate nostra te diligenter informes, & si per informationem hujusmodi ita esse inveneris, super quibus tuam conscientiam oneramus, monasterium sancti Blasii predictum cum eisdem suis juribus & pertinentiis ipsi monasterio Vallis-castri, imperpetuum auctoritate nostra incorpores, unias & annectas, ita quod quamprimum abbatialem dignitatem ipsius monasterii sancti Blasii quovis modo vacare contigerit, illa & dictus ordo sancti Benedicti penitus inibi suppressi & extincti sint, liceatque abbati ipsius monasterii Vallis-castri,

castri, qui tunc erit, per se vel alium seu alios corporalem monasterii sancti Blasii juriumque & pertinentiarum predictorum possessionem auctoritate propria apprehendere, necnon sibi ac successoribus suis dictorum monasteriorum abbatibus, qui erunt pro tempore, fructus, redditus & proventus monasterii sancti Blasii hujusmodi in suos dictorumque monasteriorum usus perpetuo convertere pariter, & retinere, diocesani loci & cujusvis alterius super hoc licentia minime requisita. Statuens preterea & ordinans auctoritate nostra prefata, quod ex tunc ipsum monasterium sancti Blasii dicti ordinis Camaldulensis sit, ac ejus etiam moderni monachi in habitu & singulis aliis ipsius ordinis Camaldulensis regularibus institutis se conforment, ac unus monasteriorum eorumdem conventus existat, in ipso quoque monasterio sancti Blasii competens monachorum, quorum claustralis inibi per abbatem dicti monasterii Vallis-castri, existentem pro tempore suo nutu ponendus & revocandus prior curam regimenque gerat, ac ministrorum numerus habeatur. Nos enim si hujusmodi unionem, annexionem, & incorporationem per te fieri contigerit, tibi monasteria predicta illorumque personas in capite & membris hac vice dumtaxat eadem auctoritate nostra visitandi, ac inibi ubicumque expedire vel congruere prospexeris, visitationis hujusmodi, necnon reformationis & correctionis officium efficaciter impendendi, & que etiam per statutorum consuetudinumque monasteriorum eorumdem innovationem & approbationem, vel alterationem sive mutationem ad regularem solidandam inibi observantiam, & alia omnia & singula, que super hiis quomodolibet necessaria vel opportuna fuerint, auctoritate nostra predicta statuendi, ordinandi, faciendi & exequendi plenam & liberam concedimus tenore presentium facultatem. Non obstantibus constitutionibus apostolicis &c. Datum Rome apud sanctos Apostolos II. nonas januarii pontificatus nostri anno decimo.

G. de Gallio.

Pendente sigillo plumbeo consueto.

CXXVIII.

Joachim prior S. Cassiani de Fabriano exequitur, ut delegatus apostolicus, unionem prædictorum monasteriorum.

Anno 1427. VI. junii.

Ex authentico S. Blasii de Fabriano.

IN Dei nomine, amen. Anno ejusdem M. CCCC. XXVII. indictione V. tempore domni Martini divina providentia pape V. die VI. mensis junii Fabriani in ecclesia sancti Blasii posita in terra Fabriani &c. Cum hoc sit, quod pro parte monasteriorum sanctorum Blasii & Vallis-castri Camerinensis diocesis fuerit sanctissimo nostro domino Martino pape V. humiliter supplicatum, quod dignaretur de dictis ecclesiis & monasteriis unionem facere pro ipsorum monasteriorum utilitate, & ex causis in eorum supplicatione expressis & declaratis, dictusque sanctissimus dominus noster inclinatus eorum supplicationibus, & intendens juxta eorum vota, quod dicta unio fiat, commiseritque rev. patri & honesto viro Jovacchino Guidi priori ecclesie sancti Cassiani districtus Fabriani, ejus conscientiam onerando, quod de veritate predictorum oratorum coram eo se informet, & si reperiat ita esse verum, ut supplicatum fuit, & in literis apostolicis continetur, quod dictam unionem faceret cum visitatione in datis literis expressata. Unde prefatus dominus prior dicens & asserens se premissam informationem habuisse a testibus & fidedignis personis, ac etiam quatenus ex facti evidentia percipere potuit, quod narrata & expressa in dicta supplicatione & literis apostolicis erant vera, & quod unio antedicta erat & cedebat ad commodum & utilitatem & conservationem dictarum ecclesiarum & monasteriorum, & divini cultus, ac etiam salutem animarum parochianorum dictorum monasteriorum. Ideo Christi & sue gloriose matris & sanctorum Blasii & Romualdi, & totius celestis curie nominibus invocatis pro tribunali sedens in una sede eorum posita in ecclesia dicti monasterii sancti Blasii electa per eumdem dominum priorem primo in suum tribunal unionem dictarum ecclesiarum & incorporationem vigore dicte sue commissionis fecit & declaravit, univit & incorporavit cum juribus & pertinentiis ipsarum, & cum potestate & facultatibus eidem commissis, & in

datis literis apostolicis expressis secundum formam & dispositionem dictarum literarum, & prout & sicut melius fieri potuit *&c.*

Et ego Fazinus ser Rainaldi de Fabriano publicus & imperiali auctoritate notarius predictis omnibus & singulis, dum ita agerentur, interfui, & ea rogatus scribere scripsi & publicavi, signumque meum apposui consuetum.

CXXIX.

Martinus V. confirmat electionem prioris de Carceribus Francisci de Sandellis.

Anno 1427. VI. kl. julii.

Ex archivo S. Michaelis de Muriano.

MArtinus episcopus servus servorum Dei dilecto filio .. abbati monasterii sancte Justine Paduane diocesis salutem & apostolicam benedictionem. Dignum arbitramur & congruum, ut illis se reddat sedes apostolica gratiosam, quibus ad id propria virtutum merita laudabiliter suffragantur. Dudum siquidem bone memorie Angelus in universali ecclesia episcopus Gregorius XII. in ejus obedientia, de qua partes ille tunc erant, nuncupatus, ex certis causis animum suum ad id moventibus per suas literas inter cetera voluit & ordinavit, quod quotiescumque prioratum monasterii sancte Marie ad Carceres, per priorem soliti gubernari, Camaldulensis ordinis Paduane diocesis usque ad triginta annos ex tunc proxime secuturos prioris regimine destitui contingeret, monachi dicti ordinis, qui in eodem monasterio residerent pro tempore, juxta consuetudinem & regularia instituta ipsius ordinis aliquem de se ipsis aut extra dictum monasterium alium monachum dicti ordinis expresse professum, & in sacerdotio constitutum ad hoc utilem & idoneum in eorum & dicti monasterii priorem eligere possent & deberent, quam quidem electionem, quotiescumque ipsam infra triginta annos hujusmodi, ut premittitur, fieri contingeret, vim confirmationis habere voluit, sic quod idem electus ex tunc dictum prioratum in spiritualibus & temporalibus regere libere & licite valeret, ac si hujusmodi electio de ipso taliter facta per superiorem dicti ordinis, seu alios, ad quos de jure vel consuetudine electio priorum prioratuum ejusdem ordinis pertineret legitime, confirmata fuisset, prout in eisdem literis plenius continetur. Et deinde sicut exhibita nobis nuper pro parte dilecti filii Francisci de Sandellis monachi monasterii sancti Michaelis de Muriano dicti ordinis Torcellane diocesis petitio continebat, dicto prioratu, quem quondam Jacobus ipsius monasterii prior, dum viveret, obtinebat, per ejusdem Jacobi obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacante, dilecti filii conventus ejusdem monasterii sancte Marie earum literarum vigore ad electionem futuri prioris ejusdem monasterii sancte Marie procedentes, vocatis omnibus, qui potuerunt & debuerunt electioni hujusmodi commode interesse, die ad eligendum prefixa, ut est moris, convenientes in unum, eumdem Franciscum in suum & ejusdem monasterii sancte Marie priorem concorditer elegerunt, ipseque Franciscus electioni hujusmodi illius sibi præsentato decreto consensit, & illius ac etiam predictarum literarum vigore prioratum predictum extitit assecutus, illumque ex tunc tenuit & possedit, prout tenet & possidet etiam de presenti. Cum autem sicut eadem petitio subjungebat, idem Franciscus dubitet electionem predictam & alia inde secuta juribus non subsistere, & sicut accepimus dictus prioratus adhuc, ut prefertur vacare noscatur; nos volentes eumdem Franciscum apud nos de religionis zelo *&c.* commendatum, horum intuitu favore prosequi gratioso, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus si *&c.* eidem Francisco auctoritatem nostram conferas & assignes, inducens per te vel alium seu alios ipsum Franciscum *&c.* in corporalem possessionem prioratus, juriumque & pertinentiarum predictorum & defendas inductum *&c.* Non obstantibus *&c.*

Datum Rome apud sanctos Apostolos VI. kal. julii pontificatus nostri anno X.

℞ta gratis. G. de Callio.

CXXX.

CXXX.

Idem instituit in abbatem eumdem priorem de Carceribus.

Anno 1427. kl. decembris.

Ex apographis ejusdem archivi.

MArtinus episcopus servus servorum Dei dilecto filio .. archidiacono ecclesie Vincentine salutem & apostolicam benedictionem. Ex superne majestatis providentia in supreme dignitatis specula Romanus pontifex constitutus circa ecclesiarum & monasteriorum omnium sue cure commissorum profectum, veluti ex debito sibi incumbit, pastoralis officii diligenter prospicit & intendit, necnon illorum statum in melius commutari ac honore augeri decernit, prout qualitas ipsorum exigit, & cause rationabiles exhortantur. Sane petitio dilectorum filiorum Francisci prioris & conventus monasterii sancte Marie ad Carceres per priorem soliti gubernari Camaldulensis ordinis Paduane diocesis nobis nuper exhibita continebat, quod cum ad monasterium ipsum & illius personas Deo dicatas propter regularem observantiam, que inibi dietim viget, & per amplius imposterum elucere speratur, Christi-fidelium partium illarum singularis exuberet devotionis affectus, illudque quamvis super ejus fructibus, redditibus & proventibus ven. frater noster Angelus episcopus Prenestinus pensionem annuam trecentorum & decem ducatorum auri Venetorum sibi, quoad vixerit, per eumdem Franciscum & successores suos, qui erunt pro tempore ipsius monasterii priores, annis singulis persolvendam ex resignatione & assignatione sedis apostolice percipiat annuatim, venustate, facultatibus & decentia sit famosum & ab aliquo alio monasterio vel regulari loco nequaquam dependeat, horum consideratione dignum foret & congruum monasterium ipsum abbatialis dignitatis titulo decorari, ut devotio prefata erga illud & ejus personas antedictas procedente tempore amplius invalescat, & ibidem religio jugiter prosperetur, ac etiam dilatetur. Quare pro parte prioris & conventus predictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut in prefato monasterio abbatialem dignitatem creare & erigere, quodque in antea Franciscus & successores predicti abbates ejusdem monasterii sint & nuncupentur, statuere, ac alias super iis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur de premissis certam notitiam non habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus si per diligentem informationem per te super premissis auctoritate nostra recipiendam ea inveneris ita esse, super quo tuam conscientiam oneramus, in monasterio predicto, in quo nihilominus omnia & singula privilegia, exemptiones, libertates & immunitates, gratie, indulta, & concessiones antea illi & ejus personis predictis quomodolibet suffragantia quacumque auctoritate processerint, semper salva persistant, abbatialem dignitatem auctoritate predicta crees & erigas, quodque deinceps perpetuis futuris temporibus Franciscus & successores prefati abbates ejusdem monasterii sint & nuncupentur, statuas & decernas. Non obstantibus &c. Per hoc autem diocesano loci vel quibusvis aliis nullum alias volumus prejudicium generari.

Datum Rome apud sanctos Apostolos kalendis decembris pontificatus nostri anno XI.

Pro A. de Luschis M. de Bossis.

CXXXI.

Leonardus rector S. Mariæ a Mari, & S. Jacobi de Arzilla territorii Fanensis concedit in emphyteusim terras.

Anno 1428. VII. junii.

Ex archivo abbatiæ Classensis Ravennæ.

IN Christi nomine, amen. Anno ab ejusdem nativitate M. CCCC. XXVIII. indictione VI. die VII. mensis junii tempore pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini domini Martini divina providentia pape V. Honestus & religiosus vir domnus Leonardus quondam Laurentii de Burgo sancti Sepulcri provincie Masse Trabarie monachus ordinis Camaldulensis, ac prior ecclesie sancte Marie a mari, & capelle sancti Jacobi de l' Arcilla posite in territorio civitatis Fani ibi prope portam dicte civitatis eundo versus Pensaurum existens presentialiter in urbe Ravenna constitutus humiliter ante presentiam ven. patris & domini domni fratris Johannis monachi dicti ordinis Camaldulensis abbatis sancti Apollinaris in Classe, & extra & prope Ravennam superioris & patris ejusdem

dem domini Leonardi spiritualis ibidem presentis, & presenti instrumento locationis & omnibus & singulis infra dicendis, in eo contentis expresse consentientis, ipse domnus Leonardus predictus de plena licentia dicti abbatis presentis, ut supra, sponte & ex certa scientia *&c.* concessit & locavit provido viro magistro Benedicto quondam Dominicucii de Perusio civi & habitatori, ut asseruit, civitatis Fani presenti pro se & tantum stipulanti, recipienti & conducenti, videlicet unam tornaturiam terre prative, & plus & minus, quantacumque sit, ubi situata est, constructa & edificata dicta ecclesia sancte Marie a mari, & capella sancti Jacobi de l' Arzilla suprascripta posita in dicto loco juxta litus maris Adriani, ab uno latere est via communis, ab alio vel aliis, si qui forent dicte rei plures aut veriores confines, & cum omnibus & singulis aliis bonis ad ipsam ecclesiam & capellam spectantibus & pertinentibus ubicumque situatis, positis & confinatis hinc ad quinque annos proxime futuros inchoandos a die celebrationis contractus, ut sequitur, Deo auctore finiendos. Promittens *&c.* Necnon etiam dictus conductor teneatur & debeat durante dicto tempore locationis predicte officiari facere annuatim per illum & quecumque modum, prout & secundum quod dicto conductori melius & utilius videbitur pro utilitate & beneficio dictarum ecclesie & capelle *&c.*

Cui quidem contractui locationis predicte & omnibus & singulis suprascriptis sic factis *&c.* idem ven. pater & dominus domnus frater Johannes de Franguillis abbas suprascriptus ad cautelam omnium predictorum plene annuit & concessit *&c.*

Actum in civitate Ravenne in guayta Gazzi in domibus hospitalis sancte Marie de la Misericordia sub claustro dictarum domorum, presentibus honestis & religiosis viris fratre Bartholomeo quondam Francisci de Talamello ordinis eremitarum sancti Augustini, domno Francisco filio Nannis de Burgo sancti Sepulcri priore sancti Andree de Aretio & monacho professo dicti ordinis Camaldulensis asserente se notitiam habere supradicti magistri Benedicti conductoris supradicti, ipsumque longo tempore cognovisse & de presenti cognoscere, magistro Guasparro quondam Benedicti spatario omnibus civibus & habitatoribus civitatis Ravenne, excepto domno Francisco suprascripto, testibus ad predicta adhibitis, vocatis specialiter & rogatis.

Et ego Pedrinus filius quondam ser Melini de Meliis civis Ravennas publicus imperiali auctoritate notarius ac judex ordinarius, necnon dicti monasterii notarius & scriba, videlicet sancti Apolinaris in Classe, predictis omnibus & singulis suprascriptis, dum sic per dictas partes agerentur & fierent, presens fui, & ea rogatus scribere fideliter predicta scripsi, & in hanc publicam formam redegi. Signumque meum in fidem omnium premissorum apposui consuetum.

CXXXII.

Martinus V. concedit Francisco abbati S. Mariæ de Carceribus usum insignium pontificalium.

Anno 1428. XIII. kl. octobris.

Ex tabulario S. Michaelis de Muriano Venetiarum.

MArtinus episcopus servus servorum Dei dilecto filio Francisco abbati monasterii sancte Marie de Carceribus Camaldulensis ordinis Paduane diocesis salutem & apostolicam benedictionem. Exposuit tue devotionis sinceritas, & religionis promeretur honestas, ut tam te, quem speciali devotione prosequimur, quam monasterium tuum dignis honoribus attollamus. Hinc est, quod nos tuis in hac parte supplicationibus inclinati, ut quamdiu dicto monasterio prefueris, mitra, annulo & aliis pontificalibus insigniis libere uti; necnon quod in dicto monasterio & prioratibus illis subjectis, ac parochialibus & aliis ecclesiis ad te, & dilectos filios conventus ejusdem monasterii communiter vel divisim pertinentibus, quamvis tibi & illis pleno jure non subsint; benedictionem solemnem post Missarum, Vesperarum & Matutinarum solemnia, dummodo in benedictione hujusmodi aliqui antistes vel sedis apostolice legatus presens non fuerit, elargiri possis, felicis recordationis Alexandri pape IV. predecessoris nostri, que incipit *Abbates*, & aliis quibuscumque constitutionibus apostolicis in contrarium editis nequaquam obstantibus, tibi auctoritate apostolica de speciali gratia, tenore presentium indulgemus. Nulli ergo *&c.* Si quis *&c.* Datum Genazani Prenestine diocesis XIII. kal. octobris pontificatus nostri anno XI.

Rta gratis F. de Vellate.

CXXXIII.

CXXXIII.

Lucidus cardinalis de Comitibus renuntiat prioratum S. Trinitatis de Perusio.

Anno 1429. XVII. mensis aprilis.

Ex chartulario S. Blasii de Fabriano.

IN nomine Domini, amen. Anno Domini M. CCCC. XXIX. indictione VII. tempore sanctissimi in Christo patris & domini domini Martini divina providentia pape V. die XVII. mensis aprilis. Actum Perusii in porta Solis in ecclesia sancti Severi de monte in sacristia dicte ecclesie, presentibus dompno Bartholomeo Paulutii de Perusio rectore ecclesie sancte Lucie, dompno Antonio Angeli de Castello ordinis Camaldulensis &c. testibus rogatis. Cum ad notitiam ven. viri domini Johannis Marci de Mercatello prioris prioratus ecclesie sancti Antonii de Perusio, ut dixit, quod rev. in Christo pater & dominus dominus Lucidus &c. cardinalis de Comite vulgariter nuncupatus, tamquam prior prioratus sancte Trinitatis ordinis Camald. &c. eum & dominum Nicolaum de Mercatello licentiatum in decretis archipresbyterum ecclesie sancte Marie de Confinio Perusine diocesis &c. creaverit suos dicto nomine procuratores &c. Item ad renuntiandum sive reassignandum nomine ipsius domini constituentis prioratum predictum sancte Trinitatis cum juribus & pertinentiis suis in manibus domini nostri pape, vel alterius cujuscumque &c. Volens dictus domnus Johannes de Mercatello procurator predictus voluntatem dicti reverendissimi domini cardinalis, & dictum ejus mandatum exequi cum effectu, ideo existens in dicto loco in presentia religiosi viri domni Martini Guidoti de Perusio prioris ecclesie sancte Agnetis de Collina procuratoris rev. in Christo patris & domini domni Benedicti de Foro-livio prioris sancte eremi Camaldulensis ac ejusdem ordinis generalis, habito consensu venerabilium fratrum suorum capituli & conventus dicte eremi &c. procuratorio nomine ejusdem cardinalis &c. ipsum prioratum & ecclesiam sancte Trinitatis in manibus dicti domni Martini procuratoris &c. renunciavit expresse &c.

Eodem anno, die &c. Vacante dicto ptioratu sancte Trinitatis de prope Perusium & Perusine diocesis per renunciationem predictam domnus Martinus, qui supra procurator &c. domnum Thomam Matthei de Perusio priorem prioratus sancti Severi priorem elegit dicti prioratus sancte Trinitatis &c.

Ego Jacobus ser Butii de Perusio &c. notarius &c. scripsi & meis signo & nomine publicavi.

CXXXIV.

Homines vallis S. Eusebii eximunt ab omni onere laboratores prioratus S. Marie de Orbisio.

Anno 1430. IX. januarii.

Ex autographo archivi S. Michaelis de Muriano.

IN Christi nomine, amen. Anno ejusdem nativitatis M. CCCC. XXX. indictione VIII. die lune IX. mensis januarii in villa sancti Eusebii Padue districtus sub ulmo dicti communis, ubi sunt solita fieri consilia & capitula pro dicto commune in pleno & generali capitulo, consilio & vicinancia communis & hominum predicti communis vallis sancti Eusebii congregato ad sonum campane more & loco solitis & consuetis, in quo quidem capitulo & consilio interfuit major pars hominum dicti communis, qui sunt hii, videlicet ven. vir dominus presbyter Donatus archipresbyter ecclesie sancti Laurentii de dicta villa, frater Johannes de sancto Eusebio guardianus Minorum .. decanus dicte ville, Girardinus quondam Petri, ser Dominicus Vandini, ser Bartholomeus quondam Zamboni &c. *cum aliis viginti-duobus*. Coram quibus omnibus & singulis constitutus erat ven. dominus frater Lucas prior monasterii & conventus sancte Marie de Orbixio dicens & exponens velle invenire unum laborantem, qui stet & habitet ad locum ipsius domini prioris, & laboret possessionem ipsius loci, & de gratia speciali petiit dictis decano & hominibus, ut exemptent & absolvant quemlibet laboratorem, quem ipse dominus prior & omnes successores sui imposterum invenirent pro dicto suo monasterio ab omnibus & quibuscumque oneribus, factionibus, angariis & impositionibus realibus & personalibus impositis & imponendis imposterum per homines dicti communis vallis sancti Eusebi .... qui decanus & homines predicti audientes hoc de gratia tanta sibi peti, misericordia moti cognoscentes hoc fore bonum

bonum & Deo gratum ac utile beneficium ipsius jamdicti monasterii unanimi voto, voluntate & consensu concesserunt, ac attribuerunt licentiam & parabolam dicto domino fratri Luce priori antedicto ibi presenti, petenti, stipulanti, acceptanti & recipienti pro se & successoribus suis, quod possit & valeat invenire laboratorem ad sui beneplacitum, & quod quicumque de cetero erit laborator dicti monasterii sit & esse intelligatur ac debeat perpetuo cum omni sua familia, & bonis liber, immunis, exemptus & absolutus ab omnibus & singulis factionibus, angariis, daciis, oneribus & gravaminibus quibuscumque realibus & personalibus ac mixtis, & tam ordinariis, quam extraordinariis, & tam impositis, quam imponendis ullo modo, causa, jure vel forma; & quocumque nomine censeantur, suscipientes in se & super se dicti decanus & homines dicte ville sponte, libere & ex certa scientia omnes solvendi onera publica & gravamina quecumque imposita & imponenda venientia seu tangentia, & respectu & sub nomine seu rata & parte dicti laboratoris, familie & bonorum ejus imperpetuum sine aliqua exceptione juris vel facti in contrarium admittenda. Obligantes sponte sese dicti decanus, & homines & heredes suos & omnia eorum bona mobilia & immobilia, presentia & futura ad conveniendum, forbaniendum, & tenutam de suis bonis accipiendum semel & pluries Venetiis, Padue, Tervisii, Vincentie, Verone, & Ferrarie & generaliter ubique ubique terrarum & locorum. Renunciantes omnibus feriis *&c.*

Et ego Dominicus filius Ivani de Arquada publicus imperiali auctoritate notarius hiis omnibus suprascriptis personaliter presens fui, & rogatus omnia fideliter scripsi.

CXXXV.

Martinus V. monet abbatem de Carceribus, ut provideat de sacerdote ecclesiam S. Johannis-baptistæ de Vallibus.

Anno 1430. IV. martii.

Ex autographo archivi S. Michaelis de Muriano.

A *Tergo*: Dilecto filio .. abbati monasterii sancte Marie *della Carcere* ordinis Camaldulensis Paduane diocesis.

Martinus Papa V. dilecte fili, salutem & apostolicam benedictionem. Ex querela dilectorum filiorum parochianorum ecclesie sancti Johannis-baptiste site in loco, qui dicitur *le Valli*, Paduane diocesis, que dudum tuo monasterio unita fuit, & nonnullorum etiam aliorum fide digna relatione percepimus, quod tu omnino negligas curam animarum ipsorum parochianorum, cum non sit, qui audiat ibidem eorum confessiones, baptizet infantes, & alia ecclesiastica sacramenta eis ministret in ipsorum scandalum, & animarum suarum & infantium periculum & jacturam. Nos autem volentes, ut animarum cura in dicta ecclesia nullatenus negligatur, tibi presentium tenore precipimus & monemus, quatenus per idoneum sacerdotem, qui divina ibidem celebret, & ecclesiastica ministret sacramenta, curam dictorum parochianorum, prout debitum est, gerere & exercere procures, atque ita in premissis te habeas, prout necesse fuerit, & etiam opportunum. Datum Rome apud sanctos Apostolos sub anulo piscatorio die IV. mensis martii pontificatus nostri anno XIII.

Loco sigilli † cerei.

CXXXVI.

Ludovicus Barbo abbas S. Justinæ de Padua concedit hospitale S. Jacobi de Spata Patavii in emphyteusim Lucæ priori de Orbisio.

Anno 1430. XXII. aprilis.

Ex autographo S. Michaelis de Muriano.

IN Christi nomine, amen. Anno ejusdem nativitatis millesimo quadringentesimo trigesimo indictione octava die sabbati vigesimo-secundo mensis aprilis. In monasterio sancte Justine Padue, presentibus magistro Johanne Varoto tessario quondam Johannis de contrata Prati-vallis, provido viro ser Fredo filio magistri Andrioli habitatore Padue in contrata sancti Danielis, & magistro Antonio tessario pannorum quondam Bartholomei de contrata Basanensi de Padua testibus ad hec habitis, vocatis specialiter & rogatis, & aliis. Convocato & more solito congregato capitulo venerabilium dominorum & religiosorum dominorum abbatis, monachorum & monasterii sancte Justine de Padua ad sonum campanelle, cui quidem capitulo interfuerunt rev. in Christo pater & dominus

minus domnus Lodovicus Barbo de Venetiis abbas ejusdem monasterii, & religiosi viri dompnus Andreas de Verona prior claustralis, dompnus Fortunatus de Vincentia, dompnus Marcus de Papia, dompnus Eleutherius de Mediolano, dompnus Hieronymus, dompnus Lucas de Papia, dompnus Martinus, dompnus Daniel de Nigroponte, dompnus Andreas de Mediolano, dompnus Nicolaus de Storlado, dompnus Syrus de Papia, dompnus Maurus, dompnus Mattheus, dompnus Blasius, dompnus Firminus, dompnus Antonius, dompnus Durans, domnus Germanus, domnus Forlandus & omnes monachi professi dicti monasterii facientes, constituentes & representantes totum & integrum capitulum dicti monasterii, cum sint plusquam due partes dominorum monachorum professorum in dicto monasterio, & in sacris ordinibus constituti; cum hoc quod per nobiles viros magistrum Bartholomeum Torculo nomine suo ac nomine nobilis viri ser Johannis de Zabarellis, pro quo promisit de rato, & dominus Jacobus de Leone renuntiaverit juribus suis, que habebant in hospitali sancti Jacobi de la Spa posito in contrata sancte Crucis, coheret ab una parte via communis, ab alia ser Constantinus, ab alia magister Comes faber & ab alia donna . . . animo & intentione, ut domnus Lucas prior ad presens prioratus sancte Marie de Orbisio & alii domini priores, qui pro tempore erunt, idcirco jure livelli perpetualis ad renovandum semper in capite annorum viginti-novem dando & solvendo pro unaquaque renovatione solidos viginti, prelibatus rev. pater dominus abbas antefatus de voluntate & consensu omnium suprascriptorum dominorum monachorum per se & successores suos investivit cum anulo aureo, quem tenebat in manibus, venerabilem virum dominum dompnum Lucam prelibatum priorem prioratus sancte Marie de Orbisio Paduani districtus, & accepit pro se & successoribus suis de suprascripto hospitali sancti Jacobi de la Spa ad habendum, tenendum, possidendum &c. sine contradictione dicti domini abbatis, monachorum, capituli & conventus ac dictorum magistri Bartholomei Torculo nomine suo, & ser Johannis de Zabarellis, pro quo promisit curare cum effectu, & domini Jacobi de Leone, ac alterius persone, cum accessu, ingressu, introitu & via, andiis, servitutibus, stillicidiis, aquis & aquarum ductibus, adjacentiis & pertinentiis suis, omnibusque aliis & singulis juribus realibus & personalibus, & actionibus utilibus ac directis, tacitis & expressis quibuslibet, & naturalibus ipsi hospitali sancti Jacobi in integrum spectantibus & pertinentibus, ac competentibus & competituris, salvo semper proprietate & dominio, ac conditione livelli ipsi domino abbati, monachis, monasterio & conventui prefatis. Promittens ipse dominus abbas ipsam suprascriptam rem livellatam defendere, quarentare & disbrigare de jure ab omni persona, parte, communi &c. sub obligatione bonorum sancte Justine, salvo jure proprietatis & conditione livelli, ut supra dictum est. Ad cujus livelli favorem dictus dominus Lucas prior & livellarius per se & successores promisit ipsi domino abbati ipsam rem, ut supra, livellatam meliorare, & dare, reddere & respondere pro cognitione dicti livelli annuatim libram unam piperis sub pena solidorum viginti pro quolibet termino non servato, & pena soluta vel non, contractus iste in se suam obtineat roborationem & firmitatem, pacto isto tamen apposito & sollemni stipulatione firmato, quod si ipse dominus prior livellarius non observaret predictum, quod prefati dominus abbas, monachi & conventus habeant regressum & jus contra ipsum quemadmodum contra laicum, pro quibus omnibus & singulis melius attendendis & observandis ipse domnus Lucas prior & livellarius se, successores suos, & bona prioratus de Orbisio obligavit mobilia & immobilia, presentia & futura usque ad integram satisfactionem. Cum hoc, quod rev. & dominus generalis suus ratificet predicta, ratificet & ratificare, & laudare teneatur ad conveniendum.... tenutam de bonis ipsius prioratus accipiendis, vendendis & allivellandis, renuntians &c.

† Ego Mat. . . . franc. . . . quondam ser Petri civis & habitator civitatis Padue in quarterio Turrisellarum centenario & contrata sancte Crucis publicus imperiali auctoritate notarius premissis interfui, & rogatus fideliter scripsi sub meisque signo & nomine solitis.

SERIES

DIPLOMATUM ALIORUMQUE MONUMENTORUM

In Appendice hujus voluminis existentium ordine chronologico digesta.

1351. IX. septembris. Clara sanctimonialis S. Marci de Fabriano de licentia suæ abbatissæ transit in monasterium de Bucca-saxorum, & ibi eligitur abbatissa, n. I. col. 476.

1351. XIV. Ecclesia S. Stephani de Arcellis in commendam redacta, n. II. 479.

1352. XXIX. januarii. Albricus abb. Vallis-castri recipit in præbendatum nobilem virum Thomasuccium de Clavellis. n. III. 480.

1352. XIV. julii. Benedictus Johannis de Porcarella renuntiat eidem Albrico abbati ecclesiam S. Mariæ de Pietate urbis Maceratæ, numer. IV. 481.

1352. XXVIII. julii. Nicolaus ep. Maceratensis confirmat Guillielmum monachum Valle-castrensem in rectorem ecclesiæ S. Mariæ de Pietate. n. V. 482.

1353. XXX. junii. Jacobus Azolini eligitur in rectorem S. Christinæ de Clanis, & præstat obedientiam abbati Agnaniensi ejusdem ecclesiæ patrono, n. VI. 484.

1354. XV. aprilis. Monachi S. Johannis-baptistæ de Judaica Venetiarum præstant obedientiam Andreæ priori S. Mathiæ de Muriano uti eorum domino. n. VII. 486.

1355. XVI. kal. aprilis. Privilegium Caroli IV. regis pro universa congregatione Camaldulensi, numer. VIII. 487.

1355. III. kl. julii. Carolus IV. imp. declarat suum consiliarium Gualterium abb. S. Michaelis in Burgo Pisarum. n. IX. 496.

1357. XIX. januarii. Unio monasterii S. Pauli de Burgo-sicco cum altero S. Trinitatis de Florentia monialium. n. X. 497.

1360. XX. maji. Stephanus archiep. Tholosanus & papæ camerarius adprobat exemplum ex autographa bulla Gregorii papæ IX. anni 1227. qua confirmat jura in quamplurimas ecclesias & bona Raynerio episcopo Bethleemitano. numer. XI. 497.

1360. IV. octobris. Testamentum Johannis quondam Sanpiroli, quo fundatur monasterium S. Mariæ de Pisauro sub ditione monasterii S. Mathiæ de Muriano. numer. XII. 508.

1362. XVII. februarii. Philippus ep. Florentinus unit monasterium S. Francisci de Vicchio cum altero S. Agathæ de Florentia. numer. XIII. 511.

1365. XXX. decembris. Abbas S. Hippolyti de Faventia eligit rectorem ecclesiæ S. Martini de Villanova, n. XIV. 513.

1366. XXV. martii. Petrus Venerius abb. Sanæ-vallis de Follina eligit Luisium monachum in rectorem sancti Nicolai de Fonte. numer. XV. 515.

1367. XVI. julii. Sententia circa castrum Vicarelli de jure monasterii S. Gregorii de Urbe. n. XVI. 516.

1370. II. januarii. Licentia concessa episcopo Parentino incidendi nemus pro reparatione ecclesiæ sancti Michaelis de Lemmo. n. XVII. 518.

1370. XXIV. martii. Rector ecclesiæ S. Severini de Utriculo subjectæ monasterio S. Gregorii de Urbe locat quædam bona ejusdem ecclesiæ. n. XVIII. 520.

1370. III. nonas junii. Urbanus V. confirmat aliquot monasteria subjecta priori S. Mathiæ de Muriano. n. XIX. 522.

1370. VI. id. augusti. Idem vetat mulieribus, ne ingrediantur silvam circa eremum Camaldulensem. n. XX. 523.

1370. V. septembris. Fundatio monasterii S. Mariæ de Angelis prope Bononiam. n. XXI. 524.

1370. IV. novembris. Marcus ep. Camerinensis concedit licentiam permutandi quasdam terras monasterii Valle-castrensis. num. XXII. 530.

1370. XII. novemb. Charta ejusdem permutationis. n. XXIII. 532.

1372. XXVII. maji. Licentia concedendi in emphyteosim bona ecclesiæ S. Michaelis de Quadrigaria viris nobilibus de Rovelone. numer. XXIV. 533.

1372. XXII. junii. Charta concessionis ejusdem emphyteosis, numer. XXV. 535.

1373. II. junii. Philippus de Offida abbas S. Gregorii de Urbe locat castra Mazzani & Castri-veteris. n. XXVI. 538.

1374. VIII. junii. Licentia evocandi testes circa quoddam privilegium monasterii de Gualdo. numer. XXVII. 540.

1378. IX. nov. Benigna abbatissa S. Annæ de Bononia restituit quamdam pecuniæ summam. n. XXVIII. 542.

1379. idibus martii. Urbanus VI. monet abbatem Sanæ-vallis de Follina, ut regat moniales SS. Gervasii & Protasii prope Bellunum. n. XXIX. 543.

1381. III. idus martii, Visitatores & Reformatores Camaldulensium instituunt abbatem in monasterio S. Frigdiani Pisarum. numer. XXX. 544.

1382. XVI. maji. Donatio facta ecclesiæ S. Trinitatis de Faventia. n. XXXI. 550.

1382. X. septemb. Testamentum Richardi comitis de Prata. numer. XXXII. 551.

1382. XVII. kl. octobris. Urbanus VI. instituit Angelum Vannis in abbatem S. Christophori de Castro. durante. n. XXXIII. 553.

1383. mense julio. Hieronymus Ægydii de Florentia abbas Adelmensis instituitur camerarius omnium monasteriorum Camaldulensium. n. XXXIV. 554.

1383. XIX. novemb. Simon abbas Vallisumbrosæ concedit licentiam monialibus S. Hieronymi de Florentia intrandi monasterium monialium congregationis Pulsanensis S. Mariæ Intemeratæ prope Florentiam. n. XXXV. 557.

1383. XXX. decemb. Antonius Venerio dux Venetiarum permittit monachis S. Mathiæ de Muriano, ut viam possint erigere prope eorum monasterium. n. XXXVI. 559.

1386. XXV. junii. Datur in commendam ecclesia S. Nicolai de Luco. n. XXXVII. 560.

1387. III. kl. augusti. Urbanus VI. transfert Jacobum ex abbatia S. Zenonis Pisarum in abbatiam Vangaticiensem, sed eo renuntiante eligit Antonium Ferro. n. XXXVIII. 562.

1387. kl. maji. Idem eligit in priorem S. Margaritæ de Tosina Petrum abbatem Silvæ-mundæ. numer. XXXIX. 564.

1387. XVIII. augusti. Indulgentia concessa a Gilberto ep. Parentino visitantibus ecclesiam S. Mathiæ de Muriano ab ipso consecratam. n. XL. 567.

1388. XXIV. januarii. Hieronymus prior Camaldulensis constituit Nicolaum abb. S. Helenæ de Æsino in procuratorem pro negotiis ordinis. n. XLI. 568.

1390. XXVII. januarii. Monachi S. Mariæ de Porcilia declarantur exempti a solutione decimæ villæ Campi-longi. n. XLII. 569.

1390. V. nonas martii. Bonifacius IX. confirmat bullam Urbani VI. concedentis Camaldulensibus indulgentiam dilargitam visitantibus basilicas Urbis. n. XLIII. 572.

1392. Sententiæ circa jura salis monasterii S. Gregorii de Urbe. n. XLIV. 573.

1393. IV. kl. septemb. Bonifacius IX. concedit indulgentiam visitantibus ecclesiam S. Mariæ de Vertighe. n. XLV. 586.

1394. XI. junii. Abbas Morronensis concedit castrum Montanini & alia bona in feudum Nicolao comiti de Monte-scudario. numer. XLVI. 587.

1394. VIII. maji. Scarpetta de Ordelaffis ep. Foro-liviensis, & Benedictus ep. Sarsinas concedunt indulgentiam visitantibus ecclesiam parthenonis S. Christinæ de Foro-livio. n. XLVII. 592.

1394. XXXI. julii. Andreas prior Camaldulensis Paulo Venerio abb. S. Michaelis de Muriano concedit licentiam alienandi bona immobilia, utpote nimis dissita ab eodem monasterio. n. XLVIII. 594.

1394. II. nonas septemb. Bonifacius IX. unit eremo Camaldulensi abbatiam Vallis-castri. n. XLIX. 595.

1394. X. decemb. Sententia circa bona & jura monasterii S. Michaelis de Lemmo. n. L. 597.

1395. XXIV. januarii. Johannes abb. Clas-

Classensis instituit rectorem in plebem S. Viti de Ravignana. n. LI. 601.

1396. III. junii. Donatio facta monasterio S. Catharinæ de Fabriano a nobili viro Gualterio de Clavellis, & a Mittarella ejus uxore. n. LII. 606.

1396. V. Kl. julii. Bonifacius IX. concedit facultatem prioribus S. Mariæ Angelorum de Florentia absolvendi ab excommunicatione, suspensione &c. suscipientes ab eisdem prioribus habitum monasticum. n. LIII. 607.

1397. III. idus julii. Bonifacius IX. copiam facit absolvendi Benedictum de Benzonibus de Crema monachum, qui adhæserat Clementi VII. anti-papæ, numer. LIV. 609.

1397. Kl. decembris. Idem rursus & ampliori modo submittit eremo Camaldulensi monasterium Vallis-castri. n. LV. 612.

1399. XXVII. octobris. Appellatio facta a Laurentio abb. Uranensi ad Bonifacium IX. coram Urso ep. Brittonoriensi circa ecclesiam S. Mariæ de Lacu. n. LVI. 615.

1399. XIII. decemb. Canonici Patavini donant eremo Camaldulensi monasterium S. Mariæ de Orbisio. n. LVII. 619.

1400. VII. id. martii. Bonifacius IX. confirmat privilegium Urbani V. concessum monasterio S. Mathiæ de Muriano. n. LVIII. 620.

1400. Kl. septemb. Idem concedit indulgentiam ecclesiæ S. Marci de Fabriano. LIX. 622.

1401. idibus januarii. Idem scribit abbati Vangaticiensi, ut examinet Petrum Bononii de Lignago presbyterum Veronensem pro Beneficio obtinendo. n. LX. 623.

1401. XXI. februarii. Michael Steno dux Venetiarum scribit Francisco domino de Carraria pro monasterio sancti Johannis de Judaica. n. LXI. 625.

1401. XXVI. septembris. Senatus-consultum Venetorum contra procurantes Beneficia in eorum dominio. n. LXII. 626.

1401. Kl. aprilis. Bonifacius IX. confirmat exemptionem abbatiæ & Burgi S. Sepulchri ab episcopo Civitatis-castelli. n. LXIII. 627.

1401. XV. Kl. januarii. Idem Bonifacius dat in commendam prioratum sanctæ Mariæ de Serra diœcesis Æsinæ Clementi episcopo Thelesino. n. LXIV. 629.

1404. XV. septembris. Johanninus Fabrianensis professionem monasticam emittit in monasterio Vallis-castri. n. LXV. 632.

1404. Monachi Burgi S. Sepulcri supplicant Innocentium VII. ut eorum abbatiæ restituantur jura & privilegia vetera apostolica. numer. LXVI. 634.

1404. Instantia monachorum Vallis-castri ad Innocentium VII. ut bullæ unionis eorum abbatiæ eremo Camaldulensi renoventur, numer. LXVII. 636.

1406. IV. nonas februarii. Innocentius VII. committit abbati de Tripuntio, ut bona male alienata monasterii Valle-castrensis recuperentur. n. LXVIII. 637.

1406. XX. julii. Idem scribit Andreæ priori Camaldulensi circa electionem prioris sancti Mathiæ de Muriano. n. LXIX. 637.

1406. IV. nonas decembris. Andreas prior Camaldulensis mandat, ne monachi divagentur per urbes, n. LXX. 642.

1407. V. idus maji. Gregorius XII. concedit monachis sancti Michaelis de Muriano, ut eligere sibi possint ipsorum abbatem, numer. LXXI. 643.

1407. I. junii. Idem Andreas prior & definitores capituli generalis concedunt aliquot privilegia monasterio nuper erecto sancti Benedicti prope Florentiam, numer. LXXII. 645.

1407. VIII. augusti. Balthassar Cossa card. legatus confirmat Bartholomæum Foro-liviensem in prioratu Camaldulini de Forolivio, n. LXXIII. 649.

1407. XV. Kl. septembris. Gregorius XII. unit monasterio S. Michaelis de Muriano prioratum S. Mariæ de Mandria prope Patavium. n. LXXIV. 651.

1408. XII. Kl. martii. Idem transfert ex ordine S. Augustini monasterium S. Mariæ de Carceribus ad Camaldulenses. n. LXXV. 655.

1408. XII. Kl. martii. Idem Gregorius eligit Thomam Rizo in priorem sanctæ Mariæ de Carceribus. n. LXXVI. 657.

1408. XII. Kl. martii. Idem mandat, ut prædictus Thomas instituatur in

in priorem monasterii de Carceribus. n. LXXVII. 658.

1408. kl. martii. Idem unit eremo Camaldulensi prioratum S. Johannis-baptistæ inter Paras, alias cellæ S. Alberici. n. LXXVIII. 660.

1408. III. aprilis. Angelus cardinalis Laudensis recipit pensionem a monasterio sanctæ Mariæ de Carceribus. n. LXXIX. 661.

1408. IV. id. aprilis. Gregorius XII. confirmat privilegium a Bonifacio VIII. concessum monialibus S. Benedicti de Arretio. numer. LXXX. 662.

1408. VIII. id. aprilis. Idem mandat, ut recuperentur bona male alienata monasterii de Carceribus. n. LXXXI. 665.

1408. V. nonas julii. Idem unit mensæ canonicorum Lucensium monasterium de Quosa & de Puteolis. n. LXXXII. 666.

1408. XXXI. julii. Abbas Valle-castrensis confirmat donationem factam monasterio sanctæ Catharinæ de Fabriano. n. LXXXIII. 667.

1409. XV. julii. Ludovicus Barbo abbas S. Justinæ de Padua mandat priori de Carceribus, ut quamdam pensionem solvat monasterio S. Michaelis de Muriano. n. LXXXIV. 671.

1409. eodem die. Expensæ factæ ab abbate S. Michaelis de Muriano pro eodem monasterio de Carceribus adquirendo & reformando. n. LXXXV. 673.

1409. X. kl. septemb. Alexander V. confirmat amplissimum privilegium ab Alexandro IV. toti congregationi Camaldulensi concessum. numer. LXXXVI. 675.

1410. III. kl. octob. Gregorius XII. instituit Anselmum monachum congregationis S. Silvestri in abbatem S. Blasii de Fabriano. numer. LXXXVII. 678.

1410. XXIII. novemb. Antonius abbas Vangaticiensis eligitur a capitulo generali in priorem & præsidem totius congregationis Camaldulensis. n. LXXXVIII. 680.

1411. III. nonas martii. Gregorius XII. eligit in visitatorem & reformatorem totius congregationis Michaelem abbatem S. Zenonis Pisarum. LXXXIX. 691.

1411. XVI. septemb. Testamentum B. Danielis ex nobili gente de Ungrispach oblati monasterii S. Mathiæ de Muriano. n. XC. 693.

1412. XXII. aprilis. Johannes abbas Montis-christi instituit presbyterum Orsellum in rectorem ecclesiarum S. Pauli de Juncheto & S. Petri de Bisceno in insula Corsica. n. XCI. 696.

1412. XXX. julii. Abbatissa Prati-veteris visitat suum monasterium S. Benedicti de Arretio. n. XCII. 697.

1412. XXVII. octobris. Decretum Senatus Veneti, ne pignorentur res ecclesiarum & monasteriorum. n. XCIII. 703.

1413. VIII. maji. Johannes XXIII. unit monasterio S. Christinæ de Bononia alterum de Ponte-majori, ipsum separans a monasterio S. Gervasii de Bononia. n. XCIV. 705.

1414. VII. id. junii. Idem unit monasterio Angelorum de Florentia monasterium S. Mariæ de Agnano. n. XCV. 708.

1416. XXIX. maji. Moniales S. Petri de Luco eligunt rectorem S. Georgii de Luco. n. XCVI. 710.

1418. IX. januarii. Antiani Bononienses commendant priori S. Mathiæ de Muriano Jacobum de Poetis eorum civem pro prioratu S. Mariæ de Angelis prope Bononiam. n. XCVII. 712.

1418. XXI. februarii. Lucidus card. de Comitibus instituit procuratores ad recipiendum prioratum SS. Trinitatis prope Perusium. numer. XCVIII. 714.

1418. XVII. kl. maji. Martinus V. unit prioratui S. Salvatoris de Verona alterum Camalduli-Veronensis. n. XCIX. 715.

1418. V. nonas julii. Idem confirmat monasterio S. Blasii de Fabriano limites ejus parochiæ jam statutos a Philippo ep. Camerinensi. numer. C. 717.

1418. XXX. octobris. Jacobus abbas renuntiat monachis Montis-oliveti S. Catharinæ de Fabriano suum monasterium S. Victoris de Clusis. n. CI. 717.

1419. VI. kl. februarii. Martinus V. confirmat monasterio de Carceribus unionem hospitalis S. Danielis de Patavio. n. CII. 720.

1419. X. februarii. Antonius prior Camaldulensis confirmat conventiones initas inter abbatem Vallis-castri & monachos Montis-oliveti de Fabriano. n. CIII. 722.

1419. X. kl. aprilis. Martinus V. suscipit

pit sub apostolica protectione monasterium SS. Gerardi & Hieronymi de Florentia. n. CIV. 723.

1419. XV. kl. maji. Idem confirmat unionem olim factam a Gregorio XII. capitulo Lucensi monasteriorium de Quosa & de Puteolis. n. CV. 724.

1419. II. nonas augusti. Idem mandat abbati S. Michaelis in Burgo Pisarum, ut investiat Petrum presbyterum de quadam capella in ecclesia sancti Stephani monialium ordinis S. Benedicti, n. CVI. 727.

1420. id. januarii. Idem committit abbati S. Floræ de Arretio, ut recuperet bona male distracta parthenonis S. Petri de Luco, numer. CVII. 728.

1420. XVIII. kl. februarii. Idem unit monasterio S. Mariæ Angelorum de Florentia monasterium S. Petri de Cerreto. n. CVIII. 729.

1420. VII. februarii. Johannes episcopus Camerinensis confirmat commendam ecclesiæ sancti Laurentii de Muscano Petro rectori S. Petri de Muscano. n. CIX. 731.

1420. XVI. februarii. Abbas & monachi S. Blasii de Fabriano constituunt procuratorem, ut petat ab eodem episcopo uniones plurium ecclesiarum. n. CX. 733.

1420. XXII. maji. Eustachius abb. Vallis-castri instituit Johannem monachum in rectorem ecclesiæ S. Johannis de Camorano diœcesis Anconitanæ. n. CXI. 736.

1421. VIII. id. augusti. Martinus V. confirmat pensionem monasterii de Carceribus pro monasterio S. Michaelis de Muriano, numer. n. CXII. 737.

1421. XI. junii. Raphael prior Camaldulensis unit monasterio S. Mathiæ de Muriano alterum S. Martini de Prata, n. CXIII. 740.

1421. XXIV. julii. Idem mandat prioribus monasteriorum subjectorum alteri S. Mathiæ, ut visitatores & visitationes recipiant, numer. CXIV. 742.

1421. XVI. kl. novemb. Martinus V. confirmat conventiones initas inter priorem S. Catharinæ Montis-oliveti & abbatem S. Blasii de Fabriano. n. CXV. 744.

1422. VIII. kl. februarii. Idem concedit priori sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia, ut transferat in ejus ecclesiam corpora SS. Proti, Hiacynthi, & Nemesii Mm. ex abbatia Silvæ-mundæ. numer. CXVI. 754.

1422. VIII. kl. aprilis. Idem renovat bullam Gregorii XII. unionis monasterii de Carceribus congregationi Camaldulensi. num. CXVII. 755.

1422. VII. kal. aprilis. Idem dispensat a defectu ætatis sex monachos de Carceribus, ut suscipere possint sacros ordines, numer. CXVIII. 756.

1422. III. octobris. Johannes episcopus Camerinensis assentitur unioni factæ monasterio S. Blasii de Fabriano de ecclesiis S. Mariæ in Bucca-saxorum sive de Rosenga, S. Mariæ inter Saxa, & S. Mariæ in Campis. numer. CXIX. 757.

1423. XX. julii. Martinus V. unit ecclesiam S. Nicolai alteri S. Georgii de Luco. n. CXX. 760.

1424. VII. septembris. Clemens rector ecclesiæ S. Michaelis de Lappurano quærit locare ipsam ecclesiam. n. CXXI. 763.

1424. XVII. septemb. Benedictus prior Camaldulensis curat recuperationem monasterii de Puteolis. numer. CXXII. 763.

1425. nonis junii. Martinus V. vetat monachis S. Mathiæ de Muriano, ne ad electionem novi eorum prioris veniant, eam sibi reservando. n. CXXIII. 764.

1425. II. novembris. Petrus abbas Fontis-avellanæ permittit abbati Aceretæ, ut cedat monialibus Cistercienfibus ecclesiam S. Luciæ de Faventia, n. CXXIV. 765.

1426. IV. id. junii. Martinus V. confirmat Camaldulensibus privilegium recipiendi ordines sacros &c. a quocumque catholico episcopo, simulque episcopis ea occasione conferendi sacrum chrisma infantibus. n. CXXV. 768.

1426. XXIX. decembris. Martinus de Perusio abbas S. Silvestri Montis-subasii instituitur administrator prioratus S. Trinitatis de Perusio. n. CXXVI. 769.

1427. II. nonas januarii. Martinus V. unit abbatiæ Vallis-castri monasterium S. Blasii de Fabriano. n. CXXVII. 770.

1427. VI. junii. Joachim prior S. Cassiani de Fabriano exequitur, ut delegatus apostolicus unionem præ-

prædictorum monasteriorum. numer. CXXVIII. 773.

1427. VI. kl. julii. Martinus V. confirmat electionem prioris de Carceribus Francisci Sandelli. numer. CXXIX. 774.

1427. kl. decembris. Idem instituit in abbatem priorem de Carceribus. n. CXXX. 776.

1428. VII. junii. Leonardus rector S. Mariæ a Mare & S. Jacobi de Arzilla territorii Fanensis concedit in emphyteusim terras. numer. CXXXI. 777.


1428. XIII. kl. octob. Martinus V. concedit Francisco abbati S. Mariæ de Carceribus usum insignium pontificalium. n. CXXXII. 779.

1429. XVII. mensis aprilis. Lucidus cardinalis de Comitibus renuntiat prioratum S. Trinitatis de Perusio. n. CXXXIII. 780.

1430. IX. januarii. Homines vallis S. Eusebii eximunt ab omni onere laboratores prioratus S. Mariæ de Orbisio. n. CXXXIV. 781.

1430. IV. martii. Martinus V. monet abbatem de Carceribus, ut provideat de sacerdote ecclesiam S. Johannis-baptistæ de Vallibus. n. CXXXV. 782.

1430. XXII. aprilis. Ludovicus Barbo abbas S. Justinæ de Padua concedit hospitale S. Jacobi de Spata Paduæ in emphyteusim Lucæ priori de Orbisio. n. CXXXVI. 783.



INDEX
RERUM ET NOMINUM, QUÆ CONTINENTUR IN TOMO SEXTO ANNALIUM CAMALDULENSIUM.

Numeri, quos non præcedit litera A, ad ANNALES pertinent, quos vero litera A præcedit, spectant ad APPENDICEM.

Litera a. initium paginæ, b. medium, c. finem designant.

A

Aquæ-

B

Ber-

C

Caro-

Clas-

Da-

D

E

F

Fer-

G

du-

H

I

L

M

de

N

O

per

P

Q

R

Ra-

S

Stel-

T

V

X Y & Z

FINIS.

Domnus Dominicus Valle Abbas monasterii sancti Michaelis de Muriano Venetiarum Ordinis sancti Benedicti Congregationis Camaldulensis & in Veneta Provincia Vicarius Generalis.

OPus, cui titulus: *Annales Camaldulenses* Tom. VI. &c. a duobus hujus monasterii monachis conscriptum, & a duobus pariter nostris Theologis, quibus eam curam demandavimus, recognitum, votoque eorum probatum, tenore præsentium, quantum nostra interest, facultatem typis consignandi impertimur.

Datum Venetiis ex nostro monasterio sancti Michaelis de Muriano kalendis decembris 1757.

D. Dominicus abbas.

Loco ✠ sigilli.

D. Antonius ab Oleo Cancellarius.

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione del P. F. *Gio: Paolo Zapparella* Inquisitor General del Santo Officio di *Venezia* nel Libro intitolato *Annales Camaldulenses* Tom. VI. ms. non v' esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Principi, e buoni costumi concediamo Licenza a *Gio: Battista Pasquali* Stampator *di Venezia*, che possi essere Stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Data li 12. Marzo 1761.

(Angelo Contarini Proc. Riff.
(Bernardo Nani Riff.
(Francesco Morosini 2. Kav. Proc. Riff.


Giacomo Zuccato Seg.


Errata in Annalibus.

Pag. 27. *lin.* 23. *circumpetione* lege *circumſpectione*
Pag. 37. *lin.* 12. igitur *lege* agitur
Pag. 42. *lin.* 3. a dſartam *lege* ad ſartam
Pag. 48. *lin.* 12. nominum *lege* hominum
Pag. 49. *lin.* 23. obtiret *lege* obtineret
Pag. 68. *lin.* 47. locum *lege* abbatem
Pag. 73. *lin.* 24. *contigeret* lege *contingeret*
Pag. 99. *lin.* 16. Burgenſi *lege* Balneenſi
Pag. 118. *ad oram* 1371. *lege* 1374.
Pag. 120. *lin.* 45. Ughellius *lege* Ugolinus
Pag. 134. *lin.* 34. ſuo *lege* tuo
Pag. 149. *lin.* 16. menſe *lege* Menſe
Pag. 150. *lin.* 15. Hetsrſede *lege* Hetſroede
Pag. 165. *lin.* 25. Gregorium *lege* Georgium
Pag. 182. *lin.* 23. factæ *lege* facta
lin. 32. ſententii *lege* ſententiis
Pag. 198. *lin.* 44. *effuxiſſe* lege *effluxiſſe*
Pag. 213. *lin.* 26. noſtris *lege* noſtri
Pag. 231. *lin.* 25. iterum in commendam *ſupple* dederat
Pag. 234. *lin.* 42. receperat *lege* receperant
Pag. 245. *lin.* 30. multis *lege* multi
Pag. 246. *lin.* 23. immitteret *lege* immitterent
Pag. 254. *ad oram* 1408. *lege* 1411.
Pag. 268. *lin.* 28. ad quam *lege* ad quem
Pag. 276. *lin.* 46. Verba *lege* verba
Pag. 292. *lin.* 23. conſilio *lege* concilio
Pag. 299. *lin.* 21. ignavum *lege* ignavam
Pag. 311. *lin.* 42. reduxerent *lege* reduxerunt
Pag. 318. *lin.* 21. Thoma *lege* Jacobo
Pag. 319. *lin.* 4. Gottardi *lege* Gerardi

Errata in Appendice.

Col. 12. *lin.* 15. *ſecundam* lege *ſecundum*
Col. 15. *lin.* 28. communiter *lege* communicent
Col. 67. *lin.* 8. ii *lege* ibi
Col. 190. *lin.* 22. integra *lege* integre
Col. 193. *lin.* 53. ſubſequanter *lege* ſubſequantur
Col. 206. *lin.* 19. 38. *titulus capitis* VIII. *ad* IX. *transferendus eſt, & ſic* IX. *ad* VIII.
Col. 229. *lin.* 10. a eremum *lege* ad eremum
Col. 253. *lin.* 31. aggravati *lege* aggravari
Col. 256. *ad oram* Ad libr. XVII. *lege* Ad lib. XLVI.
Col. 266. *lin.* 15. per *lege* pro
Col. 281. *lin.* 48. *injicintium* lege *injicientium*
Col. 286. *lin.* 2. reſidiſcant *lege* reſipiſcant
Col. 298. *lin.* 53. ſupra factis *lege* ſuprafatis,
Col. 348. *lin.* 23. *pralato* lege *prælato*
Col. 352. *lin.* 10. Heſunt *lege* Deſunt
Col. 370. *lin.* 41. conſervandas *lege* conſecrandas
Col. 398. *lin.* 6. diaconus *lege* ſubdiaconus
Col. 436. *lin.* 33. pernoctatur *lege* pernoctatus
Col. 481. *lin.* 26. brachielibus *lege* brachiolibus
Col. 497. *lin.* 17. Pucthomuslenſem *lege* Lucttho-muslenſem
Col. 510. *lin.* 29. vei *lege* vel
Col. 600. *lin.* 8. M. CCC. XLIV. *lege* M. CCC. XL.
Col. 614. *lin.* 10. quod *lege* quoad
Col. 616. *lin.* 57. extreſſe *lege* expreſſe
Col. 639. *lin.* 41. vacare *lege* vacante
Col. 652. *lin.* 14. abbatis *lege* abbati
Col. 655. *lin.* 30. anno 1407. *lege* 1408.
Col. 657. *lin.* 24. *Thomam* lege *Jacobum Thomæ*
Col. 658. *lin.* 37. *Thomas* lege *Jacobus Thomæ*
Col. 678. *lin.* 41. regimine *lege* regimini
Col. 696. *lin.* 15. Anthini *lege* Anthimi
Col. 729. *lin. ult.* ſſiten *lege* neceſſitatibus
Col. 784. *lin.* 28. renuntiaverit *lege* renuntiaverint
Col. 791. *lin.* 57. Thomas *lege* Jacobus
Col. 806. *lin.* 47. credit *lege* redit
Col. 809. *lin.* 20. omnes *lege* comes







ANNALES
CAMALD.
ORDINIS S.
S. BENEDICTI

TOM: VI.